
DOCTRINA
NVMORVM VETERVM.

Digitized by the Internet Archive
in 2017 with funding from
Getty Research Institute

https://archive.org/details/doctrinanvmorvmv11eckh



JOSEPHUS ECKHEL.

DOCTRINA
NVMORVM VETERVM

CONSCRIPTA

A

IOSEPHO ECKHEL

THESAVRO CAESAREO NVMORVM, GEMMARVMQVE VETERVM,
ET REI ANTIQVARIAE IN VNIVERSITATE VINDOBONENSI DOCENDAE
PRAEFECTO.

PARS I.

DE

NVMIS VRBIVM, POPVLORVM, REGVM.

VOLVMEN I.

CONTINENS

PROLEGOMENA GENERALIA, TVM NVMOS HISPANIAE, GALLIAE,
BRITANNIAE, GERMANIAE, ITALIAE CVM INSVLIS.

VINDOBONAE,

SVMPTIBVS IOSEPHI VINCENTII DEGEN

IMPRESSIT IGNATIUS ALBERTI.

MDCCXCII.

THE J. PAUL GETTY CENTER
LIBRARY

AVGVSTISSIMO, INVICTISSIMO,
POTENTISSIMO

PRINCIPI

FRANCISCO SECVNDO

ROMANORVM IMPERATORI

SEMPER AVGVSTO,

GERMANIAE, HVNGARIAE, BOHEMIAE,
DALMATIAE, CROATIAE, SLAVONIAE, GALICIAE,
LODOMERIAE, HIEROSOLYMARVM

REGI,

ARCHIDVCI AVSTRIAE,
DVCI BVRGVNDIAE ET LOTHARINGIAE,
MAGNO DVCI HETRVRIAE,
MAGNO PRINCIPI TRANSILVANIAE, DVCI MEDIOLANI,
MANTVAE, PARMAE ETC. ETC.

COMITI HABSBVRGI, FLANDRIAE, TIROLIS ETC. ETC.

DOMINO, DOMINO
CLEMENTISSIMO.

AVGVSTE!

Magnum est confidentiae, aut potius temeritatis argumentum, cum audent Musae interpellare Principem, quem propter recentia, et continuata Augustae domus funera, incumbentem humeris in vastissimi imperii aditu curarum molem, et exortum recens cum gente nuper amica bellum nonnisi difficilem adflictumque necesse fuit augurari. Sed abstersit audaciae invidiam una populorum omnium vox, quae TE in ipso doloris cursu omnia magno animo complexum reipublicae negotia, mitem, placidumque, et quod maximum est Principum ornamentum, humanitatis ac moderationis ami-

cum incredibili cum voluptate, et admiratione promulgavit. Nimirum hos TIBI mores, hunc animum dedit primum juventutis TVAE rudimentum, cum in castris ageres commilitonem, eadem cum infimo quoque participares pericula, et incommoda, et communes hominum calamitates ad TE quoque pertinere captis ipse experimentis intelligeres. Num igitur Musae TVVM reformidarent alloquium, quas esse ornamentum pacis, et gloriam reipublicae facile sibi persuasere Majores TVI, et quae, ut amplissima sibi a TVA voluntate praesidia augurantur, ita ad ornandam, amplifican-

damque TVAM majestatem jam nunc omne suum consilium, operamque addixere? Harum igitur communis scientiae praesidum nomine, atque privatim ejus, quae antiquitatis doctrinam sortita est, tenues TIBI hos meos consecrare conatus tanto magis gestiverat animus, quanto certiores sunt fructus honestissimi ejus otii, in quo me immortalis memoriae M. Theresia, sed deprecante Augusto parente TVO, collocaverat, siquidem quam gratiarum actionem debemus patri, eandem in filiis quoque cupimus esse perpetuam. Quapropter ut reliqua omnia abessent incitamenta, vel una

aeterni hujus beneficii recordatio tantum valet apud animum meum, ut, quam in juventute operam Augustae aviae TVAE, avunculi, patrisque obsequiis impenderam, eandem et TVIS extremo vitae tempore impensam cupiam.

DEVOTVS

NVMINI MAJESTATIQVE TVAE

AVCTOR OPERIS.

PRAEFATIO.

Cum ante annos omnino sex praesentis operis specimen, quod *Descriptionem numorum Antiochiae Syriae* inscripseram, publicae eruditorum censurae subjicerem, una justum illi commentarium praefixi, in quo ejus propositum, et causas, et totius in partes distributionem satis prolixe, et quantum providere tum adhuc poteram, adcurate explicavi. Quo cum meliorem alium, magisque idoneum adferre non possim, et tamen necesse sit, explicatam universi operis rationem lectori ob oculos ponere, consultius visum, quae ibi tum dictaveram, in praesens prooemium recipere, omissis nonnullis, quae opportunius aliorsum videbantur differenda, et additis, si qua tum non satis fuere perspecta, atque explorata.

Ajebam, opus huic nostro simile pridem tentatum ab aliis, sed sic, ut eventu careret propositum, ab aliis perfectum sic, ut in singulis deficiat aliquid, in quo primas praestantissimae hujus artis partes esse repositas nemo possit inficiari. Tentavit saeculo superiore hanc aleam Andreas Morellius Helvetius, modumque, quo instruere ordines, et explicare aciem intenderat,

aperuit in prooemio ejus operis, quod *Specimen universae rei numariae antiquae* appellare placuit. Et erat Morellius is vir, qui propter incredibilem in haec studia adfectum, tum et eruditionem non vulgarem, atque in pingendis numis non adsiduitatem modo, sed et dexteritatem unus par huic consilio videri poterat. At vero cum operis sui fines longius porrigeret, quam quibus aut hominis vita, aut privati sumptus sufficerent, subinde adverso in Galliis fato jactatus, ad extremum tentatus valetudine, quae et ingenii, et membrorum usum impediverat, ex congesto tot annorum apparatu aliud non reliquit quam tabularum aenearum volumina duo, praeclara illa quidem atque utilia, sed quorum utique latius pateret usus, si non deesset limae labor, et quos ad illustrandos numos paraverat, commentarii. Morellii vestigiis insistens Alexander Panelius Gallus, et ipse vir eximie eruditus, multique in re numismatica usus, sub finem libri, in quo Cistophororum naturam explicuit, aperuit consilium non minus Morelliano vastum porrectumque, quo omnium ordinum, nationumque numos veteres omnes aeri incisos explicatosque vulgaturum in se receperat. Propositum suum quo minus perageret, utrum turbaverit mors immatura, an, quod verius existimo, absterruerit moles non satis praevisa, non constat. Nihil sane ejus post haec promissa comparuit, sed quam nos jacturam possumus aequo animo ferre. Nam qui in binis libris, quos *de numo Tarraconensi*, et *de anno XI.* Treboniani vulgavit, absurdissima quaeque, et veritati historicae plane adversantia adfirmare, ex numorum testimoniis potuit, quique palam profiteri non dubitavit, fastidita quacunque fastorum, annalium, scriptorum fide, una numorum ope veram imperii Romani historiam scripturum, is profecto experimentum dedit, quam ille perver-

sam, praeposteramque in explicandis numis rationem sibi praefixerit, nobisque pro Harduino uno, quem jam solum vix concoquimus, bini forent devorandi. Quae fuerint Wolfgangi Lazii, et Huberti Goltzii, veterum artis nostrae magistrorum, in simili conatu sive naufragia, sive abortus, quod haec in vulgus cognita sunt, commemorare non attinet. At non praetereunda hoc loco pertinax Joannis Jacobi Gessneri Tigurini industria, qui edendo thesauro omnium numismatum veterum intentus, quos inde a Crophio, Lazio, Goltzio ad sua usque tempora vulgatos reperit numos populorum, urbium, regum, virorum illustrium, familiarum, Augustorum, Augustarumque, eos in suas redactos classes, et in aeneis caelatos tabulis exhibuit, praeclaro non ea solum aetate, sed et hodie artis nostrae compendio, quod quae diversissimorum sunt operum, indicatis adcurate, unde hauserat, fontibus in unum coegit. At vero et unicum istud ejus operis meritum, nam ad communem institutionem non modo parum prodest tironibus, sed saepe obest etiam, illud, quod desunt commentarii, qui numorum ambigua explicarent, hoc, quod nullo delectu in societatem recepit numos omnes, parum sollicitus, quam aut ii, aut qui eos promulgavere, fidem promereantur. Ejusdem indolis sunt lexica numismatica, quorum unum annis superioribus editum a Thoma Andrea de Gusseme Hispano, sed multis partibus, ut alibi monebimus, mancum, alterum multo locupletius ante aliquot annos Lipsiae vulgari coeptum a viro insigni et admirabilis patientiae Christophoro Rasche eo consilio, ut quidquid numorum ab omnibus retro antiquariis editum fuerat, in unum opus collectum, et alphabeti ordine expositum ad quoscunque usus haberemus, quod sane institutum multiplices adfert utilitates iis, qui nostris his studiis omnem

operam suam addixere. At lexicis alius est finis propositus; non enim artis praecepta tradunt, aut examinandis, quae ab aliis tradita sunt, magnopere laborant, sed cum fideliter et adcurate omnia materiae suae capita, quaecunque alii dictaverant, complectuntur, partes suas implevere.

Cum ab his parum sit subsidii, qui quacunque fortuna de re numaria universa scribere sunt aggressi, at non deerunt fortasse viri eruditi, ac praestantes, qui artis nostrae praecepta conferre in unum, ac mandare literis constituerint. Verum et haec nos sperata auxilia prodidere. Ad Ezechielis Spanhemii opus provocabis tam mole, quam eruditione conspicuum, in quo de *praestantia et usu numismatum* copiose disputatur? Fruere immortali hoc opere ejus viri, cujus non alius facile et aequaverit ingenium, et doctrinam, verum, si me audis, non ea mente, ut illo instruare, sed erudiare. Neque enim eo ille consilio hunc, de quo agimus, librum conscripserat, ut scientiae numismaticae cupidum velut manu duceret, verum nulla certa lege aut ordine quamcunque ejus artis partem reperit, quae idoneam ad disputandum materiem offerret, arripuit et omnibus eminentis doctrinae copiis explicavit. At quod praecipuum est, quascunque Tristano, Spanhemio, Harduino, Vaillantio, Begero, aliisque velimus tribuere in arena numismatica vires, et excellentiam, quam sane promeriti sunt eo jure, quo qui optimo, jam ipsa aetas, quae insignes hos viros tulit, eorum, quae copiose, et magno cum judicio scripserunt, elevat auctoritatem. Enimvero quis dubitabit, non eadem esse conditione scientiam numismaticam, aut historicam, et quae sunt ejus generis, qua esse aut geometriam, aut ethicam intelligimus, quarum praecepta, quoniam ex aeternis na-

turae legibus hausta sunt, non magis sunt vera hodie, quam fuerunt Euclidis aut Socratis aetate? At vero ut variant veterum monumenta, quibus unis ars numismatica aut nititur, aut perficitur, sic et scientiae nostrae statum habitumque in dies variare necesse est, sic ut quae vera olim credita, nunc vulgo comperta sint falsissima, quae olim incredibilia, nunc fide digna, quae in conjecturis habita, nunc certa, et explorata, quae sane evenire oportuit, ex quo ab annis proxime superioribus virorum praestantium opera, Liebei, Froelichii, Florezii, principis Turris Muciae, Barthelemyi, Belleyi, Blondii, Dutensii, Khellii, Neumanni, Sestinii, Taninii tam praeclara accessere supplementa, vulgata musea integra, Caesareum Vindobonense, Em. Cardinalium Albani, et Zeladae, Pisanianum, Theupolianum, Arigonianum, et quod rei caput est, Pellerinius et Hunterus immensas suas opes, quae privatorum facultates excedere videntur, explicaverunt. Ergo tantarum, tamque nobilium ope accessionum en tibi repente scientiam nostram velut alio sub coelo, alio sub sole positam, recipere vigorem, et efferre altius caput, tum et fugari tenebras, et offensionum pericula, quibus majorum nostrorum lucubrationes, nulla certe eorum culpa, passim laborant, ad quas si jam velis adigere artis nostrae studiosum, perinde agas, atque si hac nostra aetate post enavigata omnia maria, aditas omnium nationum oras, et excussa terrarum summa imaque, historiae velis naturalis intelligentiam ex Vlyssis Aldrovandi, Scheuchzeri, aut Alberti magni operibus repetere. Quapropter quisquis erit aequus rerum aestimator, grata manu sumet, quaecunque majores nostri recte scripsere, et veniam dabit, in quibus peccavere, nam si profecimus, per eos fateamur, et ipsa saepe eorum peccata profecisse, et si jam nunc plus illis sa-

pimus, illud non ingenio et doctrinae, quibus in rebus plerumque inferiores sumus, acceptum referendum, sed aetati, atque fortunae.

Verum quantumcunque illustria sunt haec artis nostrae et incrementa, et lumina, duo tamen adhuc restant peragenda, quibus, quamdiu carebimus, tantum abest, ut ars numismatica eos praestet fructus, quorum causa in artium communionem admissa est, ut etiam, nisi occultis ejus vitiis medemur, universam philologiam, quod experientia docuit, gravissimis adficiat incommodis. Quo enim pacto utilem sese poterit praestare, quando praeclara haec, de quibus modo egeram a nostrae aetatis hominibus collata subsidia ex mille voluminibus, locisque disjunctissimis sunt petenda, quam tu infinitam materiam dum colligas, atque apte distribuas, multorum habes annorum tolerandum laborem, quod tempus cum a paucis possit impendi, accedente ad haec molestae operae taedio, videmus jam in ipso aditu etiam qui minus morosi sunt, atque difficiles, absterreri. Atque ut hos obices perfregerit, cui fortuna plus otii, et patientiae adsperserat, restabit labor alter molestus aeque et implexus, et ad artis nostrae perfectionem cumprimis necessarius, quo numorum, quos majores nostri promulgavere, sed quibus hactenus nostrae aetatis censura pepercit, justo judicio exploretur fides, et innocentia. Enimvero graviter peccaverit, cui scientia numorum veterum post tot virorum praestantissimorum conatus satis videbitur perpurgata, neque amplius inquinata sordibus, quibus amoliendis non unus Hercules, non unus Alpheus suffecerint. Pervolve, si vacat, imperatorum Romanorum numismata ab Adolpho Occone olim congesta, a Francisco Mediobarbo comite Birago aucta et illustrata, de-

nique a Philippo Argelato innumeris, ut titulus spondet, mendis expurgata, et victas continuo manus dabo, nisi dimidiam saltem eorum partem aut mendose descriptam, aut aperte falsam, aut certe suspectam cogare confitere. Bono animo existimo a viris sedulis infaustam hanc numorum farraginem obtrusam, tametsi in causa nostra parum interest, utrum bono, an malo animo decipiare; at sane non oportuerat, numos quacunque fide cognitos, corrasos ex catalogis, quos rudia saepe ingenia congessere, in monumentis proponere, in quorum fide vetus historia nitatur. Sed de Mediobarbi, Goltziique meritis alibi erit opportunior agendi locus.

His malis ut remedium quaererem, plures abhinc annos coepi moliri commentarios nulla tum adhuc lege atque ordine, quod privato tantum usui intenderam, quorum cum interim moles excresceret, et amicorum judicio non privatim modo, sed et publice profuturi putarentur, ad construendam ex praeparata materia numorum veterum doctrinam animum appuli, de qua ut recte possit lector amicus arbitrari, necesse est, primum quas mihi in materiae delectu, et explicationis modo praefixerim leges, deinde quae sit totius operis distributio, ac ordo, paucis exponere.

I. Locus in hoc opere non dabitur, nisi numis, quos aut viderim ipse, aut a fide dignis auctoribus commendatos repererim. Insigne ad hanc causam et adjumentum, et fiduciam attulit museum Caesareum Vindobonense, numis commatis Romani cumprimis locuples. Eorum vero rationem non habebo quos unus Goltzius, aut ejus sequaces vulgavere, puta, Erizzus, Albertus

Rubenius, Jacobus Biaeus, Oudaanus, Oisellius, quos omnes constat Goltzii scrinia compilasse. Procul etiam habebuntur numi subaerati, sive quorum aeream ferreamve animam argenti pellicula obtegit, quorum, praecipue in Romanis, incredibilis est numerus, item qui a barbaris ad archetypi sive Graeci, sive Romani exemplum conformati sunt. Fuere, qui subaeratos ipsis probe argenteis praeferrent, quod vulgo a fraudis suspicione immunes habentur. Non repugno, modo ne ad faciendam historiae aut chronologiae fidem advocentur. Nihil enim est absurdi, quod docere non possis, si horum te auctoritati permittas. Hos rei numismaticae abortus cum non discerneret Mediobarbus, sed eodem jure haberet, quo probos integrosque, factum, ut catalogum suum impleret mendis, et prodigiis, quibus si fides habeatur, fides omnis historica disperiit.

II. Studendum in materiae delectu brevitati, ne in immensum excrescat opus tantarum rerum capax. Eam mihi variis modis parare studui, omittendo inutilia, inepta, otiosa, aliena. In inutilibus putavi numos palam spurios, aut a Tristano, Aenea Vico, aliisque veteribus mendose descriptos, aut mere Goltzianos, nisi cum eos recitandi certa aliqua causa apparebat; illorum enim erratis cum nemo jam fidem habeat, Goltzii vero fides, ut alibi docebitur, jure laboret, ecquando tandem, quorum deleri memoriam praestaret, ad fastidium repetere desinemus? Praeterire etiam visum obsoleta quaedam praecepta in primis rei numariae incunabulis ab artis nostrae Pacuviis tradita, et Saturnum nimis olentia, tum quae infinita absurda confinxit Harduinus, cujus commenta jam nemo nisi per jocum refutaverit. Alienum etiam a meo insti-

tuto putavi commemorare numismata obvii argumenti, quod per omnes fere imperatores cum taedio, at nullo philologiae commodo recurrit, sed quorum locus proprius sunt lexica et catalogi. Quod enim dignum operae pretium, efferre singulorum Augustorum numos inscriptos VICTORIA AVG., vel SPES. AVG., quando eorum nemo fuit, qui, etsi victus, non sese victorem ferret, et, cum maxime desperaret, non etiam spem publice jactaret? Neque minus aliena est molesta multorum diligentia, qui, quae sunt aliorum partes, occupant, et ad explicandos numos, quae vulgo ab historicis, et mythologis tradita sunt, cum legentium taedio arcessunt, cum tamen artis numariae lex non sit docere historiam, vel mythologiam, sed utriusque artis praecognita aut emendare, aut illustrare, aut novis exemplis locupletare. Quem vero etsi minime morosum non taedio enecet, quod fuit Havercampo proprium, recitare in utraque lingua farraginem testimoniorum, et longos aliorum commentarios, quos paucis indicare satis fuerat, ad verbum in opus suum transferre? quo quidem instituto quid scientiae accedat, nihil video, etsi plurimum volumini. Denique brevitati me consulturum existimavi declinando bina vitia, quibus hercle summi saepe antiquarii immunes non fuerunt, et quorum is fuit exitus, ut legentibus aut risum moverent, aut stomachum. Ea intelligo vitia, quae Graeci *περισσολογιαν* et *περιεργιαν* appellant, nimirum cum amplum verborum, et eruditionis apparatum conferimus ad explicanda quaeque levissima, et quae tandem operose explicata parum scientiam nostram juvant, et cum, quod propositum fuit Vaillantio, nihil esse tam abstrusum, tam reconditum putamus, quod non possimus enucleare ingenio, pro quo labore plerumque gratis impenso saepe aliud non referimus, quam nugas canoras, nimirum

quod ajunt, pro Junone nubem. Ego hoc animo ad scribendum istud opus accessi, ut, quae certa sunt, persequerer ut certa, quae incerta, ut incerta, et si ad qua explicanda destituar conjecturis saltem idoneis, et verisimilibus, ea in ignotorum numero haberem. Minus sane turpe, ex tam remota antiquitate restare aliqua tenebris cooperta, quam mirum, tot rebus obscuris post tot saecula ex numis adferri lucem potuisse.

III. At tenendus etiam in brevitate modus. Vt enim teste Tullio contractio et brevitas in dicendo non habet dignitatem, sic eadem in docenda arte numismatica non habet utilitatem. Vt etiam excluseris inutilia, otiosa, aliena, de quibus mox egeram, tamen quo pacto poteris materiam tam vastam, ac paene infinitam, tam multiplicis argumenti ac disputationis arctis finibus circumscribere, quin una et res dignas et necessarias excludas? Vtere, si contracta praecepta amas, tenui commentario Ludovici Joberti, qui *Scientia numorum* inscribitur, et in omnes cultioris Europae linguas versus omnium vulgo manibus teritur, quem si totum memoria complectare, tam parum te eruditum praestabo, quam dudum fueras. Neque enim tenemus scientiam, cum generalem ejus statum ac fines tenemus, sed tum eam obtinemus, cum quae sit distributio partium, quae harum natura, et usus, planius intelligimus. Quam vero haec in disciplina nostra late pateant, quis ignorat? Vt enim vel solas urbium, populorum, coloniarum, regum, gentium, principumque Romanorum series explices, quantumcunque commentarios temperes, jam istud unum justi voluminis mensuram implebit. Atqui factum consulto et dedita opera, ut laxiores operi fines praescriberem, nimirum ut quidquid ars

nostra praeclarum, et in quamcunque partem utile complectitur, quidquid a viris illustribus aut recte est traditum, aut etiam peccatum, illud omne eodem conferrem, quo fiet, ut expositis uno loco, et in suas classes tributis omnibus artis nostrae copiis nihil deinceps ad investiganda ejus arcana sit impeditum, et sublatum fastidium, quod hactenus ejus studiosos potuit absterrere. Quapropter tantum abest, ut, in quo verbosior fui, eruditorum metuam censuram, ut etiam propterea magnam me ab iis initurum gratiam plane confidam.

Expositis legibus, ad quarum praescriptum adcommodare universi operis rationem constitui, jam etiam ejus distributio, ac ordo explicandus.

Totumo pus constat duabus partibus, quarum I. continet numos urbium, populorum, regum, II. numos Romae seu liberae, seu imperantis. Sed partem operis primam praecedunt Prolegomena generalia, quae praecepta continent universam rem numismaticam generatim spectantia.

Partis I. ordo totus est geographicus, nimirum ducto ab Hispania Lusitanica principio secundum naturalem regionum situm orbem universum numismaticum pervadit exiturus in Numidia Africae, sic ut regionibus singulis sui subjiciantur reges, si quos habuere numis celebratos.

Pars II., seu monetae Romanorum, initium ducit a numis consularibus, quo nomine intelligo pondera aenea, tum et reliquam omnem Romae liberae

monetam cujuscunque metalli ac voluminis, quae solum ROMA inscriptum offert; sequuntur numi gentium, seu familiarum Romanarum, atque his succedunt numi Romae imperantis a Julio Caesare usque ad Palaeologos.

Singulis partibus sub finem adjiciuntur explicationes, quae totius praecedentis materiae praecipua capita illustrant, ac cumprimis illa, quae, quia ad plures numos pertinent, uno, ac definito quodam loco sunt tractanda. Ejus generis sunt in parte I., quae explicandis numis regum, aut coloniarum serviunt, doctrina characterum chronologicorum, magistratuum variae dignitatis seu sacrae, seu profanae, seu domesticorum, seu Romanorum, varia urbium privilegia, titulique honorifici, festa ac ludi, certae his numis inscriptae formulae ut: *ΑΝΕΘΗΚΕ, ΕΤΟΥΣ. ΝΕΟΥ. ΙΕΡΟΥ* etc. natura numorum cistophororum, et quae sunt his plura alia scitu cumprimis necessaria. In parte II. explicabuntur tituli imperantibus delati: ut: Caesaris, Augusti, tum natura, ac potentia variarum dignitatum, cujusmodi sunt: tribunicia potestas, consulatus, proconsulatus, pontificatus maximus Augustorum, tractatus de votis decennalibus, de numis infimi aevi etc.

Totum opus constabit voluminibus VIII., quorum priora IV. parti I., posteriora parti II. dedicavimus. Erunt, qui conjunctas cum numorum descriptione eorum etiam imagines desiderabunt. Non inficior, multum iis inspiciendis juvari studentium animum, easque utilitates praestare non vulgares. Sed absterruit me provisa sumptuum magnitudo, ac simul subiit animum cogitatio, iconum jacturam adcurata typorum explicatione commode sarciri,

idque pridem consilium secutos Vaillantium, Harduinum, aliosque. Atque haec de universi operis ordine, causisque dicta sufficiant.

Ceterum si quis mirabitur, qui factum, ut nemo hac nostra aetate ad elaborandum similis naturae opus, tam palam non utile modo, sed et maxime necessarium, appelleret animum, cum non deessent viri summi, quorum ego et revereor excellentiam, et adsurgo auctoritati, is, quaeso, intelligat, temere a viro cujuscunque praestantiae tentari operis tam vasti laborem, nisi praesto sit eximius numorum apparatus, praeclara librorum nostri argumenti supellex, denique et otium. Absit primum, necesse erit niti auctoritatibus, quae quam sint fallaces, novimus. Absit alterum, adhaerebit ad singula fere verba, et enecabitur taedio, ea, quae opus sunt, ex alienis scriniis, et saepe multum distantibus petendi. Denique si negotiis aliis, ac praecipue ab argumento suo alienis, distrahatur, quo pacto materiae tam late patentis poterit investigare causas, conquirere ex locis diversis disjunctissimisque infinitam numorum molem, eos, dum scribit, animo semper habere praesentes, et longa meditatione, quae diverticulis inimica est, eorum conciliare dissidia, et ex iis elicere, quidquid in quamcunque partem potest utilitatem praestare. Quae quidem commoda cum raro uni eidemque viro eodem tempore a fortuna sint data, non mirabimur, absterrita his incommodis ingenia ad diversa studiorum curricula declinasse. At vero tam praeclaras opportunitates cum non modo in me collatas meorum gratia principum viderem, sed et spes esset, fore aeternas, indignum putabam, si detrectarem laborem quantumcunque vastum ac impeditum, neque oblata haec subsidia, omnesque meas vires, et si quid in me est

ingenii et peritiae, ad desiderata omnium votis philologiae incrementa conferrem. Sed et ingratum me nimio putarem, nisi publice profiterer, quam sint insignia in promovendo hoc opere merita **CELSISSIMI PRINCIPIS A ROSENBERG**, qui supremo imperio thesauros regios, et me una, meaque studia moderatur, qui, quo est eximio plane in artes liberales adfectu, nihil desiderari passus est, quidquid ad numorum, librorumque supellectilem augendam conferret, quo et thesauri Caesarei consuleretur incrementis, et studentium subveniretur commodis. Quibus subsidiis cum planiorem ad conatus meos viam efficeret, tum me etiam vehementer sibi devinxit moribus suis, cum probari sibi meum laborem, studia, contentionem intelligerem, ipse consilia explicantem non audiret modo libenter, sed cum poterat, adjuvaret quoque, mihique non gravate indulgeret otium, quod a me unice gazae Caesareae ornamentis, et utilitati publieae impendi intelligit. Nimirum quo ille est erecto, atque excelso animo, probe perspectum habet, a viris illustri prosapia, dignitate, ac potentia conspicuis ingenuos animos tantum incitari facilitate morum, ac humanitate, quantum absterrentur fastidio, studio partium, et experiundo, quantum in illos imperio valeant. Quam quidem praeclaram in me voluntatem sic cupio esse perpetuam, ut non refugit animus palam profiteri, si quem orbis eruditus ex vigiliis meis atque adsiduitate fructum tulerit, eum non tam mihi, quam nobilissimo huic praesidi, qui et subsidia contulit, et gratiam, acceptum referendum.

CONSPECTVS VOLVMINIS I.

Prolegomena generalia.

Caput I. *Vocabula monetae in genere, ejusque typi.* Pag. I.

Caput II. *Causae constitutae monetae.* Pag. IV.

Caput III. *De inventoribus monetae, ejusque constitutae aetate, et finibus.* Pag. VI.

Caput IV. *Vocabula monetae in specie.* Pag. X.

Caput V. *Numi veteres fuerintne vera moneta.* Pag. XII.

Caput VI. *Materia numorum veterum.* Pag. XIX.

Caput VII. *De auro, argento, aere, eorumque varia in numis veteribus mixtione.* Pag. XXII.

Caput VIII. *De vario veterum triplicis metalli ad monetae negotium delectu.* Pag. XXX.

Caput IX. *De pondere ac valore monetae veteris.* Pag. XXXIV.

Caput X. *De magnitudine numorum.* Pag. XLVI.

Caput XI. *De numis veteribus flatis percussis.* Pag. LII.

Caput XII. *De variis causis ad mechanicam, et naturam numorum veterum pertinentibus.* Pag. LXIII.

Caput XIII. *De jure feriundae monetae.* Pag. LXX.

Caput XIV. *De praefectis monetae, eorumque ministris.* Pag. LXXVIII.

Caput XV. *De officinis monetariis, et copia numorum veterum.* Pag. LXXX.

Caput XVI. *De valore monetae externae, et mortui principis.* Pag. LXXXIV.

Caput XVII. *De inscriptionibus.* Pag. LXXXVII.

Caput XVIII. *De typis.* Pag. CIV.

Caput XIX. *De numis adulterinis.* Pag. CXIII.

Caput XX. *De numis monetariorum veterum culpa vitiosis.* Pag. CXXVII.

Caput XXI. *De aetate numorum definienda, variisque varia aetate, locisque artis causis.* Pag. CXXXI.

Caput XXII. *Bibliotheca numismatica.* Pag. CXLI.

Caput XXIII. *Illustriora per Europam musea.* Pag. CLXXIII.

Caput XXIV. *De ordinandis utiliter museis.* Pag. CLXXVIII.

Numi urbium, populorum, regum.

Hispania. Pag. 1.

Gallia. Pag. 62.

Britannia. Pag. 80.

Germania. Pag. 81.

Italia cum insulis. Pag. 82.

PROLEGOMENA GENERALIA.

CAPVT I.

Vocabula monetae in genere, ejusque typi.

Veteres ex vario metallo reliquias, impressis auctoritate publica signis variis, aut valoris ponderisve notis, ut servirent olim quidem rerum emptioni, et commerciorum commodis, at nunc ex terrae sinu incredibili numero protractae honestissimis philologiae studiis, Graeci in genere dixere *ἀργυριον*, *χρηματα*, *νομισματα*, Latini *pecuniam*, *monetam*, *numos*, *numismata*.

Ἀργυριον, ductum ab *ἀργυρος*, *argentum*, ex nominis quidem notione argenteam tantum pecuniam significat, at valuit etiam ad significandam cujuscunque alterius metalli pecuniam, haud dubie quod antiquissima apud Graecos moneta ex argento fuit, et etsi velimus auream illi coaevam statuere, tamen haec rarior fuit, quia pretiosior, et a paucis tantum urbibus signata. Certe Athenienses, qui linguae Graecae velut quidam fuere legislatores, pecuniam omnem recte dixerunt *ἀργυριον*, quia florente eorum rep. ex lege ordinaria numi alii, quam argentei, signati non sunt, ut dicetur in ejus populi moneta. Sic Isocrates agens de Spartanorum pueris in furto deprehensis ait, eos tum *ἀργυριον ἀποτινειν και πληγας λαμβανειν*, *pecuniam solvisse, et plagas accepisse*[a]), quo sane loco nomine *ἀργυριον* intelligere non potuit monetam argenteam ex veterum consensu, ac praecipue Isocratis adhuc aetate, inter Spartanos vetitam, sed generatim pecuniam cujuscunque metalli. Eodem modo et Latini saepe dixerunt argentum pro pecunia, etsi et *χρυσιον* *aurum* non raro a Graecis Latinisque ad eam significandam sit adhibitum.

Χρηματα proprie sunt bona omnia et facultates, quae beatam homini vitam praestant, quod deinde vocabulum post constitutum pecuniae usum ad significandos etiam numos translatum fuit, quia

a) in Panathenaica.

his bona omnia includuntur, sive, ut ait Horatius [b]):

Scilicet uxorem cum dote, fidemque et amicos,
Et genus, et formam regina pecunia donat,
Et bene numatum decorat Suadela Venusque.

Sive, ut Pindarus Argivum illum memorat exclamantem [c]):

Χρηματα, χρηματ' ἀνηρ,
Ος φα, κτεανων θ' ἁμα λειφθεις και φιλων.
Pecuniae, pecuniae, o vir,
Qui haec dixit, posteaquam facultates una perdidit, et amicos.

Νομισμα est institutum qualecunque. Docuit istud Demosthenes citato Solonis testimonio [d]): *ὁτι αὐτος ἡγειται, ἀργυριον μεν νομισμα εἰναι των ἰδιων συναλλαγματων ἑνεκα τοις ἰδιωταις εὑρημενον, τους δε νομους ἡγειται της πολεως νομισμα εἰναι, putare se* (Solonem) *pecuniam esse institutum, privatorum contractuum causa a privatis repertum, leges vero censere se civitatis esse institutum.* Sed plerumque *νομισμα* pecuniam significat, quod eadem ipsa oratione satis declarat orator Atticus. Vtrumque etiam ejus sensum obtulit Aristophanes [e]). Cum enim dixisset Socrates: *πρωτον γαρ θεοι ἡμιν νομισμ' οὐκ ἐςι, primum enim dei nobis ex lege,* vel instituto nostro, *non sunt,* ineptus Strepsiades, ut continuo sequitur, vocabulum *νομισμα* *pecuniam* est interpretatus. Quare recte ad hunc versum observat scholiastes: *του νομισματος σημαινοντος δυο, το τε νομιμον ἐθος, και το τυμμα του τετυπωμενου χαλκου ἠ χρυσου κ. τ. λ. Cum νομισμα significet duo, primum institutum ex lege, deinde formam signati aeris vel auri etc.* Ducitur vocabulum *ἀπο του νομου, a lege*, quia pecuniae valor lege fuit definitus. Diserte istud Aristoteles [f]): *οἱον δ' ὑπαλλαγμα της χρειας το νομισμα γεγονε κατα συνθηκην, και δια τουτο τουνομα ἐχει ΝΟΜΙΣΜΑ, ὁτι οὐ φυσει, ἀλλα νομῳ ἐστι. sed in indigentiae locum ex convento successit quodammodo numus, ac propterea ΝΟΜΙΣΜΑ vocatur, quia non natura, sed νομῳ, id est: lege valet.* Hinc et fluxit Romanorum *numisma* noto Horatii versu: *regale numisma Philippi,* atque ipsum *numus* apud scriptores obvium. Sed alii dictos numos a rege Numa numorum auctore dixerunt [g]). Et Julius Pollux ait [h]), vocabulum *νουμμος* Romanum quidem videri numismatis nomen, esse vero Graecorum Doriensium, qui in Italia et Sicilia habitarunt, idque probat testimoniis Epicharmi Siculi, et Aristotelis. Haec de Graecis. Latinorum sunt:

Pecunia. Narrat Plinius [i]), primum Servium regem ovium boumque effigie aes signavisse, et infra [k]): aes signatum fuisse nota pecudum, *unde et pecunia appellata.* Pliniano huic edicto non suffragantur numi, unde et permissum mihi existimo, de etymi hujus veritate dubitare, de quo agam copiosius in tractatu de numis Romanorum consularibus. Ceterum res cognita, pecuniae nomine signi-

---

b) L. I. epist. VI. v. 36. c) Isthm. B. v. 17. d) adv. Timocrat. p. 805. e) Nub. 246.
f) Ethic. L. V. c. 8. g) Suidas in *Ασσαρια*. Isidor. de Origin. L. XVI. c. 17.
h) Onom. L. IX. § 79. i) XVIII. § 3. k) L. XXXIII. § 13.

ficatum fuisse aurum, argentum, aes signatum. Inclinante imperio videtur eo vocabulo saepe nonnisi moneta aenea intellecta. Lampridius [l]): *Scenicis nunquam aurum, nunquam argentum, vix pecuniam donavit.*

Moneta. Fuit olim cognomen Junonis, testibus cum scriptoribus, tum denariis gentis Carisiae, in quibus ea dicitur MONETA. SALVTARIS, quos vide. Constituto subinde, ut pecunia in templo Junonis Monetae feriretur, coepit moneta etiam dici non modo officina feriundis numis destinata, sed ipsa etiam pecunia. Livius [m]): *ubi nunc aedes atque officina monetae est.* Et Cicero [n]): *Ea si dea est,* loquitur de dea Natione partuum praeside, *ergo etiam Spes, Moneta, omniaque etc.* Serius ejus vocabuli usus magis invaluit. Omissis scriptorum testimoniis quae ex lexicographis peti possunt, est in numis Domitiani et Hadriani: MONETA. AVGVSTI, in numis Commodi: APOLLO. MONETA, nulla certa causa, cur, quod Junonis cognomen fuit, cum Apolline quoque fuerit communicatum. In numis Alexandri Severi: MON*eta* RESTITVTA, vel RESTITVTOR MON*etae.* Inde a Treboniano in numis maximi moduli tam argenteis, quam aeneis obvium est MONETA. AVG. Denique in aeneis aevi Diocletianei epigraphe trita: SACRA. MON. AVGG. ET. CAESS. NOSTR. Invasit etiam numos commatis peregrini. Notus numus Patrarum Achaiae inscriptus: INDVLGENTIAE. AVG. MONETA. IMPETRATA, tum et numi Antiochiae Syriae: MON*eta* VRB*is.* Quin idem vocabulum videmus a Graecis civitate donatum. In numo Commodi Alexandrino musei Borgiani legitur: MONETA. Quin et satis mature hanc vocem a Talmudistis receptam video. Occurrit enim מוניטא *Moneta* in tractatu Sanhedrin Talmudis Hierosolymitani scripti circa annum Christi 300. p. 20. Vocabula *pecunia, numus, numisma* hactenus in numis reperta non sunt. Ceterum monetam propterea hoc nomine vocatam, quia monet, ne qua fraus in metallo, vel pondere fiat, dixit Isidorus [o]).

Numus, numisma. De his egimus supra in Graecorum νομισμα. Istud addo, inferiore aevo numismata videri dicta numos veteris aevi, et fere peregrinos, qui jam Romae in merce potius, quam moneta habiti sunt. Vlpianus [p]): *Si autem aurum vel argentum signatum legatum est, id pater familias videtur testamento legasse, quod ejus aliqua forma est expressum, veluti quae Philippi sunt, itemque nomismata, et similia.*

* * *

Vt veteres rebus quoque inanimis vitam, humanamque effigiem dedere, sic et monetae hominis formam, suaque attributa sunt largiti. Effìcta ergo fuit specie mulieris stantis d. bilancem, s. cornucopiae tenentis, scilicet hoc abundantiam metalli, illa justitiam in servando pondere, et puritate metalli significante.

---

l) in Alex. Sev. m) L. VI. c. 20. n) de Nat. deor. L. III. c. 18. o) de Orig. L. XVI. c. 17.
p) Digg. L. XXXIV. tit. II. § 27.

Quare in numis hujus argumenti promiscue scriptum juxta legimus vel: MONETA. AVG., vel: AEQVITAS. AVGVSTI, vel: AEQVITAS. PVBLICA. Frequentissimus typus in numis maximi moduli inde a Maximino Pio tres mulieres eodem modo, ut continuo diximus, et cum iisdem attributis stantes, sic tamen, ut, quae medium locum tenet, altius bilancem suam efferat. Singularum pedibus adstituitur massa metalli feriundae monetae destinata. Mulier media, quia loco honoratiore, haud dubie aurum significat, et cum bilancem altius attollit, eminentiam suam, ac prae argento et aere excellentiam palam depraedicat.

CAPVT II.

Causae constitutae monetae.

Res nota, inde a prima, quod norimus, humani generis origine commercium permutatione rerum stetisse, et permutabantur tum etiam, ut quaeque res alia, aurum, argentum, aes, subinde monetae signandae materia, et sunt hodieque varii per orbem populi, qui nulla pecuniae ope, sed rudi auri, argenti, aeris massa vel lamina, examinato bilancis ope pondere, commercia peragunt, quem modum latius describit Sperlingius[q]).

Si populis, qui fuerunt, quique sunt, ad vitam tolerandam necessarius non fuit pecuniae usus, at reperiunda pecunia vitae humanae commodis hominumque societati magnopere fuit prospectum. Elegans est oratio Aristotelis[r]): *Διο δει παντα τετιμησθαι· οὑτω γαρ ἐϛαι αἰει ἀλλαγη, εἰ δε τουτο, κοινωνια. Το δε νομισμα ὡσπερ μετρον συμμετρα ποιησαν ἰσαζει. Quocirca oportet res omnes habere aestimatas; ita enim semper erit permutatio, sin istud, communio. Numus vero instar mensurae, quae communiter omnia metitur, res omnes exaequat.* Explicatius istud proposuit Paulus ICtus[s]): *Origo emendi vendendique a permutationibus coepit. Olim enim non ita erat numus, neque aliud merx, aliud pretium vocabatur, sed unusquisque secundum necessitatem temporum ac rerum utilibus inutilia permutabat, quando plerumque evenit, ut quod alteri superest, alteri desit. Sed quia non semper, nec facile concurrebat, ut, cum tu haberes, quod ego desiderarem, invicem haberem, quod tu accipere velles, electa materia est, cujus publica ac perpetua aestimatio difficultatibus permutationum aequalitate quantitatis subveniret, eaque materia forma publica percussa usum dominiumque non tam ex substantia praebet, quam ex quantitate, nec ultra merx utrumque, sed alterum, pretium vocatur.* Enimvero et Plato aliquam agnovit pecuniae necessitatem, eamque civitati suae non interdixit, sed excluso auro et argento ex vili confectam materia voluit, nimirum quam exterae nationes non concupiscerent, valeret tamen ad necessarias commutationes inter

---

q) de Num. non cus. p. XXXIX. r) Ethic. c. 8. s) Digg. L. XVIII. tit. 1.

artifices, mercenarios, servos, aliosque incolas[t]).

Perspecta metalli signati utilitate commodisque, nequaquam mirum, ejus usum a populis, moribus ac humanitate magis excultis lubenter receptum fuisse, atque divulgatum. Cum essent Graeci, ut capite proximo dicemus, praeclari hujus instituti auctores, iique per omnes orbis partes coloniarum examina emitterent, facile pecuniae usus in remotissimas etiam terras fuit porrectus. Quo factum, ut non modo Graecia propria, tum et, quae Magna dicebatur, Sicilia, et Archipelagi insulae, et Asiae minoris ora maritima numis abundaret, sed et regiones Ponto Euxino adsitae, Africa Cyrenaica, nonnullae adeo Galliae Hispaniaeque urbes. Paullatim etiam vicini his barbari tractandae pecuniae adsueti, aut numos ipsi coeperunt ferire, aut pecuniam ex propinquo peregrinam intulerunt, eaque in commerciorum opportunitatem sunt usi. Raro barbari magis mediterranei a pristino permutandi more discessere, sive quod monetae commoda ignorarent, sive propter pertinaciam, et novandi odium, quod fere barbarorum proprium est, ipsam etiam opportunitatem aspernarentur, sive quod, ut inquit Plato[u]), multo facilius populi mare adcolentes propter frequentiorem cum exteris usum peregrinos mores induunt.

Quae hactenus dixi, cum scriptorum, tum numorum testimoniis abunde confirmantur. De Hispanis suae aetatis Strabo[x]): *ἀντι δε νομισματος οἱ λιαν ἐν βαθει φορτιων ἀμοιβῃ χρωνται, ἢ του ἀργυρου ἐλασματος ἀποτεμνοντες διδοασι, pecuniae loco ii, qui magis mediterranei sunt, mercium permutatione utuntur, aut abscissam argenti laminam rependunt.* Ergo qui viciniores mari fuere, ac vel ideo frequentiore cum exteris commercio sunt usi, suam habuere monetam. Atqui et urbium Baeticae, quae maris fluminumque navigabilium beneficio magis fuit ad commeatus idonea, non copiosos modo, sed et perantiquos habemus numos, paucos urbium a Baetica in septemtriones vergentium, eosque fere a Romanorum tantum aetate, si Oscensem veterem monetam demas. Alterum de Germanis testimonium illustre Taciti[y]): *proximi*, inquit, *ob usum commerciorum aurum et argentum in pretio habent, formasque quasdam nostrae pecuniae agnoscunt, atque eligunt; interiores simplicius et antiquius permutatione mercium utuntur. Pecuniam probant veterem et diu notam, serratos bigatosque. Argentum quoque magis, quam aurum sequuntur, nulla affectione animi, sed quia numerus argenteorum facilior usui est promiscua ac vilia mercantibus.* Qua in oratione nomine *proximorum* intelligit barbaros provinciis Romanis contiguos, nomine *interiorum* magis inde remotos, nulla aut rara cum his consuetudine, veteri adeo permutatationis instituto inhaerentes. In Britannia, inquit Caesar[z]), pro moneta aes rude, aut taleae ferreae valuerunt. Daci, quos unus Ister ab utra-

---

t) de Legib. L. V. p. 742. u) de Leg. L. IV. p. 704. x) L. III. p. m. 233. y) de German. c. 5. z) Bell. Gall. L. V. c. 12.

que Moesia sejunxit, suam ante Trajani tempora habuere monetam, cujus feriundae modum eos a finitimis Graecis, deinde Romanis accepisse, inde facile apparet, quod typos saepe finitimorum Graecorum, tum etiam gentium Romanarum servilem in modum sunt imitati, de quo monetae genere alibi erit agendi locus. Quo magis mirum, Carthaginienses etiam tum, cum moneta tam Graecorum, quam Romanorum passim et cognita, et in omnium esset manibus, tamen, quod certo norimus, propriam non habuisse monetam. In causa fuerit, quod cum ea gens nonnisi ampla commercia ageret, in quibus, quod hodieque fieri solet, non pecunia rependitur, sed merces mercibus permutantur, suum pecunia usum praestare non potuit, quae vero commoda domi moneta signata in minutis promiscuisque mercatibus obtulit, ipsi perpetuo semibarbari, suique moris tenaces admittere detrectabant, nisi forte, quod tradiderunt nonnulli, numis scorteis sunt usi, de quibus agemus infra Capite VI. Romana denique sub imperatoribus moneta per universum orbem cognitum diffusa ultimi etiam, praecipue in orientem, barbari ad moderanda commercia coeperunt uti, fatente ipso Cosma Indopleuste: *ἐν τῳ νομισματι Ρωμαιων ἐμπορευονται παντα τα ἐϑνη, ope monetae Romanae omnes gentes commercia agunt,* cujus quidem alibi plura dabimus exempla.

CAPVT III.

De inventoribus monetae, ejusque constitutae aetate, et finibus.

Amavit antiquitas, si quid humano generi in commune proficuum repertum esset, ejus gratiam beneficii diis immortalibus acceptam ferre. Neque adeo mirum, egregium istud donum multis fuisse creditum a superorum benevolentia profectum. Saturnum Jani hospitio susceptum docuisse Italos signare numos aeneos, copiosa sunt veterum testimonia, quae ne frustra longior sim, vide curate collecta ab Elmenhorstio ad Minucii Felicis Octavium cap. XXIII. Janum monetae aeneae auctorem fecit Athenaeus[a]), et Macrobius[b]). Ex iis, qui humanae mentis aciem reperiundae pecuniae ausi sunt non imparem profiteri, fuerunt, qui Cainum, aut Tubalcainum saltem, ejus auctorem edixere, nota eorum libidine, qui, cum in rei inventae originem inquirunt, eam orbis incunabulis quam possunt proxime cupiunt admoveri. Lege haec deliria apud Sperlingium[c]), et Rinckium[d]). Lydos omnium, quod constet, primos numum aureum et argenteum signasse, perhibet Herodotus[e]), cum quo conspirat Xenophanes apud Pollucem[f]), qui et aliorum sententias ibidem commemorat, Demodocen Cymaeam, vel Erichtho-

a) L. XV. p. m. 692. b) Sat. L. I. c. 7. c) de numis non cus. p. 2. d) de vet. num. potent. p. 8. e) L. I. c. 94. f) Onom. L. IX. § 83.

nium Atheniensem, vel Naxios pecuniae signatae auctores statuentium. Aeginetis favet Aelianus [g]), Lucanus poeta Iono, vel Itono, vetustissimo Thessaliae regi [h]). Numam, saltem apud Romanos, fuisse principem monetae aeneae fabrum, docuere Suidas [i]), eumque secutus Cedrenus, quin et Plinius [k]), qui tamen alibi diserte pro rege Servio stetit [l]), variantibus scilicet, quas inspexit, auctoritatibus. At plurima inter Graecos suffragia abstulit Phidon Argivus; de quo illustre marmor Parium, etsi in nonnullis mancum, haec tamen certa loquitur [m]): *ἀφ᾽ οὗ Φ-- δων ὁ Ἀργειος --- ἐσκευασε, και νομισμα ἀργυρουν ἐν Αἰγινῃ ἐποιησεν, ἑνδεκάτος ὢν ἀφ᾽ Ἡρακλεους, κ. τ. λ. ex quo Phidon Argivus - - - apparavit, et numum argenteum in Aegina signavit, undecimus ab Hercule etc.* Similia refert Strabo [n]), et Julius Pollux [o]).

Habes, lector, varias variorum de rei monetariae inventoribus judicia, sed etiam tantum commemorasse satis esto, quin, quis vero dixerit propiora, investigare velim, eodem, quo Pollux, usus instituto, qui cum in eodem argumento versaretur, enarrasse variorum sententias satis putavit, addito: *οὐ γαρ ἀξιωσει τις ἡμας ἐν τῳ παροντι πολυπραγμονειν, neque enim quis volet, me in praesente causa magis esse curiosum* [p]). Enimvero earum rerum, quarum exordia remotissimae aetatis tenebris sunt involuta, neque ab iis, qui tum vixerant, memoriae sunt prodita, velle adsignare auctores, frivolum esse otiosumque existimo, neque hercle existere hominem sanae mentis puto, qui, quae Plinius de multarum rerum inventoribus tradidit, continuo fidem habeat. Accedit, quod principia multarum rerum, quas sive necessitas, sive sperata ac praevisa commoda repererunt, ceu navis, aratri, vehiculi, tam fuere rudia ac simplicia, ut, si quis deus nostris ea oculis objiceret, eodem ea ne quidem nomine compellaremus, et multorum ipsum etiam usum ignoraremus. Idem de numis quoque sentiendum, quorum sane primitus non eadem fuerit forma, quam serius obtinuerunt ii, quos proprie numos dicere solemus, neque etiam, sicubi in Genesi factas numis emptiones legimus, continuo intelligendi numi impresso auctoritate publica signo notati, sed aurum argentumve appensum, aut moleculae vel laminae certum pondus habentes, eaeque adeo etiam numeratae, quod genus *numos non cusos* solemus appellare. Paucis ut rem absolvam, jam a multis viris eruditis, ac praecipue Sperlingio fuse tractatam, in universo hoc opere eorum tantum numorum habebo rationem, qui non solum metallo ac pondere, sed impressis etiam signis constant, quae tria in veri numi definitione postulavit etiam Isidorus. *In numismate,* inquit [q]), *tria quaeruntur, metallum, figura, et pondus. Si ex iis aliquid defuerit, numisma non erit.*

Misso igitur omni examine de rei

---

g) V. H. L. XII. c. 10. h) Phars. L. VI. v. 402. i) in *Ἀσσαρια.* k) L. XXXIV. § 1. l) L. XXXIII. § 13. m) vers. 45. 46. n) L. VIII. p. m. 549. o) L. IX. § 83. p) L. IX. § 84. q) Orig. L. XVI. c. 17.

monetariae inventoribus, quos nobis numos antiquissimos memorant scriptores veteres, inquiramus, unde intelligere possimus, qua circiter aetate usus pecuniae saltem communior coeperit invalescere.

Istud certum, belli Trojani aetate emptiones omnes sola adhuc mercium permutatione peractas. Sic enim Graecorum apud Trojam commercia describit Homerus [r]):

Ενθεν ἀρ᾽ οἰνιζοντο καρηκομοωντες Αχαιοι,
Αλλοι μεν χαλκῳ, ἀλλοι δ᾽ αἰθωνι σιδηρῳ,
Αλλοι δη ῥινοις, ἀλλοι δ᾽ αὐτοισι βοεσσιν,
Αλλοι δ᾽ ἀνδραποδεσσι.
Inde vinum emebant comati Achivi,
Alii quidem aere, alii autem splendido ferro,
Alii pellibus, alii ipsis bobus,
Alii mancipiis.

Alibi idem agens de Euryclea ancilla, ait [s]):

Την ποτε Λαερτης πριατο κτεατεσσιν ἑοισιν,
Πρωθηβην ἐτ᾽ ἐουσαν, ἐεικοσαβοια δ᾽ ἐδωκεν.
Quam olim Laertes emit facultatibus suis,
Impubem adhuc, pretiumque viginti boum dedit.

Eodem modo res quaecunque non pecunia, sed res rebus comparando aestimabantur. Sic Achilles apud Homerum [t]) proposuit

Τῳ μεν νικησαντι μεγαν τριποδ᾽ ἐμπυριβητην,
Τον δε δυωδεκαβοιον ἐνι σφισι τιον Αχαιοι·
Ανδρι δε νικηθεντι γυναικ᾽ ἐς μεσσον ἐθηκε,
Πολλα δ᾽ ἐπιςατο ἐργα· τιον δε ἑ τεσσαραβοιον.
Victori quidem magnum tripodem igni aptum,
Quem duodecim boum pretio inter se aestimabant Achivi,
Viro autem victo mulierem in medio posuit,
Multorum peritam operum, aestimabant vero eam quatuor bobus.

Si ergo Vlysses apud Euripidem in Cyclope dixit ad Silenum [u]):

Προς τῳδε μεν τοι και νομισμα δωσομεν.
Praeter hoc vero pecuniam etiam dabimus.

istud dixit sive per jocum, quippe in poemate ludicro, sive poetarum more *προληπτικως*, quo modo idem Euripides, atque etiam Virgilius saepe tubas intulere Homero ignotas, et multis post Troica annis repertas. Ex quo apparet, qua veri specie dixerit Plutarchus de Theseo, qui Troica praecessit: *ἐκοψε δε και νομισμα βουν ἐγχαραξας, ἠ διὰ τον Μαραθωνιον ταῦρον, ἠ δια τον Μινω ϛρατηγον, ἠ προς γεωργιαν τους πολιτας παρακαλων. Signavit etiam numum insculpto bove, sive propter taurum Marathonium, sive propter Minois ducem, sive ut ad agriculturam cives alliceret.* [x]). At enim satis constat, Plutarchum in enarrandis remoti hujus ac fabulosi aevi factis, ut ipse saepe profitetur, cum certiora deessent, solam famam secutum.

Ab heroicis temporibus ad inferiora si descendamus, perantiquus esse debuit

r) Il. H. 472. s) Odyss. A. 430. t) Il. ψ. 702. u) v. 159. x) in Theseo p. 11.

Lacedaemone pecuniae usus, quia Lycurgus antiquata moneta aurea et argentea ferream invexit, ut perhibent Plutarchus [y]), multique alii, quos citabimus in numis Lacedaemonis. Ergo moneta usi jam sunt Lacones ante Lycurgum, qui floruit sub primam Olympiadem, aut secundum alios centum et amplius annis ante Olympiadum initium. Tamen dubitari potest, fuerintne hi numi vere tales, quales a nobis requiri supra diximus, et non potius pondera. Sane Plato, aut quisquis auctor est dialogi, qui *Eryxias* inscribitur, diserte ait [z]): *ἐν δε Λακεδαιμονι σιδηρῳ σταϑμῳ νομιζουσι. Lacedaemone autem ferreo pondere pro pecunia utuntur.* Ergo si ferri pondus potuit pecuniae usum praestare, potuit etiam auri argentique pondus. Jam vero Solonis aetate urbes Graecas passim pecunia usas, constat ejus ipsius legislatoris testimonio, legem publice recitantis ab omnibus paene civitatibus receptam, qua mortis poena irrogatur ei, qui monetam adulteraverit. Docuit me istud Demosthenes [a]). Floruit Solon secundum Petavium Olympiade XLV., fuitque coaevus Tarquinio Prisco quinto Romanorum regi, et Cyro Persarum regi, quam aetatem attingere numos vetustissimos, quos habemus superstites, facile persuadetur iis, qui numis veteribus tractandis sunt adsueti, tum patebit ex iis, quae de numis vetustissimis Rhegii, Zancles, Messanae docebimus. Accedit, ex recepta passim sententia Servium Tullum Prisci successorem fuisse primum, qui monetae usum non quidem invenit, sed Romam invexit, secutus haud dubie exemplum vicinorum Graecorum, aliorumque Italiae populorum.

Quantum igitur in his tenebris videre licet, verisimillimum est, metallum circa Olympiadum initium numorum formam accepisse. Qui altius iis aevum ex numis ipsis adsignare tentaverunt, omnium jam judicio planissime falsi sunt, quo modo falsus certe fuit Carolus Schottus, qui numum inscriptum *ΦΙΔΟ.* signatum a Phidone Argivo, et esse e vetustissimis unum adseruit, ut dicetur in numis Boeotiae. Adde Jobertum adserentem, reges, urbesque Graecas multis ante urbem conditam annis ex triplice metallo numos summa elegantia et arte signavisse [b]), quae quidem omnia alibi copiose refutabuntur. Numos cum imagine Homeri, Pythagorae, Minois, Midae, Numae, Anci etc. non esse his synchronos, sed multo serius in eorum memoriam signatos, vel monere supervacaneum puto.

Ad fines rei numismaticae veteris quod attinet, eos partim statuimus chronologicos, partim geographicos. Chronologici ejus initium, et exitum defigunt. Initium continuo definivimus. Exitus secundum alias classes alius est. Moneta vetus Hispaniensis imperante Caio, dicto Caligula, desinit, aliquanto maturius Gallica, et Italica, ejusque insularum, ut in singulis dicetur. Vrbes Graeciae cum Europaeae, tum Asiaticae, sive quae sui

y) in Lycurg. z) T. II. p. 400. a) Orat. adv. Timocrat. p. 805. b) Science des Méd. T. I. p. 5. et 315.

juris, sive quae coloniae fuere, sub Gallieno et Claudio, omnibus nimirum tum legibus juribusque perversis, malleo abstinuerunt, rarissimis deinceps compertis numis, qui urbis nomen inscriptum offerant. Exstant numi Aureliani et Taciti Pergae Pamphyliae signati, numus Caesareae Paniadis cum capite Justiniani, bini aurei Gabalorum Syriae cum capite Justini II., numus Damasci cum capite Leonis IV. Sed haec velut in prodigiis putantur. Aegyptus numorum classem, quos Alexandrinos vocamus, imperante Diocletiano finivit. Regna, ut a Romanis eversa sunt, deinceps moneta quoque caruere, quae tamen diu adhuc constitit sub regibus Bosporanis, Parthis, Persis. Verum haec praelibamus tantum, dilato in tempus suum examine. Haec de moneta populorum et regum. Romana coepta sub consulibus, continuata sub Augustis inde a diviso sub Theodosii M. filiis imperio in occidentalem, et orientalem dividitur. Occidentalis cum postremo Occidentis imperatore Romulo desinit, adduntur tamen adhuc regum Gothorum numi, qui illi successere. Verum Orientis imperatorum moneta usque ad annum a nato Christo 1453 porrigitur quo Muhammedes II. capta Constantinopoli et imperio Orientis, et monetae Augustae, quae inde a Julio Caesare usque ad postremum Constantinum Palaeologum annos circiter mille quingentos duravit, finem denique imposuit. Quae deinceps ab imperatoribus Romanis, sed stirpis Germanicae, signata fuit, nostri instituti non putamus, sed medii aevi monetae permittimus.

Ad fines geographicos quod attinet, patebit ex parte I. praesentis operis, eas tantum regiones fuisse numismaticas, quorsum aut Graeci Romanique pecuniae usum intulere, aut quarum incolis barbaris propter viciniam placuit utriusque populi morem imitari. Moneta ergo caruere populi in Europa magis in Aquilonem, in Asia magis in Orientem vergentes, in Africa omnes ii, qui a mari mediterraneo remotiores fuere, verbo, omnes ii, quorum in parte geographica mentio non fiet.

CAPVT IV.

Vocabula monetae in specie.

Vidimus capite I. vocabula varia, quibus tam Graecis, quam Latinis monetam intelligi placuit. Agendum nunc etiam de appellationibus, quas utraque natio certae cuidam numorum classi ex variis causis indidit. Lubet illustriores tantum commemorare partim Graecorum aliarumque gentium, partim Romanorum, earumque hoc loco tantum proponere nomina indicatis operis hujus locis, quibus illae latius et ex proposito explicantur. Perlectis his facile quivis intelliget, similes appellationes etiam in nostrae aetatis variarum gentium moneta valere, quarum exempla nemo non facile in promptu habebit.

I. *Ab auctore monetae.*

Croesii stateres, a Croeso Lydiae rege. (Pollux.)

Damaretii numi, a Damareta Gelonis Syracusarum regis uxore. Vide numos Gelonis.

Darici, a Dario Persiae rege. V. numos Persiae.

Philippi, Alexandrini, a Philippo II, et Alexandro M. Macedoniae regibus. V. utriusque numos.

Ptolemaici, (Pollux.) a Ptolemaeis Aegypti regibus.

Berenicii, (Pollux.) a Berenice Aegypti regina.

Luculllei, a Lucullo Sullae quaestore. V. denarios Cornelii Sullae.

Huc pertinent numi ab imperatorum nominibus dicti *Philippei*, *Antoniniani, Aureliani, Valeriani, Saloniniani,* quos passim memorant Trebellius Pollio, et Vopiscus, tum et *Romanati* a Romano Diogene, *Constantinati*, *Michalati*, *Manuelati,* etc. de quibus vide du Cange. (Dissert. de inf. aevi num. § 84.)

II. *Ab imagine* numis impressa.

Bos, noctua, Κορα, moneta Atheniensis, quam vide.

Πωλος, pullus, nempe Pegasus. V. numos Corinthi.

Testudo, moneta Peloponnesi. Vide prolegomena ad hujus numos.

Homerei ab imagine Homeri. V. numos Smyrnae.

Cistophori ab impressa mystica Bacchi cista. Vide singularem de his tractatum.

Sagittarii ab impresso sagittario. V. numos Persarum.

Romanae monetae sunt *Victoriati* ab imagine Victoriae, *Ratiti* a typo ratis, *Bigati, Quadrigati,* a nota bigarum et quadrigarum. V. tractatum de numis consularibus.

III. *A loco.*

Aeginaei ab insula Aegina.

Cyziceni, Phocaici stateres, V. numos Cyzici Mysiae, et Phocaeae Ioniae.

Oscense argentum, V. prolegomena ad numos Hispaniae cap. IV.

Mitto plures alios a locis nomen sortitos.

IV. *A modo fabricae.*

Serrati numi. Vide proleg. ad num. Famil. cap. XVI.

V. *A pondere.*

In Graecis:

Drachma, et ab hac composita *didrachmum, tridrachmum, tetradrachmum* etc.

Obolus, et ab hoc compositi *diobolus, triobolus, hemiobolus* etc.

Stater, cui addendus Hebraeorum *Siclus.*

In Romanis:

Pondo, *dupondius.*

As, et ab hoc compositi *quincussis, decussis,* tum et assis partes, *semis, quincunx, triens, quadrans*, *sextans, uncia etc.*

VI. *A valore.*

Denarius, quinarius, sestertius, quia asses aereos X. V. II. cum semisse valebant.

Sed haec nomina tantum sunt a pondere, et valore tracta, nam quae ad verum numorum pondus, ipsumque valorem pertinent, expedientur infra cap. IX.

Quae hactenus dictavi monetae veteris nomina, veterem etiam habent aucto-

ritatem, nimirum ab antiquis scriptoribus usurpata. Superessent commemoranda alia quibus ars nostra varias numorum classes propter varias inhaerentes causas distinxit, cujus generis sunt numi *incusi*, *recusi*, *subaerati*, *contorniati*, etc. verum cum hos unus fabricae modus distinguat, de iis opportunius agemus infra capite XII., quo in mechanicam numorum veterum inquiremus.

Tamen jam nunc explicanda est natura numorum, quos *Autonomos* vocamus, quia frequens eorum deinceps erit mentio. Placuit artis nostrae magistris, hoc nomen imponere numis iis, quos populus, respublica, civitas sic percussit, ut in iis nulla appareant servitutis, aut obsequii indicia. Quamdiu urbes Graecae vere fuerunt liberae, suique plene juris, suapte patet, non alios ab his, nisi hujus naturae numos fuisse signatos. At posteaquam servitium seu sponte, seu per vim accepere, illud in moneta saepa professi sunt inserta principis vel imagine, vel nomine, vel utroque, cujus adeo generis numos jam non *autonomos* dicimus, sed numos urbium populorumve *regios*, vel *imperatorios*, aut generatim *officiosos* propter publicum delati officii documentum. Sic numus Syracusanorum, in quo hinc est caput numinis cujuspiam, illinc *ΣΥΡΑΚΟΣΙΩΝ*, typus quadrigae, aut quiscunque alius, autonomus dicetur, at numus Syracusanorum, qui hinc caput regis diadematum, illinc *ΣΥΡΑΚΟΣΙΩΝ. ΓΕΛΩΝΟΣ* exhibet, autonomus non erit, sed propter illatum regis Gelonis nomen et caput regius Syracusanorum. Eodem modo numus inscriptus *ΕΦΕΣΙΩΝ*, et cum typis Ephesi domesticis erit autonomus Ephesiorum, at si ejus urbis numus contineat nomen aut caput imperatoris Romani, erit numus Ephesiorum imperatorius. Fuere multae urbes Graecae, quae, etsi imperatoribus R. parerent, multos tamen numos sine imperantis vel effigie vel mentione, ac vel ideo secundum dicta autonomos, signavere, quin fuerunt urbes illustris famae, ceu Athenae ac Tyrus, quae sub ipsis imperatoribus nonnisi autonomos, imperatorium nullum cuderunt. Vrbes, in quas Romani colonias deduxere, ex lege quidem ordinaria imperantis caput monetae intulere, sed tamen etiam nonnunquam hoc omisso propriis suis typis sunt usae, quos adeo numos ex eadam causa possumus autonomos coloniarum appellare. Ejus generis complures signavit colonia Corinthus.

CAPVT V.

Numi veteres fuerintne vera moneta.

Sub ipsis artis nostrae incunabulis fuit Sebastianus Erizzo nobilis Venetus, vir in versandis numis veteribus indefessus ac impiger, atque in iis explicandis, quantum spondere ea aetas potuit, non inscitus, qui, quod antehac nemini in mentem venerat, ausus est adserere, numos cujuscunque metalli veteres, qui ad

nos usque pervenerunt, non fuisse veterum monetam, sed ejusdem generis cum iis, quos nostra aetate Germani *Denkmünzen* vocamus, Galli *Médailles*, vel *Jettons*, in principum, virorumque illustrium honorem signatos eum in finem, ut eorum vultus et insignia facta sera posset posteritas intueri et in memoriam revocare [c]). Ex majoribus nostris, qui eadem studia sectati sunt, unicus fuit, cui *παραδοξον* istud adrisit, sed qui et unus idoneus fuisset, qui reperiret, nisi Erizzo occupasset, Joannes Harduinus, miratus insuper, rem adhuc venire in controversiam [d]). Reliquis omnibus ad nostram usque aetatem, si Cl. Fallettum demas in nupero suo opere ejusdem sententiae patronum [e]), tam mira haec visa est, et incredibilis opinio, ut eam ne Jobertus quidem, Harduini, etiam cum in avia omnia abiret, fere perpetuus assecla non posset non reprobare. Nolo commemorandis sententiae hujus absurdis inconcinnisque lectorem morari, quam paucis expositam habes apud Jobertum ejusque censorem Bimardum, ac praeterea vere solideque refutatam [f]).

Omissa igitur hac controversia, justam tamen, dignamque, quae curatius tractetur, video quaestionem relinqui, sintne superstites omnes numi veteres in monetae loco putandi? sin minus, in quam singulae numorum classes stationem erunt tribuendae? Enimvero in eo viri plerique artis nostrae studiosi consenserunt, non eandem omnium esse naturam, sed alios in moneta putandos, excludendos alios.

Verae monetae characterem esse existimo, si qua numorum classis perpetuum, ac per plures annos, regna, imperia, quin et per plura nonnunquam saecula porrectum habeat tenorem, si idem pondus, saltem proxime, eosdem typos, eandem fabricae rationem, nisi eam mutavit artis sive perfectio, sive prolapsio, si magno numero, ac saepe incredibili, fuit signata, sic ut nonnullarum proventus classium certis in regionibus possint fodinis aequiparari, si additum pondus, sive expressum notis, ut in numis Italicis, et consularibus, sive scriptura, ut: *ΟΒΟΛΟΣ. ACCAPION.* etc. Haec, aut saltem pleraque si conspirent, certam puta monetam. A Romanis ut ordiar, jam primum numi aenei sibi plane constant dempto pondere, per vices, ut notum est, imminuto, deinde et argentei, quorum multis annis idem fuit modus, nisi quod eum mutavit vanitas primum IIIvirorum monetalium, deinde Caesarum, qui pro veteribus typis avita gentis suae decora, aut illustria belli domique facta iis insculpsere; denique et aurei inde a Caesaribus, quorum diu duravit aequabilis ratio imminutione nonnisi lenta. Subinde aurei argenteique numi lege mire perversa, certus iterum ordo Constantii II. circiter aetate fuit constitutus, qui fere usque ad orientalis imperii exitum obtinuit. In Graecorum numis non minus certa et evidentia occurrunt exempla.

c) Discorso sopra le medaglie degli Antichi. d) Opera sel. p. 506. seq. e) Introduz. allo studio de' preziosi musei, dissert. III. Roma 1783. f) Tom. I. p. 50. 68.

Ad reges quod attinet, cui non cognita series perpetua et aequabilis numorum Philippi II. et Alexandri M. in auro et argento, quorum frequens apud ipsos veteres mentio nomine Philipporum et Alexandrinorum, et quorum ope iisdem etiam testibus emptiones sunt peractae? Adde obvios aureos argenteosque Lysimachi Thraciae regis, tetradrachmos Ptolemaeorum, quorum insignis superest numerus, tum regum Syriae, Bithyniae, Pergami, drachmales regum Cappadociae, Parthiae, et Hispanorum indigenarum. Certum etiam pecuniae characterem habent Cistophori Asiae proconsularis, ut dicetur, ubi de his agemus. Ejusdem rationis sunt series numismaticae multarum urbium liberarum populorumque, quas inter notissimi sunt numi tetradrachmi Attici, eodem fere omnes pondere, solo fabricae merito varii, quia inde a vetustissimo aevo saltem usque ad vicina Caesaribus tempora signabantur. Adde tetradrachma Macedonum inscripta *ΜΑΚΕΔΟΝΩΝ. ΠΡΩΤΗΣ.* et Thasiorum, infinito utraque numero, tum et tridrachma Syracusarum, Tarenti, Veliae etc. drachmales Dyrrhachii, et Apolloniae per copiam viles et fere neglectos, series amplissimas et in tertium saeculum prorogatas numorum Antiochiae Syriae et Alexandriae Aegypti. Denique variarum numos coloniarum, quas inter insignem eorum numerum cuderunt Corinthus, Antiochia Syriae, Nemausus aliaeque. Tam perpetuas ac sibi constantes numorum series, quas modo obiter recitavi, qui negare volet pecuniae usum praestitisse, atque hoc consilio a suis civitatibus signatas, nae is videatur lucidissimo soli velle lucem negare.

His constitutis facile apparet, eos omnes, qui hos characteres non habent, veram monetam non fuisse, in quorum censum referendi videntur numi maximi moduli cujuscunque metalli cum apud Romanos, tum Graecos, praecipue tum, quando de minore ordinaria cujuspiam populi moneta constat. Procedant primum Romani. Omittimus consulares aureos, quia stante rep. nonnisi paucissimi, neque ex lege ordinaria signati sunt, de quo ex instituto agemus alibi [g]). Quae fuerit inde a J. Caesare ordinaria Romanorum moneta aurea, eorum pondus, valor, conformatio, nemini non notum. A Caesare dictatore usque ad Constantini M. tempora aurei max. mod. perpauci tantum sunt cogniti vulgatique, inde ab hoc per inferius aevum praeter moduli consueti numos copiosi exstant tam pondere quam volumine conspicui. In numis Graecis Lysimachi Thraciae regis praeter aureos ordinarios, qui duos circiter aureos nostrates adpendunt, sunt alii copiosi insignes pondere aureorum 4. 6. 10. et amplius. Igitur similes numi moneta existimandi non sunt, quia communis alia, modulique ordinarii praesto jam fuit. Minus tuto de aliorum regum aureis maximis, v. g. Ptolemaeorum et Seleucidarum possum arbitrari, quia eorum numi aurei magno numero non supersunt, neque forte magno numero signati sunt.

---

g) de num. consular. cap. IV.

Eandem plane rationem me judice sequitur argentum. Ignoravit resp. Romana, deinde etiam Roma imperans argenteos maximae formae numos usque ad Treboniani circiter tempora. Neque enim Romani commatis sunt tetradrachmi jam inde ab Augusto signati, inscriptique Latine v. g. COM. ASI. ROM. ET. AVG. — PAX. — DIANA. EPHESIA etc. sed plerique hi per Bithyniam, Asiamque proconsularem cusi, ut docebimus in singulorum imperatorum numis, quorum illi capita praeferunt. In numis Graecis nemo dubitabit, multorum regum urbiumque tetradrachmos, quia magna copia signati sunt, habuisse monetae rationem, ut supra diximus. At si qui hoc pondus amplius excedunt, v. g. Syracusani, qui octo drachmas aequant, aut etiam excedunt, non dubitem, alteri fuisse usui destinatos, de quo nonnulla infra monebimus.

Aenei maximae formae majore numero et varietate supersunt, de quibus ergo curatius et uberius agendum. Apud Romanos rudes illos asses, eorumque partes, qui causa ponderis auctioris *aes grave* dicti sunt, veram fuisse pecuniam, nemo ambigit, sed constat etiam, successu temporis fuisse imminutos, sive quaestus causa, ut vulgo existimant ii, qui Plinii dictata sequuntur, sive ut exemplo vicinae Graeciae commodior esset mansuetiorque pecuniae usus in minus volumen artatae. Certe inde usque ad Hadriani imperium numi maximae formae Romae signati vix observantur, et si qui hactenus huc referebantur, comperti sunt peregrinum malleum perpessos. Sed etiam ab hoc tempore rarissimi sunt id genus numi, atque vel haec una causa persuadere potest, eos in pecuniae usum percussos non fuisse, tametsi fuerint viri aliquot eruditi, qui habuisse eos pecuniae modum conjecere [h]). Inferiore imperii aevo nullus jam eorum usus demptis Contorniatis, de quibus infra. Ad Graecos quod attinet, aenei Ptolemaeorum, etsi ponderis extraordinarii, et inter alios Graeciae populos inusitati, certa tamen pecunia sunt putandi, quia incredibili eos copia fuisse signatos ingens eorum, qui ad nos pervenere, numerus credere jubet. Eadem fere aetate, qua Romani, scilicet, ut dixi, Hadriani, urbes Graecae, populique maximae formae numos coeperunt ferire. Hos si quis volet monetam putare, licebit interrogare continuo, cur tam rari illi sint, tamque adeo exiguo numero signati, quando Ptolemaeorum, quos modo citavi, abundant majoris ponderis numi, etsi hi illorum aetatem ipsis quatuor saeculis praevertant? Cur nonnullae urbes sub certo tantum imperatore, aut certo tantum ejus anno, aut per certam tantum causam hujus naturae numos sint fabricati, abstinuerintque post haec, sicut abstinuerunt dudum? Sic Philippopolis Thraciae tales tantum dedit in Domitiani consulatu XIV., rursus intervallo multorum annorum sub Caracalla, Perinthii, Pergameni, Laodicenses Phrygiae eorum maximam partem sub Severo et Caracalla. Omissis,

h) Buonarroti Osserv. istor. p. 199. Mahudel B. L. hist. p. 266. Mazzoleni Animadv. XV.

quas dixi, certis ac singularibus aliis causis, quarum partem infra commemorabo, unicam, sed eam evidentem lubet hoc loco adferre. Corinthum coloniam suam habuisse monetam aeneam, eamque constanter minoris formae, nemini non notum. Hac cum inde ab Augusto usque ad Gordianum saltem nulla inducta varietate uterentur, en tibi repente numos aeneos conspicui voluminis cum capite Antinoi, eosque non inscriptos Latine, ut semper alias, sed Graece: *ΜΑΡΚΕΛΛΟC. ΑΝΕΘΗΚΕ. ΚΟΡΙΝΘΙΩΝ.* An monetam dicemus numos unius Antinoi causa percussos, et sic a monetae ordinariae et usitatae legibus aberrantes?

Multo minus in monetae modo putabimus numismata illa, in quae effingenda plus operae, et arcessiti laboris impensum est, quam quantum in formandam monetam omni aevo conferri consuevit. Hujus generis sunt numi duplicis metalli, vel qui numi aenei, reipsa primae tantum formae, in latum orbem aeneum sese porrigunt, vel quos majoris moduli numos aureos quaedam exquisitae artis ornamenta ambiunt, aut qui sui parte aureis argenteisve lamellis vestiuntur. Denique huc refer numos dictos Contorniatos, tesseras, plumbeos etc. quos pseudomonetam jure dicemus, et de quibus ex proposito agitur alibi.

Superest, ut, quando de monetae usu constat, inquiramus etiam, quae fuerit probabilis similium parandorum numismatum causa. Fuere viri eruditi, qui cusos maximi moduli numos ad commendanda posteritati illustria facta crediderunt. At enim fateor, ab hac me sententia semper fuisse alienum. Nimirum si istud fuisset Romanis Graecisque propositum, majorem ab iis videremus impensam operam erudiendae eorum ope posteritati sive legendis typis rerum gestarum testibus, sive iis eorumque causis inscriptione explicandis, sive adsignandis proxime temporibus. Sed contra factum videmus, typi plerumque vagi, et in religionis cultu occupati, inscriptiones aut nullae, aut vagae etiam atque stili ordinarii, et si qua adest temporis nota, haec quoque nonnisi vaga et ordinaria. Quantum enim est, quod posteros nos instruat v. g. aeneus maximae formae Hadriani, in cujus aversa graditur Diana Lucifera ne verbulo quidem hujus causam typi dictante? Male sane nobiscum actum foret, si sola haec ad nos numismata pervenissent, et non etiam moneta vetus, quae plerumque spectatis omnibus philologiae causis plus nos instruit, quam superba ea numismata, quorum, paucis demptis, maximum meritum est volumen, ac operis elegantia. Vidi postea, quam haec scripseram, in mea etiam sententia fuisse praestantissimum Barthelemyum[i]).

Alias alii hujus instituti causas attulere. His enarrandis longius immoratus est Savotus[k]). Existimat, serviisse in sigillaria, qualia teste Spartiano Hadrianus amicis inopinantibus misit, et ab his accepit. Crederem istud, si numi hujus aetatis

i) B. L. T. XXIV. p. 34. seq. k) Num. ant. cap. VIII.

maximae formae essent aurei, et non aenei. Quis enim sibi persuadeat, Hadrianum munuscula vilis metalli aut elargitum, aut acceptasse? Vel, inquit, inserti fuere signis militaribus, quam conjecturam multis posthaec adrisisse video[l]). Vel, prosequitur, signati sunt causa festi, solennitatis, congiariorum, donativorum. Quam equidem postremam conjecturam, quando certam causam ex veteribus eruere non possumus, omnium maxime verisimilem existimo. Atque ad aureos quod attinet, certum est, hujus metalli numos, sed levioris utique ponderis, fuisse inter res missiles, quas spargere imperatores inferioris aevi in processu selenni consuevere. Ait enim Justinianus[m]): *Soli aurum spargere damus imperio, cui soli etiam contemnere praestat fortunae fastigium. Argentum vero, quod mox post aurum pretiosissimum est, et aliis consulibus largiri decens.* Si majoris fuere ponderis, quam ut missilium esse loco potuissent, digna certe fuere res, qua principes suorum aut fidem, aut quaecunque alia merita remunerarentur, qui mos hodieque in viris principibus obtinet. Quin narrat Gregorius Turonensis, Chilpericum regem sibi ostendisse numos aureos librae pondere, quos illi dono miserat Ti. Constantinus, is, qui Justino II. successerat, in cujus una parte erat ejus imperatoris inscriptio et caput, in altera: GLORIA ROMANORUM, et typus: quadrigae triumphales[n]). De aeneis maximae formae difficilius judicium. Si enim cessisse in munera dicamus, cur ex vili metallo? si in munuscula tenui popello distribuenda, cur tanta elegantia elaborati sunt, ac quidem, ut numi duplicis metalli, tanta solertia? Forte non magnopere fallar, si existimem, senatus auctoritate fabricatos hos numos, cum pro imperatoris salute vota publice conciperet sive causa adventus, sive profectionis, sive triumphi, sive annis singulis post kalendas Januarias, sive solennitate quacunque alia, erogatosque publice in omne hominum genus, ac propterea exquisitius et majore cura elaboratos. Quocirca non mirum, si aenei tantum sunt, quia, ut alibi dicetur, in aes tantum senatui potestas fuit, et omissa in his plerumque videtur nota S. C., ne cum moneta temere miscerentur.

A Romanis hunc morem videntur traxisse Graeci. Etenim observo, Hadriani etiam aetate apud hos maximae formae aeneos feriri coepisse. Observo etiam, perinde in his tantum causas religionis, ludorumque ac rituum sacrorum agi. Sic cum Iones, Bithyni, Thráces convenissent, ut rebus suis in commune consulerent, offerrentque sacrificia pro patriae salute, en tibi numos maximi moduli cum epigraphe *KOINON. IΩNΩN.* vel *BIΘYNIAC.* vel *ΘPAKΩN.* At cumprimis huc faciunt numi Philippopolis Thraciae: *KOINON ΘPAKΩN. AΛЄΞANΔPЄIA. ΠYΘIA. ЄN. ΦIΛIΠΠOΠOΛI*, unde docemur, insignes hos maximi moduli numos non fuisse signatos, ut essent monetae ordinariae loco, sed occasione acti ibi conventus et ludorum; non enim inscriptum est *ΦIΛIΠΠOΠOΛITΩN*, sed *ЄN ΦIΛIΠ-*

l) B. L. T. XXXV. p. 299. m) Novell. tit. VI. § 2. n) L. VI. c. 2.

ΠΟΠΠΟΑΙ. Ejusdem naturae sunt numi testes initae cum una pluribusve urbibus concordiae, semper tactis aris, sacroque ritu celebrari solitae, cujus deinde mutui foederis causa insignes id genus numi non sine ostentatione signati sunt. Adde numos frequentes inscriptos *ΑΝΕΘΗΚΕΝ*, sacri etiam ritus formula, de quibus ex instituto agemus alibi. Item numos Antinoi, maximi plerosque moduli, signatos etiam ab urbibus, quae nunquam alias numos hujus formae cuderunt, certo argumento, non fuisse eos in monetae ordinariae loco, sed erogatos occasione festorum, quamdiu observandi ejus catamiti insania duravit. Denique addendi numi Syracusanorum argentei voluminis insoliti, quorum quatuor repraesentavit Princeps Turris Mutiae tabula LXXII. Siciliae suae numismaticae. Exhibent hi, ut in hujus populi numis dicetur, scriptum juxta panopliam vocabulum *ΑΘΛΑ*, id est: *victoriae praemia*. Quoniam numi hi ordinariam Syracusanorum monetam nimio excedunt, oppido mihi videtur verisimile, *το ΑΘΛΑ* referendum ad ipsos hos numos, et fuisse signatos, ut iis in praemium cederent, qui sive in sacris certaminibus, sive verius in belli alea insigniorem navarunt operam.

Qui Graecos maximae formae numos veram monetam credunt, eo nituntur potissimum, quod frequenter in iis signa incusa reperiuntur, quod signorum genus esse mutati vel permissi valoris indicium plerique existimant. At enim incusorum ejusmodi sigillorum nondum satis exploratam habemus rationem, et forte certius quis probaverit, signa illa ad monetae valorem non pertinere, quia numis, qui moneta non fuerunt, inserti sunt, quam probaverint alii, numos maximi moduli in monetae loco putandos, quia his sigillis onerati sunt. Bimardi de his numis sententia fuit, revera eos, qui numos hos feriundos curavere, non intendisse, ut in monetae loco essent, at posteaquam semel distributi in vulgus fuere, in commercii negotium fuisse admissos constituto valore pro ponderis et metalli ratione [o]). Judicet lector.

Quae de numis maximi moduli hactenus disputavi, eos rationem verae pecuniae non habuisse, forte etiam ad partem magnam numorum etiam minoris formae, qui inde ab Antoninis per urbes Graecas signati sunt, possunt extendi. Ab hoc enim tempore in his quoque frequentissimum argumentum sunt ludi, sacri ritus, et similia alia, quae supra memoravi. Atqui moneta domestica provinciis opus non fuisse, ex quo magno numero importata fuit Romana, docent exempla Galliarum, Hispaniarum, Africae, quas inde ab Augusto, vel saltem Caligula moneta nonnisi Romana usas certum est.

---

o) ad Jobert. T. II. p. 59.

CAPUT VI.

Materia numorum veterum.

Aurum, argentum, aes, ut aetate nostra sic et vetere aevo ordinariam fuisse feriundae pecuniae materiam, inter omnes constat, neque adeo nostris probari commentariis postulat. Fuit tamen tempus, quo populi, regna, urbes metallo uno prae altero uti maluere, aut triplice hoc metallo varie mixto, sed quod examen in proximum caput differimus. Hoc loco tantum variam alteram materiam commemoramus, ex qua perhibenter antiqui signavisse numos, aut qua ajunt fuisse pecuniae loco usos.

Ferrum. Ignobile istud metallum a Spartanis praecipue ac Byzantiis in pecuniae materiam fuisse lectum, plurima extant veterum testimonia, quae in utriusque populi numis dabimus. Vtrumque populum conjungit Pollux[p]): *νομισμα σιδηρουν, το Λακεδαιμονιων και Βυζαντιων. numus ferreus, Lacedaemoniorum et Byzantiorum.* Idem infra de utroque agit copiosius[q]). Praeter hos etiam Clazomenios aere alieno pressos cudisse monetam ferream tradit Aristoteles[r]), et Romanis usum ferreae monetae fuisse a Numa institutae, refert Suidas[s]), et Cedrenus. Auctoribus Plutarcho[t]), et Polluce[u]) Lycurgus monetae ferreae apud Spartanos auctor ferrum ad eam feriendam destinatum ope aceti ad alios quoscunque usus fecit inhabile. Etsi vero abundemus testimoniis signatae a veteribus monetae ferreae, nemo tamen hactenus, etsi cupidissimus, gloriari potuit, sibi hujus metalli numum aliquem vere antiquum oblatum. Neque istud magnopere mirum, quia metallo isthoc non aliud gratius est malae aerugini pabulum.

Stannum. Ex hoc Dionysium Syracusanum signasse numos, auctores sunt Aristoteles[x]), et Pollux[y]). Legimus L. XLVIII. digest. tit. 10.: *Eadem lege exprimitur, ne quis numos stagneos, plumbeos emere, vendere dolo malo velit.* At enim numos hos spurios fuisse liquet. Numum quempiam stanneum vere veterem in aliquo museo adservari, me legere non memini, atque etsi demus, olim ex hoc metallo cusos fuisse numos, aetatem non tulissent, quia, ut observat Savotus, qui de vario veterum stanno copiose disseruit[z]), stannum facile sub terra, ac praecipue calce corrumpitur. Sed lege etiam de numis hujus metalli, quae disserit Rinckius[a]).

Plumbum. Numorum plumbeorum saepe meminerunt poetae, quorum testimonia vide apud Rinckium[b]). Eorum aliqui in omnibus fere etiam museis habentur. Vtrum ii verae monetae usum praestiterint infra examinabimus paucis, sed latius in tractatu de pseudomoneta.

---

p) L. VII. § 106. q) L. IX. § 78. 79. r) in Oeconom. L. II. c. 2. s) in Ἀσσαρια.
t) in Lycurg. p. 44. u) L. IX. § 79. x) Oeconom. L. II. c. 2. y) L. IX. § 79.
z) Num. Ant. Part. II. c. 2. seq. a) Cap. V. p. 33. b) Cap. V. p. 34.

Corium, factique ex hoc numi dicti *scortei*, Graecis *σκυτινοι*. Frequens eorum apud veteres mentio. Fuere, qui Carthaginienses iis usos adfirmarent, quorum testimonia dabimus in eorum moneta. De Spartanis idem narrat Seneca[c]), cujus locum dabimus infra, de Romanis Suidas [d]).

Lignum. Numis ligneis Romanos usos apud Cedrenum reperio.

Testa. De iisdem Romanis refert Suidas, numos illis olim testaceos (*ὀστρακινους*) fuisse [e]).

* * *

Enarrata varii generis materia quaeritur, fueritne his quoque, perinde ac auro, argento, aeri, impressa vel insculpta publico consilio atque auctoritate nota, sic ut monetae conditiones omnes, quas a nobis requiri supra diximus, videantur implere. Ad ferrum quod attinet, ait Pollux [f]), monetam ferream apud Byzantios sic erogatam, sicut alibi aeneam, *ὡς τε ἀντι του: πριω μοι τριων χαλκων, λεγειν: πριω μοι τριων σιδηρων*, *ut pro: eme mihi tribus aeneis, dicerent: eme mihi tribus ferreis.* Sed non addit, fuisse iis impressam aliquam notam. Tamen ex Hesychio [g]) erui potest, deorum formas in iis fuisse signatas, si modo hujus grammatici dictatis velimus habere fidem. Forte ferrei hi numi aliud non fuere, quam resectae laminae in hunc usum paratae, aut minuta quaedam ac rudia pondera. Sed inutile est, in his nimio esse curiosum, cum alioqui ob causas, quas diximus; numus ex ferro antiquus nullus ad nos pervenerit. Neque propter similes causas certius quid possumus de numis stanneis referre. Plumbeorum ratio magis est expedita, quia eorum plures variis in museis adservantur. Hi duplicis sunt generis, alii sunt animae numorum, quos vetus fraus tenui argenti lamina vestivit, qua dilapsa patuit denique plumbum, atque una dolus malus. Ejus generis insignem Syracusanum praegrandis moduli, cujus modi quatuor, sed argentei, exstant in Principis Turris Mutiae Sicilia numismatica tabula LXXII., ostentat museum Caesareum, alium item Antiochi VII. Syriae regis ejusdem voluminis ac typi, quos praeferunt vulgo ejus regis argentei tetradrachmi. Alii sunt plumbei nulla fraude, sed ex instituo, quorum insignem numerum edidit Franciscus Ficoronus [h]), quos tamen veram nunquam fuisse monetam, sed aliis usibus destinatos, dicemus in tractatu de pseudomoneta, quorsum jure pertinent. Scorteis imaginem aliquam fuisse impressam, nonnulli veterum prodiderunt. Seneca [i]): *Aes alienum habere dicitur, et qui aureos debet, et qui corium forma publica percussum, quale apud Lacedaemonios fuit, quod usum numeratae pecuniae praestat.* Et Isidorus [k]): *De corio enim pecudum numi incidebantur, et signabantur.* At enim vereor, ut scriptoris utriusque auctoritas cordatum quemvis continuo ad assensum impellat, atque haud dubie uterque, audito, nonnullis populis pecuniam olim scorteam

c) de Benefic. L. 5. c. 14. d) in *Ἀσσαρια*. e) in *Ἀσσαρια*. f) L. IX. § 78. g) in *Σιδαρεοι*. h) i Piombi antichi. i) de Benefic. L. V. c. 14. k) L. XVI. c. 17.

placuisse, continuo eadem signatam ratione crediderit, qua sui aevi numos signatos vidit. Fortasse ventilata illa moneta scortea aliud non fuit, quam pelles bovinae, si qua regio pascuis abundavit, pro aliis mercibus repensae. Sane scholiasta Aristidis ad eum locum, quo orator hic Carthaginienses pecunia scortea usos narrat[l]), haec habet: *τουτο δε λεγει, οὐχ ὁτι σκυτινα νομισματα εἰχον, ἀλλα βυρσας παρειχον, ὡς πολυθηρον οἰκουντες χωριον, και οὑτως ὁ ἐβουλοντο, ἐδεχοντο. Istud vero dicit, non quasi scorteos numos habuissent, sed quia pelles obtulerunt, quippe regionem animalibus refertam habitantes, et hoc modo, quod visum fuit, redemerunt.* Vide de hoc argumento plura apud Sperlingium cap. XXXIII. Ceterum inficiari plane neque volo, neque possum, ferrum, stannum, plumbum in nonnullis civitatibus pecuniae vicem praestitisse, atque etiam corium non potuisse sic apparari, ut in similem usum serviret. Suadere istud poterant causae civiles, exempli causa, ut privatis ditescendi amputetur opportunitas. Ac propterea quidem, ut supra diximus, Lacedaemonii ferrum in pecuniam repraesentarunt, atque etiam illud ad quoscunque alios usus ineptum reddiderunt. Plato, cum in sua civitate privatis aurum et argentum interdiceret, permisit tamen pecuniam, sed ejus naturae, quae civitati esset in pretio, ab externis vero contemneretur[m]). Ejus materiam non quidem nominat, sed ex ipsis ejus verbis patet, fuisse intentam ignobilem. Sin istud, moneta haec non tam pecunia fuit, quam pseudomoneta, et pecuniae quoddam signum, atque ejus naturae, qua hodieque communitates quaedam, ceu ptochotrophia, nosocomia, xenodochia laminis quibusdam certa nota signatis pro pecunia utuntur, quae tantum intus suum habent valorem, foris autem prorsus sunt inutiles. Quapropter nequaquam mirum, similes pecuniae species ob materiae ignaviam aevi injuriis resistere non potuisse.

Ad mentionem numorum ligneorum et testaceorum nihil amplius addendum censeo, quia quocunque illi modo monetae munere functi sunt, etiam ut Suidam et Cedrenum, testes parum idoneos, verum esse locutos demus, ad nostrum tamen argumentum non pertinere, quivis intelligent. Mogolitanos Asiae nostra quoque aetate conchyliis, sive testis, quas *Coros* vocant, pecuniae modo uti, res nota, de quo instituto lege disserentem Sperlingium[n]).

---

l) Orat. Platon. p. m. 145. m) de Legib. L. V. p. 742. n) Num. non cus. cap. XXXIX.

CAPVT VII.

De auro, argento, aere, eorumque varia in numis veteribus mixtione.

Numi veteres aurei, argentei, aenei non solum habentur ex metallo puro, quantum scilicet arte humana metallum purum impetrari potest, sed etiam impuro, sive natura illud sic miscuit, sive hominum arbitrium ex puro fecit impurum. Ex hac utriusque generis mixtione factum, ut spectata metalli probitate varium sit numorum veterum meritum, sitque operae pretium, in variae ejus mixtionis modos, causas, nomina adcuratius inquirere. Est quidem disquisitio haec ejus generis, quod ab artis chemicae subsidiis, orbisque subterranei experimentis fere tantum pendet, ad quae studia non facile philologorum vulgus solet applicare animum, quorumque me quoque esse in numero ab omnibus volo intelligi. Factum tamen fortuna propitia, ut hanc quoque provinciam vir quidam praeclare eruditus in se susciperet, institutisque secundum artis praecepta experimentis diversam metalli numismatici naturam in examen vocaret, ex quo plerique reliqui, cum argumentum postulare videbatur, praecepta hauserunt. Est is *Ludovicus Savot* Gallus, cujus de hoc argumento opus inscribitur: *Discours sur les médailles antiques*, Paris 1627., quod deinde latine redditum Graevius Tomo XI. Antiquitatum Romanarum inseruit.

Jam igitur, quae ad triplicis hujus metalli varios modos pertinent, ex idoneis auctoribus collecta, haec habeto.

AVRVM.

Aurum in numis veteribus sive Persarum, sive Graecorum, sive Romanorum semper fuit tantae probitatis, quanta per artem humanam haberi potest. Facto experimento didicit Barthelemyus, in aureo Persarum numo, dicto Darico, nonnisi XXIV. alieni metalli partem inesse[o]). Hos tamen puritate adhuc superant aurei Graecorum et Romanorum. Teste Patino[p]) puritas auri in numis Philippi II. ejusque filii Alexandri M. ad caratia XXIII. grana XVI. pertingit. Aureum Vespasiani cum explorarent aurifabri Parisini, nonnisi partem septingentesimam, octogesimam octavam metalli heterogenei admixtam repererunt[q]). Ejusdem bonitatis est aurum in plerisque numis veteribus urbium ac regum.

Aurum ope ignis solerter excoctum, *obryzum* dixere veteres. Plinius[r]): *Aurique experimentum ignis est, ut simili colore rubeat, ignescatque; id ipsum obrussam vocant.* Suetonius vocat *aurum ad obrussam*[s]). Illud Graeci dixerunt *ἀπεφθον*, *excoctum*, nempe ope ignis. Scholiasta verba Thucydidis: *χρυσιον ἀπεφθον*) sic explicat: *πολλακις ἑψεθεντος, ὡστε γενεσθαι ὀβρυζον*, *saepius cocti, ut denique evadat obryzum*, quod iisdem verbis

---

o) B. L. T. XXI. hist. p. 24. p) Hist. num. cap. 7. q) Savot. P. II cap. 6.
r) L. XXXIII. § 19. s) in Neron. c. 44. t) L. II. c. 13.

habes etiam apud Suidam[u]). Aliter sentit Spanhemius[x]), cui aurum *ἀπεφθον* est illud, quod jam in venis purum est repertum, nulla vilioris metalli mixtione depravatum, neque adeo ignis ope indigens, et quod propterea ab aliis dictum fuit *ἀπυρον*, vel *αὐτοματον*; at Latinorum *obryzum* esse statuit illud, quod ignis adminiculo puritatem nactum est, reprehenditque adeo Petavium, qui verba Themistii *στεφανον χρυσου ἀπεφθου* vertit: *coronam auri obryzi*. Quid virum summum impulerit, ut a scholiastae interpretatione discederet, quem quidem non citat, sive quod ignoravit, quod in eo viro rarissimum, sive neglexit, causam nullam video. Certe nullum adfert argumentum, quo sententiae suae fidem faceret, nisi fortasse credidit, vocabulum *ἀπεφθον* significare *non coctum*, quod falsum esse docebit subjecta nota, quam consultus a me Ill. Baro Locella Musarum Graecarum amantissimus mecum amice communicavit *).

---

u) in *Απεφθου*. x) Césars de Jul. preuv. p. 16.

*) Dubium non est, *χρυσον ἀπεφθον*, citerioribus Graecis *ὀβρυζον*, (*v. Du Cangii Glossar.*) non fuisse aurum natura purum, sed omnino aurum excoctum, coctione depuratum, plane ut *ὑδωρ ἀπεφθον* apud Athen. (*Deipn. l. III. p.* 122. *F.*) non est aqua ignem non experta, sed aqua decocta. Videlicet adjectivum *ἀπεφθος* compositum est ex *ἀπο* et *ἑφθος*, idemque adeo significat, quod ipsum verbum *ἀφεψω*, verum quia graecae aures asperitatem vocabuli *ἀφεφθος* non tulissent, solita mutatione abiit in *ἀπεφθος*. Eodem modo si quis hodie uti vellet aoristo 1. partic. pass. verbi *ἀφεψω*, non utique *ἀφεφθεις*, sed *ἀπεφθεις* ei foret scribendum. Nota lex est Graeci sermonis, duas *aspiratas* in vocabulo simplici in duabus syllabis, unica simplici vocali interjecta se subsequentibus, non concurrere, sed alterutram mutandam esse in suam *tenuem*: tamen ad hanc legem non videntur animum advertisse, praeter Spanhemium, Salmasius (*ad Solin. p.* 757. 762. 791.), Dalecampius (*in interpretatione latina Athenaei p.* 232. *A. et in notis ad eam p.* 741.), Acciajolus (*in interpretatione Theodoreti l. I. Therapeut. v. fin.*), quin imo ipse magnus Lexicographus (*in Thes. Ling. Gr. vol. III. col.* 624. *G.*), qui tamen alibi (*vol. I. col.* 1378. *B.*) verum vidit docuitque; et novissime Niclas (*ad Aristot. Admir. p.* 88. *ed. Götting.* 1786.). Itaque existimantes *ἀπεφθος* formatum esse ex *α στερητικῳ* et *πεφθος*, aurum *ἀπεφθον* idem esse crediderunt, quod *ἀπυρον*, ignem non expertum, natura purum, alias quoque *αὐτοματον* et *αὐτοφυες* dictum, cujus meminerunt Herodotus (*l. III. c.* 97), Aristoteles (*in Admirand. c.* 45.), et ex Agatharchide Diodorus Siculus (*l. II. c.* 50. *l. III. c.* 45.). Verum si, uti dixi, *ὑδωρ ἀπεφθον* certo certius apud Athen. est aqua decocta, ipsumque verbum *ἀφεψω* apud Hippocratem, Dioscoridem, Aristophanem aliosque excoquendi significatione occurrit; ecquis jam negare ausit, cognatum *ἀπεφθος* eodem sensu esse intelligendum? De verbo *ἀφεψεω*, quum de auri decoctione usurpatur, insignis est locus Strabonis (*l. IV. p.* 319.), ubi ex Polybio narrat juxta Aquilejam inveniri aurum natura tam praestans, ut partim protinus fiat purum octavae solum partis decoctura, *του ὀγδοου* (*μερους*) *μονον ἀφεψηθεντος*, partim majore quidem, sed tamen valde lucrosa conflatura indigere, *τον δε δεισθαι μεν χωνειας πλειονος, σφοδρα δε λυσιτελους*. Ceterum non in Lexicis solum recepta est haec vocabuli *ἀπεφθος* interpretatio, sed et plurium graece doctissimorum virorum auctoritate firmata, inter quos Jungermannus ad Polluc.

Tradit Savotus, aurum ope aquae fortis ab argento separandi modum veteribus plane fuisse ignotum, neque novisse eos aliam rationem, qua aurum purum impetrarent, nisi destruerent admixtum argentum. Cum tamen ipsae auri veteris reliquiae magna copia superstites certum praebeant testimonium, veteres orbis incolas auro purissimo abundasse, hanc ille copiam tribuit auro natura sua puro, seu virgineo, quod liberaliter suppeditarunt sive fodinae, sive fluviorum arenae. Haec Savotus [y]). At enim haec viri praestantis dictata, quae vereor, ut secundum omnes partes virorum nostrae aetatis artis metallurgicae peritorum suffragia ferant, sive adprobare, sive refellere, neque mei instituti est, neque mearum virium. Mearum tantum est partium commemorare, partem numorum aureorum veterum, eamque longe maximam, ex purissimo auro constare, quod hactenus factum, partem ex auro mixto, quod deinceps exequemur.

Aurum impurum est, seu natura, seu nostro arbitrio, admixto, ut libuit, alterius generis metallo. Ex utroquo modo conficitur *electrum*, de quo, quia revera exstant numi veteres electrei, explicatius agendum. Plinius agens de auro, cui natura argentum vario pondere immiscuit, continuo addit [z]): *Vbicunque quinta argenti portio est, electrum vocatur. - - - Fit et cura electrum argento addito.* Et alibi idem [a]): *Juvat argentum auro confundere, ut electra fiant.* Clarius electri naturam explicavit Isidorus [b]): Electri *tria sunt genera, unum, quod ex pini arboribus fluit, quod succinum dicitur,* notum resinae genus, sed quod huc non pertinet, *alterum metallum, quod naturaliter invenitur, et in pretio habetur, tertium, quod fit de tribus partibus auri et argenti una, quas partes, etiam si naturam resolvas, invenies. Vnde et nihil interest, natum sit, an factum, utrumque enim ejusdem naturae est.* Nativi deinde electri virtutem ad deprehendendum in calice venenum depraedicat, quod jam praestitit etiam Plinius [c]), aliique, quos ad hunc locum citat Harduinus, apud quem, ut et apud Rinckium [d]), et Spanhemium [e]) plura reperies, quae de metalli hujus natura ac pretio prodiderunt veteres.

Ex hoc electro signatos olim fuisse numos, testem habemus Lampridium de Alexandro Severo in hujus vita haec perhibentem: *Alexandri habitu numos plurimos figuravit, et quidem electreos aliquantos, sed plurimos tamen aureos.* Cum dicat: *plurimos,* et tamen ex his plurimis ne unus quidem ad nos pervenerit, permissum mihi puto, hanc Lampridii narrationem in dubium vocare. Ad haec nullum potest adferri exemplum aliud, imperatoris cujuspiam jussu numos cum exteri regis fuisse effigie cusos. Missa igitur Lam-

III. 87. Non coctus, sive crudus graece dicitur ἀνεψητος, ἀνεφθος, quod, etsi lexicis ignotum, tamen legitur in Geoponic. X. c. 67. et ap. Xenocr. de aliment. in Fabricii Bibl. gr. vol. IX. p. 465., ubi sive librarii, sive typothetae errore excusum est ἀνευθοι pro ἀνεφθοι.

y) Part. II. c. IX. z) L. XXXIII. §. 23. a) L. IX. § 65. b) L. XVI. c. 23. c) l. c. d) de vet. num. pot. c. XI § 7. e) Césars de Julien p. 18. 19.

pridii auctoritate numos ipsos nobis superstites inspiciamus. Ex electro sunt numi plerique regum Bospori Cimmerii, ut et ii, qui vulgo Panormitanis tribuuntur, typo equi stantis vel palmae. Ex Syracusanis electrei sunt minuti illi, qui una parte caput Apollinis, altera lyram, vel tripodem exhibent, alius maximi moduli Sides Pamphyliae, quam vide, non pauci postremorum orientis imperatorum, praecipue gentis Comnenae. Numi item III. formae, qui Gallici putantur, multique barbari ejus generis, qui in Dacia reperiuntur. Addit Jobertus numos regum in Italia Gothorum[f]). En tibi justum numorum ex hoc metallo numerum. Reliquum examen iterum in me non recipio, sintne numi electrei signati propterea, quia, ut supra dixi, aurum ab argento separare non noverunt veteres, an ex proposito aliqua argenti portio auro fuerit sociata. Verisimile est, a nonnullis populis, praecipue qui artis metallurgicae minus periti fuere, ad signandam pecuniam adhibitum aurum, quale ex fodinis fuit erutum, sive purum, sive quomodocunque mixtum. A nonnullis tamen etiam aliquid datum fuisse instituto, colligo ex numis Syracusanorum, qui, etsi numos sive autonomos, sive suorum regum praefectorumque ex purissimo auro cuderunt, tamen numis nonnullis, v. g. Apollineis, quos modo memoravi, nonnisi electrum admensi sunt.

Fueritne praeter argentum monetae veteri aureae aliqua alia vilioris metalli portio admixta, non moror, cum causa instituti nostri sufficiat novisse, numos aureos generatim ex auro optimo fuisse signatos. De Alexio Comneno refert Zonaras, eum in expensas monetam ex aequalibus auri aut aeris partibus mixtam adsignavisse.

ARGENTVM.

Agemus primum de argento Graecorum, deinde Romanorum.

Graecorum monetam inde, ex quo feriri coepit, fuisse tantum argenteam, rarissimis tum adhuc aureis, obiter diximus capite I., et infra prolixius docebimus capite VIII. Graecos argenteos, quo sunt antiquiores, tanto esse argenti probioris, magisque nitidi, ipsa docet experientia, neque hactenus a numis ipsis, quos remotissimum aevum nobis non invidit, confirmari vidi, quod teste Demosthene adfirmavit Solon legislator, esse civitates non paucas, quae propalam aes vel plumbum monetae argenteae admisceant, et sic eam adulterent[g]), nisi forte hoc nomine intellexerit numos pelliculatos, de quibus alibi. Et vero diu haec in numis Graecis sive regum, sive urbium argenti probitas duravit. Soli Syriae reges eam maturius corruperunt; nam postremorum regum argentei cum praecedentium numis comparati pejoris esse notae facile convincuntur. Caesaribus orbis imperio potitis aut cessavere urbes Graecae ferire argentum, aut illud ignobile reddiderunt admixta metalli vilioris parte. Non tamen istud factum repente. Extant enim usque ad Hadrianum Antiochiae Syriae numi ex argento purissimo, et ejusdem praestantiae sunt numi inscri-

f) T. I. p. 96. g) adv. Timocrat. p. 805.

pti *ΕΤΟΥΣ. ΝΕΟΥ. ΙΕΡΟΥ* imperantibus Flaviis potissimum signati, multa etiam tetradrachma, didrachma, drachmae per varias Graeciae Asiaticae urbes, sed suppresso earum nomine, potissimum cum Trajani capite percussae. Amisus Ponti sub Hadriani fere tantum imperio copiosas ex argento nitido drachmas emisit. Contra ex argento minus puro sunt numi imperatorii Caesareae Cappadociae, Tarsi etc. tum et tetradrachma regum Parthorum, ac pleraque tetradrachma Antiochena inde a Severo, raris probe argenteis, in plerisque sic mixto argento, ut denique vix aliquod nobilis hujus metalli indicium appareat. At maxima perversitas in numis imperatorum in Aegypto signatis, quos Alexandrinos vocamus, quorum, etsi copiosum sit agmen, paucissimos habemus, qui ab argenti bonitate sese commendent, jam inde a Claudio aliqua aeris parte admixta, ac paullatim, ut de Antiochenis diximus, in aes desinente argento. Quod vero maxime mihi mirandum visum, est, quod in hac Antiochenorum numorum classe praeter numos ex vitioso argento signatos, eosque ordinarios, reperias etiam numos cum ejusdem imperantis imagine, qui ex probo sunt argento. Exemplo in moneta Antiochena sunto numi Philipporum. Quaeso, an usque eo coecutivit populus Antiochenus, (idem de Alexandrino etiam dici potest) ut perinde putaret, an purum sibi, an impurum argentum quaestor porrigeret? An ferri arbitraria haec mixtio poterat? an etiam populus ad acceptandos numos sic vitiatos a magistratibus adigi sine gravissima mutui commercii perturbatione, et certissimo reip. damno?

Quoniam incolumi Graecia, aut saltem nondum magnopere attrita maxima pecuniae pars fuit argentea, fecit consuetudo, ut opes quaecunque, atque ipsum etiam aurum ad argenti modum aestimarentur. Sic cum Diodorus Siculus repertam ab Alexandro M. Persepoli auri vim enarrat, ait, illud fuisse talentorum centum viginti millium, scilicet *εἰς ἀργυριον λογον ἀγομενον του χρυσιου, auro ad argenti valorem redacto.* [h]) Vide apud eundem aliud adfine exemplum [i]).

Romanorum in moneta argentum varias est vices passum. Ex quo numorum esse materia senatusconsulto coepit, nimirum inde ab anno V. C. 475., fuit purum, etsi nunquam, contra quam apud Graecos fuit, purissimum, quod instituto in numis consularibus examine fuisse compertum, tradit Jobertus [k]). Livium Drusum in tribunatu plebis octavam partem aeris argento miscuisse, tradidit Plinius [l]), idemque alibi [m]), Antonium Illyirum argento ferrum illigasse. Vtrumque testimonium experientia numorum confirmatum nondum est, forte a pravis animis repertum, et libenter creditum, quia in homines publice exosos conjectum erat. Ab Augusto usque ad Severi imperium argenti probitas utcunque constitit, sed sub hoc multum defecit. Caracalla

---

h) L. XVII. c. 71. i) L. XX. c. 79. k) Tom. I. p. 40. l) L. XXXIII. § 13. m) L. XXXIII. § 46.

novum monetae argenteae genus invenit, majore illud quidem modulo, sed argento deteriore, quod adcuratius descriptum dabo in numis hujus Augusti, non tamen propterea veteris instituti numos ferire neglexit, uti neque proximi successores dempto Alexandro Severo, qui hanc novae formae monetam abjecit quidem, sed veteris formae argteneos sic corrupit, ut, etsi pondere a veteribus non differrent, tamen nonnisi tertiam argenti portionem in iis inesse expertus sit Savotus [n]). Sub Gordiano, maxima monetae argenteae pars Caracallae institutum sequitur, ac deinceps quoque. Imperante Gallieno ejus facies tristissima. Ex quinque partibus fuisse quatuor admixti aeris, profitetur Bimardus [o]), quod mixtionis genus Galli *billon* vocant, *aerosos* Latini [p]), et forte etiam *incoctiles* cum Plinio [q]), additque, quod expertus et ipse sum, a Claudio Gothico usque ad Diocletianum sic exulare argentum, ut nonnisi rarissimi sint numi argentei, iique impuri, a mediis inter utrumque imperantibus signati. Interim cum detraheretur monetae argentum, placuit tamen nobilis hujus metalli saltem color. Magnam enim numorum aeneorum partem involverunt stanni lamina tam tenui, quam aranearum tela esse potest, eosque sic opertos malleo subjecerunt, quo factum, ut colore vel argentum mentiantur, vel si pluribus locis abstitit stannum, tralucente cupro speciem praeferant, tanquam argenti pulvere essent conspersi. Numos hoc modo fabricatos, solis Romanis cognito, atque hoc tantum aevo, habemus inde a Claudio Gothico per proximos successores, desiverunt sub Diocletiano, primisque ejus collegis, nimirum tum, cum antiquatis his mendaciis ex argento puro ferire monetam instituit Diocletianus. Quare id genus numi vix amplius reperiuntur in moneta Constantii Chlori, Maximini, Maxentii etc. Fucatos hos numos Galli appellant *médailles saucées*, id est: *numos tinctos*, improprie istud, neque enim inducto stanno liquefacto hunc nacti sunt colorem, sed malleo percussi ea ratione, quo istud factum dixi. Argentum ergo purum revocavit Diocletianus, illudque constanter deinceps retentum fuit, ita tamen, ut sub imperatoribus orientis major feriretur aureorum numerus, quam argenteorum.

Observandum adhuc vocabulum *Potin* Gallis antiquariis in veteris monetae causa valde familiare. Savoto metallum istud compositum est ex cupro, orichalco, (*laiton*) plumbo, et pauco stanno, vocaturque *potin*, sive aes ollarium, quia ollae (*pots*) ex hac mixtione confici solent. Ergo ex Savoti judicio huic metallo argentum admixtum non est. Tamen Jobertus materiam, ex qua numi argentei impuri constant, passim ait *potin* vocari, *on l'appelle communement potin* [s]). Quod quidem displicuit, ac forte non injuria, Rinckio [t]), aliisque, quia secundum Savotum metallum, quod *potin* dicitur, argentum non continet. Bimardus ad cita-

n) P. II. c. 12. o) ad Job. T. I. p. 60. p) Leg. 102. D. de solution. q) L. XXXIV. § 43. r) P. II. c. 17. s) Tom. I. p. 42. t) cap. VII. p. 53.

tum Joberti locum nomen *potin* non respuit, sed adserit, veteres in fabricandis numis materiae, quae *potin* dicitur, addidisse circiter quintam partem argenti. Sin istud, mixtio haec ex Gallorum lingua *potin* amplius non est, et non satis video, cur ad indicandos numos ex argento impuro non perrexerint Galli uti vetere nomine *billon*, quo modica argenti portio aeri addita notatur. Sed nolo persequi litem de nomine, cum videam, recentissime id genus numos a Pellerinio quoque vocari *potin*[u]).

Jure hoc loco quaeri potest, quae causa fuerit, cur Romae moneta argentea sive paullatim in pejus ruerit, sive plurium annorum intervallo plane feriri desiverit, cum tamen interea moneta aurea non modo semper esset illibata, sed et in ea feriunda nunquam cessaret malleus. Conjicit Bimardus[x]), factum istud forte propterea, quia magna pars pecuniae, quae fisco principis debebatur, in auro numerari consuevit. Sane multa tributa, sive imperata, sive, ut vocant, gratuita a solo auro nomen esse sortita, ut: *aurum vicesimarium, aurum coronarium, aurum lustrale etc.* Ergo principis intererat, auri probitatem non corrumpi. Contra cum princeps in faciendis sumptibus moneta argentea, vel aenea uteretur, quanto plus argento vel aeri sive probitate, sive pondere decessit, tanto plus fisco accessisse lucri, quia secutum istud metalli detrimentum valorem non mutavit, et quia minore auri portione comparari aeris massa potuit, ex qua cuderetur moneta aenea, quae stanneae pelliculae, ut supra diximus, involuta numi argentei valorem haberet. Remedium istud, utut imperio denique perniciosum, necessitate fuisse advocatum, cum non haberent principes, quo stipendia solverent. Haec Bimardi conjectura sitne vera sive secundum omnes causas, sive aliqua sui parte, ignoro, neque mearum esse virium intelligo, eam aut approbare aut abjicere. Commemorandam tamen duxi, ut in mea inopia avidum lectorem ex alieno ingenio pascam. Constitutio Arcadii et Honorii[y]) Bimardi conjecturae non magnopere favet: *Jubemus, ut pro argenti summa, quam quis thesauris fuerat illaturus, inferendi auri accipiat facultatem, ita ut pro singulis libris argenti quinos solidos inferat.* Adde narrantem Zonaram, Alexium Comnenum nonnisi auream monetam ex vectigalibus collectam fisco intulisse, et in expensas monetam aeream, vel ex aequalibus auri et aeris partibus mixtam adsignavisse. Si idem placitum jam fuisset imperatoribus praecedentibus, necesse non fuisset, istud de uno Alexio commemorare.

A E S.

Numi ex aere Cyprio tam Graecorum, quam Romanorum, sive cupro puro constent, sive varie mixto, *aenei* vel *aerei* in arte nostra solent vocari, a Gallis *bronze*, ab Italis *rame*, nulla habita ratione, quot partes materiae heterogeneae cupro sint admistae, quo fit, ut numi hujus classis collecti multum inter se

u) Mél. I. pag. 225. x) ad Jobert. p. 61. y) Cod. Just. L. X. tit. 76.

colore differant, aliis rufis, flavis aliis, aliis colore inter utrumque mixto. Nos, qui numos veteres cum plerisque aliis ex solo fere tantum fructu, quem in philologiam conferunt, metimur, variam hujus metalli mixtionem chymicis relinquimus, numosque nullo discrimine omnes, quomodocunque sive puros, sive compositos, *aeneos* appellamus. Qui magis in hac parte instrui cupiet, adeat insigne opus Ludovici Savot, qui institutis multis, quae ars metallurgica praestat, experimentis veteris monetae aeneae naturam penitus exploravit, et descripsit [z]). De unis numis, quos multi ex aere Corinthio confectos dixerunt, aliquid necesse video hoc loco commemorare.

Si Plinium audimus, *aes Corinthium* casus conflavit. Aes istud, inquit [a]), *casus miscuit, Corintho, cum caperetur, incensa.* Latius Florus de Corinthi agens exitio [b]): *Quantas opes et cremaverit, hinc scias, quod quidquid Corinthii aeris toto orbe laudatur, incendio superfuisse comperimus. Nam et aeris notam pretiosiorem ipsa opulentissimae urbis fecit injuria, quia incendio permixtis plurimis statuis atque simulacris, aeris, auri, argentique venae in commune fluxere.* Vide similia apud Orosium [c]), Petronium [d]), Isidorum [e]). Sed enim hanc Corinthii aeris originem in fabulis putat Plutarchus [f]), et ipse Plinius manifeste docuit [g]), jam ante Corinthi excidium elaborata fuisse a praeclaris fictoribus signa ex pulcherrimo hoc metallo, quod aes Corinthium dicitur. Indubitatum adeo, illustrem hanc, ac a veteribus tot laudibus celebratam metallorum mixtionem, quae propria fuit aeris Corinthii natura, ab arte profectam.

Quidquid erit, ad nostrum institutum istud unum pertinet nosse, fuerintne unquam ex aere, quod Corinthium vocabatur, signati numi. Primus forte fuit Aeneas Vicus, qui istud adfirmavit [h]), cujus deinde dictata cupide amplexi sunt alii. Teste Savoto numi, qui ex aere Corinthio conflati creduntur, sunt ex aere inaurato [i]). Sed jam peritiorum vix aliquis huic sententiae fidem adhibet. Veteres enim, qui aeris Corinthii meminere, illud quidem in signa, vasa, tripodes, candelabra, paropsides etc. impensum tradidere, at in monetam nemo omnium. Praeterea instituto in similibus numis experimento compertum est, ne minimam quidem auri partem iis esse immixtam. Vide de his plura apud Savotum [k]), Jobertum [l]), ejusque censorem Bimardum [m]).

Ceterum quaecunque sit numorum aeneorum, spectato metallo ignobilitas, atque ut iidem dicantur Martiali *nigrae sordes monetae* [n]), plurimum tamen nos, qui scientiam, non metalli nobilitatem spectamus, illis obstrictos profitemur, quia maxima monetae veteris pars aenea tota est, et inde ab Augustorum aetate in Graecia, et generatim extra urbem fere unica.

---

z) Num. ant. P. II. c. 17. a) L. XXXIV. § 3. b) L. II. c. 16. c) L. V. c. 3. d) Satyr. c. 50. e) L. XVI. c. 19. f) de Pyth. orac. sub init. g) l. c. h) Discorso sopr. le med. L. I. c. 7. i) l. c. P. I. c. 2. fin. et P. IV. c. 8. k) l. c. P. II. c. 17. l) T. I. p. 43. m) Ibid. p. 62. n) L. I. ep. 100.

CAPVT VIII.

De vario veterum triplicis metalli ad monetae negotium delectu.

Articulo praecedente diversam triplicis metalli probitatem peregimus. At modo, quod populis, urbibus, regibus varia aetate ad feriundam monetam probatum fuerit metallum, obiter intueamur. Neque enim omnis populus, urbs, regnum omni aetate, aut eodem tempore triplex metallum in numos formavit, sed, ut patebit, vario usi sunt in ejus delectu instituto. Prava hac in causa judicia, quae in plurium insignium virorum operibus propagata reperias, hanc quoque disquisitionem jure imperare videntur.

Adfirmare non dubitavit insignis Jobertus, reges et urbes Graecas diu ante urbem conditam perelegantes ex triplice metallo numos cudisse [o]). Magis diserte Passerius, antiquissimam ubique semper fuisse monetam aeneam [p]). At enim omnes rei monetariae veteris causas penitius rimanti facile patebit, antiquissima aetate urbibus Graecis non fuisse monetam, nisi argenteam, rarius auream, at urbibus Italicis nonnisi aeneam.

Atque hanc ego sententiam antequam probatum eam, quaedam necessario video esse praemonenda. Antiquissimam aetatem cum dico, intelligo eam, quae a primo rei monetariae exordio usque ad vicina Philippo II. Macedoni tempora fluxit. Cum urbes Graecas nomino, non modo Graeciam propriam intelligo, sed et urbes omnes Graecae originis per tres orbis cogniti partes sparsas, ne quidem demptis Cyrene Africae, Massilia Galliae, Emporiis et Rhoda Hispaniae. Cum urbes Italicas dico, Italiam intelligo mediam, Romam cum Latio et adjacentibus regionibus, tum Etruriam, Vmbriamque, nam Italia superior Gallis habitata numorum fere sterilis semper fuit, inferior dempto Samnio fere tantum urbes Graecae prosapiae complexa est. Denique monendum adhuc, criteria numorum remotae antiquitatis consistere in ratione picturae, in modo inscriptionis, et literarum forma, in concavo partis aversae, sive quadratum informe illud sit, sive certus quidam typus, inque aliis causis, quas nunc προληπτικως paucis attigisse satis fuerit, sed olim copiosius persequemur.

His, ut oportebat, praemissis, nullum ajo exstare monetae Graecae numum aeneum, qui ex similibus causis longam praeferret senectam, et si quis forte alicubi repertus est, vereor magnopere, ne amissa argenti bracteola, cujus ope argentum olim est mentitus, aeneus evaserit, nam vetustam eam fuisse fraudem, alibi docebimus. Inspice, si lubet, longum monetae aeneae Syracusanae agmen, in qua nullum sane reperias numum, qui sive inscriptione SVRA. pro *ΣΥΡΑ.*, sive picturae ratione vetustissimo tantum aevo propria, remota sibi tempora possit vin-

---

o) Tom. I. p. 5. p) Paralip. ad Dempst. p. 157.

dicare; omnes, qui hac sunt indole, argentei sunt etiam. Eodem modulo metire monetam Tarenti, Rhegii, Athenarum, et aliarum, quascunque velis, urbium Graecarum. Deinde sententiam meam invicte stabiliunt numi urbium partim earum, quae serius eversae fuere, partim earum, quae aliud sibi nomen indiderunt, sed quarum tamen cum utroque nomine numos habemus superstites. Naxus Siciliae a Dionysio seniore eversa V. C. 351. nullos nobis reliquit numos aeneos, argenteos omnes, et magno quidem numero. Atqui si vetustissima urbium moneta fuisset aenea, contrarium potius debuerat accidere. Ergo Naxus citius esse desiit, quam moneta aenea per urbes Graecas valere coepit. Eodem modo Cauloniae per Pyrrhi bellum dirutae non habemus nisi argenteos, eosque omnes operis pervetus aevum testantis, aeneum nullum. Fuit Sybaris urbs Lucaniae clara, et numorum antiquissimae fabricae fertilis. Eversa a Crotoniatis V. C. 243. instaurata denuo a Graecis circa annum V. C. 310. partim ex vetere nomine Sybaris, partim Thurium dici coepit, et deinceps perrexit aliquamdiu utroque nomine ferire numos, donec Sybaris nomen plane esset abolitum. Necesse est ergo, qui numi Sybaris nomen inscriptum habent, hujus urbis esse antiquissimos. Atqui certum aeneum cum mentione Sybaris nullum hactenus reperi, posterioris Thurii cum argenteos, tum aeneos. Zancle Siciliae expugnata a Messeniis Peloponnesi circa annum V. C. 273. Messana a novis incolis coepit appellari. Jam vero et Zancles nomine nullum habemus numum, nisi argenteum. Ex eodem metallo sunt numi omnes Messanae nomine inscripti, quicunque certos habent remotioris aevi characteres, at quicunque artem recentiorem produnt, partim argentei sunt, partim aenei. Eadem urbs a Campanis circa annum V. C. 475. occupata, pro Messana aliquanto post Mamertina, seu Mamertinorum dici coepit, ac continuo, rariore jam tum per Graecas urbes argento, numos omnes Mamertinorum nomine notatos habemus aeneos, nullum certae fidei argenteum. En ab his exemplis monetam Graecorum, perinde ac saecula, a metallo nobiliore ad ignobile prolapsam, non contra. Sed ne solis Graeciae magnae, vel Siciliae exemplis inhaereamus, etiam Graeciae propriae institutum inspiciamus. Praecipuum ad causam meam argumentum dabunt clarissimae Hellados Athenae. Vetustissimam earum monetam fuisse argenteam, praeterquam quod istud ejus fabrica manifeste docet, ab ipso etiam Atheniensium plebisscito erudimur. Nam cum circa annum V. C. 340. induci coepisset moneta aenea, paullo post ejus usus fuit antiquatus, nunciante praecone: *ἀϱγυϱῳ γαϱ χϱωμεϑα*, *argentio enim utimur*, de quo vide plura in numis Athenarum. Eodem modo perlustra numos urbium Asiae, insularum, ac Cretae praesertim, quos omnes, si modo ex certis causis remotiori aevo debebuntur, non reperies, nisi argenteos. Dici nequit, aes adversus aeruginem non satis validum tantum aetatem ferre non potuisse. Etenim urbium Italicarum antiquissimos habemus aeneos, et quod saepe factum, numi aenei vernice, ut aimus, operti quamcunque aetatem ferunt.

Ab urbium numis ad regios deflectamus, iis in judicium vocatis, qui ante Philippi II. regnum signati sunt, nam inde ab hoc omnium fere regum numos habemus aeneos quoque. Habemus ante istud tempus cognitos ex numis reges Macedoniae, Siciliae, Cariae, Cypri. Omnes vere horum numos esse argenteos, aeneos vero, qui iis tribui solent, aut regibus, quorum nomina inscribuntur, non esse synchronos, aut ad posteriores ejus nominis reges pertinere, aut esse incertos, aut dubiae fidei, nolo hic longius disputare, quia haec omnia peti possunt ex eorundem regum numis, in quorum enarratione singula haec capita adcurate enucleabuntur.

Dixi principio, in antiquissima Graecorum moneta etiam auream putandam. Revera ex hoc metallo exstant numi antiquissimi, sed urbium tantum, nam aureum regium, qui Philippum II. praeverteret, demptis Persarum Daricis, non novi. Exempla aureorum omnibus canae vetustatis notis insignium habes apud Pellerinium[q]), tum quae sparsim per opus suum recitavit, ut in moneta Cyzici, Pergami etc., quae exempla, etsi rara sunt, et paucissimarum tantum urbium, satis tamen valent ad comprobandam monetae aureae antiquitatem. Teste Herodoto[r]) jam Polycrates Sami tyrannus numos aureos signavit, magnam vim monetae patriae e plumbo feriens (ἐπιχωϱιον νόμισμα κοψας), eamque auro obducens Lacedaemoniis obtulit, etsi ipse auctor facto huic fidem non adstruat. Fuit Polycrates aequalis Cambysis, floruitque annis ante Christum D. et amplius.

Altero loco dixi, antiquissimos urbium Italicarum numos non fuisse nisi aeneos, quod quidem argumentorum agmine comprobare necesse non est, cum nemo, opinor, sit, qui istud in dubium vocet, et cui cogniti non sint Italicarum urbium asses aut ejus partes remotissimis temporibus fusi. Paucae in hoc tractu urbes argentum in monetam conflarunt, neque praeter Populoniam et Faliscos aliam novi, illa haud dubie commercii cum Graecis causa, quia maritima, Falisci, quia ipsi origine Graeci etiam in hoc Graecorum institutum servarunt. Romanorum monetam antiquissimam fuisse aeneam cum scriptores veteres omnes, tum et numi ipsi docent, et docebimus liberaliter in prolegomenis ad numos consulares. Quapropter de Italica tantum moneta intelligendum est, quod dixit Isidorus[s]): *Antiquissimi, nondum auro argentoque invento, aere utebantur. Nam prius aerea pecunia in usu hominum fuit, post argentea, deinde aurea subsecuta, sed ab ea, qua coepit, nomen retinuit. Vnde et* aerarium *dictum, quia prius aes tantum in usu fuit, et ipsum solum recondebatur, auro argentoque nondum signato, ex quorum metallis quamvis postea facta fuisset pecunia, nomen tamen aerarii permansit ab eo metallo, unde initium sumpsit.* De eadem Italica intelligendus est locutus D. Augustinus, cum ait[t]): cur habendus honor *deo Aesculano et filio ejus Argentino, ut habeant aeream argenteamque pecu-*

q) Rec. III. tab. 115. r) L. III. c. 56. s) Orig. L. XVI. c. 17. t) de civit. Dei L. IV. c. 21.

niam? nam ideo patrem Argentini Aesculanum posuerunt, quia prius aerea pecunia in usu esse coepit, post argentea. Additque lepide: *miror autem, quod Argentinus non genuit Aurinum, quia et aurea subsecuta est, quem deum isti si haberent, sicut Saturno Jovem, ita et patri Argentino et avo Aesculano Aurinum praeponerent.*

Quaeri hoc loco potest, utrum constet de certa aliqua causa, cur Graeci ab argento et auro, Itali ab aere rem monetariam auspicarentur, alteris argentum et aurum, alteris aes unam mercis rationem haberet. Ajo, de solo mihi utriusque gentis constare instituto, non tamen de certa causa. Et vero non paucis Graeciae populis ipsa loci natura argentum in monetam liberaliter praeparavit. Ejus copiam reperere Athenienses in fodinis suis Laureoticis, Thasii in Scaptesyla, Damasteni Epiri in vicino tractu. Argento igitur in monetae usum a populis locupletioribus antiquitus constituto, alii quoque partum commerciis argentum incudi commiserunt. Atqui turpe Graecis fuisse visum, a moneta argentea ad aeneam transire, memoratum supra Atheniensium exemplum affatim docet, a quibus invecta recens moneta aenea paullo post iterum fuit abrogata. Alibi causae civiles fecerunt, ut metallum ignobile in monetam praeferretur. Apud Spartanos Lycurgus, ut privatorum luxum, ambitionem, potentiam, magna in liberis civitatibus pericula averteret, antiquata moneta aurea atque argentea ferreae usum instituit, quod tradidere scriptores copiosi alibi a nobis citati. Ac forte Italiae civitates eadem cum Lycurgo pericula veritae in moneta aenea acquievere, atque ipse etiam Servius Tullius, monetae Romanae auctor vulgo creditus. Quod deinde civitatibus evenire solet, quae non contentae aviti agri finibus foras cupiditatem evagari patiuntur, ut, non sufficiente ad meditatos sumptus aere, nobiliorem, ac propterea magis validam cogantur monetam auxilio vocare, istud Spartanis, Romanisque evenisse comperimus. Illi instituti, quod a Lycurgo acceperant, in speciem tenaces a feriundo tum quidem argento abstinuerunt, sed tantam per bella externa auri, argentique signati vim thesauro publico intulerunt, quantam teste Platone per reliquam Graeciam reperire non fuit. Romani nulla lege adstricti, liberaliore deinde per Pyrrhi bellum cum civitatibus Graecis commercio juncti, assuescere etiam monetae argenteae coepere, cumque paullatim regionibus transmarinis inhiarent, ex argento etiam ferire numos ad propositum suum magis valituros.

Graeci primum regum Alexandri successorum, deinde Romanorum bellis attriti impellente penuria aes etiam in monetae consortium admittere sunt coacti. Sed est verisimile, a plerisque civitatibus in monetae consortium vocatum etiam aes causa usus commodioris, cum leviores sumptus in foro rerum venalium faciendi essent, ad quem finem in argento obtinendum necesse fuit tam tenues, levisque ponderis ferire numos, ut tractati e digitis facile elaberentur, et saepe elapsi reperiri amplius non possent, cujusmodi numos obvios habemus in moneta Attica, et magnae Graeciae. Enimvero existimo,

tam frequens in minutissimo argento jacturae non modo periculum, sed jacturam ipsam in causa fuisse, cur exsisterent Athenis jam antiquitus oratores, qui monetae aeneae usum suasere, de quo agemus late in moneta Attica. Denique Romanorum jugum perferre jussi Graeci aut nullos amplius signavere numos, aut maximam partem nonnisi aeneos, argento nonnisi paucissimis permisso. Aureos imperatorios, eosque rarissimos non habemus nisi Caesareae Cappadociae, et Gabalae Syriae.

CAPVT IX.

De pondere ac valore monetae veteris.

Numis veteribus cujuscunque metalli certum fuisse publice praescriptum pondus, et a pondere suum illis stetisse valorem, adeo verum est, ut, si comprobare vellem, actam videar rem agere velle. Sed quae fuerit ponderis veterum natura atque conditio, en tibi materiam vastam, et si qua alia salebrosam, inde ex quo renatae sunt literae, magna contentione disputatam a viris summi ingenii et eruditionis, Agricola, Budaeo, Hotomanno, Jos. Scaligero, Camerario, Snellio, Gronovio, ut praeteream eorum, qui hos secuti sunt, commentarios. Si ex horum laboribus indefessis vigiliisque istud obtinuimus, quod in rebus multis ad hoc argumentum spectantibus multo magis expeditam habemus rationem, saepe etiam manifestam et evidentem, at fatendum est etiam, multa esse adhuc in hac causa dubia atque incerta, multa Cimmeriis adhuc noctibus involuta, quod satis ex eruditorum, quos citavi, litibus atque dissidiis apparet.

Difficultates, quae hanc causam circumstant, multiplicis sunt generis, ac tantae, quas nullum vel ingenium, vel tempus posse amoliri cordatus quisque facile mecum intelliget. En earum praecipua nonnulla capita. Multi auctores veteres, qui de pondere ac valore scripsere, quorumque nos auctoritati tribuere multum solemus, aut in transcursu tantum hanc causam attigerunt, aut, etiam cum ex proposito eam tractare sunt aggressi, rationem nobis mire confusam impeditamque reliquere. Plinius, qui causas monetae Romanae inde ab ejus exordio enarravit, tam ambigua istud, impeditaque oratione peregit, ut, qui verum ejus sensum elicere sunt conati, plerique nihil adferrent, quod non alii reprobandum ducerent. Livius, qui magnam historiae partem ex aliorum commentariis conscripsit, tam saepe miras ponderis, valoris, appellationum rationes contulit, ut satis appareat, eum scientiae hujus vel fuisse rudiorem, vel operae pretium non putasse, magnam ad hoc examen ἀκρίβειαν conferre. Enimvero quod de monetae Atticae valore scripsit[u]), imperite hercle, si scriptorum omnium consensum, atque

u) L. XXXIV. c. 52.

ipsam etiam experientiam contendas, diffidere praestantissimi auctoris in hac causa testimoniis jubet. Non leve etiam malum, quod auctores veteres pondus ac valorem saepe non perscripserunt, sed notis arithmeticis indicarunt tantum, quas deinde non intellectas rudes librarii turpiter corrupere. Alias ars critica, ut oportuit, restituit feliciter, aliis alii formam dedere, qua suam oportunius juvari sententiam viderunt. Accedit grammaticorum inferioris aevi mira sive ignorantia, sive perversitas, quando, non servato temporum discrimine, vetera monetae vocabula, denarios, sestertios, asses etc. aetatis suae monetae applicant, quae tamen spectato sive pondere, sive valore nihil jam cum antiquata illa habuit commune. Quam tum licentiam fuisse communem, et promiscuam, ex eo patet, quod Justiniano etiam singulari constitutione reprimenda visa fuit, in qua legimus [x]): *Verba superflua, quae in donationibus poni solebant, scilicet sestertii, numi unius, assium quatuor, penitus esse rejicienda censemus. Quid enim verbis opus est, quae rerum effectus nullus sequitur?* Accedit etiam, quod pondera in singulis fere civitatibus fuere varia, neque illa a scriptoribus, parum in hac parte plerumque religiosis, ut oportuerat, discreta, ac denique, quod ad definiendum numorum valorem unum ex praecipuis est, quod ignoramus, quae quavis aetate fuerit auri ad argentum, hujusque ad aes ratio, quae, ut hodie, sic olim quoque, varia fuit. Herodoti aetate fuit aurum ad argentum, ut 1. ad 13. [y]), Platonis, ut 1. ad 12. [z]), Menandri poetae, cujus testimonium citat Pollux [a]), ut 1. ad 10. Apud Romanos initio fuisse ut 1. ad 15., at brevi post majore copia auri Romam translata ad imitationem Graecorum fuisse ut 1. ad 10. existimat Gronovius [b]). Posteriorem hanc rationem colligunt eruditi ex pacis legibus cum Aetolis initae, perhibente Livio [c]): *Pro argento si aurum dare mallent, darent, convenit, dum pro argenteis decem aureus unus valeret.* Praeeunte Suetonio [d]) visum nonnullis, per Julii Caesaris in provinciis rapinas adeo viluisse aurum, ut esset ad argentum, ut 1. ad 9., quin secundum alios, ut 1. ad $7\frac{1}{2}$. Vide Arbuthnotium [e]). Sed Cl. Dupuy Gallus Gronovii dictata refellens adserit, fuisse apud Romanos auri ad argentum rationem fere duodecuplam [f]).

Ac veterum quidem artis magistrorum, quos supra memoravi, Budaei, Hotomanni etc. tanto magis incerta, fluctuansque debuit esse doctrina, quod unis fulti veterum testimoniis, tam saepe, ut diximus, vagis, mendosis, tam perfunctorie prolatis agere rem suam instituerunt, omisso omni numorum ipsorum examine, quorum ipsis justa copia praesto non fuit, sed qui utique, spectato pondere, metallo, ejus varia mixtione, multisque aliis causis, plurima docent, quae auctores veteres ne verbo quidem atti-

x) Cod. L. VIII. tit. 54 l. 37. y) L. III. c. 95. z) in Hipparcho p. 231. a) L. IX. § 76. b) de sesterc. L. III. c. 4. init. c) L. XXXVIII. c. 11. d) J. Caes. c. 54. e) Tab. ant. num. Diss. I. c. 6. f) Bell. Let. T. XXVIII. p. 687. seq.

gere. Istud vero examen, quod ex praecipuis unum erat, fuisse ab iis omissum, uno occupatis eruditionis apparatu, pridem conquesti sunt Eisenschmidius in praeclaro suo commentario de moneta vetere, et Khellius noster[g]). Cautius saeculi nostri philologi, ac praecipue in commentariis suis eruditi Galli audiendos quoque numos in hoc judicio voluerunt, et partim perperam ab illis tradita correxerunt, partim ab ipsa experienta docti novas solidasque leges in hanc scientiae partem invexerunt. Sed etiam in hoc tramite cum multis difficultatibus luctandum fuit, saepe desperato remedio ad conjecturas denique confugiendum. Non enim raro scriptorum testimonia a captis ex moneta experimentis dissident, aut modus defuit, illa cum his conciliandi. E. g. Passim docent veteres, drachmam Atticam cum denario Romanorum ejusdem fuisse ponderis, et valoris; at constat experientia, inter utrumque numum spectato pondere intercessisse discrimen non contemnendum, de quo agemus explicatius in diatriba de numis consularibus. Memorant auctores non pauci numos Atheniensium aureos, Demosthenes stateres aureos Cyzicenos, Thucydides Phocaicos, Plinius Victoriatos argenteos ex Illyrico advectos, sed omnes hos nobis hactenus incompertos. Nihil vero incertius testimoniis illis, quae inferioris aevi scriptores nobis obtrusere. Eruditi non pauci subtiliter explicuerunt numos aureos solidos, semisses, et tremisses, quos ab Alexandro Severo fuisse signatos tradit Lampridius, verum hi aeque nobis sunt ignoti, ac aurei illi, quos ab eodem cum Alexandri M. habitu magno numero fuisse cusos idem refert, aut aurei, quatuor, sex, octo, viginti drachmas adpendentes, quin et bilibres CXC. drachmarum, et adeo centenarios duarum minarum pondere, quos ab Elagabalo fuisse signatos tradidit Lampridius[h]). Quo deinde loco putabimus testimonia Trebellii, aut Vopisci, aeneos nobis denarios, et sestertios propinantium, tum et Philippeos aureos, Philippeos argenteos minutulos, Philippeos aereos, atque etiam trientes Salonianos etc? Vtrum dignam hanc mercem existimabimus, in qua explicanda velimus crisin nostram occupari, quando eam ignorat experientia, nobis vero cognita non est, nisi ex oraculo scriptorum, qui, ut communis fert opinio, ipsam eam historiam, quam scripserunt, ignoravere? Omitto hic Zonaram, Cedrenum, aliosque ejusdem meriti, tum et lexicographorum, et chronographorum gregem, qui veteris monetae pondus ac valorem aut suomet judicio inique, aut ex veterum scriptis male intellectis definivere, a quorum dictatis hausta ex numis ipsis doctrina longissime abit. Atqui si missis scriptorum testimoniis cum solis rem agere numis instituas, quam molestam hi quoque ipsi, impeditamque offerunt rationem! Pondus in aureis non modo mire dispar, sed etiam ejus modi, ut, qui leviores sunt, certam et aequabilem ad graviores rationem non sequantur. Ejus exemplum dabunt aurei Lysimachi, Philippi,

g) Adpendic. II. p. 16. h) in Alex.

Alexandri M., quorum quidem aurei ordinarii pondere sunt satis aequali, at qui his vel graviores multo, vel leviores sunt, incertos nos relinquunt, quo minus veram eorum ad ordinarios rationem possimus definire. Non minor in moneta argentea ponderis varietas. Etsi enim alicubi, v. g. in tetradrachmis Atticis, Thasiorum, Macedonum etc., in didrachmis Velitarum, Tarentinorum, Metapontinorum etc., in drachmis Dyrrhachenorum, Apolloniatarum etc. pondus satis juste congruat, arduam tamen is sibi provinciam imponet, qui volet monetae argenteae, v. g. Syracusanorum, pondere mirum differentis certam secum rationem reperire. Tempora, inquies, esse distinguenda, atque aliis aliud pondus adsignandum. At enim quis noverit haec apte tempora distinguere? Quae deinde ponderis in moneta Romanorum argentea deminutio? Non enim sub sequentibus imperatoribus tanta fuit ponderis in hac aequalitas, quanta sub primis. Refert Plinius[i]), regem Taprobanes, cum in captiva pecunia, quam apud Romanos tempestate in eam insulam compulsos reperit, pares pondere denarios videret, cum diversae imagines indicarent, a pluribus fuisse signatos, admiratum Romanorum justitiam legatos ad Claudium misisse, per quos amicitiam peteret. Minor fuisset regis admiratio, si fortuna eos illuc adegisset aetate imperatorum, qui successere, qua pondus paullatim coepit imminui. Adde monetam argenteam inde a Severo non Romae modo, sed etiam in provinciis, si qua adhuc in his signata fuit, vilioris metalli admixtione pessime corruptam, de quo jam alibi egimus, unde necesse fuit, veterem monetae argenteae cum aenea rationem perverti. Adde, inde a Gallieno veterem monetae aeneae modum plane immutatum, ac deinceps in ea feriunda nullum amplius certum pondus, atque, ut videri possit, mere arbitrarium obtinuisse. Adde denique, cum pondere ipsa etiam monetae vocabula fuisse mutata, quorum significationem magnam partem difficile est definire.

Atque cum his difficultatibus confligendum fuit illis, qui hanc sibi philologiae partem, quae de pondere ac valore monetae veteris agit, enucleandam explicandamque sumpsere, neque adeo mirum, si in veterum dissensu cogerentur dissentire et ipsi, et si quid illi confuse et implexe tradidere, in iis evolvendis nondum nobis hactenus plene satisfecere. Jam vero ad eorum consulendas lucubrationes omnes eos, qui dignum ex molesto labore fructum se consecuturos sperant, sic hortamur, ut permissum nobis putemus, in nostro hoc opere ab implexo hujus argumenti examine abstinere. Cujus equidem propositi facilem merebor veniam, non modo, quod haec aliunde peti possunt, sed etiam quia plerique illi, qui numos veteres comparant, iis fere tantum ad historiae, geographiae, mythologiae, sacrorum profanorumque rituum, et quae sunt id genus alia, cognitionem utuntur, parum soliciti, quod fuerit eorum pondus legitimum, quis eorum valor

i) L. VI. § 24.

sive secum ipsis, sive cum nostrae aetatis moneta comparatus. Quae causa fuit, cur ii, qui artis nostrae praecepta tradidere, aut ad explicanda numorum veterum argumenta incubuere, hanc ejus partem aut penitus negligendam duxerint, aut nonnisi leviter, ac quantum causa postulare est visa, tractaverint. Quin et illustris Baro Bimardus, qui Joberti opus scientiam numismaticam complexum in severum examen vocavit, tantum abfuit, ut doctrinam hanc ab auctore praetermissam aegre ferret, ut propter allatas causas excusaret etiam, neque ejus defectum, quod alibi facere instituit, supplendum existimaret [k]).

Sunt tamen causae, quae argumentum istud penitus a nobis negligi artis ipsius numismaticae ratio vetat. Nam sunt numi non pauci Graeci aeque ac Latini, qui sive pondus, sive valorem aut perscribunt, aut notis indicant. Varios hos modos cum coram proponi praesentis operis institutum plane exigat, necesse erit etiam, ut recte intelligantur, de monetae veteris pondere et valore nonnihil attingere. Dabimus ergo primum catalogum numorum, qui utriusque manifestas notas ostentant, deinde, quae ad earum explicationem servire possunt, in medium proferemus.

Ponderis aut valoris indicia in numis Graecis.

ΔΙΔΡΑΧΜΟΝ, vel *ΔΙΔΡΑΓΜΟΝ* cum capite Neronis, verisimiliter Caesareae Cappadociae signati. Sunt *argentei*, quorum is, qui est in museo Caesareo, appendit paullo plus duabus drachmis Dyrrhachenis. Pembrockianus grana Anglicana 113. Hi numi copiosius describentur in moneta Neronis commatis peregrini, quos vide.

ΔΡΑΧΜΗ. ΕΤ. Ε., pro quo alii legunt *ΔΡΑΓΜΗ. ΕΦΕ.* in numis Neronis. Sunt *argentei*, et teste catalogo Pembrockiano adpendunt grana 59. Vide hos quoque eodem loco latius descriptos.

ΔΙΔΡΑΧΜ. vel *ΔΙΔΡΑΧΜΟΝ* in *aeneis* I. et maximi moduli Rhodiorum, tam autonomis, quam Tiberii et Juliae, Nervae et Trajani. Vide numos Rhodi.

ΔΡΑΧΜΑ in autonomis Byzantiorum *aeneis* III. formae.

ΑCCΑΡΙΑ. ΤΡΙΑ. et *ΔΥΩ.* in *aeneis* autonomis Chiorum, quos vide.

ΑCCΑΡΙΟΝ. in iisdem.

ΑCCΑΡΙΟΝ. ΗΜΙCΥ., vel *ΑCCΑΡΙΝ. ΗΜΥCΥ.* (sic) in iisdem.

ΤΡΙΩΒΟΛΟ. in autonomo *aeneo* Samothraciae, quam vide.

ΟΒΟΛΟΣ. in *aeneis* Metaponti, et Chiorum.

ΗΜΙΟΒЄΛΙΝ. (sic) *ΑΙΓΙΟΝ* in autonomo *aeneo* Aegii Achaiae.

ΔΙΧΑΛΚΟΝ. in *aeneis* autonomis Chiorum.

ΧΑΛ. ΧΑΛΚΟΥΣ. in autonomis *aeneis* Antiochiae Syriae.

SICLVS, vel ejus DIMIDIVM, vel ejus QVADRANS charactere Samaritano inscripti numis principum Hasamonaeorum Judaeae.

Signa valoris aut ponderis minus certa.

 8o XIII. in *argenteis* Syraeusarum.

k) in praefat. ad Jobert. p. XXXI.

Adde globulos, vel lineolas in numis Rhegii, Catanae, variarumque Siciliae urbium.

Ponderis aut valoris indicia in numis Latinis.

I. nota assis, S semissis, o forma globuli nota unciae in moneta *aenea* Romae consularis, urbium Italicarum, coloniarum Romanarum magnae Graeciae, quin et nonnullarum Hispaniae, ut Carteiae, Cordubae.

X vel XVI. nota denarii, V. vel Q quinarii, IIS vel HS sestertii, in moneta *argentea* consulari Romanorum.

↓X. XXXX. XX. in moneta *aurea* magnae Graeciae jam Romanis subjectae.

Omnes has monetae Latinae consularis notas vide explicatas in diatribe de numis consularibus.

II. I. S. in *aeneis* Neronis.

Hos numos adcurate descriptos additis meis observatis reperies is moneta Neronis.

I. K. M. X. XX. XXX. XXXX. et signa similia, quae sunt obvia in numis imperatorum Orientis, sed de quibus ex instituto agetur alibi.

Repraesentavimus ponderis valorisve vocabula omnia, notasque certas aut saltem verisimiles in universa re numismatica veterum occurrentia, quae ut rite intelligantur, aliqua de ponderis apud Graecos recepti ratione sunt praecipienda.

Maximum Graecis pondus *talentum*. Fuere talenta Atticum, Aegineum, Alexandrinum, Aegyptium, Corinthium etc. solo pondere diversa, sic ut singula continerent 6000. drachmarum, ponderis utique ad talentum suum analogi. Sed observatum eruditis, cum talento nihil adjicitur, intelligendum talentum Atticum. Continet istud 60. *minas*, mina 100. *drachmas*, ergo talentum 6000. drachmarum. Ex quo suapte sequitur, talentum pecuniam non fuisse, sed pecuniae congeriem. Cum nobis de pondere drachmae Atticae ex obviis tetradrachmis Atticis constet, et constet praeterea, spectato valore drachmam fuisse denario Romanorum aequiparatam, facile est talenti valorem eruere. Sed nolo in hoc argumento esse longior, cum de eo ex instituto acturi simus in diatriba de numis Romanorum consularibus, eorumque in sestertiis numerandi ratione, tum et paullo infra valorem talenti argentei ex numis Atticis, quoad ejus fieri poterit, simus fixuri.

Mina, sexagesima talenti pars, et 100. drachmarum potens, ut dictum. Haec quoque pecunia non uit, sed pondus tantum, et congeries. Lubet in eorum gratiam, qui veteris ponderis rationes explorant, citare insigne pondus Chiorum ex plumbo in ipsa Chio repertum, illudque duarum minarum teste inscriptione *ΔΥΟ. ΜΝΑ.*, quod adcurate pictum stitit Comes Caylus [1]).

Drachma centesima minae pars, ut diximus. Hujus ponderis copiosos habemus numos Graecos argenteos, praecipue Apolloniae et Dyrrhachii Illyrici urbium, Massiliae, Chiorum etc., tum et Alexandri M., regum Cappadociae, Parthiae etc., adde ejusdem fere ponderis

1) Rec. Tom. II. p. 143.

denarios Romanorum praecipue stante adhuc republica, et imperatorum usque ad exitum secundi saeculi. Ad hanc classem pertinent numi inscripti *ΔΡΑΧΜΗ*, vel *ΔΡΑΓΜΗ*, quos in catalogo dedimus.

Cum drachma esset moneta argentea, invaluit serius, ut drachmae dicerentur etiam numi aenei, ut vidimus in citato Byzantiorum numo *ΔΡΑΧΜΑ*, et videbimus in sequentibus ex drachma compositis. Videntur ergo nonnullae civitates in monetae suae appellationibus non metallum, sed unum pondus spectasse. Aliae nomine drachmae argenteam tantum pecuniam intellexere, capto haud dubie ab Atheniensibus more, sed quos constat etiam, quamdiu res eorum fuere integrae, non aliam, quam argenteam, signasse monetam.

Composita ex drachma.

Didrachmum, sive *duarum drachmarum.* Ejus mentio aliquoties apud veteres occurrit. Apud Matthaeum m), accesserunt ad Petrum, *οἱ τα διδραχμα λαμβανοντες, qui didrachma accipiebant.* Etiam Polluci memoratur *διδραχμον* n), aitque, fuisse veterem Atheniensium monetam bovis imagine insignem, sed quam ignorat antiquariorum experientia. Didrachmorum veteris monetae Graecae ingens superest numerus, eorumque illustris series in numis Syracusarum, Veliae, Tarenti, etc. varia tamen, si pondus spectes, ad drachmam Atticam ratione, sive quod proprium suum habuere pondus, sive aliter monetam suam divisere.

Vocabulum didrachmi vidimus inscriptum numis Neronis argenteis, nimirum *ΔΙΔΡΑΧΜΟΝ*, vel *ΔΙΔΡΑΓΜΟΝ*, sed quemadmodum aeneae quoque exstant drachmae, sic et aenea didrachma testibus citatis Rhodiorum numis.

Tridrachmum, seu trium drachmarum, numis inscriptum non reperitur, vocabulum tamen istud apud Pollucem exstat o), et haud dubie inter numos Graecos multa erunt tridrachma, quia eorum multi duas drachmas Atticas justo excedunt, et a tetradrachmis justo deficiunt, sed quod in hac urbium Graecarum varietate ponderis difficile est definire.

Tetradrachmum, drachmarum quatuor, numus argenteus, memoratus item Polluci. Nota, et passim in museis obvia Atheniensium tetradrachma, de quibus et Livius p): *Signati argenti octoginta quatuor millia fuere Atticorum; tetradrachma vocant.* Et Cicero q): *Nam jam ternis tetradrachmis triticum apud Dolabellam est.* Tetradrachma insigni numero ad nos pervenere. Philippi II. et Alexandri M. illustre est agmen, et deinde multorum regum ejus successorum. Deinde civitatum, ac praecipue maritimarum Asiae minoris et Phoeniciae, at propter numerum vilescunt tetradrachma Thasiorum, et Macedoniae jam Romanae. Commode hoc loco nobis dicetur

Stater, numus Graecorum argenteus et aureus. *Argenteus* idem cum tetradrachmo habitus, drachmarum scilicet quatuor. Hero Alexandrinus: *ὁ δε στατηρ δραχμας δ ἐχει, stater drachmas* 4 *habet.* Christus pro se, et Petro soluturus singula

---

m) XVII. 24. n) L. IX. § 60. o) l. c. p) L. XXXIV. c. 52. q) ad Fam. L. XII. ep. 13.

didrachma census imperat Petro, ut hamum in mare jaceret, et inventum in capto pisce *staterem* pro se ac Petro publicanis daret[r]). Stateri etiam Hebraeorum *siclus* a nonnullis aequiparatur, sed de quo agemus in numis Judaicis.

Stater *aureus* frequentius a veteribus memoratur, et ait Pollux[s]), si dicatur *aureus* (*χρυσους*), subintelligi staterem, sed si *stater* solum, non semper intelligi staterem aureum. Varii generis stateres aurei memorantur, a principibus vel populis appellationem nacti, scilicet: Croesii, Darici, Philippei, Alexandrini, tum Corinthii, Phocaitae, et, qui aliis frequentius occurrunt, Cyziceni. Atticos citavit Harpocratio. Aureos hos stateres fuisse duarum drachmarum pondere, inter veteres convenit. Revera facto cum bilance experimento didici, aureos ordinarios Philippi, Alexandri, quibus adde et Lysimachi, proxime didrachmis Atticis respondere, atque ejusdem ponderis est etiam Daricus musei Caesarei, et qui vulgatus exstat im Pembrockiano[t]). Recte igitur omnes hi stateres valere dicuntur XX. drachmas, nimirum secundum decuplam auri ad argentum rationem. At sunt in museo Caesareo et alibi numi Alexandri M. non pauci, qui solidas 4 drachmas adpendunt, quos adeo jure distateres possis appellare.

Quaeritur, fuerintne omnes hi Graecorum stateres aurei, quos citavimus, vera moneta, et non potius imaginaria? De nonnullis, scilicet Daricis, Philippeis, Alexandrinis dubitari nequit, nam manibus eos tractamus, et postrema duo genera incredibili numero, et habent etiam pondus a veteribus stateri aureo praescriptum, ut diximus. At enim an exstiterunt etiam stateres Corinthii, Phocaitae, Cyziceni, Attici? Si veterum loquendi modum spectes, dubitari neque de his posset, nam perinde de his acceptis, expensisque loquuntur, quam de Daricis, et Philippeis. De statere Phocaita vide testimonia Thucydidis et Demosthenis, quae dabimus in numis Phocaeae Ioniae. Frequentior mentio stateris aurei Cyziceni. Juvat audire Demosthenem[u]): *Φορμιων δε φησιν, αποδουναι Λαμπιδι ἐν Βοσπορῳ ἑκατον και εἰκοσι στατηρας Κυζικηνους... ὁ δε Κυζικηνος ἐδυνατο ἐκει εἰκοσι και ὀκτω δραχμας Αττικας. Ait Phormio, Lampidi se in Bosporo reddidisse centum et viginti stateres Cyzicenos ... Valebat vero illic Cyzicenus viginti octo drachmas Atticas.* Hoc vetustior Xenophon saepe stateres Cyzicenos memorat in militum stipendia erogatos, et tanquam monetam regionibus et urbibus Euxino adsitis familiarem[x]). Ait Lysias[y]): *ἐπει δε οὐχ ὁσον ὡμολογηκειν εἰχεν, ἀλλα τρια ταλαντα ἀργυριου, και τετρακοσιους Κυζικηνους, και ἑκατον Δαρεικους, και φιαλας ἀργυριου τεσσαρας, cum autem non haberet, quantum professus sum, sed tria talenta argenti, et CCCC. Cyzicenos, et C. Daricos, et phialas argenteas quatuor etc.* Tam certa virorum gravissimorum et coaevorum testimonia de Cyzicenorum stateribus possunt hercle fidem

r) Matth. XVII. 24. seq. s) L. IX. § 59. t) Part. I. tab. 1. n. 2. u) in Phormion. p. m. 943. E. x) de exped. Cyri L. VI. et VII. y) in Erathosth. sub init.

facere, veram eos fuisse monetam, et passim in vulgus erogatam. At enim cur eorum nullus in hunc usque diem repertus? Non agitur moneta quaepiam vetustissima, cujus exempla omnia propter ipsa longi temporis spatia potuissent forte interire, sed aguntur numi, qui Alexandri adhuc aetate valuere, nam hoc jam regnante orationem supra citatam adversus Phormionem dixit Demosthenes; agitur moneta, quae spectatis testimoniis mox adductis magno esse numero debuit. Quocirca mirum sane videri possit, horum staterum ne unum quidem nostram aetatem tulisse, cum tamen ejusdem aevi habeamus innumeros stateres Philippeos, et Alexandrinos, neque deficiant etiam Darici a remotissimis Persis signati. Novi Suidam non modo dicere, Cyzicenos stateres fuisse *signatos*, et eleganter quidem, sed eorum etiam typos describere, nimirum una parte esse faciem muliebrem, altera leonis protomen [z]), ex quo consequitur, habuisse eos verum monetae modum. Verum respondeo, Suidam non addere, eos fuisse aureos, et cum exstent Cyzicenorum stateres argentei ejusdem rationis, quam Suidas dictaverat, ut dicetur in eorum numis, nulli vero, quod hactenus constet, aurei, jure possumus arguere, Suidae stateres tantum argenteos fuisse intellectos. Neque enim secundum citatum supra Pollucem, cum stater dicitur, aureus continuo est putandus. Quod si propter gravitatem scriptorum necesse putabimus veros ejus populi stateres aureos admittere, ex eadem causa necesse erit etiam, admittere stateres Phocaitas, Corinthios, Atticos. At ne horum quidem etiam populorum vel unus repertus est aureus, et Corinthiorum quidem nullum omnino habemus numum certum ex quocunque metallo, antequam Romanam coloniam recepissent, ab Atheniensibus vero unquam signatam fuisse monetam auream, jure, cum de hac agemus, negabimus. An ergo, inquies, falsum dixerunt auctores tot graves? Nequaquam istud adfirmavero, sed caute, et in vera significatione eorum videntur verba esse capienda. Enimvero eodem illi modo narrant accepta expensaque talenta, aut minas, quo stateres horum populorum aureos, neque tamen hactenus repertus est eruditorum quispiam, qui talenta aut minas signatos fuisse numos dixisset, et non potius *ἀϑροισμα*, seu congeriem numorum. Ergo si in his, etsi revera non exstarent, tabulae confici poterant, et rationes pecuniariae subduci, cur non etiam in illis? Romani in sestertiis numerare perrexerunt etiam postea, quam nullus ab iis ex longo tempore sestertius fuisset signatus. Diximus supra, apud varios populos varium fuisse pondus. Graecorum stater aureus ordinarius adpendit drachmas duas, valuitque drachmas Atticas viginti; ergo, qui viginti drachmas possedit, tantumdem habuit, quantum qui staterem verum, seu Daricum, seu Philippeum, seu Alexandrinum. Eodem modo qui drachmas Atticas XXVIII. habuit, is dictus est habere staterem aureum Cyzicenum, quia is, ut diximus, tot va-

z) in *Κυζικηνοι στατηρες.*

luit, eum tamen non verum, sed imaginarium, quod perinde est. Non est mihi animus inquirere, quae causa fuerit, cur his numis, ut videtur, fictitiis uti placuerit Bosporanis, aliisque ponti Euxini accolis. Novimus, recepta consuetudo quantam ubique, et omni aetate vim exerceat, quae effecit etiam, ut hodieque Europae gentes pleraeque in ficta moneta pecuniarias rationes peragant. Ceterum si quis nondum his rationibus persuasus, stateres hos, ac praecipue Cyzicenos volet veram monetam putare, non magnopere repugnavero, mirum tamen semper videbitur, ejus nullas superesse reliquias.

Pentadrachmum, seu drachmarum V. memoratum Polluci [a]), quo pondere non pauci habentur numi Graeci, at quod idem eodem loco in numis recenset etiam *πεντηκονταδραχμον*, seu drachmarum L., istud profecto mirum; tanti enim ponderis numus argenteus vereor, ut aliquando in Graecia signatus sit.

Obolus secundum Pollucem drachmae Atticae pars sexta [b]). Fuit igitur saltem Athenis, in quibus, quamdiu sui juris et integrae fuere, nonnisi argentea pecunia valuit, numus argenteus. Generatim tamen Vitruvius obolos monetam aeneam vocat [c]), *ex eo etiam videntur civitates Graecorum fecisse, uti quemadmodum cubitus est sex palmorum, ita in drachma quoque eo numero uterentur; illae enim aereos signatos ex aequo sex, quos OBOLOS appellant, constituerunt.* Ad numos quod attinet, vocabulum *ΟΒΟΛΟΣ* hactenus aeneis tantum, ut supra in catalogo vidimus, inscriptum reperitur.

Ex obolo componuntur

Diobolum, triobolam, tetrobolum, quae Polluci quoque in ordinaria Atheniensium moneta memorantur [d]). Denique huc pertinet *semiobolus*, Graecis *ἡμιοβολιον*, teste Polluce hic quoque monetae Atticae pars, ex Aristophane item confirmata [e]). Cum hujus comici aetate moneta apud Athenienses, nisi argentea, non fuerit, ut in horum numis docebimus, necesse erit, semiobolos quoque, duodecimam nempe drachmae partem, argenteos putare. Atqui, quod gravissimum est, ipsam quoque experientiam possumus in testimonium vocare. Etenim Atheniensium moneta argentea bilancis ope explorata non modo tetradrachma, didrachma, et drachmas insigni numero suppeditat, sed et tetrobola, triobola, diobola, obolos, semiobolos, quin et dimidium semioboli, seu oboli partem quartam, ut latius exponam in ejus populi numis. Aliud docent aliorum populorum numi, nam *ΤΡΙΩΒΟΛΟ.* et *ΗΜΙΟΒΕΛΙΝ.*, perinde ac *ΟΒΟΛΟΣ*, aeneis tantum numis inscripta reperiuntur, ut supra in catalogo vidimus.

Chalcus oboli pars octava. Aeneum fuisse numum, ipsum nomen profitetur, et Dionysius rhetor, quia suasit Atheniensibus, ut pecunia aenea uterentur, propterea *Χαλκους*, *aeneus*, fuit appellatus [f]). Revera et aeneis tantum inscriptum

a) L. IX. § 60. b) L. IX. § 60. c) L. III. c. 1. d) L. IX. § 62. 63. e) l. c. § 64.
f) Athenaeus L. XV. p. m. 669.

legimus *ΧΑΛΚΟΥΣ*, et ex hoc compositum *ΔΙΧΑΛΚΟΝ*, seu *duo chalci.* Vide catalogum, et quae de hoc numorum genere in moneta Antiochiae Syriae notabimus.

Praetereo *λεπτον*, chalci partem septimam, aliaque minimi valoris nomina, quia numis inscripta non reperiuntur, et qui haec nosse volent, petere possunt ex rei monetariae veteris magistris, qui hanc partem ex proposito tractaverunt.

Assarius, Graecis *ἀσσαριον*, tractum ex Latinorum asse, qui et *assarius* dictus. *Ασσαριον* autem nomine intellectum Graecis Latinorum assem, arguitur ex collatis utriusque linguae scriptoribus. Nam quod de Camillo dixerat Livius[g]): *absens quindecim millibus gravis aeris damnatur,* id est: totidem assibus, dixit Plutarchus: *τιμημα μυριων και πεντακισχιλιων ἀσσαριων*[h]). Sed de assarii valore apud Graecos, et ad numos alios ratione lege disserentem Cl. Dupuy[i]).

Cum Romanorum assarius fuerit aeneus, verisimile est etiam, assarios Graecorum, qui vocabulum illud in linguam suam transtulere, non fuisse, nisi aeneos, praecipue cum ab eo tempore, ex quo Graeci hoc vocabulo uti coepere, vix amplius in Graecia numi alii, quam aenei, cusi fuerint. Memoratur etiam a grammaticis assarius argenteus, sed vel instar ponderis, vel cum respectu ad monetam Romanorum. Vide laudatum Dupuy. Ceterum, ut in catalogo vidimus, assarii nomen solis aeneis, et Chiorum tantum, inscriptum legitur, nimirum *ΑCCΑΡΙΟΝ*, *assarius unus,* deinde *ΑCCΑΡΙΑ. ΔΥΩ,* vel *ΤΡΙΑ*, *assarii duo*, vel *tres*, denique *ΑCCΑΡΙΟΝ. ΗΜΙCΥ. assarius dimidius.* Hujus postremi meminit etiam Polybius, cum narrat[k]), hospites in Italia peregrinantes in diem *ἡμιασσαριον*, *asse dimidio*, vivere, additque, *τουτο δε ἐστι τεταρτον μερος ὀβολου, hic vero* (semissis) *valet quartam partem oboli.* *Τετρασσαρον*, sive *numi quatuor assium* Neronis vel Trajani meminit obiter Epictetus apud Arrianum[l]), quo haud dubie intelliguntur numi horum imperatorum I. formae, ut aliquando explicatius in numis Neronis docebimus.

Khellius noster in Adpendicula II. p. 14. de Chiorum obolo et assariis agens, contentis omnibus his numis, qui sibi innotuere, eorumque explorato pondere, cum istud nimium differre videret, tabellam proposuit, qua probare aggressus est, Chiorum assarium, perinde atque Romanorum assem, per gradus quosdam deminutionem passum. Vereor, ut vir eruditus hoc tentamine dignum operae fructum tulerit. In hoc enim examine ut tuto procedi possit, necesse ante omnia foret, de cujusvis numi nos esse aetate certos, quod utique a numis omni nota chronologica destitutis, cujus generis sunt omnes hi ponderum numi, obtineri nequit. Accedit, quod monetarii veteres, qui jam in exigendis ad justum pondus nobilis metalli numis parum saepe fuere diligentes, multo minus religionis ad feriundos justo pondere aeneos attulere.

---

g) L. V. c. 32. h) in Camillo p. m. 135. i) B. L. T. XXVIII. p. 698. k) Hist. L. II. c. 15. l) L. IV. c. 5. p. m. 602.

* * *

$\overset{o}{o}o$ XIII. in citato Syracusarum argenteo. Vide, quae de incerta hac nota, quae pondus haud dubie, aut valorem notat, paucis observabo in hujus urbis moneta. Eodem incerto laborant globuli, vel lineolae, quas dixi impressas variis urbium magnae Graeciae, vel Siciliae numis.

* * *

Hactenus indicia, quae in Graecorum moneta comparent, peregimus, sequuntur altera Latinorum, sed quibus explicandis possum supersedere, quia istud indicatis in catalogo locis opportunius tractabitur.

* * *

Restat inquirendum, quis fuerit monetae veteris valor comparate ad monetam nostram. At enim examen istud incertum est admodum, quia causae, quibus nititur, incertae. Oporteret enim nosse, quae fuerit dato quovis tempore certa auri ad argentum, et hujus ad aes ratio, nosse, quae in singulis numis metalli probitas, nosse denique, quod fuerit quavis aetate rerum in foro venalium pretium, quae quoniam certa quadam ratione erui ex veteribus non possunt, fieri non potest, ut comparari vetus moneta cum nostra sine abnormis erroris periculo queat. Quare id unum superest, ut, quantum monetae nostrae pro singulis numis veteribus rependi possit, inquiramus.

Molesti examinis curam in se suscepit vir summus Barthelemyus in praeclaro opere nuper vulgato, quod *Voyage du jeune Anacharsis* inscribitur, institutoque in tetradrachmis Atticis experimento, quia horum ingens copia explorandi ponderis facultatem sublevat. Celeberrimi hujus viri experimenta tanto majorem mereantur fidem, quod is non modo, quidquid in examen vocat, magno cum judicio, rerumque perfecta cognitione aggreditur, ad haec majoribus, quam ego, ac quiscunque alius subsidiis ad propositum est instructus, verum etiam, quia, quod professus ipse est, viros artis chemicae, et metallurgicae peritissimos ad argumenti hujus enucleationem in consilium vocavit.

En instituti ab eo examinis capita praecipua m).

Tetradrachmorum Atticorum vetustiorum, qui, ut dicetur in moneta Attica, sub Pericle, certe non multo post desivere, medium pondus est 324 grana librae Gallicae. Argenti in iis probitas est 11 denariorum, 20 granorum, ex quo conficitur, paene purum illud esse, absque fere ulla metalli vilioris admixtione, quia 4 tantum grana ad summam argenti puritatem deficiunt. Ergo tetradrachmum unum valet in hodierna moneta Gallorum 3 libras, 14 solidos, monetae Austriacae 1 florenum, 24 *Kreuzer*, cum interim valor intrinsecus 324 granorum ejus argenti, ex quo conficiuntur hodierni scutati Gallici, sit tantum 3 librarum, 8 solidorum, tametsi huic licet vilioris argenti pecuniae aliquod addendum pretium causa sumptuum in officinas monetarias impensorum, et aliquod demendum pretium numis veteribus, quia hodie moneta amplius non sunt, neque in praesente causa

m) l. c. Tom. IV. p. LXI.

alio, quam quo argentum rude, loco putantur.

Tetradrachma recentiora aliquantum a prioribus differunt et pondere, et argenti probitate. Eorum pondus medium est 316 grana, argenti bonitas intrinseca 11 denariorum, 12 granorum. Ergo tetradrachmum hujus legis unum valet in hodierna moneta gallica 3 libras, 12 solidos, monetae Austriacae 1 florenum, 21$\frac{3}{5}$ *Kreuzer*, et drachma 18 solidos, m. A. 20$\frac{2}{5}$ *Kr.*

Perspecto adeo drachmae valore talenti quoque valorem facile reperimus. Continet illud, ut altius diximus, 6000 drachmarum. Hic ergo numerus multiplicatus per 18 dabit numerum solidorum aequivalentem pretio talenti unius, nimirum 5400 libras Gallicas, mon. Austr. 2040 fl.

Atqui ad traditum hunc a viro gravissimo monetae Atticae valorem olim satis prope accessi, cum in valorem denarii Romani, et drachmae Atticae inquirerem, ut docebitur in tractatu de numis consularibus cap. III. § 2. et 6., tum et in moneta Attica. Cum nimirum experirer, argentum in denario integerrimo Augusti ex monetae hodiernae usu valere mon. Austr. 18 *Kr.*, instituto deinde examine viderem, denarium Augusteum esse ad drachmam Atticam, ut 8 ad 9, proinde drachmam Atticam valere 20 *Kreuzer*, reperi valorem talenti Attici in moneta nostra 2000 florenorum, quae summa in moneta Gallica respondet 5294 libris, 2 solidis. Ergo secundum examen Barthelemyi talentum Atticum valet 5400 libras, m. A. 2040 florenos, secundum meum 5294 libras, m. A. 2000 florenorum, cujus excessus librarum 106, sive florenorum 40 haud dubie inde proficiscitur, sive quod Barthelemyus majorem ad hoc examen ἀκρίβειαν attulit, sive quod argentum denarii Augustei minus purum est, quam ex quo moneta Attica feriri consuevit.

Cum aureus communis veterum Graecorum fuerit pondere duarum drachmarum, facile etiam ejus valor reperitur, si modo constet, quae fuerit certo tempore auri ad argentum ratio. Quod si decupla fuit, aurei valor in singulas drachmas decuplus quoque erit. De valore aurei Romani vide tractatum de numis consularibus.

CAPVT X.

De magnitudine numorum.

Hactenus monetae veteris pondus ac valorem spectavimus, dignum sane argumentum, si perspicue et ἀκριβῶς posset tractari, omnesque ejus leges ac modi sic expediri, ut non restarent denique graves sive ambigendi, sive dissentiendi causae. Superest doctrina de magnitudine numorum veterum, inutilis, hercle, si artis numismaticae verum usum spectes, nimirum quae varias philologiae partes opportune illustret, explicetque, sed quae tamen docet, quae fuerit spectata hac causa variis populis, et varia quidem aetate praefixa ratio, modusque. Monendum, nomine

magnitudinis a me non semper unum volumen magis minusque porrectum intelligi, sed una saepe etiam majus minusve pondus a majore vel minore numi crassitie profectum.

Cum non eadem sit in moneta vetere magnitudinis ratio, sed ea varie secundum metallum triplex consideretur, necesse est, eam singillatim tractare.

A E S.

Ad distribuendos in varias magnitudines numos aeneos multo plus diligentiae et ἀκριβειας contulere monetae veteris cupidi, quam ad argenteos, aureosque, non modo quia majore numero supersunt, sed quia magis etiam variant magnitudines. Secundum has varia sunt eorum nomina:

Numi maximi moduli: vel *maximae formae.* Eos Itali vocant *Medaglioni,* unde Gallorum *Médaillons.* Sed et horum varia est magnitudo. Jam ii, qui numos I. formae, de quibus mox, aliquantum excedunt, in maximi moduli numis numerantur. Qui eos non quidem excedunt, propter majorem tamen crassitiem pondere superant, *Medaglioncini* Italis vocantur. In aliis per varios gradus excrescit volumen, eo usque, dum eorum diameter duos pollices Parisinos aequet, aut superet etiam.

Numi I. II. III. formae. Horum volumen ex Augustorum numis vel tironibus satis cognitum.

Non pauci dubiae sunt inter I. et II. tum II. et III. magnitudinis, quam definire cujusvis facile arbitrio permittimus. Ad intelligendum eorum volumen, qui forma tertia inferiores videntur, sunt, qui modulum etiam IV. et V. suppetias vocant.

Ad variarum nationum usum quod attinet, non volumine modo, sed et pondere maxime conspicui fuere vetustissimi Romanorum, et generatim Italiae mediae populorum numi aenei, dicti decusses, dupondia, asses, semisses etc., de quibus ex proposito agetur in moneta Italiae mediae, et in tractatu de numis consularibus. Eorum forma fere globosa, et utrinque turgens, ac propterea ponderis auctioris. Asse subinde imminuto inde a bello Hannibalico in dictis tribus formis res eorum monetaria acquievit, duravitque sic usque ad imperium Hadriani, etsi in ordinaria Neronis moneta aenea reperiuntur non pauci, qui aeneorum I. formae volumen nonnihil excedant. Imperante demum Hadriano aenei maximae formae in urbe cudi coepti, quorum volumen aeneos I. formae plus minusve excedit, nonnullis etiam, iisque rarissimis, de quibus mox egeram, in latissimum orbem porrectis, de quorum extraordinaria fabrica agetur infra capite XII. Sub Decio copiosi prodivere numi, qui aeneos I. formae justo excedunt, et tamen ordinariae monetae habuisse rationem, omnis eorum conformatio et adstitutum constanter S. C. dubitare non patiuntur. Ab eo tempore si qui signati sunt maximae formae numi aenei, plerique inscriptum offerunt MONETA. AVGVSTI., suntque saepe artificii plus, quam monetarii, ut dicetur capite XII. Deinceps vix jam comparent aenei, quos maximi moduli jure dicere possis demptis Contorniatis inde a Constantino M. feriri coeptis, quorum volumen maximae quidem formae numos facile aequat, sed qui, quia tenuis sunt la-

minae, pondere multum deficiunt, de quo numorum genere agemus in tractatu singulari. Postremus Justinianus incredibili numero hujus rationis numos feriri curavit. Haec de numis maximae formae Romanorum, et populorum Italiae mediae.

Inter exteras nationes numos hujus classis in remota antiquitate ne quaeras, quia, ut alias dixi, ab his tum numi signati non sunt, nisi aurei et argentei, ac deinceps quoque diu iis caruere, si demas Ptolemaeorum numos notos aeris praegrandis ac solidi. Vix credam, ante Augusti tempora reperiri aeneum maximae formae. Sub hoc, et aliquanto deinceps tempore cusi id genus insignes, in quorum aversa est ROM. ET. AVG., quos multi numos Romanos putavere, sed quos verisimilius est Lugduni Galliae signatos, ut dicetur in numis Augusti. At posthac diu adhuc numi maximae formae per Graecas urbes rari. Vt Romae imperante Hadriano coeperunt invalescere, sic et eodem tempore in urbibus Graecis, testibus praeter non paucos Hadriani iis, quos Antinoi honori consecraverunt. Maximum eorum numerum Asiae minoris ac Thraciae urbes fuderunt, raro tamen soliditate amplo volumini respondente. Paullo post Gallienum cum universa Graecorum re monetaria hi quoque desiverunt.

* * *

Aenei III. formarum Romae induci coepti, ex quo post imminutum assem, ac propterea pondus mansuetior ejus coepit esse moneta. Tum enim asses ad volumen I. formae, semisses II., reliquae partes III., aut inter has medium sunt redactae. Aenei I. et II. formae illustrem constituunt seriem ab Augusto usque ad Gallienum, sic tamen ut paullatim eorum decrescat volumen, quod facile patet aeneos I. formae Gordiani cum Neronianis conferenti. Aeneorum III. formae non tam aequabilis, et tam interrupta series. Hujus generis numum sub Augusto et Tiberio cusum, qui esset commatis Romani, non reperio, si demas aliquot numulos IIIvirorum monetalium, ut Betilieni Bassi, tum et alios inscriptis in aversa notis arithmeticis, tesseras magis, quam numos, tum et si his adnumerare voles creditas Tiberii spintrias. Signati deinceps sub Caligula et Nerone, non tamen magno numero, aut varietate. Frequentius subinde, et variantibus typis se ostentant sub Domitiano, Nerva, Trajano, Hadriano, Antonino. Longus post hos hiatus usque ad Decium, quo imperante comparent iterum addita S. C. nota, sed etiam cum hoc desinunt. Gallieni monetae maxima pars hujus est formae, atque illa deinceps tam ambigui est voluminis, ut saepe dubitetur, qui numi secundae, qui tertiae, saepe qui tertiae, vel quartae sint tribuendi. Inde a Theodosio M. usque ad Palaeologos vix jam habentur numi hujus formae, multo magis parabilibus aureis, quam hujus classis aeneis. Haec de numis commatis Romani.

Numi aenei commatis peregrini, ac praecipue Graecorum omnes etiam has tres formas offerunt, sed temporum in his ratio est spectanda. Ex quo illi aes in monetae consortium accepere, tertia fere forma contenti fuere, rarioribus formae II., rarissimis I. Necesse non puto, haec exemplis stabilire, quod haec passim sese

offerunt. Et duravit hic modus in ipsam superiorum Augustorum aetatem. Serius numi III. formae in formam II. et I. transivere, sic tamen, ut quantum accederet voluminis, tantum deperderent soliditate. Ejus testes numi Atheniensium, Chiorum, Samiorum, aliorumque. Soli Alexandrini Aegypti numos suos aevo inferiore in arctius spatium redegere sic, ut et soliditatem retinerent, quod videre est in obviis eorum numis.

ARGENTVM.

Graecia late sumpta, eaque sive libera, sive regnans varii moduli numos habuit argenteos. Pauci sunt, qui pondere quatuor drachmas excessere, unde et dicti tetradrachmi, atque horum antiquissimi solidi magis sunt, quam in amplius volumen diducti, quae deinde posterior forma Graeciae magis cultae placuit. Confer tetradrachmos Atheniensium antiquissimos cum posteris. Horum insignem copiam suppeditant Athenienses, Thasii, Aradii, Maronitae, aliique, tum et Philippus, filiusque Alexander M., et plerique ejus successores reges. Pauci in Graecorum argento exstant, ut dixi, ponderis auctioris. In praesens non occurrunt alii praeter illustres illos Syracusanos tam soliditate, quam volumine conspicuos pondere drachmarum octo, et amplius, quos suo loco dabimus. Ab his tetradrachmis varii deinde sunt deminuti sive ponderis, sive voluminis gradus, quos definire molesti esset laboris, atque inutilis. Istud memorasse suffecerit, numos argenteos Graecorum nonnullorum haberi ad minimam moleculam reductos, et ne grana quidem tria adpendentes, quos mirum hercle est causa tam contracti voluminis cupidorum oculos fallere non potuisse. Vide hujus generis numulos in moneta Atheniensium et Tarentinorum. Quod de tetradrachmis dixi, ad eos quoque, qui inferioris sunt ponderis, valet, quorum ut qui sunt antiquissimi, sic etiam magis solidi, figurae globosae, aut oblongae, sed quos deinde cultius aevum magis explicavit, et ad formam magis planam ac rotundam adegit. Fuere tamen etiam inter Graecos antiquissimos populi, qui in numorum usum argentum in tenues laminas coegerunt. Hujusmodi sunt omnes ii, quos *incusos* appellamus, quique omnes, ut alibi docebimus, in Lucaniae huicque vicinis urbibus signati sunt. Adde numos urbium Sicularum, praecipue Syracusarum, Naxi, Abacaeni. Sed hic modus Graeciae magnae, et Siciliae fines vix est egressus. Praeter hos aevi vetustissimi numos etiam moneta regum Persiae Sassanidarum, qui anno P. X. 226. everso Parthorum imperio regnare coeperunt, tenuis est laminae.

Romani cum primum argentum ferire coeperunt, ejus tam volumen, quam crassitiem ad cultioris jam tum Graeciae modum adcommodavere, et tum denarius, qui drachmam fere adpendit, temperata fuit ad volumen crassitie, et sic quinarius quoque, ac sestertius. Nulli hic didrachmi, aut his graviores, saltem quos certo constet in urbe signatos, de quo explicatius agemus in tractatu de numis consularibus. Eadem deinde lex in moneta argentea sub Augustis quoque usque ad inferius eorum aevum duravit. Neque vero in moneta urbis putandi sunt argentei

tetradrachmi, vel tridrachmi copiosi M. Antonii, Augusti, Claudii, Hadriani, aliorumque, etsi Latine inscripti, qui vel cistophoris in provincia Asia signatis adnumerandi sunt, vel per varias urbes Graecas, saltem in his numis Latine loquentes fuerunt signati, ut latius comprobabimus in horum ipsorum Augustorum numis. Inde a Treboniano usque ad Carum habentur numi maximi moduli ex argento in nonnullis satis probo, typo trium Monetarum stantium, rarioribus aliis, qui haud dubie in urbe signati sunt, et quorum justus numerus est in museo Caesareo. Sub Constantini M. filiis coeperunt signari numi argentei conspicui quidem voluminis, sed metalli tenuis, sed post aliquot imperia iterum desiverunt, reliquis Augustis vix amplius consuetam monetae argenteae mensuram egressis.

A V R V M.

Moneta Graecorum aurea spectata fabrica et soliditate ejusdem cum argentea fuit rationis, sed generatim arctioris fuit voluminis, quia metalli rarioris. Ordinarium numi aurei pondus fuere duae drachmae, sed tamen isto multo inferius, et secundum varias quidem divisiones, multi habent aurei tam urbium, quam regum. Quatuor drachmarum exstant non pauci Alexandri M., ut altius dictum. Ponderis hoc gravioris aureos pauci tantum reges signaverunt. Inter hos facile eminuit Lysimachus Thraciae rex, cujus superant numi ex hoc metallo, qui octo, decem, duodecim aureos Hungaricos adpendunt, et spectabilis adeo pro hoc auri pondere sunt voluminis. Hos deinde sequuntur insignes aurei regum, reginarumque Aegypti, ac denique nonnulli regum Syriae, sed qui ex hoc metallo, ac praecipue, cum amplioris sunt voluminis, inter rarissimos habentur.

De Romanorum moneta aurea stante rep. multa dici nequeunt, quia paucissimos ex ea aetate habemus residuos. Qui inde a Julio Caesare signati sunt, ejusdem fere sunt ponderis, ac voluminis, cujus Graecorum Philippei, et Alexandrini. Duplicis ii fuere generis, alii *denarii,* alii *quinarii,* *καταχρηστικῶς* sic dicti, quod denariorum et quinariorum, qui moneta argentea fuerunt, magnitudinem habuere. Rarissimi sunt, qui horum denariorum pondus excedunt, et quos revera exstare in principum thesauris, viri fide digni prodidere. Binos Commodi esse in museo regis Galliarum, testatur Jobertus [n]), unum Domitiani Cl. Beauvais, sed hi pondus non addidere, quod negligendum sane non fuerat. Omnes vero hactenus cognitos pondere ac volumine superat aureus Augusti, anno 1759. repertus in ruinis Herculanensibus, adpendens unciam $1\frac{1}{4}$ ponderis Neapolitani, cujus imaginem habes ad calcem praefationis ad Tomum II. picturarum Herculanensium. Fuerintne id genus numi in urbe signati, an foris, quemadmodum supra diximus, argenteos imperatorios majoris moduli esse commatis peregrini, item fuerintne denariorum aureorum dupli, tripli, quadrupli, ii arbitrentur, qui eorum et fabricam et pondus possunt explorare. Mo-

n) T. I. p. 77.

nendum adhuc, denarii aurei pondus paullatim fuisse deminutum, cujus progressum deminutionis potes videre in catalogo musei Pembrockiani, in quo, praeclaro sane consilio, singulorum etiam aureorum pondus notatur. Interim cum minueretur pondus, duravit tamen auri justa soliditas.

Inde a Constantini M. temporibus numus aureus coepit in laminae modum attenuari, ac sensim communis moneta aurea eo fere esse pondere, ac valore, quo sunt aurei nostri Hungarici. Ajebam moneta communis. Nam quemadmodum supra diximus, ab ea aetate coepisse signari numos argenteos ampli quidem voluminis, sed metalli tenuis, sic idem in auro quoque factum residua ejus non exiguo numero exempla demonstrant. At in aevi hujus numis, spectatis ponderis ac voluminis meritis, principem locum obtinent aurei bini, quorum unus Valentis Aug. servatur in museo Caesareo, et secundum veram suam magnitudinem expressus exstat in Khellii Supplemento ad Impp. Vaillantii. Adpendit is aureos Hungaricos $51\frac{1}{4}$, secundum libram Norimbergensem uncias sex, et drachmam semis, justaeque est praeter amplum volumen soliditatis. Alter Justiniani, quem ex museo regis Galliarum conspiciendum dedit Cl. de Boze [o]). Aequat is ponderis Parisini uncias 5, drachmas 2 vel 3. Exstant adhuc alii ejus aevi voluminis insolentioris, sed quod non tam ipsorum numorum est, quam ab additis margini ornamentis profectum, de quo numorum genere agemus infra cap. XII. Postremus, qui causa voluminis mentionem meretur, est numus Constantini Palaeologi, inter imperatores Byzantios postremi, qui magnitudine aeneos maximae formae aequat quidem, sed propter metalli tenuitatem bracteatis potest accenseri; nam etsi ejus est, quod dixi, voluminis, tamen non amplius binis Hungaricis adpendit. Haec spectato excessu supra pondus ordinarium monetae aureae fuerunt observanda; sed sunt etiam copiosi aurei aevo Augustorum inferiore cusi, qui pondere a moneta ordinaria vario discrimine deficiunt, quorum archetypa singula musea magno numero suppeditant.

* * *

Haec de numorum magnitudine, conjuncto etiam pondere, abunde dicta sunto, ex quibus praeterea capere experimentum quisque poterit, non posse in singulis magnitudinibus parari numorum veterum seriem justam, aut certe dignam, utilemque. Fuere enim, et sunt hodieque, rei veteris numismaticae studiosi, qui in parandis veteris monetae opibus certae tantum magnitudinis numos sibi praefigunt. Quantopere hi laborent, ut aequabilem quandam eorum seriem possint instruere, in comperto est. Quoniam non omni aevo eadem magnitudo placuit, hinc tot lacunae, et turpes hiatus, quos quia materia deficit, nullis sumptibus expleas. At in nullam magis seriem, quam quae numos maximi moduli complectitur, incensa cupidorum studia, sed in quam, ut minus videretur interrupta,

o) B. L. Mem. T. XXVI. pag. 523.

admissi numi omnium nationum, omnis metalli, et omnis naturae, ne exclusis quidem contorniatis, qui nimirum Neronis, Trajani, aliorumque hiatus tegerent. Fecit explendi agminis cupiditas, ut indulgentiores vulgo essent, sive cum in illud admitterent numos, qui aeneorum I. formae modum non excedunt, sive cum approbarent, quos tanto liberi adfectu reprobandos semper duxissent. Sed ne quidem in hoc instruendo agmine justa voluminis ratio est habita. Nam cum jam in numis maximi moduli putentur aurei et argentei, qui ordinarium volumen ac pondus etiam tantillo excedunt, aut quodammodo accedunt ad volumen, cujus esse solent numi aenei II. formae, suapte patet, quantopere in hoc instituto divergant magnitudines, et quam parum sic juvetur oculus, cujus tamen fere unius causa hae solent series adornari, quem praeter metallum dispar etiam inconcinna haec voluminis varietas jure offendit. Qui veram spectant ex collectis numis veteribus utilitatem, has sive metalli, sive magnitudinis blanditias ut non aspernantur, tamen in postremis habent, et in iis comparandis magis philologiae incrementa, quam extraneam numorum fortunam respiciunt. Sed argumentum istud tractabo iterum, cum agam de modo, qui in disponendis numorum classibus magis videatur ad omnes artis nostrae causas adcommodatus.

* * *

Postremum hoc loco opportune commemorabimus veteris monetae vitium quoddam saepe non molestum modo, sed et damnosum. Non raro enim factum, ut matrix majore esset volumine, quam orbiculus monetae feriundae destinatus. Ex quo evenire necesse fuit, ut hic partem tantum sive typi sive inscriptionis potuerit recipere, facta adeo partium extremarum jactura. Hoc vitio moneta Romanorum immunis est, sed in numis Graecis non paucis perquam incommodum, praecipue in autonomis Antiochiae Syriae, et tetradrachmis regum Parthiae, in quibus plerumque maxima pars inscriptionis orae vicinior pessum ivit. Similis typorum jactura, sed ex diversa causa, monetariorum nempe negligentia, profecta est, cum hi matricem non medio orbiculo imponerent, sic ut centrum centro responderet, sed foras aberraret, ex quo factum, ut orbiculus saepe parte typorum non exigua, nonnunquam dimidia multaretur.

CAPVT XI.

De numis veteribus flatis percussis.

Res vetus monetaria metallo flando feriundo peragebatur, ejus fidem facientibus non modo certis veterum testimoniis sed etiam certis indiciis ex ipsa vetere moneta captis. In numis obviis Romanis produntur III viri auro, argento,

aeri *Flando Feriundo.* In marmore Gruteri [p]) M. Vlpius dicitur FLATVRARIVS. AVRI. ET. ARGENTI. MONETAR. et alibi apud eundem [q]) leguntur MALLEATORES. MONETAE. CAESARIS. Exempla ex ipsis numis monetae flatae percussae ipsi praebent numi inspecti, et dabimus infra. Noti denarii gentis Carisiae habent in una parte caput Monetae scripto juxta MONETA, in altera artis ipsa instrumenta, incudem, malleum, forcipem, addito pileo Vulcani, nempe qui artis fabrilis rex et praeses fuit habitus, quorsum pertinet illud Plauti [r]):

Tace sis faber, qui cudere soles numos plumbeos.

Numi veteres aut sunt fusi tantum, aut fusi, deinde percussi. De utrisque singillatim agendum, quo tamen in argumento magis utar alienis praeceptis, judiciisque eorum, qui practicae huic arti majorem operam impenderunt, quam propriis meis, additis tamen, ubi opus erit, monitis, observationibusque, ut spero, non inutilibus.

Numos veteris aevi tantum fusos haud dubie habemus, quos inter numerandam esse vetustissimam monetam aut sic dicta pondera populorum Italicorum praegrandia, et insigniter crassa, nemo est, qui aut ignoret, aut possit dubitare. Vt praeteream certa fusionis indicia, quae oculum in hac parte vel leviter eruditum effugere non possunt, utriusque partis figurae altius exstant, quam ut quacunque mallei vi sic potuissent effingi. Lege de hoc argumento plura apud Cl. Olivieri [s]). Atqui et repertas fuisse Romae formas lapideas fundendis his ponderibus destinatas, refert Passerius [t]). In numis fusis putat etiam Cl. Beauvais notos Aegyptiorum numos gravis aeris, in quorum una parte est caput Ptolemaeorum, (praestabat dicere, Jovis Ammonis), et quos adfirmat ponderis loco, perinde atque Italicos illos fuisse, neque nisi fusionis ope potuisse fabricari, quibus addit maximam partem numorum, quos Alexandrinos vocamus, sive aeneos, sive qui mixto argento (*potin*) constant. Addit item numos Graece inscriptos coloniae Antiochiae, aliarumque Graeciae coloniarum, denique ex numis Latinis maximam partem numorum Postumi ex aere I. et II. formae. Adserit idem, horum fidem numorum nequaquam esse suspectam, nam facile convinci oculum eruditum, hanc horum numorum fusionem veteris esse operis, non moderni [u]). Haec ejus viri dictata sic esse vera existimo, ut tamen dissentire in nonnullis cogar. Neque enim persuaserit, crassos illos, ponderisque insolentis aeneos Ptolemaeorum numos fusione, non malleo, fuisse elaboratos. Nam primum typi in his non tam alte turgent, sicut in ponderibus Italicis, sed sunt operis magis humilis, cuique peragendo facile malleus par fuit. Deinde quacunque adhibita opera observare nondum licuit praetensa illa fusionis indicia, quin certa mallei testimonia praebet non modo foramen, quod in horum

p) pag. 638. 4. q) pag. 1070. 1. r) in Mostellaria Act. IV. sc. 2. s) della fond. di Pesaro pag. 26. t) Paralip. in Dempst. pag. 162. u) Hist. abrég. T. III. pag. 418.

numorum centro utraque parte introrsum hiat, sed etiam literae ex repetito ictu geminatae, quae in similibus numis musei Caesarei manifeste apparent, quam utramque causam esse certum mallei argumentum, infra docebitur. Ceterum non inficior, plures classes, quas nominat, numos fusos revera continere, addo numos imperatorios non paucos sive Graecos, sive coloniarum inde a Decio usque ad Claudium Gothicum, ac praecipue Antiochiae Pisidiae, Cremnae, Sagalassi, Sami, Ephesi etc., qui fusos sese, nullumque expertos malleum non difficulter profitentur. Adde numos autonomos Galliae adhuc liberae, quorum aes ea est metallorum temperie, ut nisi fundi non potuerint [x]).

Impensiore cura in examen istud incubuere viri eruditi, ex quo variis in locis detectae fuerunt non paucae veterum formae fundendis numis olim destinatae. Constant hae lamellis rotundis ex terra cocta, quae offerunt imperatorum variorum partes cum anticas, tum posticas introrsum expressas, quae deinde in cylindri modum sic coaptabantur, ut una fusione plures numi, quot libuit, nimirum pro cylindri longitudine, potuerint effingi. Vniversum hunc modum, cum difficilius verbis possit explicari, eleganter ac perspicue aeri incisum proposuit eruditissimus in mechanica veterum Comes Caylus [y]). Sed ad praesentis argumenti cognitionem magnopere pertinere existimo, commemorare auctores, qui similes formas se vidisse sunt testati, et quae deinde varia fuerint eorum judicia spectatis modis, quibus veteres in formandis numis suis sunt usi.

Antonius le Pois cap. III. operis sui: *Discours sur les Médailles antiques*, narrat, in monte, qui Lugduno imminet, repertum fuisse magnum numerum formarum ex terra cocta, quae sistunt capita et figuras variorum imperatorum, *Severi, Domnae, Getae, Alexandri,* aliorumque.

Menetrier in similibus, in agro item Lugdunensi repertis vidit imagines *Severi, Getae, Alexandri.* (Mém. Trévoux 1704. Julio p. 1213.)

Comes Caylus plures a Cl. Menetrier obiter indicatos aeri incisos stitit in opere et loco mox supra laudato. Continent autem *Domnam, Caracallam, Getam, Maesam* cum suis aversis.

Henricus Harscher in suis prope Augustam Rauracorum (hodie *Augst*) repertis vidit *Getam, Alexandrum, Maximinum.* (Beschreibung von Münzmödeln.)

In museo Pembrock sistitur matrix argillacea cum capite *Severi*, ejusque aversa. (Part. III. tab. 107.)

Museum d'Ennery continebat hujus generis formas XXII. ejus moduli, cujus sunt numi argentei, aut cujus sunt aenei I. magnitudinis. Exhibuere capita *Domnae, Caracallae, Plautillae, Getae, Juliae Paulae, Soaemiadis, Mamaeae, Maximini, Gordiani Pii.* (Catalogue d'Ennery p. 661.)

In museo Com. de Vitzai sunt formae XVII. in agro Coloniensi repertae a *Domna* usque ad *Mamaeam.*

Ipse ego possideo formas V. hujus materiae. Typi in his sunt capita *Severi, Domnae, Caracallae, Getae,* cum parti-

x) Caylus Rec. T. VI. p. 330. y) Rec. d'Ant. T. I. tab. CV.

bus aversis. De his infra adhuc redibit mentio. Repertas fuisse in Austria inferiore constat, non tamen satis de loco ipso.

Jam igitur etiam, quae fuerint eruditorum de his judicia, inquiramus.

Le Pois[z]), Bouteroue[a]), Savotus[b]) credidere, a monetariis numos primum fuisse fusos, deinde malleo subjectos, ac quidem fusione eos accepisse formam quandam rudiorem, malleo perfectionem. Has ergo, de quibus agimus, numorum formas argillaceas fundendis hoc modo numis fuisse destinatas.

Mahudelius per causas, quas infra memorabimus, ab hac alienus sententia, eas in instrumentis, quibus usi sunt falsarii ad clandestinam numorum fabricam, putavit. Vide praeclaram ejus hoc de argumento dissertationem[c]).

Comiti Caylus neutrum judicium adrisit. Existimat[d]), fuisse apud Romanos constitutum, ut promiscue numos aut funderent tantum, aut malleo ferirent, idque monetariorum fuisse arbitrio permissum. Quam quidem causam ut manifestius illustraret, observat I., neque sibi conspectas, neque ab alio fuisse memoratas id genus formas, quae essent Severo anteriores. II. Has formas nonnisi fundendis numis argenteis servivisse. III. Inde a Severo argenti in moneta probitatem coepisse corrumpi, ac deinceps semper in pejus prolapsam. Ex quo factum, ut malae falsariorum artes in monetae argenteae fabrica graviter affligerentur. Neque enim in publica ea monetae argenteae corruptione operae jam pretium visum, fingendis privatim numis vix sperando aliquo laboris fructu capitis periculum adire. Ait porro, nequaquam obstare, quod in hac sententia, quae numos argenteos a monetariis passim etiam tantum fusos statuit, sequeretur, multos superesse debere imperatorum numos cum manifestis fusionis indiciis, qualia sunt pondus levius, in margine vestigium resecti colli ex fusione protuberantis, Gallis *la barbe*, vel *l'excédant de la matière*, cavitates per numi aream etc. Neque enim, respondet, post elapsa plura saecula numos fusos a percussis facile discerni posse. Nimirum longiore in commerciis usu, et injuriis terrae, sub qua latuere, plerasque vulgo disperdi fusionis notas, margines aequari, multo frictu, aut salis subterranei vehementia aboleri poros, aut civitates areae a fusione profectas, ponderis vero examen etiam in numis ejusdem imperatoris admodum esse incertum et fluctuans.

Exposuimus viri praestantis doctrinam, jam vero etiam quam sit solida, et quantum in ea insit ad persuadendum momenti, investigemus. Jam primum ex ejus dictatis continuo apparet, persuasum sibi fuisse, licuisse monetariis fusione numos argenteos formare, idque palam ab iis, quippe auctoritate publica, peractum. Quaero, fueritne iis etiam publice permissum, fundere numos cum notis chronologicis, quae ad annos praeteritos pertinent, aut fundere numos imperatoris

z) l. c. a) Recherch. cur. p. 106. b) Num. ant. P. I. c. 6. c) B. L. Tom. III. hist. p. 200. d) Rec. d'Ant. T. I. p. 288.

jam vita functi? Negabit istud haud dubie, nam res monetaria praesens tantum tempus respexit, neque ad principes mortuos se porrexit, si numos consecrationis, aut quos restitutionis numos vocamus, demas, sed qui huc non pertinent. Quaero deinde, formae illae septem, quae cylindrum suum constituunt, fueruntne destinatae ad peragendam uno eodemque tempore fusionem? Imo vero, inquiet, nam septem hae formae jam sic antiquitus in cylindrum unitae sibi obtigerunt. Quin, quia cum formis, quae exhibent capita Domnae, et Caracallae, conjunctam etiam reperit formam Juliae Maesae cum titulo Augustae, inde putabat conjici posse, Maesam non tandem ab Elagabalo, quae communis est sententia, sed jam a Caracalla dictam fuisse Augustam, quia secus inter formas ad fundendos numos imperante Caracalla adhibitas reperiri non potuisset illa, quae Maesam diceret Augustam [e]). Creditum ergo fuit illustri auctori, omnes has formas ad unam eandemque fusionem valuisse. At vero hanc viri praeclari sententiam suae ipsius formae in suo cylindro unitae redarguant. Inter numos ex argillaceis his orbiculis expressos unus est: ANTONINVS. PIVS. AVG. *Caput Caracallae laureatum juvenile imberbe.*)(VICT. PART. MAX. *Victoria gradiens.* Esse hunc numum anni V. C. 954. vel sequentis, olim docebitur. Alter est: ANTONINVS. PIVS. AVG. BRIT. *Caput Caracallae laureatum barbatum.*)(PONTIF. TR. P. XIII. COS. III. *Mulier sedens.* Ex notis chronologicis certum est, hunc numum pertinere ad annum V. C. 963. En utriusque numi aetatem ipsis IX. annis divergentem. Concedendum ergo erit, monetarios publice constitutos adhuc V. C. 963. fudisse numos ejus argumenti, quod fuit anni 954. Eodem modo differt aetate orbiculus ejusdem cylindri, in quo Geta dicitur TR. P. III. COS. II., quae sunt certa indicia anni V. C. 964. Quid deinde de conjuncta illis Maesa dicam, quam, nullo certe auctore, jam a Caracalla dictam fuisse Augustam, conjicit? At multo apertius auctoritatem his formis publicam abnegant orbiculi similes, quos ipse possideo. Horum unus in una parte habet: SEVERVS. PIVS. AVG. *Caput Severi,* in altera: P. M. TR. P. XVIIII. COS. IIII. P. P. *Serapis stans d. elata.* Haec aversa ad Caracallam pertinet, et ad annum V. C. 969., cum qua adeo sociandus fuit orbiculus impressum habens caput Caracallae, qui et ipse inter hos meos est. An ergo Caracallae adhuc aetate et V. C. 969. fusi publice fuere numi cum capite Severi jam ante annos V. mortui? Quid quod inter hos ipsos meos orbiculos unus est cum capite Getae nondum Augusti. An verisimile est, imperante Caracalla, qui fratris sui nomen ex fastis, monumentisque jussit eradi, publice ausuros fuisse monetarios, ejus Caesaris nomine numos flare? Denique ex ipsis his orbiculis, quos prae oculis habeo, manifeste apparet, imagines non ex matricibus, sed ex numis obviis malleo percussis in argilla fuisse expressas. Indicant istud imagines loco motae, quod

e) l. c. p. 287.

certum est aberrantis, aut male applicatae matricis indicium, minime vero a fusione effici potest. Vtrum verisimile, imperante jam Severo, solidis tum adhuc, et necdum afflictis imperii rebus tantam fuisse in munere publico monetario seu egestatem, seu perversitatem, ut ne quidem certae justaeque matrices praesto essent, sed a numis, quos fors obtulit, imagines mutuari oporteret?

Ex omnibus ergo his causis suapte patet, tantum abesse, ut formae hae argillaceae putari debeant serviisse operi publica auctoritate imperato, ut tribuendae potius videantur operi tumultuario, inconsulto, tenebrarum, et malae fidei, rectiusque adeo videatur censuisse Mahudelius, qui falsae monetae fabros his usos instrumentis credidit, quod quidem judicium etiam Cl. Bimardo probatum [f]) possum conjecturis aliis, solidis, ut reor, ac plane probabilibus confirmare. Quamdiu sua monetae argenteae probitas constabat, utile ac quaestuosum fuit falsariis, numos aeneos tenui argenti bractea multa ac subtili arte vestitos pro vera argenti moneta obtrudere. Ex his officinis prodivere tot subaeratorum agmina, quorum major pars male commissis cum parte antica aversis, aut in notis chronologicis, aut inscriptionis picturaeve lege turpiter peccat. Vel ex his opus in tenebris peractum intelligeres, parum solicitis fabris, ut verum eloquerentur numi sui, modo externa specie imponerent. Corrupta, quod inde a Severo majore licentia factum, argenti monetarii bonitate operae utique pretium amplius non fuit eandem vitiatis sic numis curam impendere, sed respiciendus labor, qui minores sumptus et adsiduitatem postularet, qui ope numi obvii, molli primum argillae impressi, deinde subdito igne excoctae, infuso denique metallo peragi facile potuit. Istud si paullo fuit vilius, quam ex quo tum fuit moneta ordinaria, non poterant tamen falsarii in hoc laboris compendio non justum capere lucrum. Dubium non est, tot jam repertis per varias regiones id genus formis argillaceis, justum etiam hodieque numorum sic fusorum exstare numerum, perinde ac exstat subaeratorum, quos si a numis malleo percussis non satis discernimus, istud fit propter causas has ipsas, quas supra ex Comite Caylus, idoneo in similibus dubiis judice, dedimus, aut quia non defuere dexteris hominibus suae artes, quarum ope fusionis indicia potuerint occultare, et quas, ut plures veteris aevi alias, ignoramus. Moneta argentea inde a Philippis propter admixtam aeris copiam misere vilescente, factum, ut horum etiam imperatorum fundendis numis nihil lucri posset sperari. Quare non mirum, nullius inde a Gordiano imperatoris reperiri formam argillaceam.

Haec ergo sive exempla, sive auctoritates instruere nos possunt, majorem superesse copiam numorum tantum fusorum, nullumque malleum expertorum, quam credi vulgo solet. Quare nequaquam continuo in adulterinis putandi sunt numi, quia tantum fusi, quod sibi non pauci per-

f) ad Jobert. T. I. p. 356.

suasere. Possumus tamen legis instar, quae forte nonnisi rarissime fallat, tenere, in Italicis urbibus, ac Romae antiquissimo aevo non fuisse numos nisi fusos, de quibus egimus supra, reliquam urbis monetam sive consularem, sive imperatoriam cujuscunque metalli malleo formatam, si argenteam demas inde a Severo usque ad Philippos propter memorata mox exempla. In Graecia latissime sumpta inde ab exordio rei monetariae usque ad alterum imperatorum saeculum non occurrere numos tantum fusos, etsi aurei non pauci Lysimachi regis modum habeant ambiguum, de quibus infra. Ceterum ex iis, quae hactenus diximus, satis apparet, non tam facile ac proclive esse fusionis veterum criterium, quam illud professus est Cl. Beauvais [g]). Eam sane dexteritatem nondum fateor mihi potuisse impetrare.

A fusione ad malleum, seu modum feriundae monetae transeamus. Sed tamen et hunc modum necessario praecessit fusio, quae orbiculos malleum experturos praeparavit. Orbiculi hi, seu laminae rotundae varia crassitie saepe certa offerunt fusionis indicia, quae inter evidentissimum est resecti colli, quod, ut dixi, *barbam* Galli vocant, vestigium. Hoc non modo manifeste apparet in notis ponderibus Italicis, quae sola fusione sunt formata, sed et in numis non paucis variarum nationum argenteis aeneisque etiam III. magnitudinis, quos malleo fuisse finitos indubitatum est. Comes Caylus numum Massiliae aeneum pictum stitit, in quo collum istud a fusione residuum, nimirum a numo nunquam resectum, satis alte protuberat, aitque, simillimos alios omnino octo ejusdem urbis sibi visos. Ex quo arguit, antiquissimo aevo, apud Romanos aeque ac Graecos, monetam promiscue, nulla certe lege, *indifféremment,* jam flatam, jam cusam fuisse, fusione in formis argillaceis eodem modo peracta, quo supra diximus [h]). Haec a viro gravissimo incautius adfirmata tanto magis merentur in examen vocari, quia vetera artis nostrae praecepta planissime evertunt, et ambigua reddunt criteria, quibus numos vere antiquos a fictitiis novae artis solemus discernere. Accedit, quod metus est, ne artis nostrae studiosi alii tanti viri inconsultius secuti oracula eidem involvantur errori, quod ipsum accidisse video illustri Gallo S. Vincent [i]). Haec fusionis indicia, quae non negamus, sed ipsi saepe advertimus, nequaquam probant, numum esse fusum, sed tantum orbiculum, seu laminam malleo destinatam. Quis ignorat, metallum, antequam feriri contingat, fusione varias, ut libuit, formas accipere? Antiquissimo aevo hae nullam legem habuere, partim globosae, partim in ovi modum porrectae, aut denique, ut casus tulisse videtur. Confer vetustissimos Athenarum numos. Cultiore aevo metallum in formam magis rotundam cogebatur. Hos fundendi orbiculos duplicem video placuisse modum. Vel enim fundebatur metallum in binas for-

g) Hist. abrég. T. III. p. 418. 419. h) Rec. d'Ant. T. V. p. 159. i) Mémoire sur les Méd. de Marseille p. 7.

mas variae materiae arcte conjunctas, ex quo modo enasci contigit collum exuberantis metalli, vel illud fundebatur in parvas scrobes formae rotundae in argilla factas. Collum illud aut curatius fuit resectum, ejusque vestigium lima abolitum, aut negligentius, sic ut ejus certum remaneret indicium, aut relictum intactum sive incuria, sive etiam alicubi ex proposito, quod major similium, ut dixi, numorum Massiliensium copia suspicari facit. Reliquum deinde opus malleo permissum. Quo igitur pacto adserere illustris Comes potuit, numos, in quibus haec fusionis indicia apparent, esse flatos, quando haec fusio ad orbiculos tantum pertinuit? Habeo prae manibus aeneum tertiae magnitudinis ex eorum genere, quos a Carthaginiensibus in Sicilia cusos vulgo credimus, ex quo collum eodem modo, quo in citatis Massiliensibus, protuberat. In eo utriusque partis typi tam nitide sunt expressi, quam a sola fusione impetrari nunquam potest. Adde ejusdem classis tetradrachmos ab operis elegantia passim cognitos, laudatosque, tum et Syracusanos argenteos aeneosque similis meriti, in quorum multis certissima observavi resecti colli indicia. Quod si et hos propter eandem causam fusos statuemus, tum hercule nullus jam relinquetur numus, quomodocunque affabre elaboratus, literisque et figuris ad omnem apicem expressis, quem non licebit totum fusum suspicari. Exstant numi coloniae Nemausi solitae magnitudinis, et cum solitis utrinque typis. Solum discrimen facit, quod ex numi orbiculo pes hinnuli bene longus protuberat. Horum unum videre est in *Saggi di Cortona*[k]), alterum stitit Comes Caylus[l]), tertium vidi in museo Apostoli Zeno, nunc S. Floriani Austriae superioris, multosque alios hujus generis sibi compertos ibidem docet illustris Comes. Cum eruditus hic vir ipse fateatur ultro, orbiculos hos una cum pede primum flatos, deinde malleo subditos, nescio, cur non eundem fabricae modum agnoscat etiam in numis, in quibus causa prominentis colli certum deprehenditur fusionis argumentum. Quocirca sic recte arbitrabimur, si qua sunt in numis nitidis, elegantibusque fusionis vestigia, ea non numos ipsos, sed eorum orbiculos fusos indicare.

Non possum absistere ab hoc argumento, quin aliam adhuc Comitis Caylus sententiam in judicium vocem. Ait[m]), facile ex formis his argillaceis explicari posse, quo pacto principis alicujus intra perexiguum tempus, quo imperium obtinuit, tanto numero feriri numi potuerint. Earum enim ope formarum brevi tempore tantam existimat potuisse copiam facili negotio fabricari. At enim vel intelligit principes, qui Romae consedere, aut qui foris per vim imperium invasere. In urbe effugium istud necessarium non fuit, in qua praesto semper fuerant operae monetariae et peritia et copia spectabiles, quo factum, ut intra tempus exiguum numi cum Galbae vel Vitellii imagine incredibili numero potuerint parari. Sin principes foris per tumultum intrusos intelligit,

k) T. VI. p. 80. l) Rec. T. II. p. 341. m) Rec. T. I. p. 289.

sciendum, tyrannorum numos spectato opere ea esse conditione, ut facile appareat, exiguam iis feriundis curam fuisse impensam. Quin non desunt exempla certa et evidentia, alios tum accelerandi operis modos fuisse adhibitos, atque istud non fusione, sed malleo. Nimirum numis praecedentium imperatorum novos, suosque impresserunt typos. Evidenter istud docent numi Regaliani et Druantillae, quorum plerique duplicem offerunt typum, ac veterem quidem Caracallae, Maesae etc. ex residuis literis ac figuris agnoscendum, novicium eorum ipsorum. Vide suo loco utriusque numos. Atqui suapte patet, modum hunc fusione peragi nullo pacto potuisse.

Viri eruditi non pauci, cum viderent in numis veterum opus altius exstans, et adsurgens, quam ut unius mallei ope potuisset peragi, quamcunque velimus matrici spectata duritie tribuere praestantiam, qualia plerumque sunt capita partis anticae, in animum suum induxerunt, a monetariis primum numos in formis ex ipsa matrice captis fusos, deinde cum matrice adcurate commissos mallei ictibus supremum nitorem ac perfectionem adeptos. Modum hunc curatius descriptum vide apud Savotum, qui cum plerisque aliis in eadem fuit sententia [n]). Vltra progressus est Jobertus, qui eandem operam impensam dixit etiam numis minoris moduli, neque tam alte prominentis operis, quales sunt denarii Romanorum. Causam, cur istud sibi persuaderet, praeclaro auctori dederunt repertae formae argillaceae, de quibus altius egeram, fusioni scilicet destinatae [o]). Posteriori huic sententiae refutandae non diu inhaerebimus. Quis enimvero sibi persuadebit, hanc matricis cum numo fuso commissuram, quae nonnisi justo temporis impendio peragi poterat, porrectam fuisse ad numos singulos, et quidem ad eos quoque omnes, quibus propter typos humiliores hac solertia et sedulitate opus non fuit? Etenim si numi, quos *subaeratos* vel *pelliculatos* vocamus, absque fusione, quae utique locum habere non potuit, solo malleo tam saepe eleganter formari potuere, et quidem incluso saepius intus ferro, quod ipso aere durius est, cur idem obtineri non potuisset a monetariis publicis omnibus artis suae adminiculis apprime instructis? Deinde causa ex formis argillaceis capta huic argumento male adcommodatur, ut supra demonstravimus. Quod ad numos majoris voluminis attinet, non ausim negare, si qui fuere magnitudinis extraordinariae, eos primum fusos, deinde malleo finitos, quod hodieque in numis ad ostentationem factis fieri solet, licebit tamen opponere, primum, geminatum hunc laborem forte non fuisse necessarium, deinde certa exstare indicia, etiam ad maximi moduli numos non paucos unum adhibitum fuisse malleum. Non fuisse tam necessarium, existimo propterea, quia, antequam orbiculi malleo committerentur, eorum durities ope ignis et vehementis caloris ita potuit temperari, ut ictibus minus resisterent. Vide Savotum [p]). Tametsi huic me explicatio-

n) Num. ant. P. I. c. 6. o) Tom. I. p. 344. p) Num. Ant. P. I. c. 6.

ni jubeat diffidere Rinckius, cui certum est, matricem feriundo metallo candenti adhibitam causa vehementis caloris continuo fuisse passuram vitium, redditamque inutilem[q]), quod sane a viro praeclaro recte existimo observatum. Alteram ex propositis partem evidenter comprobant numi perelegantes, quos, quia duplice vario metallo constant, quorum unum cum altero magna arte commissum est, numos *duplicis metalli* appellamus. Sunt inter hos non pauci insignis voluminis typisque utrinque alte exstantibus. Hos primum fuisse fusos, nemo sanus sibi persuaserit; nam fusione evasisset mixtura utriusque metalli, non metallum duplex, quorum unum ab altero separatum est, quale se oculis offert. Ergo si in his metallum fuit docile, malleique patiens, cur non in aliis quoque exstantioris operis numis?

Atque haec de fusionis negotio visa sunt observanda, quod in multis esse ambiguum, quodque non facile possit explicari, ex iis, quae hucusque diximus, satis elucet. Enimvero in hoc argumento versanti non pauca mihi occurrerunt, quae me suspensum animi reddiderunt. Exempli causa: in plerisque aureis didrachmis Lysimachi, quorum insignem numerum habet museum Caesareum, ejus regis caput tam est hiulcum et incompositum, ut dejerarem, unius eos fusionis esse opus, nisi vetaret pars aversa, quae non modo offert opus sane elegans, sed etiam per duplicatam in nonnullis causa aberrantis matricis epigraphen certa mallei indicia. Inter haec non solum ejusdem regis aurei maximae formae, sed quod magis profecto mirum, ipsi etiam argentei drachmales tam absolutum offerunt opus, ut fusionis nulla possit incidere suspicio. An ergo in his numis primum fusa pars antica, deinde malleo impressa pars aversa? aut cur haec perversitas aureis tantum didrachmis incubuit, reliquis immunibus? quae quidem dubia in parte mechanica rei monetariae veteris, aliaque his similia lubens aliorum sagacitati permitto. Alia, quae hanc partem illustrant, potes ex proximis praeceptis haurire, quae mallei apud veteres in hac arte usum docent, quorsum nunc contendo.

Malleum a veteribus ad numorum fabricam fuisse adhibitum, indubitatum est. Varia ejus testimonia ex marmoribus, numorum, typis, scriptoribus initio hujus capitis memoravi. Jam etiam ex ipsis numis veritatem eliciamus. Varia ejus argumenta jam praeclare collegit Mahudelius[r]), quae hoc loco una cum meis commemorare, non ingratum puto lectori futurum.

I. Jam ipsa Latinorum vocabula, cum dixere, monetam *ferire*, *cudere*, *percutere*, *signare*, mallei usum designant. Eandem, aut analogam significationem habent Graecorum *κοπτειν*, *χαρασσειν*.

II. Summa puritas ac nitor typi in partibus etiam subtilissimis, ceu capillis, literis etc., quae laus a sola fusione impetrari nequit.

III. Numi incusi, sive qui utrinque eundem typum offerunt, sed ex una parte convexum, ex altera concavum, quorum

---

q) pag. 90. r) B. L. T. III. hist. p. 202.

ingens superest numerus, et quos esse partus malleatoris incurii, et properantis, olim dicemus.

IV. Figurae, aut epigraphes literae, aut utraeque simul in eadem numi facie geminatae, quod evenire debuit cedente aliquantum post primum ictum matrice, et numo aliam faciem secundo ictui opponente.

V. Typi non plene, saepe media tantum parte in numi orbiculum recepti, quod factum, matrice non, ut oportuit, cum numi orbiculo adcurate commissa. Item inscriptionis pars, quae in numi circuitu margini vicinior est, ex numo exclusa, nimirum cum majus fuit matricis volumen, quam ut eam totam orbiculus numi capere potuisset. In Romana moneta istud rarius, frequentius in Graeca, praecipue in autonomis Antiochiae Syriae, et numis regum Parthorum. Vitio huic locus non fuisset, si numi in paratis ad hoc formis fusi fuissent.

VI. Numos pelliculatos, sive quorum tenuis bractea argentea aeneum nucleum includit, tum et numos duplicis metalli cum fusione non posse componi, sed esse certum mallei opus, suapte patet. De utrisque supra egimus.

VII. Numi bis percussi, seu quibus, cum finiti jam essent, serius nova utrinque matrix fuit inducta, residuis adhuc veteris matricis indiciis. Etiam horum supra facta est mentio ex numis Regaliani.

VIII. Parvae scrobes rotundae in centro numorum aeneorum introrsum hiantes, de quibus infra. Earum causa fuit, ut orbiculus percepto primo ictu matrici firmius adhaereret.

IX. Rimae, seu fissurae, quas saepe a peripheria numi versus centrum tendere videmus, uni mallei vehementiae debentur.

De instrumentis artis, quorum in feriunda moneta fuit usus, pauca. Ea, ut initio hujus capitis dixi, denarii gentis Carisiae picta sistunt, suntque incus, malleus, forceps. De prioribus D. Hieronymus [s]): *Erant praeterea per exesum montem* (Thebaidis inferioris) *haud pauca habitacula, in quibus scabrae jam incudes et mallei, quibus pecuniae olim signatae, visebantur.* Forcipis minus certus usus. Sed non multum in hac morabimur, quae utique in fabrum officinis varios potest usus praestare. Ex his ultro patet, quam parum concinne Mahudelius in denarii Carisii explicatione illud, quod incudem diximus, statuat esse vas fundendo metallo destinatum, illud vero, quod nobis forceps est, esse forficem, quae orbiculos ex lamina in formam rotundam secuit [t]). Incudem jam stabilivimus, sed et forcipem stabiliunt oculi inspectis Carisii numis, ac praeterea, quis unquam in margine numorum veterum scissionis deprehendit vestigia? quae sane celari non possent.

Matrix, seu parata ex metallo durissimo massa, quae numi orbiculo imposita, typum lege inversa insculptum mallei ope cum eodem communicat, praecipuum est artis monetariae instrumentum. *Matricem* dixi improprie, cum vocabulum pro-

s) in vita Pauli eremitae. t) B. L. hist. T. III. p. 203.

prium, quod norim, lingua Latina non offerat. Alii *typarium, marculum, iconium, formam* appellant, aeque improprie, aut barbare, aut vage. Varia in utraque lingua nomina dictavit illustris Cajetanus Marinius [u]), sed non probavit. Gallis est *quarré, coin, poinçon.* Matricum exempla nonnulla ex vetustate residua antiquariis sunt cognita, quorum formam et metalli modum descripsit comes Caylus [x]). Matrix aenea cum insculpto Neronis capite fuit in museo d'Ennery [y]). Veterem nonnullorum opinionem, qui conjecere, in singulos numos novam paratam fuisse matricem, atque istud propterea, quia in tanta numorum veterum copia nunquam sibi duo conspecti fuere numi perfecte similes, et non, saltem in levissima quapiam causa, diversi, propter prodigii immanitatem refutandam non duco. Vide in hoc argumento Rinckium [z]), et Jobertum [a]). Ipse etiam princeps Turris Mutiae ante annos non multos professus est, in tanta numorum Siculorum copia, quos per tot annos conferre licuit, nunquam sibi conspectos fuisse duos ejusdem matricis partus [b]). Verum istud experiri licuit aliis, quod de se testatur Cl. Beauvais [c]), ejusque a me factum aliquoties periculum, testari possum ipse. Vidi in museo M. Ducis duos Antigoni Asiae regis tetradrachmos tam concordes, ut plane convincerer, ab una utrumque matrice profectum. Ex quo efficitur, fallacem esse legem, quam aliquibus sancire placuit, cum numi duo ejusdem se matricis filios profitentur, utrumque esse operis moderni; etsi non negem, aliquam tum eos ἀγνησιοτητος suspicionem adflare.

Haec sunt, quae de moneta flanda, feriunda sive ex alienis praeceptis, sive observatis propriis videbantur vere ac opportune potuisse commoneri, quae rite expensa verum videntur suppeditare explicatum formulae *Flando, Feriundo,* nimirum priore vocabulo intelligendos flatos numi orbiculos, altero hos ipsos malleo traditos, quo ferirentur, quod duplex nogotium spectata mechanica pars rei monetariae praecipua fuit.

CAPVT XII.

De variis causis ad mechanicam et naturam numorum veterum pertinentibus.

Nonnulla ad mechanicam rei monetariae veteris spectantia jam in praecedentibus occupaveram, ceu pondus et magnitudinem numorum, ac proxime fusionis et mallei negotium. Reliquas causas commodius in unum locum condjecero, de quibus nunc singillatim agere constituo.

---

u) Iscriz. Alban. p. 110. x) Rec. I. p. 284. y) Catal. p. 661. z) de vet. num. pot. p. 92. a) T. I. p. 445. 449. b) Aggiunta II. p. 91. c) Hist. abrég. T. III. p. 430.

§ 1. *Forma numorum.*

Fuit rotunda paucis demptis, de quibus mox infra. Raro tamen haec rotunditas fuit perfecta, sic ut dubitare liceat de numorum sincera fide, si qui hac sunt indole, ut monebimus in tractatu de numis spuriis. Plerumque rotunditatis fuere neglectae, et parum anxiae. Neque enim, quod hodie in re monetaria fieri amat, numorum orbiculi ex metalli lamina exsecti sunt, sed, ut eos formavit fusio, malleo fuerunt subjecti. A forma rotunda magis deflectunt numi antiquissimi, qui fere sunt globosi, et velut massulae crassiores et informes. Nonnunquam in ovi modum diducuntur, quales sunt non pauci ex iis solidis, quos populi Italici fudere, et nos in ponderibus etiam putamus; saepe etiam numus ex incautiore mallei ictu hanc formam accepit. Vide de hoc argumento plura capite XXI.

Numi in Aegypto signati non modo regnantibus Ptolemaeis, sed et Caesaribus saltem usque ad Commodi imperium coni truncati habent formam, sic ut peripheriam contractiorem occupet pars antica, latiorem pars aversa. Sed hic modus obtinuit tantum in aeneis, aurei argenteique ordinariam legem sequuntur, cujus varietatis causa mihi ignota. Non pauci etiam vicinae Judaeae numi similem coni truncati formam exhibent.

Formam quadrilateram, tum specie ovi habent numi populorum Italiae mediae, de quo instituto insolentiore agemus in Prolegomenis ad numos Italiae mediae, et in Tractatu de numis Consular. Cap. II. § 3.

Numi tenuis laminae parte una convexi, altera concavi ex omni metallo frequentes sunt signati per extrema Orientis imperia, quos nonnulli causa non satis certa *scyphatos* appellant.

§ 2. *Quadratum incusum.*

Offert vetus moneta numos non exiguo numero, quorum aversam totam occupat cavitas violenter introrsum cusa. Ea nonnisi in numis Graecorum antiquissimis occurrit, et quanto illa profundius introrsum hiat, et est informior, tanto intellige numum esse antiquiorem, atque sub ipsis rei monetariae incunabulis cusum. Ejus originem cavitatis in suo Palaeographiae numismaticae tentamine eleganter ac vere explicat illustris Barthelemyus [d]). Ait, primis rei monetariae initiis, nondum reperta arte in utraque numi superficie typum signandi, uni tantum parti arbitrariam fuisse notam malleo impressam, quemadmodum in artis typographicae infantia uni tantum chartae parti inducti fuere characteres, aversa intacta. Verum cum metus esset, ne massa feriundo numo destinata inter repetitos mallei ictus cederet, et nihil esset subtus, quod primo excepto ictu massam figeret, placuit eam imponere ferro in obtusius acumen desinenti, quo factum, ut jam post primum ictum massa ab impresso inferne ferri acumine retineretur, neque amplius loco posset moveri, unde haec in his numis cavitas. Artis progressu rude

d) B. L. T. XXIV. p. 30.

istud cavum mansuetiorem accepit formam, instar quadrati minus profunde dehiscentis, atque istud jam divisum in plures partes, jam velut explicatis quatuor alis; paullatim aliqua typi initia insculpi coepta, manente tamen quadrato, donec tandem ferrum illud hactenus retinendae tantum massae serviens vera evaderet matrix propter insculptos alte typos eundem usum praestitura. Haec initia, ac deinde progressum ex numis ipsis captum praeclare ob oculos sistit tabula Berthelemyano huic tentamini adjecta.

§ 3. *Hiatus in centro numorum.*

Intelligo hoc nomine tenue foramen, aut scrobiculum rotundum in centro numi introrsum hians, sive in utraque numi parte, sive in una tantum. Jam illud comparet in plerisque Ptolemaeorum numis sive maximi, sive minimi moduli, et quidem in his constanter utrinque, nonnullorum item Syriae regum, praecipue Antiochi VI. et Tryphonis, in numis variarum Syriae et Phoeniciae urbium, quin et Asiae minoris, et Europae, et quidem etiam imperatoriis urbium, et imperatorum adhuc aevo inclinante. Eo numi commatis Romani constanter carent. Observandum praeterea, hiatus hos nondum hactenus deprehensos in numis aureis et argenteis, sed tantum aeneis.

Barthelemyus, cum in laudata dissertatione in causam quadrati incusi inquisivisset, simul ad hiatus istos advertit animum, eorumque usum ab eadem causa repetit. Nimirum quemadmodum impresso illo quadrato, sive cavitate factum, ut numus patientior ad excipiendos ictus esset, sic idem obtinebatur, si in matricis centro pars metalli sursum exstans fuit relicta, certe ab argumento aliena, sed quae mallei ictu in numi orbiculum introrsum adacta eum firmius adhaerere coegit. Nemo erit, qui dubitare possit, causam hanc a viro summo ingeniose ac naviter explicatam. At nemo etiam erit, qui non continuo quaerat, cur eadem cautio non etiam ad numos aureos argenteosque valuerit, sed in cujus enucleatione quaestionis non aeque satisfacit vir clarissimus. Plures, inquit, figendi orbiculi modos tum jam fuisse cognitos, atque haud dubie illos, qui perfectiores fuere, magisque paratu difficiles, auro argentoque applicatos. Verisimilius causam a varia metalli natura petendam censeo. Certum est, aurum et argentum multo esse mollius, minusque adeo resistere malleo, quam cuprum, ac praecipue veterum, quod raro a particulis heterogeneis purum fuit. Ex quo sequitur, plus cautionis ac diligentiae adhibendum fuisse ad feriundos numos aeneos, quam alterius metalli.

§ 4. *Numi incusi ex instituto.*

Sic appello numos, quorum una pars convexa est, altera concava. Addidi: *ex instituto*, quia sunt alii incusi, sed monetariorum vitio, de quibus infra. Illi inter antiquissimos sunt referendi, et signati tantum sic fuere in nonnullis magnae Graeciae urbibus. Haec indicasse hoc loco satis esto, nam horum examen numorum dabimus in prolegomenis ad numos Lucaniae.

§ 5. *Numi serrati.*

Serratos numos vocamus eos, quorum ora extima in serrae modum incisa est. Copiosi sunt denarii, quos familiarum Romanarum dicimus, et qui stante adhuc rep. signati sunt, quorum serrata est ora. Sunt etiam serrati numi non pauci, sed aenei, nonnullorum Syriae regum. Sed de hoc numorum genere agemus ex proposito, et quidem copiose in prolegomenis ad numos familiarum cap. XVI.

§ 6. *Numi recusi.*

Non raro numis jam olim signatis novi utrinque typi ope alterius matricis fuerunt impressi, cujus generis numos solemus vocare *recusos.* Quoniam numi jam signati superficies plana non fuit, sed exstantibus figuris aspera, sequi necesse fuit, ut matrix, cum in eminentiores solum numi partes vim suam posset exserere, humiliores aut relinqueret intactas, aut nonnisi leviter perstringeret, ut adeo saepe ex relictis veteris typi vestigiis vetus ejus numi conditio facile possit divinari. Boeotorum multos hujus naturae habemus superstites, quorum exempla dabimus in horum moneta, neque commemorare alia necesse puto, quia singula musea eorum aliqua servant. At quae novae hujus violentiae causa, cum casui istud non posse tribui facile appareat? Si in externam monetam sic fuisset saevitum, conjici posset, voluisse hoc modo populos monetam peregrinam in propriam suam ac domesticam convertere. Verum habemus exempla, neque propriae pecuniae fuisse parcitum. Est in museo Caesareo numus recusus Massiliae Galliae, cujus et vetus et novus typus Massiliensi monetae proprius est. An novus sic abolito vetere numis quaesitus valor? an aliud? Tametsi in nonnullis evidentem ejus facti causam tenemus. Jam capite praecedente obiter dixi, Regalianum et Dryantillam ad signandos numos suos praecedentium imperatorum denariis fuisse usos. Vide eos adcurate descriptos in horum tyrannorum moneta. Nimirum ad has injurias ventum est, cum properato opus fuit, et intererat non differri praeconium supremi principatus, neque statim ad manum fuit metallum ad feriundos numos aptum. Vide alias causas exercitae similis in numos alienos violentiae in moneta Hebraica Simeonis Judaeae principis. Ceterum in moneta aurea numi sic recusi nullum habemus exemplum.

§ 7. *Numi incusi temere.*

Paullo altius dedimus numos incusos, seu, qui eundem typum in una parte exstantem, in altera concavum exhibent, sed eos diximus sic fuisse formatos ex instituto. Quos hoc loco proponimus, incusi sunt pariter, sed quae peristasis non instituto, sed casui, et monetariorum negligentiae debetur, qui signandum numi orbiculum numo jam signato, qui tum auferendus utique fuerat, imposuerunt, malleoque coeperunt exercere. Quo factum, ut idem utrinque emergeret typus superior convexus et exstans, efficiente istud matrice superiore, inferior concavus, causa numi subjecti, qui jam matricis munere fungebatur. Neque desunt nostra aetate similis oscitantiae exempla in re monetaria ab iisdem causis profecta,

at incredibilem eam fuisse in officinis veteribus, ingens numorum hoc vitio laborantium numerus, qui ad nos pervenere, abunde declarat.

§ 8. *Numi geminatis typis.*

Aliud oscitantium monetariorum vitium, neque illud in moneta vetere infrequens. Nimirum cum ad perficiendum numum plures essent ictus infligendi, si forte post primum ictum aut matrix, aut numi orbiculus aliquantum loco motus fuit, factum necessario, ut alter ictus in vicina aberraret, eundemque typum loco alieno, varioque illum situ geminaret.

§ 9. *Numi pelliculati, subaerati, ferruminati.*

De his, ac similibus vitiis, quia ad veterum fraudes pertinent, opportunius agemus in tractatu de numis adulterinis.

§ 10. *Numi Contorniati.*

De horum numorum fabrica agemus in tractatu singulari.

§ 11. *Numi aenei cum late porrecto orbe.*

Quos deinceps numos memorabo, ad ostentationem potius facti sunt, quam ut pecuniae usum praestarent, quorum supra capite V. obiter memini. Hoc sane loco propter varias applicatae mechanicae causas sunt attingendi.

Hujus generis quos primos exhibeo, sunt numi aenei, quorum media area, cui utrinque more solito typi impressi sunt, majoris vulgo voluminis non est, quam cujus esse solent numi aenei I. formae, sed deinceps in latum orbem cavitatibus concentricis distinctum, diametro saepe duorum pollicum Parisinorum, et nonnunquam amplius, porriguntur, sic ut numus ipse sic videatur in hujus orbis centro constitutus, ut in veterum clypeis caput Medusae in clypei centro. Numos similes vulgavit, et pictos stitit Buonarrotius ex museo Carpineo [e]), et binos quidem Antonini, unum L. Veri, quin et unum Antinoi a Nicomedensibus signatum, quod tanto rarius, quia id genus numi commatis tantum Romani esse consueverunt. Museum Caesareum eorum possidet singulos: Hadriani, Antonini, Aurelii, Veri, qui aeneis tabulis incisi exstant inter numos maximi moduli Cimelii Austriaci Vindobonensis. Insignes hujus generis picti etiam exstant in museo Albani. Majoris his voluminis, si Italorum pondera demas, in re monetaria vetere non habentur, suntque rarissimi.

§ 12. *Numi duplicis metalli.*

Sic vocantur numi aenei circulo diversi aeris inclusi (*enchassés*), idque tam dextre et adcurate, ut nonnisi tenuis linea artificiosae commissurae index appareat. Plerumque aeneos maximi moduli, sed ordinarii, volumine non excedunt, quamvis his sint fere crassiores. Rarissimi sunt, qui sunt magnitudinis mediae inter aeneos I. et II. formae, quorum quinque picti visuntur in museo Albani tab. 120., in quo etiam alios hujus classis justo numero reperias. Circulus exterior nequa-

e) Osserv. istor.

quam post cusum jam numum additus fuit, sed utrumque metallum jam sic commissum incudem expertum est, nam saepe in his numis epigraphes literae in orbem ductae in utrumque metallum incurrunt. Sunt omnes commatis Romani. Graecus hujus naturae nondum conspectus. Similes Jobertus jam cum Hadriani capite citat[f]), sed museum Albani praeclaris his cimeliis insigniter locuples ante Commodum nullum offert, sed in hoc reperias adhuc cum imagine Probi, Magniae Vrbicae, Diocletiani, et collegae Maximiani. Operis sunt fere semper perelegantis, quanquam hactenus divinare non licuit causam impensi in hoc numorum genus laboris tam seduli, atque, ut videri possit, tam supervacanei. In monetae usum fuisse receptos, verisimile vix est.

Fuere antiquarii nominis non vulgaris, qui hos duplicis metalli numos, illustres sane ac conspicuos, cum miserabili Contorniatorum grege inique confudere, qua de injuria vide, quae monebo in tractatu de numis Contorniatis cap. I.

§ 13. *Numi cum variis ornamentis parergis.*

Hoc articulo complector numos quaesitioris elegantiae, additis variis ex metallo nobiliore ornamentis, quae, quia ad numorum causas non pertinent, et abesse poterant, *parerga* voco. Ex quo facile intelligimus, monetae eos rationem non habuisse.

In hac classe primo loco memorandi sunt aurei insignis voluminis, qui in amplum orbem, eumque varie ornatum, porriguntur, addito superne annulo, ex quo suspendi possent. Multum ergo adfines sunt aeneis cum late porrecto orbe, de quibus paullo supra egi, nisi quod in his absunt operosa illa ornamenta, et annulus. Hujus generis duo cogniti, unus Honorii, alter Gallae Placidiae, ineunte hoc saeculo in Geldria effossi, quos pictos et descriptos habes in Epistolis criticis Cuperi[g]), qui eos vidit ipse, tum et in *Saggi di Cortona*[h]), quo loco Cl. Bianchinus de eorum vetere usu prolixe disserit, conjicitque, id genus cimelia ad militum donativa valuisse. Parum equidem arbitrarias has conjecturas moror, cum, quia multiplex eorum esse usus poterat, tum quia causa annexi annuli inter torques potius, quam numos referendi sunt. Alios similes vide aeri incisos in Catalogo d'Ennery pag. 187.

Apud eosdem auctores reperias quoque aureos imperatorios voluminis ordinarii, hos quoque in orbem nonnihil ornatum, etsi minus latum, eumque annulo item praefixum, porrectos, de quibus quod moneam, non habeo, nisi eos sic fuisse formatos, ut ex quocunque loco, sive ornatus, sive adfectus causa suspenderentur.

Exstant etiam in museis numi aenei inaurati et inargentati. Non agimus de iis, qui moderna arte tales sunt, nimirum quos inepti possessores non raro exemplo volebant nobilius metallum mentiri, sed de iis, quos sic vetus ars ornavit. Horum alii vel toti auro, argentove obducti sunt,

f) Tom. I. p. 45. g) pag. 178. h) Tom. IV. p. 235.

vel tantum sui parte. In aliis, qui toti argento sunt obducti, partes sunt inauratae, ceu imperatoris laurea, et paludamentum, et epigraphe. Monetaria haec insulsitas vix ante Alexandrum Severum coeperit, et ultra Diocletianum porrigitur, et frequentissime deformavit numos inscriptos AEQVITAS. AVG. vel MONETA. AVG. typo in utrisque trium Monetarum stantium, et maximi moduli. Numos similes tam supervacuo cultu ornatos an verisimile est, etsi *Monetae* nomen inscriptum praeferant, ad monetae etiam usum valuisse? Est in museo Caesareo numus maximi moduli Numeriani, in cujus aversa est: ADLOCVTIO. AVGG. typo adlocutionis. Is deargentatus totus est, sed imperatoris, qui habitu consulari proponitur, togam pictam lamella aurea obtegit.

De numis aeneis II. et III. formae tenui stanni folio opertis et sic cusis, sed qui inde a Claudio Gothico usque ad Diocletianum vera moneta fuere, egimus capite VII.

§ 14. *Vernix numorum aeneorum.*

Vernicis nomen, etsi Latinis ignotum, quia tamen ab artis nostrae magistris instar *τεχνικον* receptum est, et nos retinemus. Tractum est a Gallorum *vernis,* Germanis *firniss,* Italis *patina*, eoque intelligimus indumentum splendens, variique in variis coloris, quo natura numos aeneos (aurei argenteique sua contenti nobilitate illud aspernantur) longo saeculorum sub terra situ operuit. Color est in aliis viridis, in aliis caeruleus, aut violaceus, in aliis fuscus, ut nimirum aes pro varia soli natura adflavit halitus aut ambivit humor particulis metallicis gravidus. Indumentum istud tantum abest, ut nitorem numo, et qualecunque aliud meritum detrahat, ut etiam plurimum augeat. Etenim adventitia haec materia tam apte sese numi superficiei adplicuit, ut minutissima quaeque, quae matrix impressit, ceu capillorum fila, literarum apices tenuissimi tam transluceant nitide, quam si plane abesset. Meritum vero ex hoc casu numis ingens accedit, non modo, quia integerrimi vulgo esse solent, nimirum involucro hoc aeruginem metallo huic cumprimis perniciosam, et omne aliud inimicum vitium arcente, liberalisque esse propter coloris illecebras formae, sed etiam quia certissimum hoc pacto praebent genuinae antiquitatis testimonium. Etenim cum alios omnes monetae veteris modos fraus recens scite satis didicerit imitari, in imitanda vernice, quam natura addidit, hactenus incassum vires suas est experta. Tam enim illa firmiter aes amplectitur, ut avelli inde nisi per vim non possit. At quam falsarii ope salis ammoniaci et aceti induxere, saepe vel ungue tentata loco potest moveri. Dixi, aurum argentumque veterem hanc vernicem detrectare. At quae argento frequenter adhaeret materia crassa et viridis, ex aeruginis genere est, et aceto aut succo mali citrei amolienda.

CAPVT XIII.

De jure feriundae monetae.

Omni aevo jus feriundae monetae summae in republica potestatis argumentum fuit habitum, et si quis illud sibi arrogavit, involasse etiam in summam potestatem est creditus. Jus istud qui habuit, aut sibi deberi credidit, illud testatum fecit seu inserto monetae nomine suo, seu effigie, seu utroque. Ejus juris jam apud veteres sic constituti insignia ex antiqua historia dabimus exempla.

Aryandem Aegypto pro Cambyse praefectum a successore Dario capite fuisse damnatum, quod monetam auctoritate sua feriri jussit, refert Herodotus [i]). Difficilior ad famam Commodus, Perennem praetorio praefectum adfectare imperium, persuasus denique fuit oblatis numis ejus imagine percussis [k]). Caesus ab Elagabalo Valerianus Paetus, quod aureas suas imagines signari curasset, atque etsi prae se ferret ipse, eas in pellicum ornamenta fuisse cessuras, quia tamen monetae aureae speciem habuere, non vitavit culpam [l]). Cum essent, qui Firmum Aegypti tantum latronem dicerent, at non invasisse imperium, eos Vopiscus prolata ejus moneta redarguit [m]). Qui Procopii, sub Valente tyranni, partes sunt secuti, ut persuaderent Illyriis, eum esse imperatorem, ostenderunt iis aureos numos novi principis effigie insignes [n]). Severus, ut aemulo Clodio Albino persuaderet, eum a se animo non ficto, sed sincero in imperii societatem vocatum, Romae numos cum ejus imagine feriri jussit [o]). Narrat Philostorgius [p]), Stilichonem tam impudenter tyrannidem adfectasse, ut monetam etiam ferire ausus esset. Ergo cum quis per vim ad imperium est vocatus, velut in primis imperii sui fundamentis putavit, effigiem suam in moneta publica proponere. Cum legiones Syriae et Aegypti Vespasianum imperatorem dixissent, *prima belli cura,* ait Tacitus [q]), *agere delectus, revocare veteranos, destinantur validae civitates exercendis armorum officinis, apud Antiochenses aurum argentumque signatur.* Vix Macrinus delatam a militibus purpuram acceptavit, *statim apud Antiochiam moneta Antonini Diadumeni nomine percussa est*, nempe ut intelligeret orbis, filium Diadumenianum ad imperii consortium esse vocatum [r]). Factum etiam nonnunquam, ut ii, quorum intererat, jus monetarium sic deproperarent, ut nondum satis praeparatis omnibus, quae ad monetae negotium pertinuere, praecedentium imperatorum numos ad incudem revocarent, quod satis ex numis Regaliani et Dryantillae apparebit.

i) L. IV. c. 166. k) Herodian. in Commodo. l) Dio L. LXXIX. § 4. m) in ejus vita. n) Ammian. L. XXVI. o) Herodian. L. II. sub fin. p) L. XII. c. 1. q) Hist. L. II. c. 82. r) Lamprid. in Diadum.

Vrbes ac populos, qui sui pleni juris fuere, non alio, nisi nomine suo, signavisse monetam, suapte patet. Quare cum in hac legitur: *ΑΘΕ. ΘΕΣΣΑΛΩΝ. ΕΦΕΣΙΩΝ.*, intelligimus eos numos *Atheniensium, Thessalorum, Ephesiorum* auctoritate fuisse cusos. Sic et in numis Romae liberae, qui vetustioris sunt aevi, solum inscriptum ROMA legere est. Vrbes regibus subjectae veniam nonnunquam impetravere, monetam apud se feriundi, sed non raro ea tantum lege, ut regum, quibus obnoxii fuere, effigiem aut nomen illi insererent, cujus copiosa exempla suppeditant urbes in Phoenicia aut Parthia sitae, quarum illae numos cum capite regum Syrorum, hae Parthorum magno numero percusserunt, ut in singularum moneta docebimus. Valuit istud, quamdiu duravit servitium. At posteaquam hae autonomiam aut certis legibus sunt consecutae, aut sibi per vim extorsere, istud etiam obsequii genus continuo omiserunt. Hujus generis est signandae monetae libertas, quam Antiochus VII. Syriae rex Simeoni Judaeae duci inter alia autonomiae jura concessit: *et permitto tibi facere percussuram proprii numismatis in regione tua*).

Romani, cum regiones aut bello captas, aut sponte oblatas stante adhuc republica in provinciae formam redegissent, praeter alia libertatis jura feriundae etiam pecuniae permissum urbibus indulsere. Perrexerunt ergo Asiani cudere cistophoros, suos Attici tetradrachmos, suam alii monetam, quantum per facultates domesticas licuit. Neque jus istud, quod autonomiae pars fuit, ademptum ab Augustis, sed continuatum deinceps quoque, feriundo numos sive ex vetere instituto, nempe qui nullum cum Romanis rerum dominis nexum profiterentur, quos *autonomos* vocamus, sive inserto capite imperantis tum Augusti, aut alicujus ex ejus familia, quos propterea *officiosos* appello, de quibus egimus capite IV. Paucis tamen, ac nonnisi primi ordinis urbibus concessum argenteam domi ferire pecuniam, quales fuere Alexandria Aegypti, Antiochia Syriae, Caesarea Cappadociae, Tarsus, aliaeque. Coloniis Romanis ad feriundos numos opus fuisse permissu Augusti, deinde etiam proconsulum, inscriptum PERM. AVG., vel PROCOS. manifeste indicat, de quo vide tractatum de numis coloniarum. Inde a Gallieno vix jam amplius provinciae propriam suam, privatamque monetam habuere, ut dictum supra capite III. Atque hoc in statu jus monetarium in provinciis Romae subjectis fuit.

Roma libera monetae feriundae jus nemini, nisi sibi indulsit. Nulli unquam magistratui, nedum privato, permissum fuit, effigiem suam monetae publicae inferre. Ne ipse quidem Sulla, qui aliquot annis tyrannum egit, legesque ad arbitrium fixit, refixitque, jus illud attentavit. Si qua videmus in numis virorum reipublicae illustrium capita, eos satis constat ab eorum posteris ex S. C. rei monetariae praefectis signatos, dum in gentis suae decus eos, aut insignia eorum

---

s) Macchab. I. c. 15. v. 6.

merita in typorum argumentum legerent, quam nos materiam in prolegomenis ad numos familiarum prolixe tractabimus. Primo Caesari dictatori supremum istud jus honosque senatus consulto permissus, ut docebimus in ejus numis. Edito semel exemplo non adhaesere IIIviri, qui caeso dictatore per causam constituendae reipublicae summae rei praeerant, tum et Sex. Pompejus suo quodam jure ac nomine ferire monetam, quod quidem minus mirandum in hominibus, quibus vis ac licentia pro legibus fuere, cum idem ausus fuerit M. Brutus Caesaris parricida, qui libertatis P. R. vindex credi voluit.

Augusto rerum potito tanto certius in rem monetariam jus fuit, quia illud sibi jam arrogavit, cum nonnisi IIIvir reipublicae constituendae esset. Eundem tamen etiam honorem communicavit cum iis, quos tribunicia potestate donavit, ac primum quidem cum M. Agrippa, deinde Tiberio privigno. Habent quidem etiam numos aureos argenteosque Cajus et Lucius Agrippae filii, quos Augustus in imperii spem Caesares dixit, sed in eorum antica semper est caput Augusti. Indulsit deinde hunc honorem Tiberius Druso filio, ex quo illi tribuniciam potestatem detulit, item Germanico Caesari suo per adoptionem filio, sed cujus numi non exstant, nisi aenei. Drusi senioris numi in omni metallo nonnisi Claudio imperante signati sunt. Feminis vivis summus hic honos perdiu fuit negatus, neque eum indulsit Augustus uxori Liviae, quamvis gratia praevalidae, aut deinde filius Tiberius, atque etsi, quae multorum est opinio, ejus caput frequenter compareat in numis aureis, aeneisque, tamen in his non tam caput est Liviae, quam PIETAS, SALVS, IVSTITIA (nam haec nomina addita leguntur) Liviae imagine expressae, ex qua ipsa verecundia satis apparet, eam a monetae jure procul habitam. Mortuae deinde, ut et Antoniae Drusi senioris, et Agrippinae seniori a Caligula et Claudio signatos numos constat. Claudii et Neronis uxores numis carent, dempta Agrippina juniore, quae aureos quidem et argenteos habet, sed conjuncto semper capite vel mariti Claudii, vel filii Neronis. Habet tamen sola aeneos, senatu haud dubie praepotenti principis matri adulante. Primus Titus filiam Juliam in moneta solam proponi jussit, Domitianus deinde uxorem Domitiam, Trajanus uxorem Plotinam, sororem Marcianam, neptem Matidiam, quae subinde exempla imitati sunt principes successores. Sed haec ad numos tantum in urbe percussos pertinent. Nam Liviam adhuc vivam, tum et Juliam Augusti F., et sequentium principum uxores passim jactant numi in provinciis signati, quod in imperantem Caesarum domum obsequium permissum tantum fuit, non autem, nullo edito in urbe exemplo, imperatum. Perperam ergo adseruit Rinckius t), Hadrianum dilecto suo Antinoo majorem honorem praestare haud potuisse, quam cum in numis perpetuam ejus redderet memoriam. Non exstant numi Antinoi, nisi commatis peregrini, iique nonnisi post

t) de vet. num. pot. p. 83.

mortem ei tanquam deo, aut heroi dedicati, Graecis istud obsequium in Hadriani gratiam deproperantibus. At Romanae monetae majestatem probrosi hujus cinaedi effigie nunquam pollutam constat.

Denique ad praesens argumentum pertinet etiam, nosse veram significationem literarum S. C., quae inde ab Augusto usque ad Gallieni imperium in numis aeneis commatis Romani constanter leguntur, in aureis, argenteisque nonnisi rarissime. Istud jam inter omnes constat, eas legendas *Senatus Consulto*, sed quorsum referendum sit ipsum hoc senatus consultum, non eadem hactenus fuit virorum eruditorum sententia. Praetereo harum varias, sed jam hodie obsoletas, quas collectas habes in opere Joberti [u]). Communis et jam fere ab omnibus recepta sententia est, Augustum, cum unus rerum potitus rempublicam constitueret, auream, argenteamque monetam sibi reservasse, senatui jus in aeneam permisisse. Istud statuendi causas praecipuas habemus duas, quas jam nitide exposuit Baro Bimardus [x]). I. Certum est, literas S. C. non reperiri in numis imperatorum aureis et argenteis, aut, si quidem reperiantur, eas non ad numum ipsum, sed typum esse referendas, ut monebimus infra. II. Certum etiam, literas S. C. observari in omnibus fere numis aeneis ab Augusto, ut dixi, usque ad Gallienum, neque nisi rarissime desiderari. Ex qua adeo tam constante lege possumus jure dictam triplicis metalli inter Augustos, atque senatum divisionem arguere. Accedunt causae aliae. In marmore Gruteri [y]) memorantur OFFICINATORES. MONETAE. AVRARIAE. ARGENTARIAE. CAESARIS. Si moneta quoque aenea ad Caesarem pertinuit, cur haec excluditur? Teste Dione [z]) senatus odio Caligulae omnem hujus monetam aeneam conflari jussit. Quaeso, cur aeneam tantum, cum de abolenda ejus pestis memoria ageretur? Nullam certe aliam idoneam reperiemus causam, quam quod in aurum argentumque senatui jus non fuit, sed in monetam tantum aeneam. Denique, quod quidem argumentum ex gravissimis unum est, sed iis, qui in eadem disputatione versati sunt, hactenus intactum, certis potest testimoniis comprobari, imperatores jus feriundae monetae aeneae procul ab se habuisse. En tibi primum Othonem, cujus aurei argenteique justo numero supersunt, aeneus commatis Romani certae fidei nullus. Ii, qui existimant, senatui totum rei monetariae negotium fuisse commissum, quam, quaeso, causam, sed idoneam, proferent, cur is Othoni dedicaverit numos nobilioris metalli, negaverit vilioris, cum tamen plerumque Romae major monetae pars ex aere fuerit percussa? Divide jus, et paratum habebis responsum. Feriundo auro argentoque usus est Otho jure suo, non invasit aes, quia juris alieni; cur suo senatus in Othone usus non fuerit, ignoramus sane, ut multa in causis antiquariis alia. Tacitus, cum Vespasiani ad imperium vocati initia enarrat [a]), inter

u) T. I. p. 164. 207. et T. II. p. 12. 60.
x) ad Job. T. I. p. 209.
y) pag. 74. 1.
z) L. LX. § 22.
a) Hist. II. 82.

primas ejus curas refert: *apud Antiochenses aurum, argentumque signatur,* at cur non etiam aes? nimirum utrumque illud juris sui, istud senatorii fuit. Non pauci exstant ex argento Pescennii numi a viris fide dignis vulgati, aureus etiam unus, aeneus Latine inscriptus, qui censuram evaserit, nullus hucusque compertus. Jure istud. Pescennius enim, posteaquam semel imperium suscepit, aurum, argentumque ad se, non item aes pertinere est ratus, senatu interim Romae occupato feriunda moneta aenea cum capite Severi, in cujus is potestate fuit. Albini Clodii a Severo Caesareo nomine ornati numos habemus non aureos modo, argenteosque, sed et aeneos; at posteaquam is a Severo descivit, et Augustum se sua sponte dixit, aes ejus nomine feriri desiit. Neque enim hactenus repertus est Albini numus aeneus, qui eum Augustum diceret, etsi, qui hoc praestent, abundent argentei. Ejus facti causa plane expedita. Constat ex diserto testimonio Herodiani [b]), Severum nomine Albini Caesaris in Gallia absentis monetam Romae signari jussisse. Feriit ergo tum senatus numos aeneos tam nomine Severi Augusti, quam Albini Caesaris, quo modo is uno eodemque tempore signavit numos nomine Antonini Pii Augusti, et M. Aurelii Caesaris. Verum simul atque Albinus arrepto Augusti titulo hostis a Severo judicatus est, desinere etiam ejus moneta aenea debuit, Albino non sibi arrogante, quod alieni juris fuit, senatu, qui a Severo tenebatur, prosequi coeptum honorem non auso. Quos ergo habemus Albini numos cum Augusti titulo, nobilioris metalli sunt omnes, eo jubente per Gallias, Britanniamve cusi, quas ille provincias in potestate habuit. Atque his credo argumentis, ab ipsis rei numismaticae causis petitis, evidenter comprobatum esse jus monetarium inter senatum et Augustos divisum.

Haec latius exposui, quia video, divisum istud jus non modo olim a Joberto in dubium vocatum, quem deinde locis supra adductis solide refutavit Baro Bimardus, sed nuper etiam majore adhuc nisu a viro praeclarae eruditionis Stephano Morcello, statuente denique, aurum, argentum, aes semper auctoritate senatus signatum esse [c]). Lubet praecipuas virorum praestantium rationes audire primum, deinde refellere, quia eadem opera plus lucis accedet communi sententiae, novisque ea, ac plane solidis argumentis stabilietur. Ajunt, monetae curatores nullo discrimine dici *IIIviros Auro, Argento, Aeri flando feriundo.* Generatim jam respondit Bimardus [d]), nequaquam repugnare, eosdem praefectos potuisse procurare et monetam Caesarum, et senatus. At enim argumentum, quod opponam, multo mihi solidius praesto est. Tanta est in imperatorum moneta numorum aureorum et argenteorum concordia, ut raro exstet typus aliquis in auro, qui non idem plane, et secundum omnes causas exstaret etiam in argento, et vicissim, saltem sub iis imperatoribus, qui plures ex auro numos feriundos curavere. Confer cum his monetam aeneam sub primis impera-

b) L. II. sub fin. c) de stilo inscript. Lat. L. I. p. 223. d) ad Job. T. II. p. 62.

toribus signatam, quam enorme utrinque discrimen, nullis certe, aut nonnisi raris communibus typis. Ergo, si senatui in nobilius quoque metallum jus fuit, cur is non principum merita, quae profuse in aere commendavit, in aurum quoque et argentum transtulit? non sub Tiberio *Civitates Asiae restitutas, Clementiam, Moderationem*, non sub Caligula *Restitutam Ducentesimam*, non sub Nerone *Congiaria*, *Decursionem* etc., non sub Galba *Quadragensumam remissam*, non sub Nerva *Frumentum plebi constitutum?* E converso, quod tantum senatui fastidium, ut v. g. sub Augusto *Signa a Parthis recepta*, perpetuum aureae et argenteae monetae argumentum, ne semel quidem in aere ostentaret? Inquiet Morcellus, etiam stante republica, quo tempore nemo negaverit totum rei monetariae negotium penes senatum stetisse, alios typos habuisse numos aureos, argenteosque, alios aeneos. At enim parum idonee huc aliquis vocaverit reipublicae tempora. Tum enim aes certos suos, fixosque habuit typos sive lege, sive consuetudine, a qua non facile discessum, asses quidem Janum, semisses Jovem, trientes Palladem etc., aurum et argentum praedicandis majorum praeclare factis, aut cuicunque alteri argumento servatum fuit. At non sic imperatorum aevo, quo, ut ex allatis exemplis vidimus, spectato typorum delectu idem jus fuit aeri atque metallo nobiliori. Etiam capitis varians in imperatoribus cultus varium monetae jus non obscure indicat. Habent hi inde a Nerone in non paucis aeneis pro laurea coronam radiatam, in aureis, argenteisque, saltem quamdiu in vivis fuere, nunquam usque ad Caracallae imperium, qui primus in moneta argentea radiatus comparet. Ex quo arguo, quoniam corona radiata certum fuit divinitatis symbolum, noluisse imperatores in moneta sui juris praeferre speciem, tanquam divinitatem ipsi sibi arrogarent, etsi hanc superstitionem permitterent senatui in moneta, cujus typos ipse dictavit. Cum ergo in utroque numorum genere videamus variare et typos et modos, quis non etiam ab hac ipsa causa duplex arbitrium, et duplex adeo jus arguat?

Aliud deinde argumentum, omnia metalla ad senatum pertinuisse, Cl. Morcellus a decoro repetit. Incredibile enim sibi visum, omnes Romanos principes tanta levitate, ne dicam amentia, fuisse, ut in honorem ipsi suum inscriberent in numis suis *Aeternitati Aug., Auctori pietatis, Optimo principi, Adsertori libertatis publicae, Restitutori orbis* etc. Existimavit ergo vir eruditus, jus Augustis in aurum, argentumque signandum esse non potuisse, nisi et ipsi inscriptiones, omnemque monetae suae modum procurarent. At ego existimo, Augustos sic mandasse praefectis monetae suae negotium, ut ipsi providerent pondus ejus justum, ac metalli probitatem, quod vero ad laudes, honoresque immodicos attinet, non imperasse haec quidem, tamen permisisse, ut sibi in moneta deferrent. Si Augustus, vir sane moderatus, passim permisit provincialibus, ut templa sibi domi, arasque statuerent, et divinos adeo honores deferrent, ut copiose docebimus in ejus numis, si idem Asiae urbibus indulsit Tiberius ambitionis, laudumque

k 2

contemptor, non mirabimur, passos eos, monetae suae inscribi titulos laudum fastuosos, aut humanitatis modum excedentes. Atque haec cum admitterent principes, an propterea vani atque amentes, ac non potius versuti, artiumque politicarum probe gnari, cum scirent, objecto divinitatis nomine populorum intendi observantiam, reverentiamque? Lege de hoc argumento Tacitum[e]). Ergo et vanus, amensque Severus, vir sane cordatus et dexteritatis cognitae, cum, quod multo magis mirandum, obscurae ipse prosapiae M. Aurelii se filium est professus ex causis, quas in ejus principis moneta expediemus.

Relictum Augustis auri, argentique jus supra ex Dione stabilivimus, perhibente, senatum Caligulae odio omnem ejus monetam, sed aeneam tantum, in quam nempe unam ei jus fuit, conflari jussisse. Molestum hunc nodum sic explicare tentat Morcellus: quoniam, inquit, Caligulae numi aenei, et quidem prae aureis, argenteisque abundant, apparet, a senatu non in ejus monetam aeneam ordinariam saevitum, sed in numos aeneos maximi moduli, quos unos ait a Dione nomine *νομισματος του χαλκου* notari. Re vera, inquit, hactenus duos tantum ejus generis numos Caligulae in catalogis vulgatos, unum in museo Theupoli, alium in museo Florentino. Minus aequus suae ipsius causae patronus fuit vir eruditus, nam et utrumque hunc maximae formae numum poterat negligere, et quidem numum Theupolianum, quia ex contorniatis unus est, et tribus adeo circiter saeculis post Caligulam signatus, Florentinum, quia et argenteus est, et Graecus, commatis adeo peregrini, non Romani, sic ut ne unum quidem aeneum ejus moduli cum Caligulae effigie habeamus superstitem, qui aut eo vivo, aut in urbe cusus sit. At vero si sic capienda esse Dionis verba existimat Morcellus, quia vix exstat numus Caligulae maximae formae, necesse est statuere, senatus odium in omnes principes inde ab Augusto usque ad Trajanum flagrasse, quia fere horum omnium deficiunt numi aenei maximi moduli Romae signati, quod jam inter omnes artis nostrae peritos satis constat. Quod vero non obstante senatus edicto, etsi, quod eodem loco addit Dio, effectu non caruit, obvii tamen hodieque sint Caligulae numi aenei, in causa haud dubie est, partim quia ira in numos praesentes, et qui redimi facile poterant, desaevierit, eaque, ut fit, paullatim deferbuerit, partim, quia sparsi jam toto imperio numi imperatum exitium facile vitavere. Testante iterum Dione[f]), eoque coaevo, Caracalla fratris Getae odio monetam ejus conflavit, an vero impetrare potuit, ut non in hunc usque diem Getae numi in omni metallo abundent?

Atque ut longiori disquisitioni finem denique imponam, satis reor his, quae commemoravi, argumentis stabilitam videri hanc, de qua agimus, inter principes et senatum rei monetariae divisionem, atque hunc jus suum inserto S. C. voluisse indicari. Enimvero cum constet,

e) Ann. IV. 37. 38. f) L. LXXVII. § 12.

Augustum victis aemulis paullatim omnem senatus populique potestatem sibi subjecisse, an verisimile, omisisse eum jus signandae monetae, quod, ut initio hujus tractatus diximus, certissimum semper summae in republica potestatis argumentum fuit habitum? Quod si monetae negotium cum senatu communicavit, sibique metallum nobilius, viliore senatui permisso, reservavit, fecit istud populariter ac moderate, ne huic nihil relinquere pristinae potestatis videretur. Eodem is exemplo, ac propter eandem causam totius imperii provincias inter se ac senatum sic divisit, ut, quae plus haberent roboris et auctoritatis, suas esse vellet, reliquas senatui, populoque permitteret, quo quidem instituto praesentem etiam de monetae divisione causam praeclare puto illustrari.

Superest, ut nonnullas alias inscripti numis S. C. causas expediamus.

I. Inde ab Augusto generatim haec nota numis, qui monetae rationem habuere, fuit inserta. Est tamen aliquod numorum genus, quod, etsi commatis certe Romani est, et moneta indubitata, nota S. C. constanter caret. Intelligo aeneos II. formae in Tiberii moneta obvios, in quorum aversa est Caduceus inter duo cornuacopiae, et quod cumprimis observatu dignum, ea quoque carent aenei Vespasiani et Domitiani, qui eundem habent typum. At vero ejus omissae causam fuisse veri similem, quia idem hic typus fuit symbolum senatus, populique, probabimus aliquando in numis Tiberii ad annum V. C. 775.

II. Eadem haec nota in numis maximae formae inde ab Hadriano cusis plerumque omittitur. Supra capite V. verisimile esse dixi, istud quoque numorum genus senatus arbitrio fuisse signatum, omissam autem generatim notam S. C., ne cum moneta ordinaria confunderetur. At sunt etiam in illustrioribus museis hujus classis nonnulli, qui notam S. C. addidere, cujusmodi vel in solo museo Albani habes numos Trajani, Antonini, Caracallae, Alexandri Severi, atque hos inter etiam aliquos amplo orbe conspicuos, aut ex duplice metallo formatos. Istud cum factum, illa nota indicabit aut arbitrium senatus, qui eos, etsi non in monetae usum, feriri jussit, aut referenda erit ad typum eo modo, quo mox eandem notam aureis quoque, argenteisque numis impressam explicabimus. Numos Decii aeneos maximae formae, eosque obvios, qui omnes notam S. C. praeferunt, non moror, quia dubitari non potest, eos veram fuisse monetam, et satis constat, eo imperante in monetae aeneae pondere ac forma multa fuisse immutata.

III. Post Gallienum, ut diximus, nota S. C. etiam ex moneta aenea migravit. Vtrum istud factum arbitrio principum, auctoritate senatus jam tum fere exstincta, an suapte exoleverit usus, incertum, neque magnopere laboramus, cum vetera Romae instituta jam hoc aevo pleraque fatiscerent, quod accidere rei monetariae praecipue debuit, quia tum officinae, in quibus moneta feriretur, coepere in provinciis stabiliri, cum jus istud hactenus soli urbi permissum esset.

IV. Nonnunquam S. C. monetae etiam aureae et argenteae imperatorum inscri-

ptum legitur. Non tamen ex eo quis arguerit, hos nobilioris metalli numos auctoritate senatus fuisse percussos, et quod sequitur, huic quoque in illos aliquid juris fuisse. Nonnunquam enim ea nota ad typum tantum refertur, indicatque, illud, quod in numo proponitur, senatus consulto fuisse decretum. Similia exempla jam etiam in denariis urbis liberae occurrunt. Legitur in denariis M. Lepidi S. C., in denariis M. Scauri EX. S. C., nimirum M. Lepidus, quod et numus eloquitur, factus est TVTOR. REGIS. *Senatus Consulto*, et M. Scaurus AED*ilis* CVR*ulis* EX. S. C. Adde his denarios Manlii Torquati, et Sex. Pompeji, Lentuli, aliorumque passim. Ergo cum in numis aureis et argenteis Vespasiani consecrati legimus EX. S. C., ea formula notat, non, eos numos EX. S. C. signatos, sed, quod juris fuit senatorii, Vespasianum EX. S. C. consecratum. Sic epigraphe POPVL*i* IVSSV in denario Octaviani indicat, statuam equestrem, quam is numus exhibet, non numum ipsum *populi jussu* fuisse procuratum. Aureis non paucis Diocletiani et Maximiani idem S. C. inscriptum legitur, sed difficile est, ejus aetatis leges ex vetere praescripto metiri, omnibusque siglis, quae tum in moneta copiose apparent, certam significationem tribuere.

V. Notam S. C. etiam numis nonnullarum urbium exterarum videmus inscriptam, cujus causa non satis expedita. Vide, quae de ea dicemus in numis Antiochiae Syriae, et in tractatu de numis Coloniarum capite VII. At multo magis mirum, eandem senatus consulti notam comparere etiam in nonnullis Agrippae II. regis Judaici numis.

VI. Imperatores Orientes adeo sibi aurum in re monetaria volebant esse proprium, ut nollent, nisi cum sua accessit auctoritas, a regibus externis signari aurum, et si hi istud forte ausi sunt, quod prohibere Romani non poterant, ei monetae valor in imperii R. finibus fuit interdictus. Vide de hac causa plura infra capite XVI.

CAPVT XIV.

De praefectis monetae, eorumque ministris.

De his Graecorum sive numi, sive rerum Graecarum scriptores nihil suppeditant. Neque enim apud illos monetae praefecti, quod Romae aliquamdiu factum, nomina sua illi inscripsere. Qui viros Atheniensium tetradrachmis inscriptos tales credidere, nonnisi infirmas attulisse conjecturas, in eorum moneta docebimus. Quae ergo in hoc argumento dicemus, ad unos Romanos spectabunt.

Ad quaestores Romae pertinuisse explorare bonitatem metallorum, docemur testimonio Livii. *Karthaginienses,* inquit[g]), *eo anno argentum in stipendium*

g) L. XXXII. 2.

impositum primum Romam advexerunt. Id quia probum non esse quaestores renunciaverant, experientibusque pars quarta decocta erat, pecunia Romae mutua sumpta, intertrimentum argenti suppleverunt. Quae ars cum jam superiore reipublicae aetate cognita esset, miror sane, tempore exeuntis reipublicae a Plinio dici artem factam denarios probandi [h]).

Propius Romae stante adhuc republica res monetaria ad III viros monetales pertinuit, qui in numis dicuntur III VIR*i* A. A. A. F. F. id est: A*uro* A*rgento* A*eri* F*lando* F*eriundo.* Constituti hi fuere circa annum V. C. 465. Tribus unum addidit Caesar dictator, ut deinde essent IIII viri, sed ternarium numerum restituit Augustus, quae omnia numorum testimonio comprobantur. Verum de his omnibus prolixius agam in prolegomenis ad numos familiarum, atque etiam ibi credam opportunius, quia III virorum, aut IIII virorum titulo etiam eorum nomina semper adduntur.

Imperante Augusto, atque anno circiter V. C. 740. III viri monetales inscribi numis desivere, non tamen propterea eorum etiam munus antiquatum. Vulgavit Cl. Cajetanus Marinius insigne marmor Trajani aetate positum C. IVLIO. M. F. VOLT. PROCVLO. - - - IIIVIRO. A. A. A. F. F. [i]) Aliud Severi aetate positum Q. HED. L. F. POL. RVF. LOLLIANO. GENTIANO. - - - IIIVIRO. A. A. A. F. F. refert Gruterus [k]). In lapide, qui Gordianum Aug. memorat, proditur PAVLLVS. L. L. AEGIVS. PASSER. III VIR. A. A. A. F. F. vulgante Sponio [l]), quod monumentum docet praeterea, IIIviratum hunc Gordiano imperante vilescere jam coepisse, quia homini liberto delatum fuit. In alio marmore Sponii [m]) XX VIR. MONETALIS. De ejus aetate aliud adfirmari non potest, nisi post L. Veri obitum positum fuisse. Sed probabimus etiam in prolegomenis ad familiarum numos, IIIvirum monetalem dici etiam potuisse XX virum. Postremum ergo monumentum, quod III viros monetales memoret, est laudatum marmor sub Gordiano positum. Conjecit Bimardus [n]), quia monetarii imperante Aureliano, ut narrat Vopiscus, apertam seditionem spectarunt, sic ut justo exercitu reprimendi essent, alium tum rei monetariae modum ac regimen fuisse praescriptum. Infimo aevo, ut constat ex Notitia utriusque imperii, is, cui signandae pecuniae cura mandata fuit, dictus est *Procurator,* vel *Praepositus Monetae.* In marmore, quod vulgavit Seb. Donatus [o]), legitur MONETAE. TREVERICAE. PRAESES. Vide plura apud Bimardum [p]).

Ministrorum rei monetariae, operarumque multiplicia nobis nomina ac munia conservarunt marmora. Qui operis praefuit, dictus est *Optio.* Qui in metallorum probitatem inquisivere, vocabantur *Exactores auri, argenti, aeris.* Reliqui ministri generatim: *Monetarii, Officinatores monetae aurariae argentariae Caesaris, Numularii officinarum argen-*

---

h) L. XXXIII. § 46. i) Iscriz. Alban. p. 54. k) pag. 417. 5. l) Miscell. p. 273. m) Miscell. p. 189. n) ad Jobert. T. II. p. 66. o) Suppl. ad Thes. Murat. p. 263. 7. p) l. c.

tearum familiae monetariae, Numularii officinatores monetae. Magis definite *Signatores, Suppostores, Malleatores, Flatores* vel *Flaturarii.* Quae quidem nomina solum indicasse satis esse existimo, quia solum ad partem numorum mechanicam, a nostro instituto fere alienam, pertinent, quo de argumento vide plura apud Sperlingium [q]), et Bimardum [r]).

Scalptorum, qui numismatum ipsas matrices elaborarunt, mirum profecto, vix aliquam in veterum monumentis fieri mentionem. Et vero cum in copiosis veterum numis miremur artem ad summam perfectionem provectam, artificum tam praestantium nomina perinde merebantur ad posteritatem transmitti, quam istud factum a Plinio commemorandis iis, qui a gemmarum scalptura insignem famam sunt adepti. Eodem etiam jure propter artis excellentiam poterant scalptores monetarii numis inscribere nomina sua, atque istud fecere gemmarum scalptores, inciso v. g. *ΑϹΠΑϹΙΟΥ*, vel: *ϹΟΛΩΝ ЄΠΟΙЄΙ.* Vnicum inscripti artificis exemplum reperi in numis tribus Cydoniae Cretae, qui sunt omnes in museo Caesareo, nimirum: *ΝΕΥΑΝΤΟΣ. ΕΠΟΕΙ.* Dorice pro *ΕΠΟΙΕΙ.* Monetarium etiam latere leviter suspicatus est Froelichius in nomine *ΟΡΣΟΒΑΡΙΟΣ*, quod legitur in numis Musae Bithyniae reginae, sed quod aliter esse capiendum, in ejus numis dicemus. Forte non pauca artificum nomina continebunt copiosa monogrammata, quae saepe aream numorum Graecorum occupavere, sed quis haec evolvat? Etiam in hac causa parcior Romanorum moneta nullius nobis artificis nomen dedit, neque defectum hunc supplevere marmora. Quin hactenus unicum reperi lapidem, qui scalptorum, et quidem generatim tantum, mentionem faciat. Eum vulgavit celeberrimus Marinius [s]). Verba, quae huc pertinent, sunt: NOVELLIVS. AVG. LIB. ATIVTOR. PRAEPOS*itus* SCALPTORVM. SACRAE. MONETAE. Lege ibi insignia Marinii ad marmor istud observata. Vellem equidem, aurea saecula in prodendis praestantium monetariorum nominibus tam fuisse loquacia, quam istud fuere saecula barbara in promulgandis suorum nominibus, ut cum legimus in numis Clodovaei: DOCCIO. MON*etarius,* in numis Dagoberti: ELIGIVS. MON*etarius,* vel in numis Viennae Allobrogum cum capite Mauricii Aug. EX. OFFICINA. LAVRENTI.

CAPVT XV.

De officinis monetariis, et copia numorum veterum.

Graecorum iterum sive numi, sive commentarii nihil nos de eorum officinis monetariis docuere. Ergo in Romanis tantum morabimur.

---

q) de num. non cus. cap. 34. r) ad Jobert. T. II. p. 62. seq. s) Iscriz. Alban. p. 109.

Quae fuerit stante republica earum conditio, dicemus in Prolegomenis ad numos Familiarum cap. VI. Inde ab Augusto monetam Romanam fere tantum Romae fuisse signatam, certum est. Solus Strabo, de sua aetate loquens, ait, Lugduni Romanorum praefectos cudere monetam auream, et argenteam [1]). Emeritae in Hispania a P. Carisio legato cusos denarios ad pondus et modum monetae R., docent residui id genus numi copiosi, quos explicabimus in denariis gentis Carisiae. Ab aliis imperatoribus nonnunquam alibi constitutas officinas, a Vespasiano Antiochiae Syriae, a Pescennio in Oriente, a Clodio Albino in Gallia, nimirum quia Romanae sibi clausae fuerunt, diximus capite XIII., atque ex eadem causa tyrannos in sua quemque ditione, quam invaserant, signasse numos, suapte patet.

Quis fuerit officinarum status inde ab Aureliano, quo imperante, aut saltem non multo post per provincias imperii distributae fuerunt, dicetur in tractatu de numis inferioris aevi.

* * *

Quod ad copiam numorum veterum attinet, eam magnopere variasse, et variare debuisse, et ratio docet, et hac locupletior magistra experientia. Amplis imperiis, regnis, civitatibus multa fuisse opus pecunia, suapte patet, ac propterea nequaquam mirum, Romanorum, Philippi II., filiique Alexandri M., Atheniensium, Syracusanorum numos incredibili copia reperiri. Tamen fuere civitates his potentia non modo non aequandae, sed nomine ac viribus multo inferiores, quarum opes numismaticae hodieque redundant, ac propterea contemnuntur, ut Thasiorum, Dyrrhachenorum, ac variarum Graeciae M. urbium. Contra aliarum illustris olim famae civitatum, ceu Corinthi, Elidis, Olynthi etc. aut nullos, aut paucissimos habemus numos.

Generatim hoc loco monemus tantum, (nam de copia, vel raritate numorum singularum civitatum in harum moneta agetur) numerum monetae veteris, quae ad nostra tempora pervenit, esse incredibilem, multoque tibi facilius centum monetae Thasiae, vel Dyrrhachenae, vel Massiliensis numos praesto fore, quam vel unum Carolorum, Othonum, Fridericorum, Henricorum, Germanicae stirpis imperatorum. Neque vero superstitis majore numero monetae veteris causa unica est, quod illo aevo major fuit pecuniae usus, ac propterea copiosius signata, sed etiam quod moneta Graecorum, Romanorumque magis fuit solida, magis crassa, et figuris altius exstantibus, at medii aevi moneta gracilis, subtilis, et aliquo tempore bracteata tantum, quo factum, ut illa in nostrum aevum durare potuerit, haec non item.

Has veteris aevi reliquias uni telluris beneficio debemus eas ultro offerentis, sive cum aguntur fundamenta, sive putei fodiuntur, sive muniuntur viae, sive vomere terra proscinditur. Plerumque tum rari, sparsique, saepe singuli reperiuntur numi. Lautiorem saepe messem reclusa

[1]) L. IV. p. m. 292.

mortuorum sepulchra dedere, quorsum eos nota veterum superstitio adegit. At nullum uberius aucupium, quam cum casus thesaurum obtulit, quem seu vetus avaritia, sive ab hostibus externis metus nemine conscio defodit, quo modo narrat Appianus, Rhodios in bello cum Cassio pecuniam suam partim terra, partim puteis, partim sepulchris condidisse [u]). Tantae fortunae illustria exstant exempla memoriae prodita. Narrat ex Lazio Fabrettus [x]), ejus viri aetate reperta in flumine Sargetia Daciae veteris plus quam quadraginta millia numorum aureorum, qui magna ex parte Lysimachi Thraciae regis nomine fuerunt inscripti. Prope Brestum Britanniae circa annum 1760 reperta fuisse vasa figlina repleta numis imperatorum numero fere XXX. millium, perhibet Pellerinius [y]). In agro Fuxensi inventum est dolium vetus, in quo continebantur LX. millia numorum, quorum nullus Gallieni imperium excessit. Erant inter hos rarissimi Tranquillinae, Corn. Superae, Pacatiani duo. Excepi haec Tolosae ex catalogo MS. academiae, ubi adhuc numi rariores ex omni numero selecti adservantur. Narrat alibi Pellerinius [z]), anno 1759 prope Laodiceam Syriae, hodie *Latakié*, a rustico effossum thesaurum locupletem praestantissimis numis Graecis constantem, et in suam potissimum gazam derivatum. Quam stupendus monetae veteris numerus eodem loco defossae reperiatur frequenter in Dacia vetere, praecipue in hodierna Transilvania, et Walachia, expertus ipse non semel sum. Scripsit mihi exc. princeps Turris Muciae, thesaurum numorum Syracusanorum ex argento, qui hinc caput Palladis, illinc Pegasum exhibent, pondere CC. librarum ruri prope Syracusas inventum fuisse.

Superest docere, cum tantas nobis opes anteacta aetas suppeditet, ad quem numerum numorum, exclusis omnibus ejusdem argumenti, adsurgere possit museum quoddam his reliquiis liberalissime instructum. Nemo jam est, qui non stomachetur hiatum promissoris Wolfgangi Lazii, civis olim nostri eruditi sane, sed parum utique cordati, cum in commentariis suis DCC. millia numorum veterum sese vulgaturum sponderet. Non est mihi animus elevare hoc loco insani hujus promissi fidem, quia istud a me post alios praestitum jam est in Historia musei Caesarei, quam ejus catalogo praefixeram. Vt supra, quam credi potest, excessit Lazius, ita nimium teste Morellio [a]) detraxit Carolus Patinus, qui vix VII. millia in cimeliarchiis reperiri olim credidit. Ipse Morellius, cum haec scripserat anno 1695, delineata sua manu possedit XXV. millia numorum veterum [b]). Bimardi census, sed ut ipse professus est, tantum verisimilis, fuit talis [c]): Aurei imperatorum 3000, argentei eorundem 6000, aenei eorundem III. formae 20000, ut adeo aenei omnium trium formarum adsurgere facile possint ad 30000. In hunc censum nondum venere numi maximi moduli. Concludit denique [d]), adnumeratis his, tum et qui-

u) Bell. civ. L. IV. c. 73. x) de colum. Traj. pag. 235. y) Rec. III. pag. XLIX. z) Mél. I. p. 104. a) Specim. p. 9. b) l. c. c) ad Jobert. T. I. p. 66. seq. d) pag. 68.

nariis, iis, quos *potius* appellamus, plumbeis, numis consularibus, denique regum, urbiumque, confici numerum veteris monetae posse, qui millia L. superaret etiam. Haec Bimardus obiter, nullo ἀκριβειας proposito, sed quam praestare in hoc censu labor esset molestus, et ad extremum ἀδυνατος. Conjecturis, sed his tamen solidis, possumus numerum saltem vicinum eruere. Cum Bimardus in hoc suo computo meminerit abbatis Rothelinii, qui unius Probi mille octingentos varii commatis numos possedit, satis apparet, eum numos omnes, modo ex levissima et maxime ignobili causa unus ab altero differret, cujus naturae est maxima eorum pars inde ab Aureliano, in calculum suum recepisse. Secus numerum aeneorum III. formae ad 20000 millia porrigere non potuisset. Quam legem si ad Augustorum numos applicuit, valere etiam debebit ad alias numorum classes, ac tum infinitam varietatem dabunt numi familiarum, v. g. Calpurnii Pisonis, Roscii, Papii, Sentii, aliorumque, in quibus persaepe litera alphabeti, aut nota arithmetica, aut minutum quoddam sigillum totum discrimen faciunt. Ingentem deinde accessionem suppeditabunt numi commatis externi, v. g. Syracusanorum didrachma, Philippi II. et Alexandri M. moneta, solis item sigillis adiaphoris, aut literis solitariis varia, drachmae Dyrrhachenorum, quae unum magistratum variant etc., de quibus causis agetur infra capite XVIII. His si addamus, quantum veteris monetae nondum cognitae inde a Bimardi temporibus comparuit, ut videre licet ex catalogis Pellerinii, Hunteri, Ennerii, Zoegae, Taninii, aliorumque, vix dubitare licebit, universum monetae veteris numerum ad LXX millia posse extendi. Verum tantus numorum numerus plus propter multitudinem oneris adferet, quam propter discriminum ignobilitatem veri emolumenti, idque unum cognita haec infinitarum matricum diversitas poterit praestare commodi, ut vel hoc uno argumento confirmentur ea, quae de signata olim incredibili numero monetae copia hactenus disserui. Omissis superfluis his opibus malim mihi contingere museum, quod XXX. millia non magnopere excedat, qui numerus tam justus est, ut facile continere possit emolumenta omnia, quorum causa thesauri numorum veterum instruuntur. Enimvero Pellerinii thesaurus, ex illustrissimis unus, qui hactenus coaluere, complectebatur numorum millia XXXII. supra D., unde aliquot centurias sine universi detrimento posse detrahi ipse professus est [e]).

e) Additions in praefat.

CAPVT XVI.

De valore monetae externae, et mortui principis.

Non agimus hoc articulo de moneta nonnullorum populorum privata, quae monetae imago potius fuit, quam vera moneta, qualis fuit ferrea Spartanorum, scortea Carthaginiensium, stannea Syracusanorum, aliave alterius materiae, quas tractavimus supra cap. VI. Hi nimirum numi, cum non essent ejus materiae, quae ex communi usu ad signandam monetam valuit, pretium habebant quidem a republica praescriptum, sed quod sibi praescribi populi vicini, liberique passi non sunt. Agimus ergo hoc loco tantum de moneta triplicis, usitatique metalli, auri, argenti, aeris.

Monetae externae aliunde quocunque modo invectae varius fuit usus. Aut fuit mercis loco, qua conditione fuere Victoriati ex Illyrico Romam advecti teste Plinio[f]), atque etiam Philippi aurei, a Philippo Macedone sic dicti, praecipue tum, cum monetae aureae usus nondum Romae valuit, quorum adeo tantum fuit pretium, quantum valebant pondere. Adde ingentem vim numorum Oscensium, Cistophorum, aliorumque monetae peregrinae varii nominis, quam per bella externa ex hostico captam praedae nomine importatam multis locis meminere Livius, aliique, subinde in monetam patriam fusione transformatam. Mercis etiam modum habuit aurum L. talentis argenti aestimatum, quo Tithraustes Persa corrupit urbes Graecas, ut Agesilaum ex Asia summoveret[g]). Aut valuit moneta externa, etsi ejus in foro rerum venalium usus non esset, ad faciliorem commercii usum cum populis exteris, aut in stipendia militum, cum foris bellum gerendum fuit, aut si commeatus, aliave vitae, aut belli subsidia foris quaerenda fuere. Non ergo mirum, Atheniensibus, etsi aurum apud eos non fuisset signatum, praesto semper fuisse aureos stateres Daricos, Cyzicenos etc., quorum saepe mentionem facit Demosthenes, aliique, quique a trapezitis peti facile poterant. Non etiam mirum, a Persis Graecas civitates saepe oblatis Daricis legi corruptas, aut corrasos fuisse a Spartanis, ut in horum moneta dicemus, omnis commatis numos aureos, argenteosque, quibus etsi domi uti non liceret, tamen, ex quo Graeciae principatum ambivere, ad belli apparatus necessarios, et expeditiones procul a patria susceptas opus fuit. Fecerunt hae causae, ut numus hospes, praecipue cum a metallo nobilitas accessit, non minore esset in honore, quam qui natura civitatis jus habuit.

Quo tempore civitates fere singulae propriam suam habuere monetam, et exclusere alienam, necesse fuit, commercia, ut olim, sola mercium permu-

f) L. XXXIII. § 13.

g) Xenoph. Hist. L. III. p. m. 502.

tatione peragi, quod incommodum sua adhuc aetate fuisse permolestum questus est Xenophon, cum ait [h]): *ἀλλα μην και τοις ἐμποροις ἐν μεν ταις πλεισταις των πολεων ἀντιφορτιζεσθαι τι ἀναγκη, νομισμασι γαρ οὐ χρησιμοις ἐξω χρωνται, praeterea mercatoribus plurimis in civitatibus reddere onera pro oneribus necesse est, numis enim foris inutilibus utuntur.* Hujus levandi incommodi causa conventum nonnunquam videmus inter gentes vicinas, ut earum moneta utrobique valeret. Teste marmore Oxoniensi II. v. 55. pacti sunt Smyrnaei cum Magnetibus, ut sua apud hos moneta aequo jure habeatur. *Δεχεσθωσαν δε και ἐμ Μαγνησιᾳ το νομισμα το της πολεως ἐννομον.* Athenis obolos etiam Aeginaeos in foro valuisse, elegans Diphili apud Athenaeum testimonium comprobat [i]). Alias etiam necessariis istud causis postulantibus permissus monetae externae valor. Refert Polybius [k]), Ptolemaeum Evergetem Rhodiis terrae motu paene eversis praeter infinitam aliam liberalitatem donasse *χαλκου νομισματος ταλαντα χιλια, monetae aeneae talenta M.,* quam ergo verisimile est, in domestici quoque commercii usum fuisse admissam. Sunt etiam, qui in causis minutorum signorum, quae saepe in numis urbium Graecarum incusa comparent, etiam putant permissum monetae externae valorem, de quo ex proposito agemus alibi.

Fuisse tamen monetam aliquam publicam, cujus valorem universa Graecia adprobaverit, videtur posse colligi ex insigni Platonis loco, quem, quia ad plures causas valet, lubet integrum proponere. *Accedit ad haec,* inquit [l]), *et alia lex, quae vetat, privatum quemcunque possidere vel aurum, vel argentum; non tamen et numum, causa scilicet impensae quotidianae, quam et opificibus fere necesse est repraesentare, et omnibus, quibuscunque opus est, mercenariis, servis, et familiae tanquam mercedem rependere. Cujus causa permittimus quidem habere pecuniam, sed ejus generis, quae domi tantum suum habeat valorem, ab exteris vero reprobetur, civitati ipsi vero etiam communem Graecorum pecuniam* (*κοινον Ἑλληνικον νομισμα*) *causa bellorum, et ad exteras gentes profectionum, ut sunt legationes, aliaeve causae similes. Privato vero si necesse aliquando sit foras proficisci, impetrata a magistratibus venia proficiscatur. Quod si domum reversus pecuniam peregrinam habeat residuam, civitati eam exhibeat, ejusdem valoris domesticam pro ea recepturus. Quod si quis occultare eam, et in privatum usum convertere deprehensus fuerit, publica fiat; qui vero ejus fuit conscius, neque indicavit, iisdem cum eo, qui intulit, maledictis et opprobriis obnoxius esto, ad haec multa non minore puniatur, quam allatus peregre numus fuerit.* En tibi ex hoc testimonio pecuniam Graecorum communem, quam non dubitem fuisse monetam Atheniensium argenteam incredibili copia signatam, et qua omnis Graecia abundavit. Neque ego aliam fuisse causam existimo, cur illustriores

---

h) *περι προσοδων* p. m. 922. i) L. VI. p. m. 225. k) Hist. L. V. c. 89. l) de Legib. L. V. p. 742.

Cretae urbes, ut dicemus in Atheniensium numis, tam anxie Atticae monetae in numis suis pondus, typos, causasque omnes fuerint imitatae, quam ut ad communem tum universae Graeciae monetam conformarent quoque suam. In moneta communi serius habiti quoque fuerint numi Alexandri M., nam hos quoque proxime imitati sunt reges exteri, ut dicetur in hujus regis numis. Pecuniae per Graeciam communis meminit etiam Polybius cum narrat, Spartanis, quia bellis sese externis implicari passi sunt, atque ad horum sumptus non valeret pecunia ferrea, necessitatem fuisse impositam acquirendi *κοινου νομισματος* [m]). Quod ad monetam auream attinet, videntur Darici inter Graecos instar monetae domesticae accepti fuisse, expensique. Lacedaemonii, cum Xenophontis milites a Cyri expeditione reducis sibi adjungere vellent, in has leges ivere, ut Daricum unum menstruum singulis in stipendium darent, praefectis cohortium binos, ducibus quaternos [n]). Frequens etiam in Graecorum commercio Cyzicenorum mentio, de quibus egimus capite IX.

Romanos moneta externa pro merce usos, supra ex Plinio diximus, ac multo istud magis tum, ex quo primum moneta argentea, subinde et aurea lege ordinaria signata fuit. Coepere ergo tum numi exteri, praecipue si antiquioris notae fuere, in cimeliis haberi. Narrat Suetonius [o]), Augustum in Saturnalibus praeter alia varii generis munera divisisse etiam *numos omnis notae, etiam veteres regios ac peregrinos.* Ex quo apparet, in commercii eos usu non fuisse. Quo tempore Sicilia praetorem Verrem habuit, valuisse in hac insula numos et Romanos, et Siculos, ex Cicerone discimus [p]). Imperante jam Augusto monetae provinciali parari exitium coepit. Ei auctor fuit Maecenas, ut ne urbs propriam haberet monetam, pondus, mensuram, omnes Romanis uterentur [q]). Revera in Occidentis provinciis paullatim moneta omnis coepit aboleri, sola obtinente Romana, ut tamen diutius ea in provinciis in Orientem positis duraret, quod argumentum copiosius alias tractavimus. Denique per orbem cultiorem juxta monetam Romanam alia non fuit, quam regum Bosporanorum, et Persarum. Illi Romanis plerumque obnoxii aureis, argenteisque numis suis fere constanter imperatoris coaevi caput uni eorum faciei insculpsere, quin tamen existimem, in imperii provinciis eorum fuisse usum permissum, partim quia in moneta externa semper habiti fuere, partim quia eorum numi aurei a Romanis differebant pondere et auri probitate, nam ex electro potissimum fuere. Teste Procopio [r]) indulsit Justinianus regibus Francis, ut eorum moneta aurea intra imperii Romani fines aeque valeret. Quod cum indultum non fuerit regibus Persarum, etsi prohiberi non potuissent, quo minus aurum signarent, quia tamen moneta aurea a commercio cum Romanis exclusa sibi fuisset inutilis, malebant uno argento esse

m) Hist. L. VI. c. 47. n) Xenophon Exped. Cyri L. VII. p. m. 413. o) in Aug. c. 75.
p) in Verr. L. III. c. 75. 76. q) Dio L. LII. § 30. r) Goth. L. III. c 33.

contenti. Vide totam hanc causam copiose ac nitide tractatam a Bimardo, et falsa aliorum de ea judicia refutata[s]). Moneta imperatoria fere sola in imperii provinciis dominata; facilem etiam propter auri argentique bonitatem accessum ultra imperii fines, et remotissimas gentes nacta est. Narrat Arrianus [t]), Barygazam, quae est urbs Indiae citra Gangem, praeter alias merces deportari etiam solitum *δηναριον χρυσουν και ἀργυρουν, ἐχον ἀλλαγην και ἐπικερδειαν τινα προς το ἐντοπιον νομισμα, denarium aureum et argenteum, cujus cum moneta domestica quaestuosa est commutatio.* Cujus quidem testimonii fidem haud ita pridem vidimus confirmari numis aureis imperatorum II. saeculi in parvo vase repertis apud pagum *Nelore* in intima India supra Gangem situm, ut lego in opere *Asiatik Researches* Calcuttae edito Tom. II. § XIX., quo loco et numi duo, Hadriani et Faustinae, pars ejus thesauri, aeri incisi proponuntur. Verum igitur fuit testimonium Cosmae Indopleustae jam alias a me productum, ope monetae Romanae omnes gentes agere commercia.

* *
*

Monetam mortui principis, sive Graeci, sive Romani, suum adhuc retinuisse valorem, nisi cum per causas sive politicas, sive quascunque alias abolenda visa fuit, tam certum est, ac omnibus vulgo persuasum, ut omittere nulla jactura possim, quaecunque ad istud comprobandum paraveram. Neque necesse fuerat ejus vel meminisse, nisi a Morcello, praeclarae eruditionis viro, sed forte unico, nuper canore adsertum viderem, mortuorum monetam continuo aboleri fuisse solitam [u]). Certum est, fuisse nonnullos inferioris aevi imperatores, qui solam suam monetam valere in commerciis voluerunt, sed constat etiam, a proximis istud principibus fuisse improbatum. Vide, quae alia huc pertinent, apud Rinckium [x]).

CAPVT XVII.

De inscriptionibus.

Copiosam suapte materiam nequaquam copiose tractare est animus, sed eas tantum persequi partes, ex quarum cognitione ars numismatica, aut generatim philologiae studium aliquid potest percipere utilitatis. Hujus ergo tractatus articulos statuimus sequentes.

§ I. De inscriptionum ortu, progressu, meritis.
§ II. De scriptura retrograda, et *βουστροφηδον*.
§ III. De vario inscriptionum situ.
§ IV. De linguis.
§ V. De literis solitariis.

---

s) ad Jobert. T. I. p. 116. t) in Periplo Erythr. T. I. p. 28. edit. Hudson. u) de Stylo inscr. L. I. p. 220. x) de vet. num. pot. cap. XIV.

§ VI. De compendiis scripturae.
§ VII. De literis incusis.
§ VIII. De modo inscribendi nomina urbium, et populorum.
§ IX. De dialectis.
§ X. De forma literarum Graecarum.

§ I.

De inscriptionum ortu, progressu, meritis.

In ipsis artis monetariae incunabulis nullas plerumque insertas fuisse literas, ex numis ipsis potest intelligi. Etenim in illustrioribus museis aurei argenteique commatis vetustissimi justo numero servantur, quos nulla unquam inscriptionis nota insignivit. Idem intellige de vetustissimis aeneis Italiae mediae. Nimirum antiqua illa aetate cultu simplice contenta, atque omne superfluum amputante satis visum imprimere metallo notam qualemcunque, testem auctoritatis publicae, quae singularum civitatum monetam discerneret. Is literarum defectus civitatibus olim innoxius nobis istud attulit mali, quod multorum numorum, qui sic anepigraphi sunt, patriam certam ignoremus. Multis contigit aliorum similium beneficio, sed literis insignium, ad vitam revocari. Selinuntis Siciliae numos solo apii folio notatos, cum diu incerta sede vagarentur, nuper, cujates essent, intelleximus prolato simili alio cum epigraphe *ΣΕΛΙ.* Idem beneficium experti sunt multi alii, quos nunc praetereo.

Tamen etiam secuta aetas, quanquam rarius, numos dedit omni inscriptione destitutos. In causa etiam tum fuit, quia, cum civitates aliquae certos habuerint typos, quibus aliae aut usae non sunt, aut utendi causam non habuere, natale suum solum ipsi dictaverunt. Sic silphium, planta Cyrenaica, in numis conspicuum suapte elocutum est patriam Cyrenaicam, balaustium Rhodum, vas monotum certae formae Cymen Aeolidis, clypeus Boeoticus Thebas etc. Huc pertinent numi urbium cum typis homonymis, ut cum Cardia Thraciae signavit *cor, καϱδιαν*, Clides insulae *clavim, κλειδα*, Rhodus *rosam, ϱοδον*, Side *malum Punicum, σιδην*, Selinus *folium apii, σελινον* etc., cujus generis numos Galli concinne *Médailles parlantes* dixere.

Videntur fuisse urbes, quae jam inde a principio monetam suam inscriptione distinguere instituerunt. Nullum me videre memini numum illiteratum seu Sybaris, seu Posidoniae, seu Cauloniae, seu Crotonis, etsi commatis sint antiquissimi, et ipsi suis se typis satis discernerent.

Vetustissimo aevo paucis literis inscribi urbis nomen consuevit. Sic Crotoniatarum antiquissimi numi habent *ΚΡΟ.*, Sybaritarum *ΣΥ.*, Atheniensium *ΑΘΕ.* etc. Noli tamen istud legis certae instar putare; nam habemus perantiquos Syracusanorum scripto plene *ΣΥΡΑΚΟΣΙΟΝ* literis pervetustis, tum et Rhegii, Messanae, Phaesti, Rhauci. Multis tamen populis serius quoque parca epigraphe placuit. Ad hoc genus pertinent numi solo *Σ*, eoque grandiore notati, crediti olim esse Maleae Laconiae, placita nunc magis Sicyone, vel Siphno. Notum *Α* magnum ad significandum Argos Argolidis. Frequentiores sunt cum adjecta altera adhuc litera, ut *ΣΙ.* Siphniorum, *ΣΕ.* Seriphiorum, at cum solum *Σ* ponitur, incerto, utrius sint po-

puli. Adde *ΚΥ.* Cymes Aeolidis, Cydoniae, Cyrenes, Cypri, *ΛΑ.* Laconum etc. Pellerinius prolixum nobis catalogum dedit urbium, populorumque, qui nomen suum una, binis, tribus literis in moneta expressere y), verum me judice plerumque fallit, aut saltem ambiguum est iudicium, quod is ex literis solitariis capit, demptis iis, quae frequenter in coloniarum numis occurrunt, sed ad quas rite explicandas juvant causae aliae. Sic E solitarium notare *Emeritam* Lusitaniae, docent praefixae C. A., id est: *Colonia Augusta.* Certius deinde indicium, cum nomen populi binae literae *ἀρχαιουσαι* exprimunt, sed adhuc tum cautione opus est, et saepe a variis varie fuit peccatum. Ipse Pellerinius numum *ΛΑ.* Lacedaemona amandavit, qui certae est Larymnae Boeotiae. Mox vidimus literas *ΚΥ.* plurium urbium patientes. Minuitur ambiguum, aut fere evanescit addita litera tertia. Reges etiam non pauci scripturae compendio sunt usi, ac praecipue reges Bospori Cimmerii, scripto v. g., *ΒΑΣ. Π.*, quo indicatur *ΒΑΣιλευς Πολεμων* hujus nominis alter, *ΒΑ. Ρ. rex Rhescuporis I., ΒΑ. Κ. rex Cotys I.* etc. In numis familiarum v. g. Q. C. M. P. I. id est: *Quintus Caecilius Metellus Pius Imperator,* sed de quibus alibi. De compendio scripturae ope monogrammatum agetur infra.

Generatim observo, parsimoniam scripturae fuisse notam aevi simplicioris, aut etiam reipublicae, regni, imperii florentis, in cujus locum aetas luxu depravata, aut versus in pejus rerum status invexit loquacitatem hortante sive vanitate, et ambitione, sive adulatione. Cum regnum Syriae valeret opibus, satis ad dignitatem visum est scribere modestum illud *ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΣΕΛΕΥΚΟΥ.* vel *ΑΝΤΙΟΧΟΥ.*, at vero extenuata ejus regni potentia en tibi v. g. Antiochum XII. haec crepantem: *ΒΑΣΙΛΕΩΣ.ΑΝΤΙΟΧΟΥ.ΔΙΟΝΥΣΟΥ. ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ. ΦΙΛΟΠΑΤΟΡΟΣ.ΚΑΛΛΙΝΙΚΟΥ.*, nimirum ut pauperes jam reges provinciarum jacturam titulorum copia pensarent. Ephesiis republica integra ac viribus valente suffecit solum *ΕΦΕΣΙΩΝ.*, verum attritis rebus suis solabantur sese honoribus adscititiis, v. g. *ЄΦЄCΙΩΝ. Δ. ΝЄΩΚΟΡ. Η. ΠΡΩΤΗ. ΠΑCΩΝ. ΚΑΙ. ΜЄΓΙCΤΗ.* Confer et Smyrnaeorum tumorem. Auctae per ambitionem, aut laudis studium scripturae multa praebent documenta numi Romani tam familiarum, quam imperatorum, quae praetereo. Adulationis in principes canora suppeditant argumenta numi tam Graeci, quam Latini. Pervulgatum est illud Cianorum, Nicaeensium, Caesariensium Cappadociae: *ΚΟΜΜΟΔΟΥ.*, vel *CЄΟΥΗΡΟΥ. ΒΑCΙΛЄΥΟΝΤΟC. Ο. ΚΟCΜΟC. ЄΥΤΥΧЄΙ. Commodo,* vel *Severo regnante orbis felix est,* item copiosi tituli, quos urbes Graecae in Parthia sitae in reges Parthos contulere. Romana turpis servitii exempla propter copiam omitto.

Inscriptione numorum, atque ejus praecipue ubertate, quae veteri parsimoniae successit, magna in universam philologiam fluxisse commoda, in aperto est.

---

y) Supplém. II. p. 105. seq.

Quantam inde lucem accipiant historia, chronologia, geographia, mythologia, theologia, ritus, allegoriae, verbis exponere longum foret, et patebit ex operis decursu unius philologiae commodis consecrati. At vero quod praecipuum est inscriptionis numismaticae beneficium, capitibus Augustorum, regum, personarum utriusque sexus illustrium adjecta, quorum ea sint effigies, nomenclatoris more dictat, quo sane unico subsidio vetus iconologia nititur, et sine quo in hunc usque diem ignoraremus effiges, quas nobis reperta omnis generis veterum simulacra objiciunt, quia quaecunque alia monumenta addere eorum, quorum sistunt imagines, nomina neglexerunt. Ergo si qua veteris aevi in lucem profertur imago, ad numos provocamus, quorum oraculum si eam definit, satisfactum nobis putamus, neque ultra inquirimus, sin cessat, in incertarum numero nullo vindice habebitur.

§ II.

De scriptura retrograda, et βουστροφηδον.

Hoc articulo comprehendo modos illos, qui a modo scripturae ordinario a sinistra ad dexteram progredientis, et eadem iterum lege incipientis, aut in orbem ductae discedunt. Sunt vero I. scriptura retrograda, II. ea, quae Graecis *βουστροφηδον* dicitur.

I. *Scriptura retrograda.* Est hic modus in numis Graecorum plerumque testis aevi pervetusti, retentus a populis Orientis, qui in Graeciam scripturam invexere. Sic in numis Himerensium Siciliae antiquissimis legitur AЯƎMIH pro HIMERA, Messanensium Siciliae *ИOIИAƧƧƎM* pro *ΜΕΣΣΑΝΙΟΝ*, quam scribendi legem Froelichius perperam in monetariorum vitiis putat[z]) Neque tamen existimes, omnem epigraphen valde antiquam fuisse etiam retrogradam. Contrarium docebunt copiosi variarum regionum numi, praecipue M. Graeciae et Siciliae, qui etsi omnes longae vetustatis characteres offerunt, tamen moris recentioris legem sequuntur. Non raro in uno eodemque numo utrumque scripturae modum videre est. In antiquissimo Buxenti Lucaniae scribitur *ΠΥΞΟΕΣ* more nostro, et *ΣΙΡΙΝΟΣ* retrograde. In alio non magnopere vetusto Cyrenensium est *ΚΥΡΑΝΑΙΩΝ* moris novicii, ut *ΘΕΥΦΙ.* retrogradum. Eandem discordiam inter literas ejusdem verbi singulas potes observare. Sic in frequentibus Atheniensium numis, quos dabit Haymius, habes *ΑΘƎ* pro *ΑΘΕ.*

Non tamen semper epigraphe retrograda numum in prima rei monetariae tempora promovet. Fuere praeter Orientis linguas aliae nostri solis, quarum literae plerumque a dextera ad sinistram tendunt. Vide numos Etruscorum, Samnitum, Oscorum, qui inscriptionem fere semper retrogradam offerunt, etsi numi Etrusci non pauci admodum vetusti aevi non sint, numi vero Osci et Samnitici intra VI. et VII. saeculum urbis conditae lucem viderint, ut suo loco docebitur. In numis Atheniensium aeneis, ac propter hanc ipsam causam serioris aevi, legitur retrograde *ΑΘΗΝΑΙΩΝ.*[a]) Denique scriptura retrograda ingruentem etiam bar-

---

z) IV. Tent. p. 380. a) Hunter. Tab. XI. n. 2. et 6.

bariem, rudesque artifices arguit. Hoc modo scribitur vocabulum *ΜΗΛΙΩ* in numo aevi sequioris Meli insulae [b]), et similis ruditas occupavit numos Cydoniae Cretae cum capite Tiberii [c]), ut taceam exempla alia passim obvia.

II. *Scriptura βουστροφηδον.* Hunc modum Pausanias celebrem Cypseli arcam describens sic explicat [d]): *Των δ' ἐπι τῃ λαρνακι ἐπιγραμματων ἐπεστι τοις πλειοσι γραμμασι τοις ἀρχαιοις γεγραμμενα. Καιτα μεν ἐς εὐθυ αὐτων ἐχει, σχηματα δε ἀλλα των γραμματων, ΒΟΥΣΤΡΟΦΗΔΟΝ καλουσιν Ἑλληνες. Το δε ἐστι τοιονδε. Απο του περατος του ἐπους ἐπιστρεφει των ἐπων το δευτερον, ὡσπερ ἐν διαυλου δρομῳ. Epigrammata arcae majorem partem literis vetustis exarata sunt, quarum quidem aliae recto ordine progrediuntur, aliae vero ejus sunt modi, quem BOVSTROPHEDON Graeci vocant. Is vero est talis. A fine versus prioris versus alter revertitur, perinde atque in diauli cursu.* Etymon dedit Hesychius in *Βουστροφηδον: οὑτως ἐλεγον, ἐπαν ὁμοιως τοις ἀροτριωσι βουσι τας ἀντιστροφας ποιῃ τις. Ελεγον δε ἐπι του γραφειν τροπῳ τοιουτῳ. Sic dixere, cum quis more arantium boum conversiones facit, ut cum tali modo scriptura peragebatur.* Hac lege tabulas Solonis fuisse scriptas testatur Harpocration [e]). Ab his testimoniis docemur, hunc scripturae ordinem esse ex antiquissimis unum.

Montfauconius injecta *ὡς ἐν παροδῳ* hujus scripturae mentione, nulla ejus superesse vestigia adfirmavit [f]). Si marmora spectes, vere istud potuit adfirmare, quia ejus aetate eorum nullum *βουστρόφηδον* inscriptum cognitum adhuc fuit. Edmundus Chishull in suis ad marmor Sigeum observatis unicum hoc exemplum scripturae *βουστροφηδον* inter omnes ubique reliquias antiquitatis exstare dixit [g]). Iterum istud verum, si de marmoribus sermo, nam marmora Fourmontiana eadem lege inscripta serius aetas in apricum protulit. At si eruditi hi IIviri antiquissimos urbium, populorumque numos, qui jam tum passim cogniti fuere, consuluissent, non sane ignotum hunc scribendi modum in omnibus vetustatis reliquiis adseruissent. En ex numis exempla aliquot omissis multis aliis:

ΑΚΡΑΓ	ΑΚRAC
NITNA	*ΣOTИA*
ΥΑꟼ	Rhauci Cretae.
ΚΙΟΝ	(Hunter.)
ΝΕΟΠΟΛΙ	Neapolis Camp.
ΣΑΤ	(Mus. Caes.)
ϘΡΟ	Crotonis.
ИOT	(Mus. Caes.)

ΣΙΛΑ	in numis
ΣOИ	Agrigenti.
ΣΟΛ	Soli Ciliciae.
NOƎ	(Hunter.)
ΤΕΝΕΔΙ	Tenedi insulae.
ΝΟ	(Pellerin.)
ΑΚ	Acanthi Maced.
ΝΑ	(Hunter.)

Enimvero vetustissima Graecorum scribendi ratio, et literarum forma ex solis numis, quos autonomos vocamus, urbium populorumque peti debet, sed quos majorum nostrorum plerique neglexere, solis fere tantum regum et Augustorum numis

b) Peller. c) Mus. Caes. d) L. V. c. 17. e) in Ο κατωθεν νομος. f) Palaeogr. p. 118. g) Ant. Asiat. p. 13.

intenti. Quod supra in scriptura retrograda dixi, hanc non semper numum in antiquissima tempora promovere, etiam ad praesentis scripturae legem valere debet. Sunt in museo Caesareo numuli duo aenei plane gemini Amphipolis Macedoniae, in quorum uno legitur *AM ΦI* in altero *AM IΦ* qui alter scribendi modus a monetarii sive inscitia, sive negligentia fluxit. Idem toties suspicare, quoties in monumentis serioribus scripturam *βουστροφηδον* reperies.

§ III.

De vario inscriptionum situ.

Inscriptiones jam partem numi adversam, jam aversam, jam utramque occupant, jam literis in orbem euntibus, jam lineis rectis vario itinere, iisque, cum longior est epigraphe, multiplicatis. In numis Abderae, regum Parthiae etc. quadratum efficiunt, cui typus tanquam vallo includitur.

Non raro utriusque partis inscriptio conjugenda est. Frequens istud in numis Augustorum, cum in aversa horum tituli continuantur. In numis Graecorum est v. g. hinc *ΤΡΑΛΛΙΑΝΩΝ,* inde *ΚΑΙCΑΡЄΩΝ*, nimirum Tralliani a Caesare nomen honorificum sortiti. Ejusdem rationis est hinc *ΛЄΥΚΑΔΙѠΝ*, inde *ΤѠΝ. ΚΑΙ. ΚΛΑΥΔΙΑΙѠΝ* in numis Leucadis Coelesyriae. Hinc COL., inde BER. in numis Beryti. Magis mirum, ac vel ideo magis rarum, pars ejusdem verbi in aversam trajecta. Sic in numo antiquissimo Lai Lucaniae hinc *ΛΑΙ*, inde *ΝΟΣ*, nempe *Λαινος* urbis gentile, item hinc *ΑΒΑΚ*, inde *ΑΙΝΟΝ*, in numis Abacaeni Siciliae. Contra in aliis urbis, vel populi nomen utrinque legitur. Ita *ΚΡΟ.*)(*ΚΡΟ.*, vel *ΤΑΡΑΣ.*)(*ΤΑΡΑΣ.* in pervetustis Crotonis et Tarenti numis, item *ΙΛΙЄΩΝ.*)(*ΙΛΙЄΩΝ.* Iliensium Troadis.

Epigraphe, quae ex lege ordinaria numi aream, quam typus vacuam reliquit, solet occupare, nonnunquam in ipsos typos involat. Nomen urbis *ΑΙΝΙ.*, Aeni Thraciae, galeae Mercurii inscriptum legitur, et *FΑΛΕΙΩΝ*, Faliscorum Etruriae, diademati, quo caput juvenile praecingitur. Eandem sedem saepe occupant magistratuum nomina in numis Syracusanis. In numis Agrigenti nomen populi *ΑΚΡΑΓΑΝΤΙΝΩΝ* exaratum est in tabella quadrata. Alia, quae monetae praefectus aut magnifica, aut ad principum laudes commendare voluit, promulgant arae, bases, epistylia, clypei etc. Abstineo exemplis, quae numi inspecti copiosa suppeditant.

§ IV.

D e l i n g u i s.

Romanos Latine, Graecos Graece, Phoenicios, Hebraeos, Hispanos, Oscos sua singulos lingua in moneta locutos, consentaneum est, et docent numi ipsi. De Latina et Graeca, utraque nobis abunde cognita, per universum hoc opus agere necesse non est. Reliquarum inscriptiones in singulorum populorum moneta aut explicabimus, aut ignorare nos profitebimur. De numis Phoenicie inscriptis disseremus ad calcem numorum Phoeniciae, et una conjungemus numos lingua peregrina inscriptos a Cilicibus, Siculis, Poenis, Numidis, Hispanis, quorum linguae a Phoenicia ductae videntur.

Infinita sunt exempla, urbes et regiones victas victoris populi lingua in moneta locutas. Posteaquam Macedones per Alexandri M. victorias Orientem sibi subjecere, lingua Graeca aut statim, aut paullatim totius Orientis numos occupavit, ipsarum etiam regionum, quibus lingua Graeca ante aut fuit ignota, aut propter peregrinitatem exosa. Graecam igitur videas Asiam minorem mediterraneam a solis antea barbaris habitatam, Syriam, Phoeniciam, Judaeam, Aegyptum, Mesopotamiam, ipsa remotissima Bactra. Graecae exemplum secuta Latina coloniis Romanis per provincias sparsis, quarum pleraeque numos Latine inscriptos edidere. Tandem inferiore aevo omnes linguas alias ex orbis Romani moneta extrusit, nisi quod per intervalla principum Byzantiorum numi Graece sunt locuti.

Servitium, adulatio, permixtio populorum, unum etiam arbitrium numos *bilingues* parturivere. In elegantibus Macedonum tetradrachmis, ex quo Romanis parere sunt jussi, legitur *ΜΑΚΕΔΟΝΩΝ.* et AESILLAS *Quaestor*. In cistophoris Asiae, v. g. *ΑΠΑ. ΜΥΙΣΚΟΥ.*, et P. LENTVLVS. IMPERATOR. In aureis, argenteisque Alexandri M. habes *ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ.*, et *Acen* Galilaeae literis Phoeniciis scriptam. Graecam cum Phoenicia mixtam passim offerunt numi urbium Phoeniciae, Graecam cum Hebraica numi regum Judaeae, Latinam in societatem cum Graeca recepere Polemo II. Ponti rex, Antiochia Syriae, Caesarea Cappadociae, Tyrus et Damascus coloniae, Cyprus, Philippopolis Thraciae, cum Latina videas sociatam Punicam et Numidicam, cujus exempla copiosa dedit Pellerinius [h]), veterem Hispaniensem etc. Numi Romani commatis perraro sunt bilingues admissa in consortium sola Graeca, quam colere et imitari semper honorificum visum etiam prostrato populo, qui ea utebatur. In denariis plurium gentium Romanarum exstant literae alphabeti Graeci, in denariis gentis Voltejae notae Graecorum arithmeticae, etc. In insigni numo maximae formae musei Caesarei cum capite Gordiani reliqua omni inscriptione Latina legitur *ΘΕΟΣ. ΟΠΛΟΦΟΡΟΣ.*, in aliis: *ΝЄΙΚΗ, ΟΠΛΟΦΟΡΟϹ.* In denariis Philippi patris, filii, et uxoris primum comparent notae Graecae arithmeticae, quae serius in Romanorum moneta cum fastidio recurrunt. Literas variarum linguarum miscuit aut barbaries, ut cum in numis Gallicis Latinae Graecis miscentur, aut monetaria oscitantia, ut cum in anno epochae *ΡΠΑ.*, quem exhibet numus Aradi, litera postrema A Phoenicia est.

§. V.

De literis solitariis.

Sic appello literas, quae praeter inscriptionem urbis, populi, principis, magistratus aream numorum obsident. Earum usus frequens fuit in numis tam Graecorum, quam Romanorum. Frequens iis hospitium in numis familiarum, rarum in denariis Augusti, nullae sub Tiberio, Caligula, Claudio, eas admisere aliquot numi Neronis aenei, rursum disparent usque ad Philippos, deinceps copia sua mole-

h) Rec. III. p. 121. seq.

stae esse occipiunt. Quae earum in his sit significatio, dicetur partim in prolegomenis ad numos familiarum, partim in animadversionibus ad numos imperatorum.

In numis Graecis, nisi aut annum epochae, aut imperii, aut regni indicant, incertae fere sunt explicationis. Hujus generis obviae sunt in autonomis urbium Ciliciae, in imperatoriis urbium Syriae, de quibus agemus in numis Berhoeae Cyrrhesticae, in imperatoriis urbium Ciliciae, Pamphyliae, Pisidiae etc.

Generatim monendum, cum litera solitaria in numis ejusdem naturae omnibus eadem semper est, tum eam aliquid offerre ad numi explicatum pertinens. Sic litera *Φ* in denariis gentis Marciae capiti regio adstituta, et constanter quidem, haud dubie *ἀρχαιουσα* est *Φιλιππου* Macedoniae regis. Cum variant, in monetariorum potius notis sunt putandae, et nulla scientiae jactura praetereundae, nisi malimus in iis explicandis nimium seduli ac curiosi aut risum lectoribus, aut taedium movere, quo vitio praeter insignes viros alios laborasse cumprimis Vaillantium et Havercampum saepenumero irascimur.

§ VI.

De compendiis scripturae.

His frequentissime in omnibus suis monumentis usi veteres, ut cum scripsere COS pro CONSVL, *ΑΘΕ* pro *ΑΘΕΝΑΙΩΝ*. Majoris compendii fuere *siglae*, hae quoque usitatissimae, nimirum cum scripto elemento primo verbum totum intelligebatur, sic S. C. fuit *Senatus Consulto*, P. P. id est: *Pater Patriae*, aut in Graecis *Π. Π. Πατηρ Πατριδος*. Harum aliqua exempla jam dedimus § I., neque amplius de iis videtur agendum, quia aut ipsae suam manifestant significationem, sin minus, in incertis sunt putandae, aut in literis solitariis, de quibus egimus § proxima. Exempla siglarum, quae in familiarum numis frequentia occurrunt, dabimus in Prolegomenis ad harum numos.

Diutius hoc loco immorandum notis illis, quas *Monogrammata* appellamus, quae consistunt literis sic colligatis, ut unus earum ductus literis pluribus sufficiat, cujus obvium, notumque exemplum offert Æ scriptum pro AE. Copiosa exempla, quae suppeditant familiarum numi, in horum Prolegomenis quoque proponemus. In imperatorum numis vix amplius occurrunt, nisi sero, ac tempore regum Gothorum in Italia.

Graecis mature haec scribendi lex adrisit, cujus testes sunt numi autonomi omnis metalli. Fuere viri eruditi, quibus operae pretium visum earum investigare naturam, ac praecipue tum, cum difficilior ac impeditior eorum explicatio videbatur. Froelichius complures hujus generis notas collegit, et aeri incisas vulgavit tabula XX. Annalium Syriae. Earum numerum auxit Pellerinius exhibitis duabus tabulis aeneis [i]), sic tamen, ut eas tantum seligeret, quae nomina urbium populorumque eloquuntur. Monogrammata in his conspicua non pauca rationem habent satis expeditam, v. g. *ΑΡΚ*. Arca-

i) Suppl. II. p. 137.

dum, *KOP.* Corcyrensium, *MA.* vel *MAΓ.* Magnesiae, *ME.* Messenes, *ΠΑΤΡΕ.* Patrarum Achaiae, *TYP.* Tyri etc., quae singula necesse non videtur aeri insculpta repraesentare, quia aut videri possunt in laudato Pellerinii opere, aut quia de iis agetur in singularum urbium moneta. Eorum tamen complura tam vagos continent ductus, ut nonnisi violente urbis nomen possint significare, cujus generis est, quod Pellerinius numero 64. proposuit, et quo ait Smyrnae nomen contineri, etsi certum sit, illud saepe in Smyrnaeorum moneta occurrere. Alia sunt, quae me judice in monogrammatis perperam putantur, quia literarum modum ac formam non habent, sed sunt potius signa aut symbola, quae sibi populus quispiam propria esse voluit, cujus generis est illud Gazae in vulgus notum, linea recta una, altera intorta se mutuo secantibus, quod Pellerinius dedit numero 24., et de quo agemus in ejus urbis numis.

At praecipua in describendis monogrammatis opera fuit Cl. Combii, qui eorum omnia, quae in autonomis musei Hunteriani reperit, tribus tabulis aeneis complexus est, quarum prior est num. 63. His enucleandis nemo, credo, sanus operam impendet, cum satis appareat, eorum pleraque aliud non esse, quam monetariorum signa arbitrarie composita, quorum significatio ipsis tantum, aut quorum praeterea intererat, fuit cognita. Exstant numi, ac praecipue Macedonum, Atheniensium, Cilicum, quorum unus idemque duo, aut terna continet monogrammata, quo magis de eorum reperiundo sensu possumus desperare.

§ VII.

De literis incusis.

Nimirum signatis jam numis saepe incusae fuerunt, et post multos quidem etiam annos, literae variae obviis in moneta vetere exemplis. Istud hoc loco tantum indicasse sufficiat; nam cum repetitus hic labor saepius in insculpendis typis, seu sigillis, unde et *signa incusa* dici solent, fuerit versatus, similium notarum explicationem opportunius in tractatu de Typis peragemus.

§ VIII.

De modo inscribendi nomina urbium et populorum.

Jam dixeram § I., Graecos in scribendis urbium suarum nominibus vario compendio usos, v. g. *A* solum notasse Argos, vel Abydum, *ME.* Metapontum, *AΘE.* Athenas etc. Aliis placuere monogrammata, de quibus egimus § VI. Hoc loco, missis nominibus sive decurtatis, sive monogrammate illigatis, consideramus modum, quo ea in numis scripta sunt nullo in fine literarum detrimento.

Nomen urbis saepe in casu recto exaratur, praecipue in numis antiquissimis, sic *TAPAΣ*, *Tarentum*, *ΠΥΞΟΕΣ*, *Buxentum*, *ΣΕΛΙΝΟΕΣ*, *Selinus*, RECION, *Rhegium*, MESSANA, HIMERA etc. Sic et in numis Romanis et coloniarum: ROMA, — AVGVSTA. EMERITA, etc. Idem non raro in gignendi casu, ut: *ΑΜΙΣΟΥ. ΔΑΜΑΣΚΟΥ. ΒΥΒΛΟΥ.* etc. Insolentior est accusandi casus CORINTHVM in numis Corinthi coloniae.

Frequentissimus modus est urbis ἐθνικον, seu gentile in genitivo plurali, ut: *ΕΦΕΣΙΩΝ*, *ΘΕΣΣΑΛΩΝ*, *ΘΑΣΙΩΝ*, etc., in Latinis: TYRIORVM. Rarius idem reperitur in casu recto multitudinis absolute posito, ut: *ΣΥΡΑΚΟΣΙΟΙ.*, *ΑΙΝΙΟΙ.*, at frequentius aliquo praeterea addito, ut: *ΠΕΡΓΑΜΗΝΟΙ. ΚΑΙΣΑΡΑ*, nempe: *colunt, honorant.* In numo Antiochiae Syriae: *ΚΑΙΣΑΡΙ. ΣΕΒΑΣΤΩ. ΑΡΧΙΕΡΕΙ.*)(*ΑΡΧΙΕΡΑΤΙΚΟΝ. ΑΝΤΙΟΧΕΙΣ.*, id est: *Caesari Augusto pontifici maximo ob susceptum pontificatum maximum* coronam *Antiochenses* dedicant. Sed et copiosa sunt exempla ejusdem gentilis recto unitatis expressi, praecipue in autonomis vetustioribus, v. g. *ΝΕΟΠΟΛΙΤΗΣ*, *ΚΡΟΤΩΝΙΑΤΑΣ*, *ΚΑΥΛΩΝΙΑΤΑΣ*, *ΣΙΡΙΝΟΣ*, *RECINOS*, *ΜΑΘΥΜΝΑΙΟΣ*, *ΘΕΒΑΙΟΣ*, *ΚΑΤΑΝΑΙΟΣ*, etc. Non raro gentile proponitur in dandi casu multitudinis numero, sed tum verbum *ΑΝΕΘΗΚΕ* vel additur, vel subauditur, ut: *ΚΤΙΜΕΝΟϹ. ΑΝΙΝΗϹΙΟΙϹ.*, vel: *ΒΕΤΟΥΡΙΟϹ. ΤΟΙϹ. ΑΡΚΑϹΙ.*, in aliis plenius: *ΙΕΡΩΝΥΜΟϹ. ΑΝΕΘΗΚΕ. ΚΥΜΑΙΟΙϹ.*, de qua formula agam in tractatu singulari.

Nomen urbis vel populi nonnunquam in utraque numi parte scriptum reperitur. Sic in antiquissimo Methymnae utrinque *ΜΑΘΥΜΝΑΙΟΣ*, in antiquissimis Crotonis utrinque *ϘΡΟΤ.*, in numis Pellae Macedoniae utrinque *ΠΕΛΛΑΙΩΝ.* etc. Saepe in antica legitur v. g. *ΑΜΦΙΠΟΛΙϹ*, in aversa *ΑΜΦΙΠΟΛΕΙΤΩΝ*, vel: *ϹΜΥΡΝΑ.*)(*ϹΜΥΡΝΑΙΩΝ.*, vel: *ΤΗΜΝΟϹ.*)(*ΤΗΜΝΕΙΤΩΝ*, vel: *ΠΕΛΛΑ. ΠΕΛΛΗΣ.* etc., at tum nomen, quod est in antica, vel indicat genium urbis, vel Amazonem, aut quamcunque aliam ex antiquitate illustrem feminam, quae urbi nomen dedit.

Restat modus unus, isque non infrequens, cum pro solito gentili ponebatur urbis κτητικον, *possessivum.* Sic pro gentili *ΘΕΣΠΙΕΩΝ* scribitur possessivum *ΘΕΣΠΙΚΟΝ*, et sic pro *ΑΡΚΑΔΩΝ*, *ΑΙΓΙΕΩΝ*, *ΝΑΓΙΔΕΩΝ*, *ΚΩΙΩΝ*, *ΜΑΙΟΝΩΝ*, *ΦΕΝΕΩΝ*, *ΤΕΡΣΕΩΝ* (Tarsensium), *ΒΙΣΑΛΤΩΝ*, scribuntur eorum possessiva *ΑΡΚΑΔΙΚΟΝ*, *ΑΙΓΙΟΝ*, *ΝΑΓΙΔΙΚΟΝ*, *ΚΩΙΟΝ*, *ΜΑΙΟΝΙΟΝ*, *ΦΕΝΙΚΟΝ*, *ΤΕΡΣΙΚΟΝ*, *ΒΙΣΑΛΤΙΚΟΝ*, subaudiendo nimirum vel νομισμα, vel, ut in Aegiensium numis, *ΗΜΙΟΒΕΛΙΝ. ΑΙΓΙΟΝ.*, *semiobolus Aegiensis*, vel aliud quiddam compositum a δραχμη, vel ὀβολος. Vide haec a me olim copiosius disputata [k]).

De terminatione in NO et OM et R Oscis et Samnitibus familiari, ut ROMANO, ROMANOM, LARINOR, vide, quae docebo in dissertatione II. Campaniae numis subjecta.

§ IX.
De dialectis.

Quae auctores veteres de Graecorum coloniis scripsere, numis insigniter comprobantur. Nam si qua urbs Doricae fuit originis, in numis locuta est Dorice, si ab Ionibus profecta, Ionice, si ab Aeolibus, Aeolice. Omnium dialectorum in numis

k) Num. vet. p. 234.

latissime patet Dorica. Dores, qui et Aeoles, nam ut eandem olim sedem, sic et linguam habuere, supra Isthmum positi, aucti sobole Megaridem primum invasere, deinde ab Heraclidis in Peloponnesum reducti multis in ea conditis urbibus coloniarum foras missarum numero prae aliis inclaruere. Dorice ergo monetam inscripsere in Graecia propria Locri, Megara, Peloponnesus, deinde propagantibus linguam colonis urbes Acarnaniae, Epiri, Illyrici, complures Graeciae magnae, universa Sicilia, de cujus dialecto in Prolegomenis ad ejus urbes privatim agam, urbes aliquot Thraciae, in Asia minore Rhodus, Caria, nonnullae Bithynicae, denique Creta, et in Africa Cyrene. Ex coloniis Ionicis, quarum maximam partem emisit Miletus, lingua patria in numis usae sunt Massilia Galliae, Abdera et Apollonia Thraciae, etc. Aeolice praeter Aeolidem locuti sunt numi vicinae Lesbi.

Harum cognitio dialectorum saepe necessaria est ad collocandos rite numos urbium homonymarum. Sic numi inscripti Dorice *ΑΠΟΛΛΩΝΙΑΤΑΝ* esse non possunt Apolloniatarum Thraciae, qui Iones fuere, neque inscripti Ionice *ΑΠΟΛΛΩΝΙΗΤΕΩΝ* esse possunt Apolloniae Illyrici, cujus incolae per matrem Corcyram fuere nepotes Corinthi Doricae. Similia indicia ad discernendos tot Heraclearum numos multum valent. Horum ope edoctus sum, quoddam numorum genus inscriptum META., inde a Goltzio in Metaponti moneta habitum, esse Mesembriae Thraciae. Hujus enim oppidani ex *ΜΕΣΗμβϱιανοις* per dialectum Doricam evasere *ΜΕΤΑμβϱιανοι*. Vide olim a me disputata[1]).

Factum nonnunquam, ut una eademque urbs varia dialecto numos suos inscriberet. Plerique Heracleae Bithyniae numi sermonem habent Doricum, at sunt etiam, qui Ionicum offerunt, quod haud dubie duplicis gentis permixtioni est tribuendum. Idem observavi in moneta Neapolis Campaniae.

Observo praeterea, urbes Graecas, easque forte omnes, abjecta dialecto nativa paullatim dialectum communem amplexas. Thasii in antiquissimis suis numis scripsere Dorice *ΘΑΤΙΩΝ.*, deinceps constanter *ΘΑΣΙΩΝ*. Methymnaei Lesbi, qui adhuc sub Trajano Aeolice se dixere *ΜΑΘΥμναιους*, (Pellerin.) serius dicuntur *ΜΗΘΥΜΝΑΙΟΙ*. Ex *Μεταμβϱιανοις* facti *Μεσαμβϱιανοι*, forte et *Μεσηβϱιανοι*. (Vaillant.) In antiquissimis regum Macedoniae numis Dorice *ΑΛΕΞΑΝΔΡΟ. ΑΡΧΕΛΑΟ. ΑΜΥΝΤΑ. ΠΑΥΣΑΝΙΑ.*, at inde a Philippo Amyntae *ΦΙΛΙΠΠΟΥ. ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ.* etc. Neque vero coloniae, quas Macedones per universum Orientem magno numero fundavere, aliam in numis dialectum, praeterquam communem, sunt secutae.

§ X.

De forma literarum Graecarum.

De hac viri aliquot insignes consultis omnibus veterum monumentis copiose et erudite scripserunt, post quorum conatus inutilem possem existimare praesentem

1) Num. vet. p. 58.

operam, nisi viderem, eorum plerosque, re numismatica nondum, ut hodie, expolita, digestaque, numos suspectos aut male sanos in testimonium advocasse, aut caruisse tot praeclaris numis, quos serius propitia fortuna nobis in conspectum dedit.

Praesentis palaeographiae Graecae vades non habeo, nisi numos, missis adeo quibuscunque monumentis aliis, praecipue marmoribus, ex quibus variae formae aliae magno numero peti possent, sed qui labor instituti mei fines excedit.

Literae alphabeti Graeci, quo hodie utimur, ejus sunt formae, qua Graeci optima sua aetate, id est, artibus ad summam gloriam evectis communiter sunt usi. Ejus aetatis fines duco a regno Philippi Amyntae usque ad imperium primorum Caesarum.

Numos Graecos urbium jam in barbariem declinantium non amplius admittendos, consulendosque duxi, quia amplius literas pure Graecas non offerunt, sed ex alienarum, aut vicinarum linguarum contagio misere corruptas, depravatasque. Placuit potissimum inquirere in formas, quas Graeci in antiquissima sua moneta descripsere, et quarum perfecta cognitio ad varias denique philologiae causas multum potest prodesse.

Ceterum quas dictabo formas, non cepi nisi ex numis, quos aut viderim ipse, aut quorum adcuratos habemus iconismos, quos inter praecipuam laudem merentur Haymiani, Pelleriniani, Hunteriani, aliique insignium nostrae aetatis auctorum.

Literarum formam dictabit adjecta tabula, et ex quibus illae numis captae sint, commentarius sequens:

A.

1. In numo antiquissimo Lai Lucaniae. Ejusdem formae est etiam A Etruscum in numis Volaterrarum.

2. In numis antiquissimis Cauloniae et Metaponti.

3. In antiquissimo Methymnae Lesbi. (Mus. Caes.)

4. In antiquissimo Faliscorum Etruriae. (Hunter.) Occurrit etiam in aeneis Athenarum. (Haym.)

5. In antiquissimo Pandosiae Bruttiorum.

6. Occurrit in numis optimi aevi, v. g. in elegantibus tetradrachmis regum Bithyniae, (Haym.) in tetradrachmis Aradi. (Pellerin.) Serius comparet quoque in numis Sauromatis III. Bosporani, (Pellerin. Rois tab. 4.) et in tetradrachmis regum Parthiae.

7. In aeneis Athenarum. (Haym.)

8. In antiquissimo Chalcedonis, quem edidi in mea Sylloge I. In elegante tetradrachmo Lysimachi, quem edidi in meis Numis vet. In numo Arsamis Armeniae regis. (Pellerin. Lettres p. 79.) In numo Heracleae Ponti Caracallae. (Mus. Caes.) In numo Byzantii Getae, quem vide in meis numis vet.

9. In tetradrachmis regum Parthiae.

B.

1. In antiquissimo Segestae Siciliae, (Hunter.) aliisque paucis. Aliam hujus elementi varietatem non vidi.

Γ.

1. In antiquissimis urbium Sicularum, Agrigenti, Geloorum, Morgantiae, Se-

gestae. In numo antiquissimo Aegarum Aeolidis, quem edidi. (Num. vet.)

Δ.

1. In antiquissimis Zancles, Pandosiae, Posidoniae.

E.

1. In antiquissimis Buxenti et Metaponti Lucaniae urbium.

2. In antiquissimo Neapolis Campaniae, quem edidi. (Sylloge I.)

3. In elegantibus argenteis regum Bithyniae, (Haym.) in aeneis Athenarum. (Haym.)

4. Forma recentior, tamen satis vetusta, inde ab altero post Christum saeculo plerumque obvia, quin in antiquissimo numo Phaesti apud Pellerinium (Rec. III. tab. CI. n. 62.), elementum istud hac forma comparet. Sed de hujus formae aetate ac progressu agam prolixius infra sub elemento *Σ* formato ut *C*. Hanc formam adoptasse etiam Etruscos, dicetur in numis Tudertum Vmbriae.

5. In tetradrachmis regum Parthiae.

F.

Litera vere Graeca, sed fere antiquata suffecto *Φ*, retenta tamen ad indicandum numerum senarium. Exstat in omnibus numis Faliscorum Etruriae, scripto *FAΛEIΩN*, tum in pluribus aliis Achaeorum, Boeotorum, Aspendi Pamphyliae. Sed quae ad hujus literae naturam pertinent, fuse disputabuntur in tractatu de characteribus chronologicis capite III.

Z.

1. In numis aetatis optimae, v. g. tetradrachmis Smyrnae, in numis Locrorum Italiae, in Cistophoris Laodiceae, (Pellerin.) in numis Cyzici, Byzantii, Clazomenarum, etiam cum nota arithmetica est, ut in numo Demetrii II. (Pellerin. Rois tab. 10.) Et valuit diu haec forma, etiam in numis inclinantis imperii, cujus exempla obvia. Infra etiam cum *Ξ* eandem formam communicatam videbimus.

2. Haec quoque forma non infrequens, in autonomis Zacynthi, Sardium, Temni, Seleuciae Syriae, quos vide apud Pellerinium, in autonomo Clazomenarum, quem edidi, (Sylloge I.) in Neroniano Siphni. (Pellerin. Rec. III. tab. 133. n. 7. 8.) Hac forma saepe video scriptum *Z* in nomine *ZEΥΣ*.

H.

Novicius character, cum *E* longum valet, et ejusdem perpetuo formae.

Remotissimo aevo fuit aspirata, retenta a Latinis, cujus in numis quoque supersunt vestigia, ut: *HE.* in numo Graeco Heracleae Lucaniae, *HENNAION*, Ennae Siciliae, *HIMEPA* (retrograde) in Graeco Himerae Siciliae, *HIKE.*, in numo Boeotorum. (Pellerin. Rec. I. tab. 24. n. 7.) Verissime adeo dixit Athenaeus: (L. IX. p. m. 398. A.) *Οιμαι δε και δια του H στοιχειον τυπωσασθαι τους παλαιους την δασειαν. διοπερ και Ρωμαιοι προ παντων των δασυνομενων ονοματων το H προγραφουσι. Nimirum et veteres elemento H densum spiritum expressere. Quare et Latini omnibus vocabulis sic pronunciandis H praefigunt.* Dedi hic exempla ex solis numis. Multo plura suppeditant marmora Graeca antiquissima passim cognita. Tamen hoc loco memorandum signum ⊢, quod in obviis Tarenti, et Heracleae Lucaniae numis

spiritus densi valorem habet. Scilicet elemento *H*, quod, ut diximus, olim aspiratio fuit, ad significandum *E* longum translato, *H*-bissectum utriusque spiritus notas suppeditavit, et ⊢ quidem asperi, ⊣ lenis. Ejus legis jam ex Graecorum monumentis, praecipue ex tabula Heracleensi a Mazochio illustrata cognitae certam etiam tenemus rationem ex Diomedis scholiis in Dionysium Thracem, qui postquam docuisset, signum *H* olim apud Graecos, ut nunc apud Latinos, spiritum asperum fuisse, addit: *ἡ τοτε δασεια* (de *H* loquitur) *ἐτμηϑη εἰς δυο κατα καϑετον, και το μεν πρωτον αὐτης μερος* ⊢ *της δασειας ἐστι το σημειον, το δε δευτερον* ⊣ *της ψιλης. Qui olim fuit spiritus asper*, (nempe *H*) *in partes duas ad perpendiculum sectus est, ejusque pars* ⊢ *spiritus asperi est signum, altera* ⊣ *spiritus lenis.* Vide haec apud Villoisonum. (Anecd. Graec. T. II. p. 122.)

Θ.

1. In vetustissimo argenteo Methymnae Lesbi, quem ex museo Caesareo vulgavi. (Catal. Mus. Caes. P. I. tab. III. n. 12.) Item in aeneo Atheniensium. (Neumann.)

2. In antiquissimis Athenarum. (Mus. Caes.)

3. In aeneis Atheniensium. (Haym., Hunter.)

4. In aeneis Atheniensium. (Haym.)

5. In aeneo Atheniensium. (Mus. Caes.)

6. Inserto solo puncto, in numis omnis aetatis.

7. Ejusdem formae cum praecedente sola parvitate differt, non ejusdem cum vicinis literis mensurae, quod praecipue apparet in numis regis Agathoclis, imminuta eodem modo etiam litera O, ut dicetur.

I.

1. Retrograde *Z*, in antiquissimis Lai, Buxenti, Posidoniae Lucaniae urbium, item Cauloniae et Crotonis.

2. In antiquissimo Gortynae Cretae. (Hunter.)

K. ϙ.

1. In numo Chalcedonis perantiquo, quem edidi. (Sylloge I.)

2. Vetustissima aetate pro *K* usurpatum, et obvium in numis perantiquis Crotonis et Syracusarum, et plane obvium in elegantibus didrachmis Syracusanis infra Pegasum tanquam litera *ἀρχαιουσα* Corinthi, ut vulgo creditur.

3. Inserto puncto, in antiquissimis Crotonis.

Ceterum de hujus elementi natura retenti a Graecis ad indicandum numerum XC., dictique *episemon Koppa*, agam copiosius in tractatu de characteribus chronologicis cap. III.

Λ.

1. In antiquissimis Lai Lucaniae, et Cauloniae.

2. In antiquissimis Leontinorum, et Gelae Siciliae urbium.

3. In antiquissimis Zancles, Leontinorum, Neapolis Campaniae.

M.

1. In numo Manni Edessae regis. (Pellerin. Rois tab. XVI.)

2. In numis Laodiceae Phrygiae, et regum Bospori.

3. In numo Rhescuporis IV. Bospori regis. (Mus. Caes.)

N.

1. In antiquissimis Pandosiae, Crotonis, Agrigenti, Neapolis Campaniae.

Ξ.

1. In antiquissimo Naxi Siciliae.

2. In antiquissimo Buxenti Lucaniae.

3. Aetate optima valuit *Z*, ut vidimus; serius etiam *του Ξ* valorem habuit, ut in argenteis Amisi cum capite Hadriani, et in numo Germanicopolis Domnae. Vide utrumque numum in meis Numis vet. In aeneis Alexandri M. sub Caracalla cusis. In numo Orthosiae Phoeniciae Alexandri Sev. (Pellerin. Rec. III. tab. 134. n. 12.) In Alexandrinis Gal. Maximiani.

4. In antiquissimo Naxi Siciliae, (Hunter.) Alexandri I. Macedonis, (B. L. T. XXVI. p. 48.) Saxi Cretae, (Dutens.) Xenophontis medici. (Pellerin. Rois tab. 22.)

5. In numo Caligulae. (Pellerin. Mél. I. pag. 1.) In numis Alexandri Sev. Apolloniae Mysiae, et Aegarum Aeolidis. (Mus. Caes.)

6. In numis Alexandri Sev. et Maximi in mea Sylloge I. tab. IV. n. 3. 5. In numo Anazarbi Decii in eadem Sylloge. Singulare est in numo Gazae: *ΓΑΖΑ. ΑΖΓ.*, in quo primum *Z* est pro *Ζητα*, alterum pro *Ξ*. (Pellerin. Suppl. II. tab. 2.)

7. In numo Alexandri Sev. (Pellerin. Suppl. I. tab. 2.)

O.

1. In antiquissimis Cauloniae et Crotonis.

2. In antiquissimis Lai et Posidoniae Lucaniae urbium.

3. Minutissimum in numis optimae aetatis, quin in tetradrachmis Alexandri M. saepe est instar puncti. (Mus. Caes.) Hanc imminutionem etiam *τῳ Θ* contigisse diximus.

4. In autonomo Seleuciae Syriae, (Pellerin., Mus. Caes.) in tetradrachmis regum Parthiae, in numo Cyzici cum capite Hadriani. (Haym. T. II. tab. 33. n. 7.)

5. Pro *ΟΥ.* in numis Nicopolis et Marcianopolis Moesiae urbium. Wildius compendium istud jam vidit in aeneis Alexandri M., utrum vere, ignoro. Vide numos hujus regis.

Π.

1. Obvium in numis aetatis optimae.

2. Retrogradum in antiquissimo Lai et Posidonae.

P.

1. In antiquissimo Agrigenti, Tarenti.

2. In antiquissimis Tarenti, Larissae, Himerae, Pharsali, item Boeotorum apud Pellerinium. (Rec. I. tab. 24. n. 6.)

3. In numo Triccarum Thessaliae.

4. In antiquissimis Crotonis, item Rhauci Cretae. (Hunter.)

5. In antiquissimis Chersonnesi Cretae, (Mus. Caes.) et Crotonis.

6. Retrogradum in antiquissimo Eleuthernarum Cretae a me edito. (Numi vet.)

7. In autonomis Hierapolis Phrygiae, (Hunter.) Cragi Lyciae. (Hunter.)

8. In tetradrachmis regum Parthiae, et Arsamis Armeniae regis. (Pellerin. Lettres p. 79.)

Σ.

1. Retrogradum in antiquissimo Tarenti, (Pellerin. Suppl. II. tab. 2.) et Neapolis Campaniae. (Sylloge I.)

2. In antiquissimis Sybaris, Cauloniae, Crotonis, Lai, Posidoniae, Buxenti, et Siris, quibus adde Phaestum Cretae. (Hunter.)

3. In antiquissimis Messanae Siciliae. Eandem formam reperi etiam in numo Faustinae jun. Nicaeensium, quem edidi. (Num. vet.)

4. Etiam cum scriptura retrograda non est, in antiquissimis Messanae Siciliae.

5. In antiquisssimo Agrigenti. (Mus. Caes.)

6. Obvium in numis perantiquis.

7. In numis Seleuci VI. (Haym. Tom. I. tab. IX.)

8. In nomine magistratus *ΜΟΝΟΥΝΙΟΣ* numi Dyrrhacheni, quem vidi ipse.

9. In numo Artavasdis Armeniae regis aetate M. Antonii IIIviri. (Pellerin. Rois tab. 15.) In aeneis Siritis Lucaniae. In numis Polemonis II. Ponti regis, (Pellerin. Rois tab. XVIII.) item regum Commagenes. Obvium deinde in numis inferioris aevi ad usque Valeriani tempora, ut in hujus numo apud Pellerinium. (Suppl. II. tab. VIII. n. 5.) In antiquissimo Phaesti numo a me edito (Num. vet. Tab. X. n. 5.) legitur *ΣΕΛΧΑΝ*. Esset igitur hoc sigma ex antiquissimis unum, si certi essemus, hujus vocabuli elementum primum esse potius sigma, quam aliud, et forte digamma Aeolicum. Simile dubium urget in *ΣΑΞΙΩΝ* scripto in numo, qui Saxo Cretae tribui solet, quam vide.

10. Forma obvia, praecipue post antiquatum *Σ*, de cujus aetate continuo plura.

11. Forma insolens, in Nicaeensi Gallieni. (Pellerin. Mel. II. tab. 32. n. 5.)

Restat, ut in epochas seu invecti *C*, seu antiquati *Σ* inquiramus, cum ex varia hac forma de numorum judicare antiquitate soliti fuerint antiquarii, ad quod judicium exclusis quibuscunque aliis monumentis solos lubet numos vocare.

Formae *C* antiquissimum usum, quod ex numis norimus, suppeditat numus Gentii Illyrici regis hactenus ex solo museo Caesareo cognitus, scripto — *ΑCΙΛЄ* — *ΓЄΝΤΙΟΥ*. Is a Romanis regno exutus est V. C. 586. Eandem offerunt numi ejusdem fere aetatis, scilicet Monunii Dyrrhachii regis, (Pellerin. Rois tab. III., in meis Num. vet. pag. 96.) scripto *ΒΑCΙΛΕΩC*, autonomi argentei Aegiensium Achaiae: *ΑΡΙCΤΟΔΑΜΟC. ΑΙΓΙЄѠΝ.* (Num. vet. p. 117.) In numo Aseae Arcadiae, qui certe signatus fuit constante adhuc foedere Achaico, cui L. Mummius cos. V. 608. finem fecit, legitur *ΑCЄΑΤΩΝ.* (Haym. T. II. tab. 12.) Docebunt numi Aradi, *C* jam anno V. C. 621. in hac insula hospitium nactum. Ejusdem aetatis videntur autonomi Patrensium Achaiae, atque in his legitur *ΜΗΤΡΟΔѠΡΟC. ΜЄΝЄΚΛЄΟC.* (Pellerin. Rec. I. tab. 17.) Cistophori Pergami et Trallium annis V. C. 702., vel 703. signati offerunt *ΜΗΝΟΔѠΡΟC, ΑΡΙCΤΟΚΛΗC.* Numus Antonii et Cleopatrae: *ЄΤΟΥC. ΒΑCΙΛΙCCΗC.* (Pellerin. Rois tab. VI.) Ejus inde ab Augusto major licentia magis semper promotis finibus. Nonnunquam *Σ* et *C* amice cohabitant. In numo Syracusano legitur *ΣΥΡΑΚΟCΙΩΝ.* (Mus. Caes., Torremuza Sicil. num. tab. 80. n. 11.) In numi Midaaei Phrygiae parte antica legitur *ΤΡΑΙΑΝΟC. CЄ.* in aversa *ΕΛΑΤΗΣ.* (Peller. Mel. I. tab. 24. n. 3.) In numis Polemonis II. Ponti regis va-

riant Σ, Ϲ, C. (Pellerin. Rois tab. XVIII.) Similis inconstantia est in numis Aradi, ac praecipue Tyri. In numis Titi et Domitiani Galatae scripsere *ΠΑΝΣΑ, ΒΑΣΣΟΥ*, at vicini Cappadoces constanter *ΠΑΝCΑ, ΒΑCCΟΥ*. (V. numos Caesareae Capp.) Sub Domitiano *το C* aemulum Σ sic extrusit, ut nonnisi rarissime deinceps occurrat. In Aegyptiis Alexandrinorum numis Σ cum Nerva desinit. In numis Sidonis usque ad primum Hadriani imperantis annum jus suum tuetur. In numis Tyri usque ad annum V. C. 908., Antonini Pii XVIII. cum *C* stationem partitur. Adhuc in numo Faustinae sen. Castabalis Cappadociae signato quater Σ legitur. (Peller. Suppl. III. p. 132.) Denique si fideliter a Combio numus Hunterianus Tyri descriptus est, Σ in hac urbe vi anni *ΘϘΣ* adhuc obtinuit V. C. 926., M. Aurelii XII., de quo vide numos Tyri. Verum ab hoc tempore si compareat, in prodigiis numismaticis habebitur, v. g. in numo Paltenorum Syriae, sed tantum in anno epochae, (Pellerin. Mel. II. p. 137.) in numo Valeriani apud Haymium (T. II. tab. 49. n. 2.) est *ΟΥΑΛΕΡΙΑΝΟC. ΣΕΒ*. In insigni numo maximae formae commatis Romani cum capite Gordiani legitur epistilio templi inscriptum: *ΘΕΟΣ. ΟΠΛΟΦΟΡΟΣ*. (Mus. Caes.) Verum in extraordinario hoc numo scalptor magis videtur secutus rationem antiquitatis, non usum praesentem, ceu olim Herodes Atticus.

Quo tempore lunari coepit Σ, eodem etiam *E*. Ejus supra exempla plura dedimus. In praesens exemplum mihi non occurrit *του* Σ cum Є in eodem numo conjuncti, quanquam non raro jungantur *C* et *E*. Eodem modo plerumque se comitantur Ϲ et *E*. Etiam in numis Graecis infimi aevi, ut est *ΕΦΕϹΙΩΝ* in numo Valeriani. (Pellerin. Suppl. II. tab. 8. n. 5.)

T.

Elementi hujus aliam formam nondum observavi.

Υ.

1. In antiquissimis Buxenti, Sybaris, Cumarum Campaniae, Methymnae. Revertitur in numis inferioris aevi, v. g. Bizyae Thraciae, aliisque multis.

Φ.

1. In numo vetustissimo Pherarum Thessaliae. (Liebe Goth. num. p. 206.) In aureo Phocidis a me vulgato. (Sylloge I. tab. III. n. 9.)

2. In insigni aureo aetatis optimae Ephesi, (Pellerin. Suppl. III. tab. 3.) in numis Seleuci VI. et Philippi Syriae regum, tum et sequentium, (Pellerin.) in tetradrachmis regum Parthiae, in numo similis aevi Amphipolis Macedoniae, quem vulgavi. (Sylloge I. tab. III. n. 6.)

3. Forma *του Psi*, in numo Tryphonis Syriae regis, (Pellerin. Lettres p. 1.) Hierocaesareae Lydiae scripto *ΨΕΡΟΚΙ*. (Pellerin.)

4. In numo Seleuci VI. Syriae regis. (Haym. T. I. tab. IX. n. 8.)

5. In numo Phari insulae Illyrici. (in meo Catalogo musei Caes.)

X. Ψ.

Ejusdem, quod norim, semper formae.

Ω.

1. In antiquissimo Cnosi Cretae. (Hunter. Tab. XVIII. n. 16.)

2. In tetradrachmis Athenarum obviis, in numo Acarnanum musei Hunter. (Tab. I. n. 21.)

3. Obvium in aeneis urbium magnae Graeciae, et Siciliae.

4. In numis insulae Co. (Hunt. tab. XXI.)

5. In numis regum Commagenes, et Aphrodisiadis. (Haym.) Vide harum formarum originem eleganter expositam apud Villoison in Proleg. ad Iliadem Venetam p. V.

6. In numo Rhodi. (Spanheim. Tom. I. p. 98.)

7. Forma non admodum vetusta, serius in numis obvia.

8. In numo Thuriae Severi, (Pellerin. Rec. III. tab. 125. n. 1.) Trapezuntis Caracallae, (Ibid. tab. 128.) Argorum Ciliciae Gallieni. (Pellerin. Mél. I. p. 22.)

9. In numo Acmoniae Phrygiae. (Neumann.)

CAPUT XVIII.

De typis.

Nomine typi intelligimus impressam metallo imaginem rei cujuscunque seu vita praedita, seu carentis. Ex veteris aevi consensu necessarius is ad rationem monetae est habitus. Multi supersunt numi praecipue vetustissimae aetatis, qui omni prorsus inscriptione carent; qui omni prorsus typo careret, hactenus repertus est nullus.

In primordiis rei monetariae, arte nondum promota, partem numi aversam foramen alte introrsum hians occupavit, de cujus causis egi supra capite XII., quo mechanicam numorum veterum exposui. Ergo in his pars numi altera omni typo caret. Arte magis perfecta in foraminis locum successit typus. Numum veterem, qui sive dicto foramine, sive quocunque in aversa typo careret, non vidi praeterquam Populoniae Etruriae, in cujus antica est persona adversa ejecta lingua, pars aversa sic plana ac levis, ut satis appareat, nullum unquam typum fuisse impressum. Hujus generis bina vidi exempla integerrima ex argento, olim a me vulgata, (Num. vet. p. 11.) unum Florentiae in museo M. Ducis, alterum in museo Com. Vitzai. Insignis alius Abacaeni Siciliae exstat in museo cels. principis de Waldeck, nullo plane in aversa typo, quem loco suo dabimus. Fallit igitur lex a Joberto lata, statuente, numos absque aliquo partis aversae signo artis esse modernae [m]). Ipse ejusdem naturae binos ibidem commemorat, unum Latinum Antonini Pii, alterum Graecum L. Veri, eosque maximae formae, sed quos non perinde, ac citatos Populoniae, existimo in moneta esse putandos, sed in pseudomoneta, de quo numorum genere agam in tractatu singulari.

Numi Graecorum antiquissimi raro caput sive divinum, sive humanum osten-

m) Science des méd. T. I. p. 92.

tant. Magis illo aevo placuere figurae integrae, aut quaecunque alia vita carentia. Exempla passim dabunt numi, qui ex certis indiciis antiquissimi sunt putandi. Idem observatur in regum Macedoniae numis vetustissimis. Secuta aetas parti numorum anticae plerumque caput aliquod intulit. Est illud in autonomis sive dei, deaeve, sive genii, sive herois, in regiis regis, vel reginae, in imperatoriis cujuspiam ex familia imperantis. Non raro plura in antica occurrunt capita, ac tum ea vel jugata sunt, vel se respicientia, vel, ut in aliquibus Galliae coloniis, vultu averso. Raro in antica imperatoriorum pro capite imperantis tota hujus figura comparet, ut statua Trajani in numis Tripolis Cariae, Titus et Domitianus stantes in numis Amphipolis Macedoniae, Aurelius et Verus stantes in numis Anazarbi Ciliciae. Saepe liberalior monetarius capiti adjecit pectus, ac tum *protome* dicitur, Italis *busto*, nobis *Bruststück*.

In numis autonomis pars aversa plerumque cum antica componitur. Sic dii, deaeque sua habent in aversis seu attributa, seu sacra sibi animalia, seu victimas, seu quidquid aliud ad se pertinens, v. g. cum Jove jungitur fulmen, cum Apolline lyra, tripus, lauri ramus; cum Neptuno tridens, item cum Jove aquila, cum Pallade noctua, cum Junone pavo, item cum Cerere porcus ejus victima, item cum Venere ejus templum Erycinum, cum Jove Capitolinum. Idem nexus etiam tum nonnunquam valebit, cum ejus non statim ratio apparet, isque ex fabula privata est explicandus. Ita cum Diana componi cervum, vel canem, in vulgus notum; at mirabar olim, in numo Pheneatarum Arcadiae cum ea conjungi equum. Instituto examine comperi, a Pheneatis Dianam nomine *Εὐριππης*, *equarum inventricis*, fuisse observatam. Similem utriusque partis nexum offerunt etiam multi familiarum Romanarum numi.

Multae Graecorum urbes certos suos statosque habuere typos, sive inserendo monetae suae deos suos tutelares, ut Athenienses caput Palladis, hujusque noctuam, sive vetera sua ornamenta, ut Cnosii labyrinthum, sive agri sui proventus, ut Metapontini spicam, Cyrenaei silphium, sive clypei sui formam, ut Macedones, Boeoti, sive adlusiones ad urbis nomen, ut Rhodii rosam, Sidetes malum Punicum, Selinuntii folium apii, etc. sive vicinum naturae miraculum, ut Apolloniatae Illyrici Nymphaeum ardens, Caesarienses Cappadociae Argaeum montem, alii alia ex causis incertis, ut Peloponnesii testudinem, Chii Sphingem, Dyrrhacheni vitulum lactantem, Sybaritae bovem respicientem, Cymaei Aeolidis vas monotum certae formae. Quin et sub imperatoribus veteres suos typos aliquamdiu retinuere, sed plerisque successu temporis ludorum, festorumque insania incredibilis fere unicum typorum argumentum evasit.

Quibus typis Romani in moneta sua consulari et familiarum usi fuerint, in hujus prolegomenis fuse docebitur. Moneta Augustorum cum capite principis conjungit aut deorum imagines, aut ejus illustria domi forisque facta, aut virtutes humana specie propositas. Generatim al-

legoriis, symbolisque plus indulsere Romani, quam Graeci, qui majorem typorum partem ex mythologia, et religionis causis hausere. De typis coloniarum agetur in tractatu de harum numis.

Haec de typis monetae veteris in genere dicta sufficiant; nam causas singulorum populorum, regnorum, imperiorum, temporum privatas dictabunt usus, et qui sequentur commentarii.

Praeter numorum typos, de quibus hactenus egimus, observandi adhuc minores alii, qui juxta typum principem nullo cum hoc nexu, tanquam sigilla parerga, aream occupant. In tres hos classes dividimus: I. in signa urbium diacritica, II. in signa monetariorum arbitraria, III. in signa, quae vulgo *incusa* dicuntur.

I. *Signa urbium diacritica.* Habuisse complures urbes certos quosdam typos, sibique unis proprios, alias diximus. Selinuntiis Siciliae proprius typus fuit folium apii, Sidetibus malum Punicum, Cyrenaeis silphium, Boeotis clypeus certae formae, Neapolitanis Samaritidos mons Garizim, Lampsacenis Mysiae equus marinus alatus, Gazaeis lineae bissectae. At si forte placuit, alios ab his typos numis inferre, non adeo adspernati sunt familiares suos suetosque typos, ut non eos in minutiorem modum redactos adventitio typo adstituerent. Copiosa exempla inspecti numi, aut horum iconismi suppeditabunt.

II. *Signa monetariorum arbitraria.* Sic appello exigua sigilla, quae in unius ejusdemque urbis aut personae numis tanta varietate typo principi adstituuntur, ut verisimile non sit, illa a magistratu fuisse imperata, sed verisimile potius, a monetario fuisse inserta, sive ut leporem operi gratiamque adderet, sive ut opus suum discriminaret, ob quam posteriorem causam credibile quoque est inventa fuisse monogrammata, et siglas in moneta vetere obvias. En ejus aliquot exempla. Noti sunt Syracusanorum numi didrachmi, qui una parte caput Palladis, altera Pegasum exhibent. Pone caput Palladis miram videas sigillorum varietatem, arcum, pharetram, tripodem, gallinaceum, strobilum, Chimaeram, balaustium, infinita alia. In solo museo Caesareo fere centum sunt hujus generis, qui hoc modo variant. Typus princeps in aversa tetradrachmorum Atticorum est noctua diotae insistens, at juxta gryphus, caput Medusae, tres virgines, caduceus, cervus, elephas, Victoria in bigis etc. Vide iconismos Gessneri, et musei Hunteriani. His junge aureos Philippi II., filiique Alexandri M., tum hujus tetradrachmos, item drachmas Dyrrhachenorum, aliosque aliarum urbium numos. Insignem praeterea varietatem objiciunt diversarum familiarum Romanarum denarii, praecipue Papiae, Rosciae, Calpurniae, variantibus, et in utraque quidem numi parte, sigillis, quorum infinitam copiam dabunt tibi locupletiora musea, et si horum non patet aditus, icones Morellii. Hae infinitarum rerum imagines numorum aream non onerant, sed ornant potius, et monetariorum commendant artificium. Nam, si Atheniensium monetam demas, signa haec, utut contracti voluminis, tanta elegantia ac veritate elaborata sunt, ut artificum scientiam, prae-

stantiamque magis, quam typi ipsi principes testentur. Arbitraria haec signa a numis Augustorum commatis Romani plane exulant, ac fere etiam a numis eadem aetate per urbes exteras signatis. Vide etiam, quae de his in prolegomenis ad numos familiarum R. plura docebo.

III. *Signa incusa.* Nimirum numo jam signato serius aliud aliquod minus impressum fuit, neque illud in multis simplex tantum, sed per intervalla accessit etiam alterum, quin in aliquibus tertium quoque. Nulla in hoc instituto decori ratio habita. Nam ea non semper numorum areae fuere inserta, sed ut fors tulit, ac velut in opere tumultuario, pervasere caput, aliosque typos, quae saevitia non raro opera numorum nobilissima misere deformavit; neque ea tantum illi parti, quae ictum exceperat, fatalis fuit, sed fecit ictus vehementia, ut partis aversae locus ictui oppositus deinceps turgeret, et hic quoque jacturam literarum, typorumve cogeretur experiri. Ejus facti indigni exempla dabit in numis commatis Romani Morellius in numis Augusti tabula tota XXXII., commatis externi v. g. tetradrachma Sidetum. (Hunter. tab. 49. n. 8.9., et in mea Sylloge I. tab. IV. n. 12.) His signis ars nostra ex ipsa causa *incusorum* nomen dedit, Gallis apte dicuntur *contremarques.*

Antequam, quae fuerit verisimilis horum signorum causa, inquirimus, exponendi sunt varii eorum modi, ac primum in numis commatis Romani, deinde externi.

Primus fuit Jobertus, qui de iis, sed nonnisi perfunctorie, verba fecit [n]), latius subinde Cl. Boze, cujus observata Baro Bimardus suis ad Jobertum commentariis inseruit [o]), atque eodem fere tempore idem argumentum erudite tractavit Mahudelius [p]), denique et Pellerinius, quae sua esset sententia, adhibitis ex moneta vetere exemplis satis copiose exposuit [q]). Ex his fontibus, quae continuo docebo, pleraque hausi nulla quaesita novae ac certioris cujuspiam sententiae gloria, quae vix aliqua in causae tam incertae et ambiguae enucleatione sperari potest.

Modi signorum incusorum in moneta Romana.

I. Stante republica monetae cujuscunque metalli signa hujus generis incudi non consuevisse, sanxere Mahudelius, et Bozius. Istud statuendi causa fuit, quia sibi numum Romae liberae similibus notis insignem videre non contigit. Serius horum plures comperti, quos praeclara solertia conquisivit Neumannus noster [r]). Exhibuit Pellerinius denarium gentis Planciae cum nota AB. ÆS. [s]), sed pro quo legendum retrograde IMP. VES. literis colligatis, docuit Neumannus [t]). Easdem literas VES. vel IMP. VES. reperi ego in binis denariis musei Caesarei, uno M. Antonii inscripto LEG. XII. ANTIQVAE, altero gentis Carviliae, et serius Neumannus in obvio denario cum epigraphe: M. AP. C. L. Q. M., in alio M. An-

n) Science de Méd. T. I. p. 342. o) l. c. p. 348. seq. p) B. L. T. XIV. p. 132. q) Suppl. II. p. 61. seq. r) Num. pop. P. II. p. 184. s) Suppl. II. tab. III. n. 11. t) l. c.

tonii cum LEG. XX., et in alio Scipionis Asiagenis u). Idem IMP. VES. vidit Patinus in denario gentis Serviliae, et Havercampus in denario M. Antonii x). Addidit Neumannus alium gentis Flaminiae cum impresso N, alium C. Antistii Regini, in quo caput Augusti impressum S offert. Habemus ergo id genus numos Romae liberae contra quam visum eruditis IIviris. Interim verum esse potest eorum judicium, stante republica numos notis incudi non fuisse solitos. Nam ex citatis hic decem numis incusis novem haud dubie sub imperatoribus alteram incudem sunt experti, nimirum octo, qui insculptum VES*pasiani* nomen offerunt, et denarius Antistii propter caput Augusti. Restat ergo unicus denarius gentis Carviliae, qui quidem stante republica incudi potuit, quem tamen, quia unicum istud foret exemplum, verisimilius est sub imperatoribus quoque cum fratribus fuisse incusum.

II. Mos recudendi numos coepit sub Augusto, et duravit fere usque ad Trajani imperium. Revixit in numis infimi imperii, et quidem Justini, Justiniani, et proximorum successorum, ut credidere Mahudelius, et Bozius. Verum habet museum Caesareum numum Anastasii his signis oneratum.

III. In moneta Romana non observari numos incusos, nisi aeneos, dixere Mahudelius, et Bozius, sed quod falsum esse, mox § 1. diximus. Ait Mahudelius, placuisse sic incudi aeneos I. II. III. formae. De numis I. et II. formae istud certum, an etiam formae III., saltem qui sine dubio commatis Romani sit, ambigo. Addit Mahudelius, ab hac injuria intactos mansisse aeneos maximae formae. Verum quem is mihi praestabit numum hujus formae, qui certe commatis Romani sit, cususque ea aetate, quam signis incusis fuisse permissam diximus, nimirum ab Augusto usque ad Trajanum? At tempore Justiniani ne his quidem parcitum.

IV. Signa incusa in Romanorum numis constant fere tantum literis solitariis, et ἀρχαιουσαις, aut inter se colligatis monogrammatum more. Rarissime pro his arcessita sigilla Graecis familiaria. Numi Anastasii, Justini, Justiniani in antica impressam habent protomen crucigeram, quae manu monogramma Christi tenet, in aversa literas S C L S, de quibus infra.

V. Incusa haec scriptura aut suapte intelligi facile potest, aut sensum habet ambiguum. Harum notarum Mahudelius catalogum satis amplum dedit, qui augeri plurium accessione posset, si futurum operae pretium putarem. Singularum aliqua dabo exempla:

Significationem certam habent sequentes voces seu literis primoribus, seu monogrammatis notatae, v. g. AV. — AVG. — IMP. AVG. — CAE. — CAES. — CAESAR. — TI. AV.. — TIB. IMP. — SPQR. etc.

Significationem ambiguam habent v. g. NCAPR., quae formula in hac numorum classe obvia est, non tamen propterea facilioris explicatus. Mitto absurdas ejus enucleationes, quas varia ingenia parturiverunt, et videre potes apud Ma-

u) l. c. x) ad Morellii Famil. p. 390.

hudelium. Potiora suffragia abstulit interpretatio: N*umus* C*usus,* vel N*ota* C*usa* A*uctoritate* P*opuli* R*omani,* sed et haec arbitraria tantum est. In aliis: PRO. PROB. — RT. et similia. Inde ab Anastasio SCLS, quod nonnullis significare visum: S*a*C*rae* L*argitioni*S, vel S*a*C*ri* L*argtiori*S.

Modi signorum incusorum in moneta externa.

I. Quo tempore inter Graecos, hujus, ut videtur, instituti auctores, coeperit usus signorum incusorum, prope definiri non potest. Praecessisse imperatorum aetatem, ut demonstrari evidenter nequit, sic extra dubium plane est.

II. Signa haec incusa non in aenea solum, sed et argentea moneta sunt obvia.

III. Vt haec signa in Romanorum numis fere tantum constant literis et monogrammatis, sic in Graecorum numis plerumque sigillis, scilicet variorum capitum, attributorum, plantarum, artefactorum etc. Non raro tamen et his epigraphe additur. Sic in numo tetradrachmo Alexandri M., quem vulgavi [y]), est incusa spica addito *ΚΑΛ*. In argenteo max. mod. apud Pellerinium [z]) est incusum caput M. Aurelii addito *ΑΥΡ*. In tetradrachmis Sidetum, de quibus adhuc infra, est incusa pharetra, juxta in aliis *ΣΑΡ*., in aliis *ΤΡΑ*., in aliis *ΠΕΡΓΑ*. Ignoti numi similes fuere Mahudelio, et Bozio, qui Graecorum signa incusa constare tantum sigillis adseruere; nam et Pellerinius duos exhibet numos argenteos Ptolemaei Soteris monogrammata tantum impressa offerentes [a]). Vide infra exempla alia, *CAPA*. SVESA. etc. In numis Tripolis Phoeniciae sunt monogrammata incusa IMP. GA*lba,* IMP. OTHO juxta capita praecedentium imperatorum, quae vide apud Mahudelium in catalogo, et Pellerinium [b]). In argenteo max. mod. cum epigraphe: ROM. ET. AVG. COM. ASI. collo Claudii Aug. impressa est nota IMP. VESP. [c]), quem numum constat Pergami signatum.

IV. Cum Romani, ut vidimus, mature hunc usum omitterent, eum diu retinuere Graeci. Sunt in museo Caesareo numi Gallieni et Salonini a Sidetibus percussi, in quibus adhuc signa incusa comparent.

V. Romanorum coloniae in formandis his signis plerumque metropolis suae morem sunt secutae, nimirum praehabita sigillis scriptura. Sed tamen neque sigilla fastidivere. Vide signa incusa, quae Florezius in Hispaniae numis reperit, et collecta exhibuit [d]). In numis coloniae Nemausi jam sunt incusa monogrammata, jam rota, sive circulus quadrifariam sectus [e]).

Jam et eruditorum de his signis judicia, et qui prae aliis probabiliora dixerint, in examen vocemus.

Primus Jobertus horum ope signorum auctum monetae valorem indicari credidit. Quam sententiam Jobertus velut in

---

y) Sylloge I. tab. III. n. 4. z) Suppl. II. tab. III. n. 9. a) l. c. b) Mél. II. p. 37. c) Patin. Thes. num. p. 52. d) Med. de España T. I. p. 84. e) Morelli Imp. tab. XXXII. Augusti.

transcursu attigit tantum, non sibi probandam sumpsit, eam argumentis stabilire aggressus est Mahudelius. Ait, existere nonnunquam in civitatibus causas subitas, quae cogant augere valorem monetae. Exemplo esto as Romanorum per bellum Punicum II. usque adeo imminutus manente eodem valore. Primorum imperatorum aetate eundem finem obtentum, sed horum ope signorum monetae jam signatae impressorum. At cum idem videret, numos sic notatos esse paucissimos, respectu eorum, qui notati non sunt, respondet, valorem his signis auctum non spectasse ad omnes imperii provincias, sed ad eas tantum, quibus in causa subita eo remedio opus fuit. Aucto inde a Trajano monetae Romanae numero necesse amplius non fuisse, hoc valoris dicto modo augmentum arcessere. Difficile vero esse divinare causas, quae subitaneum istud remedium suaserint, quarum aliae ad imperatorem, aliae ad senatum, aliae ad populum pertinuerint, quos varios jussus indicare videntur notae IMP.— AVG. — CAES. — SPR. Minus adhaesit Havercampus ejusdem sententiae patronus, comperto, omnes id genus numos has notas accepisse sub Claudio, urgente scilicet necessitate, quando fames gravior Romam et imperium adflixit f). At enim, ut causas alias praeteream, quae infirmam hanc opinionem evertunt, exstant notae incusae Claudii imperio posteriores, ut videri potest in indicato Mahudelii catalogo. Aliae Mahudelii conjecturae, ob quas alias causas haec numis signa impressa fuerint, infirmiores mihi videntur, quam ut exponi mereantur.

Sententiae huic a Joberto primum traditae adversatus serius est Cl. Bozius loco supra laudato. Eccur enim, ait, Romani stante Republica, cum toties augere valorem aeris, ut constat, necesse fuisset, refundere potius magno sumptu universam monetam aeneam instituerunt, quam eam, quod facilius peractu fuit, impressis his signis notare, praecipue cum eorum usus ignotus iis esse non potuerit, pridem in civitatibus Graecis receptus? Cur sic apud Romanos notati fuere soli numi aenei? Enimvero necesse est, spectato valore in triplice metallo certum esse debere, atque ex praesentibus causis definitum intervallum. Ergo si valoris augmentum fuisset intentum, incusis hoc modo numis argenteis multo amplior summa breviore tempore potuisset confici. Addit, huic etiam sententiae obesse, quod pauciores sunt numi incusi, quam ut verisimile videatur, fuisse haec signa aucti valoris indicia, denique si istud praefixum fuit, mirari sese, cur ea non in omnium imperatorum numis compareant. Sane sese in nullo Vitellii, aut Nervae numo observasse.

Hac refutata sententia suam continuo dictat. Ait, in operibus publicis, ut cum agebantur muniendae viae, derivandae in quoscunque usus aquae, aedificanda amphitheatra, et quae his sunt similia, in his ergo operibus aequum fuisse, inter eos, qui labori destinati fuere, distribui tesseras arbitrario quopiam signo notatas,

f) ad Morellii tabulam XXXII. Augusti.

quas peracto opere diurno repraesentarent praefecto, velut indices locatae operae, et quantum rependi iis oporteat. Ex simili causa nostro quoque aevo in variis hominum societatibus porrigi tesseras, quas Galli *méreaux* appellant, et quae vel cupro, vel plumbo, vel charta, vel quacunque alia materia constant. Eundem his numis usum si dabimus, facile explicatum iri causam duorum vel trium in eodem numo signorum incusorum. Etsi enim numus uno jam signo notatus fuit, potuit addi alterum, quin et tertium, ejusque in causa intenta tantum haberi ratio. Explicari item, cur Romani monetae aureae et argenteae pepercerint. Cur enim necesse fuisset deformari monetam pretiosi metalli, cum moneta vilioris eundem potuerit usum praestare?

En utriusque IIviri Galli de incusis monetae Romanae signis judicia, quorum alterum Mahudelii infirmius est, quam ut adprobari posse videatur, alterum Bozii probabilius certe, et cui accessere Florezius [g]), variique alii, ejus tamen naturae, ut ejus meritum intra conjecturae limites contineatur, nostra vero aetate jam minus validum sit propterea, quia omnia argumenta, quae ab incusis apud Romanos solis aeneis ducit, suapte collabuntur, repertis non paucis incusis argenteis, ut dictum.

Quod ad signa Graecorum monetae incusa attinet, non negat Bozius, potuisse iis indicari auctum numi valorem, ac primum quidem propterea, quia non monetam modo aeneam, sed et argenteam huic instituto subjecere, deinde quia ad formanda haec signa plus dignitatis attulere incusis numinum, principumve capitibus, aliisve sigillis affabre elaboratis, cum Romanorum signa plerumque tantum literis earumve nexibus constarent, ut dictum.

Successit Pellerinius, qui binis locis suam de his sententiam exposuit [h]). Existimat, civitates Graecas numis exterarum civitatum ope commercii ad se delatis, cum istud e re visum fuit, arbitraria impressisse signa, quibus indicaretur, eorum usum instar monetae domesticae permissum. Causam, cur istud conjiceret, dedit, quia revera habemus exempla, Graecos non semper monetae suae, sed et alienae id genus signa intulisse. Praeter numos varios, quos ad hanc causam advocat, sed non satis idoneos, exhibet unum Heracleae cujuspiam incertae, in cujus antica capiti Commodi insculptum est *CAPΔ.*, ergo a Sardianis monetae exterae insertum, et, quod sequitur, non, ut ejus valorem augerent, sed ut illi valorem intra fines suos impertirent.

Praesto sunt exempla, eaque multo evidentiora, signorum monetae externae impressorum. Indicavi olim numos tres ex illustrium tetradrachmorum numero, quos frequentes signavere Sidetes Pamphyliae. Omnes tres in parte antica incusum habent arcum et pharetram, addito in horum uno *ΠΕΡΓΑ.*, in altero *ΣΑΡ.*, in tertio *ΤΡΑ.*, quae sunt accisa nomina Pergami, Sardium, et Trallium, quae fuere urbes provinciae Asiae. Vide numos ipsos in mea Sylloge I. [i]) Conjeceram ibi

g) Med. de Esp. T. I. p. 83. h) Mél. I. p. 140. Suppl. II. p. 61. seq. i) pag. 41.

argumentis, ut spero, non aspernandis, constitutum fuisse ab Asiae urbibus, ut illustres hi Sidetum numi addita communi nota in cistophororum communionem reciperentur, et communem cum illis valorem obtinerent. Quidquid erit, istud certum, Sidetum numos peregrinam fuisse in provincia Asia monetam; quam vero aliam eorum sic notandorum possimus adferre causam, quam ut Asianorum commercio servirent? Eodem in opere spectandum dedi tetradrachmum Alexandri M., cui impressum *ΚΑΛ.* addita spica, nempe Callatianorum Moesiae[k]), et paullo supra proposui numum Tyrae Sarmatiae cum simili spicae nota a vicinis item Callatianis, ut conjicere licet, impressa. Vulgavit Ignarra obvium aeneum Neapolis Campaniae numum typo bovis cum facie humana, in cujus una parte comparet nota incusa SVESA, quae fuit urbs Campaniae[l]). Haec ergo exempla satis probant jus sibi in peregrinam monetam permissum, valoremque ei publice definitum. Ex eadem doctrina, prosequitur Pellerinius[m]), tenemus causam, cur saepe duo, quin et tria sigilla uni numo impressa sint. Nam posteaquam urbs aliqua numum peregrinum inserta nota civitate donavit, si is forte in aliam civitatem delatus est, haec eodem consilio notam suam intulit, qua conspecta admoneretur populus, ejus deinceps usum, tanquam pecuniae domesticae, permissum.

Interea non negat Pellerinius, factum etiam fuisse, ut civitates monetae apud se signatae notas superadderent, idque augendi ejus valoris causa[n]). Ejus quidem exempla nominatim ipse non commemorat, sed possum supplere, quod negligendum putavit. In numis tribus Mytilenaeorum maximi moduli L. Veri, Commodi, et Crispinae, quos edidit Pellerinius[o]), est signum incusum referens incertum quoddam numen Hermae figura, navique impositum. Atqui hunc typum fuisse proprium Mytilenaeorum, in horum numis videbimus. Aliud exemplum dabimus in numis Beryti Phoeniciae.

Exposui sententiam Pellerinii cujuscunque meriti, sed quam is Graecorum tantum monetae adcommodavit. Verum quae ejus de numis Romanorum sententia? Causa esse non potuit auctus monetae valor, aut quia id genus numi fuere operarum in laboribus publicis testimonia, quod utrumque ipse fere fastidit. Omnium vero minime haec signa permissum intra civitatis fines monetae Romanae usnm indicare poterant, quia imperatorum aetate non jam illa peregrina fuit habita, sed communis totius imperii, omniumque provinciarum. Molestam materiam ut finiam, ajo, nihil hactenus solidi et quo difficultatibus omnibus obvietur, adlatum esse, quod eruditus lector vel ex his ipsis meis commentariis facile perspiciet.

k) pag. 44. l) de Pal. Neap. p. 249. m) Suppl. II. pag. 84. n) Suppl. II. pag. 67.
o) Suppl. II. tab. IV. n. 7. 8. 9.

CAPVT XIX.

De numis adulterinis.

Hunc tractatum in partes duas dispescimus, quarum I. aget de numis adulterinis per fraudem veterem, II. de numis adulterinis per fraudem modernam. Parabantur illi a falsariis, ut moneta proba putarentur, parantur hi a fraudis magistris, ut moneta vetus credantur.

I. Numi adulterini per fraudem veterem.

Artem monetam turpi fraude corrumpendi cum ipsis fere numis natam, et scriptores docuere, et experientia. Praetereo testimonium Herodoti, narrantis p), Polycratem Sami tyrannum Lacedaemoniis plumbum inauratum pro moneta aurea obtulisse, istud, inquam, testimonium praetereo propterea, quia auctor ipse enarratum istud *ματαιοτερον λογον*, *anilem fabulam*, appellat. Major auctoritas Demosthenis, cujus evidente testimonio docemur, jam Solonis aetate monetae publicae corruptionem rem fuisse passim per civitates Graecas cognitam, et capitali supplicio punitam q). Ipsa vero experientia non pauca nobis inveterati hujus flagitii exempla suppeditat. Est in museo Caesareo numus Messanae Siciliae, alius mihi conspectus Metapontinus, quem olim edidi r), antiquissimi uterque commatis, uterque intra argenti bracteam vilem ex aere animam recondens.

Atqui jam tum in eos, qui turbare hoc pacto fidem publicam, et corrumpere pignus reipublicae sunt ausi, gravissimis poenis fuisse animadversum, multa habemus legislatorum testimonia. Apud Demosthenem Solon ipse mortis poenam hujus compertis criminis fuisse intentatam docet s). Idem reis decretum supplicium alibi testatur Demosthenes t), et ex hoc Aristides u). Diogenis patrem fuisse reum corruptae monetae, narrat Diogenes Laertius x). Cum Graecorum legibus conspirant Romanae. *Quicunque*, inquit Vlpianus y), *numos aureos raserint, tinxerint, finxerint, siquidem sint liberi, ad bestias dentur, si servi, summo supplicio adficiantur.* Vide alibi severas Romanorum in reos poenas alias z). Atque ut poena reis, sic et praemium delatoribus publice fuit constitutum. *Servi*, ait Diocletianus a), *qui monetarios adulterinam monetam exercentes in publicum detulerint, civitate R. donentur.*

Intenta haec supplicia quam inutile fuerint adversus fraudem remedium, ipsa superstes vetus moneta experimentum praebet. Incredibile dictu, quanta numorum copia argentum pro aere men-

p) L. III. c. 56. q) adv. Timocr. p. m. 805. r) Num. vet. p. 38. s) l. c. t) adv. Leptinem in fine p. m. 566. u) Orat. T. II. p. m. 416. x) L. VI. § 20. y) L. Quicunque ff. ad leg. Corn. de fals. z) Codic. L. IX. tit. 24. a) Cod. L. VII. tit. III. § 2.

tientium ex officinis tam Graecis, quam Latinis emerserit. Atqui pervulgata ea fraus oculis quotidie nostris obversatur. Testatur facto periculo illustris St. Vincent Gallus [b]), ex numis argenteis Massiliae, quos propter incredibilem numerum fere fastidimus, majorem partem aes introrsum continere. Exempla subaeratae monetae Romanae seu consularis, seu imperatoriae non adfero, quia omnia hac musea abundant, ac tanto quidem numero, ut saepe animum subiret suspicio, altiore eam imperio sic fuisse vitiatam, cujus quidem facti aliqua continuo dabimus testimonia, nisi viderem copiosos eorum quoque imperatorum subaeratos, quos propter vitae integritatem communis opinio ab isthoc crimine absolvit. Non igitur Rinckius in tractandis numis veteribus magnopere videtur profecisse, qui adseruit, subaeratos argenteos insignis esse raritatis [c]).

Tam copiosa corruptae monetae veteris variis modis supplementa non mirabitur, qui novit, justas officinas, etsi furtivas, huic fraudi fuisse destinatas. Testimonium D. Hieronymi jam alibi recitavi, cujus verba sunt: (in vita Pauli Erem.) *Erant praeterea per exesum montem* (Thebaidis inferioris) *haud pauca habitacula, in quibus scabrae jam incudes, et mallei, quibus pecuniae olim signatae, visebantur. Hunc locum Aegyptiorum literae ferunt furtivae monetae officinam fuisse ea tempestate, qua Cleopatrae junctus est Antonius.* Exstant hodieque non paucae formae argillaceae operis antiqui, quas a falsariis ad fundendos numos adhibitas supra verisimile dixi [d]). Tanto majore licentia, quia impunita, augeri debuit falsorum agmen, quando et viros principes prodidit historia, qui infami huic instituto operam commodaverunt. Inter Graecos fuisse sparsum rumorem, Polycratem Sami tyrannum inaurasse plumbum, supra ex Herodoto docuimus. Ferrum denario miscuisse Antonium IIIvirum, perhibet Plinius [e]). Teste Dione [f]) Caracalla pro veris numis plumbum auratum, et aes argentatum paravit.

Tam frequentes, variaeque in vitianda moneta artes fecerunt, ut in ea accipienda magnam populus adhiberet cautionem, *ne qua*, ut ait Persius [g]), *subaerato mendosum tinniat auro.* Magna etiam vulgo voluntate acceptae leges, quae discernere monetam probam a vitiata docuere. Ejus exemplum offert Plinius [h]): *Igitur ars facta denarios probare, tam jucunda lege plebi, ut Mario Gratidiano vicatim totas statuas dicaverit.* Vide haec latius exposita apud Ciceronem [i]). Quod quidem pervicax hominum in exploranda moneta studium eleganter, ac fere *κωμικως* describit Epictetus [k]): *Ορατε και ἐπι του νομισματος, πως και τεχνην ἐξευρηκαμεν, και ὁσοις ὁ ἀργυρογνωμων προσχρηται κατα δοκιμασιαν του νομισματος, τῃ ὀψει, τῃ ἁφῃ, τῃ ὀσφρασιᾳ, τα τελευταια τῃ ἀκοῃ. ῥιψας το δηναριον τῳ ψοφῳ προσεχει, και οὐχ ἁπαξ ἀρκειται ψοφησαντος,*

---

b) Sur les Méd. de Marseille p. 8. c) de vet. num. potent. p. 68. d) Cap. XI. e) L. XXXIII. § 46. f) LXXVII. § 14. g) Sat. V. 106. h) L. XXXIII. § 46. i) de Offic. L. III. § 20. k) L. I. c. 20.

ἀλλ᾽ ὑπο της πολλης προσοχης μουσικος γινεται. Videte etiam in numismate, quomodo artem invenerimus, et quot adminiculis mensarius ad ejus examen utatur, visu, tactu, olfactu, denique et auditu; projecto enim denario sonum observat, neque semel ejus percepisse tinnitum contentus est, sed adhibita frequenter attentione musicus evadit. Eodem pertinet ille Petronii *numularius, qui per argentum aes videt* [l]).

Restant explicandi varii modi, quibus corruptam a veteribus monetae probitatem aut legimus, aut videmus ipsi.

Auro vel argento tincti numi vilioris metalli, sive inaurati, et argentati. Ejus falsi exemplum dubium in Polycrate Samio ex Herodoto dedimus, certius in Caracalla ex Dione coaevo. Et fuisse has insidias vulgo intentatas, et publice periculosas, apparet ex lege altius recitata, qua ad bestias damnantur, qui numos aureos *tinxerint.* Huc tamen non pertinent numi auctoritate publica inaurati, vel argentati, de quibus egi capite XII. in numis *cum variis ornamentis parergis.*

Numi aurei et argentei admixto ignobili metallo. Demosthenes loco supra laudato ex Solone refert, esse urbes Graecas, quae palam utuntur *ἀργυρίῳ προς χαλκὸν και μολυβδον κεκραμενῳ, argento, cui aes et plumbum incoctum est.* Antonium denario miscuisse ferrum, supra diximus.

At maximum malum, quia difficilior cautio, attulit funesta ars, quae docuit, vile metallum tenui argenti aurive bractea sic vestire, ut argentei aureive numi toti putarentur, qui illustris metalli personam tantum gerunt. Admiranda sane fuit haec ars, et quae nunc in deperditis vulgo putatur, sed quod esse falsum, infra docebimus. Neque enim vel minimum subtilis unionis indicium apparet, ac fraus tum demum aperitur, cum pars bracteae quocunque casu fugitiva turpem intus animam prodit. Id numorum genus artis nostrae magistri vocant *pelliculatos* ab inducta pellicula, vel *subaeratos,* quia plerumque aes subtus recondunt; minus concinne, ut jam advertit Rinckius [m]), aliqui *bracteatos;* nam bracteati proprie dicuntur, qui toti bractea sunt, quales medio aevo Germania potissimum copiosos protulit, at hi, de quibus agimus, solidi sunt, et argenti vel auri tantum bractea operti.

Infamem hanc artem Graecorum esse inventum, dubium non est. Sane hujus operis exstare antiquissimos Graecos, supra diximus, et superioris adeo aetatis, quam argentum Romae feriri coepit. Paullo eam huc fuisse illapsam, ingens numorum consularium hac peste laborantium numerus demonstrat.

Nullum ab hac injuria metallum immune fuit. Habentur pelliculati aurei argentei, aenei.

Aurei pelliculati rariores, quia subreptitii metalli levitas iniquum pondus facilius prodiderat. Exstant tamen hujus generis non pauci. Est in museo Caesareo unus Alexandri M., unus Commodi, unus Caracallae, et nonnulli imperatorum inferioris aevi, in quibus ars multo difficilior, quia ejus aetatis aurei tam sunt tenues, ut animae vix videantur posse prae-

l) Satyric. cap. 56. m) de vet. num. pot. 63.

bere hospitium. In argenteis fraus vulgata, ut diximus. Quo tempore monetae Romanae argentum aut egregie probum fuit, aut modice depravatum, ei a falsariis structas insidias mirum non est, quia inserto clam aere justum potuit sperari lucrum. At istud profecto mirum, idem etiam vitium oblatum numis declinantis imperii tam male argenteis, ut in iis vix aliqua pars nobilis metalli inesset. Quod enim iis corrumpendis molestae operae pretium? Atqui et sic subaeratos Gallieni et Postumi argenteos testatur Bimardus [n]. At incredibile videri posset, etiam in moneta aenea exercitam hanc fraudem, nisi eam testarentur exempla, rara quidem, sed certa tamen aeneorum pelliculatorum, quorum aliqua continuo dabimus.

Anima in pelliculatis his numis ex vario est metallo, semper, ut causa postulabat, ignobiliore, quam ex quo est pellicula. Ea ex aere Cyprio plerumque est, unde his numis inditum *subaeratorum* nomen. Singulare est, quod testatur Neumannus [o], visum sibi aureum Hadriani subargentatum, seu cum anima argentea, similemque serius dedit Taninius [p]. In argenteis compertam etiam animam ferream, nempe quam magnes attraxerat, narrat Froelichius [q]. Aeneorum anima aut ferrum est, aut plumbum. Est in museo Caesareo Caracallae aeneus I. formae, et operis perelegantis, qui ferrum intus recondit. Alia animae ferreae exempla recitat Rinckius [r], et Froelichius [s]. Aeneum cum anima plumbea ex Schulzii testimonio memorat Neumannus [t].

Creditum plerisque, ut dolo huic obviam iretur, stante rep. repertos numos serratos. Sed quod minus mihi videri verisimile, probabo in Prolegomenis ad numos Familiarum capite XVI. Istud certum neque huic generi ab impostoribus parcitum. Creditum etiam, neque injuria, inferiore aevo aureos non ea, qua olim, crassitie, sed multo tenuiores fuisse cusos, ut iis, qui substernere vilius metallum vellent, labor esset difficilior, quamquam et in his, ut diximus, a manibus avidis factum periculum.

In eorum numero, qui numos veteres conquirere amant, sunt, fueruntque non pauci, qui subaeratae huic merci studiosius, quam monetae sanae probaeque inhiarunt. Ejus illis cupiditatis causa unica fuit, quia, cum persuasum sibi esset, veterem sic adulterandi artem esse deperditam, securos sese in comparandis hujus naturae numis a recente impostorum fraude crediderunt. Non repugnavero his viris, sin id unum maxime illis fuit propositum, non inferre thesauro suo numos, nisi certae fidei veteres, tametsi agere ipse sponsorem semper nolim, nummum aliquem esse veterem, quia subaeratum. Etenim recentem fraudem in nostrae quoque aetatis moneta simile fecisse periculum, testatur Froelichius conspectis monetae Gallicae numis plane affabre subaeratis [v], et Cl. Neumannus ex museo Caesareo sub-

n) Jobert. T. I. p. 60. o) Numi pop. P. II. p. 199. p) Supplem. ad Band. p. 326. q) IV. Tent. pag. 364. r) l. c. p. 67. s) l. c. t) l. c. v) IV. Tent. p. 368.

aeratum, ex obviis Batavorum aureis unum, mihi conspiciendum dedit. Si ergo nostri aevi praestigiae monetam nostram potuere imitari, an idem in hac imitandae monetae veteris licentia non poterunt experiri, praecipue cum in raro quopiam numismate hoc modo fingendo insignem sibi quaestum videant propositum? Ceterum magnopere falluntur viri numorum veterum studiosi, si existimant, illatis in museum suum numis subaeratis, etsi haud dubie veteres praestemus, aut gazae suae fuisse consultum honori, aut verae utilitati, cujus unius causa veteris monetae supplementa desideramus. Quam enim copiose in his, quam prave plerumque peccatum sit, quamque adeo fallax sit eorum in philologiae causis auctoritas, jam ante me experti sunt viri eruditi, quorum nonnullorum judicia recitat Froelichius[x]), et abunde ipse in Catalogo musei Caesarei indicavi. Equidem non semel experientia didici, si quem imperatorum denarium vidi adversari rationibus chronologicis, aut historiae, aut cuicunque alteri causae, eum instituto examine turpem intus animam abscondere. Quocirca, ut non plane aspernandam puto vitiosam hanc sobolem, quia aliquem tamen potest usum praestare, sic in fallacibus antiquitatis testibus esse habendos cordatus quisque facile mecum consentiet, malimque in hoc periculo niti auctoritate aeneorum, quorum plerumque incorruptior fides, quam argenteorum, qui causa metalli magis impostorum avaritiam irritavere.

II. *Numi adulterini per fraudem modernam.*

Accedimus ad partem artis numismaticae ex praecipuis unam, quae numos vere veteres a recens confictis discernere docet. Qua enim mente advocabimus numum, ut antiquitatis testem agat, qui nuper ex clandestina impostoris officina emersit? Quapropter omnibus iis, qui aut, numos veteres comparant, aut comparatos ad philologiae causas adhibent, argumentum istud in praecipuis curis esse debet, illis, ne magnis sumptibus numos falsos pro genuinis in thesaurum suum inferant, his, ne antiquitatis doctrinam corruptis testibus magis corrumpant. Incredibile dictu, quam saepe utrisque, ex quo numis veteribus honor haberi coepit, communis hic scopulus fatalis fuerit. Et quod longe est molestissimum, infamis hujus operis artefactis praestantissimorum etiam virorum libros, tum et catalogos, qui maxime studiosorum manibus volvuntur, videmus inquinatos. Ejus labis culpa in ipsos est auctores conferenda, sive quod illi scientiae, quae numos probos a falsis discernere docet, non eam, quam oportuerat, operam impenderunt, sive quod ad numorum examen non omnem ἀκρίβειαν contulere, sive quod plus justo creduli communicatas sibi ab aliis numorum descriptiones neglecta severiore crisi in opus suum recepere. A simili culpa immunem non fuisse magnum Spanhemium, jam aliis fuit observatum. Quam densum damnosae plebis agmen

x) l. c.

contineat catalogus Mediobarbi, alio loco demonstrabimus. Froelichium et Khellium viros sane doctissimos in adprobandis numis non paucis, quos in *Cimelio Vindobonensi* ediderant, nimium fuisse indulgentes expertus sum ipse. Plures etiam malae prosapiae in genuinorum societatem admisere auctor praeclari Musei Pembrockiani, et Maffeius in Verona sua illustrata, et nonnulli alii. Ex quo illud sequitur etiam incommodi, quod, qui indiciis his ad proposita sibi studia uti volet, pendeat animi, et in ancipiti se deprehensum intelligat. Adstruat fidem? at habet graves dubitandi causas. Abneget? at prohibet magnorum nominum reverentia, atque inter haec metum ingenerat illud Hesiodi [y]):

Και πιςεις δ᾽ ἀῤ ὁμως και ἀπιςιαι ὠλεσαν ἀνδρας.

Pauci sunt, quorum in hac causa judicio sine erroris metu stare possis, quos inter cum laude nominandi Vaillantius, Bandurius, Buonarrotius, Haymius, Pellerinius, Belleyus, Barthelemyus, Combius, Blondius, Neumannus. In aliis, etsi non desit artis numismaticae cognitio, tamen utrum hac in parte recte ab iis fuerit judicatum, dubitari potest. Nuper Abbas Sestinius paucis paginis copiosos vulgavit numos imperatorum commatis peregrini, quorum tot annis, a tot numorum helluonibus aut nullus, aut singuli tantum sunt reperti [z]). An verisimile, tantum fortunae contigisse uni, quod hactenus negatum omnibus? Verum ludicra haec sunt cum Balthasaris Münteri Havniensis prodigiis comparata, qui unus privatus in museum suum intulit numos, quos principum facultates comparare nondum potuerunt, Cyriadis, Ingenui, Pisonis, Balistae, Trebelliani, Celsi, Odenathi, Herodiani, Herenniani, Timolai, Saturnini, Proculi, Bonosi, Achillei, quos mirari satis nequeo potuisse a Taninio tanquam genuinos in opus suum recipi, et animadversionibus etiam illustrari, cujus praeclari viri arduum laborem in augendo Bandurio ut grato animo accipimus, sic moleste ferimus, Bandurii castimoniam hac illuvie et sordibus fuisse pollutam. Habes, lector erudite, causas, cur ab auctore, qui numos nobis *ἀνεκδοτους* promulgat, non modo criticae hujus artis scientiam requiramus, sed etiam in judicando rigorem tanto magis nostra aetate necessarium, quanto non modo major est improbae hujus mercis eluvies, sed et saepe perfectior ars multis tam nitide ad veterem modum fabrefactis, ut et peritissimos possint in fraudem inducere.

Inter eos, qui argumentum istud persecuti sunt, praecipua laus debetur erudito Beauvais, qui ante annos non multos satis prolixum de hoc tractatum conscripsit, eumque subjecit operi, quod *Histoire abrégée des Empereurs* inscripsit. Quoniam non mihi tantum arrogo, ut melius me aliquid adferre in hac causa posse sperem, eum totum huc transferendum duxi, nisi quod mihi permissum putavi, resecare illa, quae jam alibi in his prolegomenis fuere tractata, aut quae superflue dicta videbantur.

---

y) Opp. v. 372. z) Lettere T. IV. pag. 86—132.

Dissertatio de numis adulterinis auctore Cl. Beauvais.

Quoniam judicium, quod discernere numos antiquos a fictitiis docet, maxime scitu necessarium est illi, qui ad colligendos numos veteres applicat animum, mirum profecto, in hoc auctorum numero, qui hactenus artis numismaticae praecepta tradidere, neminem repertum, qui leges certas praescriberet, quibus ducibus verum a falso dignosceremus. Jobertus in pervulgato suo opere tam perfunctorie hanc partem est persecutus, ut magis videatur eam attigisse, ne reprehensionem incurreret ejus neglectae in opere, quod omnes artis numismaticae causas complecti debuerat. Atqui si fuit tempus, quo necesse fuit, iis, qui his studiis delectantur, indicare praestigiatorum fraudes, istud profecto est, quo omnem Galliam, aliasque regiones inundavit numorum spuriorum torrens, quos olim intulit Italia, et quotidie inferre non desinit*). Tametsi hos numos veteres fingendi ars et licentia, ac pro genuinis obtrudendi nequaquam nostrae sit aetatis inventum, sed antiquae prosapiae. Guilielmus du Choul, qui ante annos omnino ducentos vixit, fuitque inter primos, qui Graecorum Romanorumque monumenta commentariis illustrarunt; in opere suo: *Discours de la religion des anciens Romains illustré de Médailles,* binos stitit Agrippae numos, utrumque haud dubie falsum, quorum unus magni aeris exhibet Pantheon, alter argenteus Neptunum hippocampis vectum cum epigraphe: *Aequoris hic omnipotens.* Huic coaevus Antonius le Pois dedit numum Scipionis Africani, alium Hadriani cum *Ponte Aelio* in parte aversa etc. Ex quo efficitur, sub ipsa artis numismaticae incunabula continuo nefarios pecuniae veteris fabros pullulasse.

Non multo post malam artem in Italia auspicati sunt falsarii, nomine *Patavini,* et *Parmensis* late cogniti. Post hos Michael Dervieu Florentinus, et Cogornierus insigne sunt nomen adepti, ille imitando omnis generis numos veteres, praecipue aeneos maximae formae, hic Tyrannorum sub Valeriano et Gallieno mo-

---

*) At cur cl. auctor unam hoc loco Italiam in hujus ignominiae, invidiam vocat? An ab hac immunes aliae cultioris Europae provinciae? Non poterat sane ignorasse novissimas, et in Galliae luce perdiu patratas fraudes, quarum idoneum testem habeo Enneryum in hac palaestra prae aliis exercitatum, cujus verba sunt in epistola ad Ill. Baronem Seckendorf data: *tulit nostra aetas numorum παραχαρακτην in paucis nobilem, cui nomen* la Roche. *Delituit is in ignobili oppido Lugdunum inter et Gratianopolin. Eo vita functo patris fraudem aliquamdiu continuavit filia. At cum non eodem esset quo pater ingenio, ab opere destitit. Ejus opus sunt numi rarissimi a Pellerinio vulgati.* His perlectis nemo mirabitur, praestantissimorum numismatum, ante Pellerinii praeconia plane ignotorum altera exempla nunc passim in privatorum museis jactari. Similis fallaciae specimina dedit Germania et Hungaria. Quin ex insigni numorum numero, qui Constantinopoli empti, et ad me adlati sunt, praestantissimi quique fere omnes certa prodidere ἀγνησιοτητος indicia. Ceterum hoc loco omittenda non fuerat industria Rinckii, qui argumentum istud satis adcurate et copiose illustravit. (de num. vet. pot. cap. XVI.)

netam. In Batavis Carteronus aliique spuriorum agmen infinitis supplementis auxere. *)

Ab horum ergo tenebrionum astutiis ut tutos praestarem artis nostrae studiosos, sequentia conscripsi praecepta, quae placuit in X. articulos dividere, quorum

I. aget de numis moderni commatis nomine *Patavinorum* cognitis.

II. de numis fusis in matrice numorum modernorum.

III. de numis fusis in matrice numorum antiquorum.

IV. de numis antiquis, quorum mutantur capita, et typi.

V. de numis malleo transformatis et compositis.

VI. de numis fissis.

VII. de numis subaeratis et incusis.

VIII. de numis veteribus fusis, iisque, qui sunt duplicis metalli.

IX. de numis confictis, et iis, quorum pauci inveniuntur spurii.

X. qui articulus titulum non praefert, et omittendum duxi, quia aut jam alias dicta continet, aut quae ad praesens argumentum non magnopere pertinent.

§ I.

De numis moderni commatis nomine Patavinorum cognitis.

Numi, quos generatim Patavinos appellamus, ex matricibus prodivere, quas sciti artifices variarum nationum vetere quodam exemplari ad imitandum proposito insigni artificio et nitore elaborarunt. Hujus naturae numi incredibili numero circumferuntur, quos sola ars vetus pulchritudine et decore superat. Elegantes ex his series possunt componi in quacunque magnitudine, et metallo, numorum sive Graecorum, sive Romanorum. Numi aenei maximae formae cum capite imperatorum, siquidem falsi sunt, aut ad exemplar numorum vere veterum sunt fabricati, aut ex cognitis factis historicis conficti. Frequentissime sese ars recens in XII. primis imperatoribus exercuit, praecipue quorum capita sunt rariora, ut Tiberii, Othonis, cujus aenei triplicis formae Latini non exstant, nisi Antiocheni, et Aegyptii, deinde Vitellii, Pertinacis, duorum Gordianorum Africanorum, Agrippinae Claudii, Domitiae, quae vix reperitur commatis vere antiqui, Plotinae, Marcianae, Matidiae, denique Anniae Faustinae Elagabali, et Tranquillinae Gordiani.

Quibus ad lectiores veteris monetae thesauros aditus patuit, minus erit difficile hos evitare laqueos. At enim major eorum pars in remotis degit provinciis, et vix Parisios commeat, ut reliquarum artium omnium, sic et numismaticae sedem, neque adeo a virorum in his studiis illustrium consuetudine aliquam potest percipere utilitatem. Vidi ipse horum non paucos, qui, etsi vitam omnem in colligendis numis consumpsissent, non tamen sibi certum judicium, qui numi vere veteres sint, qui spurii, potuerunt comparare. Quod quidem usque adeo verum est, ut unanimis sit eruditorum Parisino-

*) Alios malae mercis fabros commemorat Rinckius (de vet. num. pot. p. 115.).

rum sententia experientia confirmata, majorem partem rariorum ex magno aere numorum, qui thesauros etiam illustrioris famae, sed in provinciis collecti, constituunt, cum Parisios ab haerede vendendi causa deferuntur, novicii esse operis agnosci.

Interea ad dignoscendam Patavinam hanc mercem regulae possunt prodesse sequentes: I. Numi omnes magni aeris, qui Patavini dicuntur, de quibus solum hic agitur, generatim minus crassi sunt, quam antiqui. II. Nihil eorum elegantiae ademit aut longior usus, aut aevi et aeruginis injuriae. III. Literae noviciam formam produnt, quali inscribi solent nostrae aetatis numi. IV. Nunquam vernice*) obtecti sunt, nisi artificiosa, quam tamen minus difficulter dignoveris; nam plerumque nigrior est, et pinguior, neque scalpro resistit, cum tamen vernix naturalis splendore sit eximio, et eadem cum ipso numo duritie. V. In eorum margine apparent limae vestigia, saepe occultiora, sed quae oculum attentum non effugiunt. VI. Formae sunt perfecte rotundae, quando numi antiqui, praesertim inde a Trajano, tam anxie rotundi non sunt.

Eaedem leges ad explorandam aeneorum maximae formae probitatem valebunt. Ac primum quidem admodum suspectos habebimus omnes hujus classis numos, qui imperatoris caput a J. Caesare usque ad Hadrianum offerunt. Vix unus aliquis genuinus intra hoc temporis spatium reperitur.

Neque major difficultas in examine numorum imperatoriorum ex argento vel auro, aut numorum Graecorum cujuscunque metalli. Esto, numi oram videri inculpatam, at literae facile dabunt judicium. Et vero ad harum naturam cognoscendam praecipuus est adhibendus labor, qui adeo operosus non est, siquidem voles istuc animum advertere. Etenim quocunque modo numus falsus erit, sive quia operis est moderni, sive ex numo vetere vel moderno fusus, sive scalprum malleumve est expertus, semper literae fraudem indicabunt. Sane hae ut verum fatear, regulam certissimam, ac forte unicam de numorum fide recte judicandi suppeditant illi, cui nondum vera operis veteris natura satis est perspecta, cujus deinde scientia momento temporis docet, utrum vetus, utrum novicius sit numus **).

---

*) Quid intelligamus nomine *vernicis*, cujusque ea sit in moneta vetere naturae, diximus capite XII.

**) Nimium nobis hoc loco promittit auctor. Etenim si tam facile nobis *κριτηριον* suppeditarent literae, cum pauci sint in moneta vetere numi, qui literati non sint, sequeretur, pronum promptumque esse de oblati cujuscunque numi fide judicium. Contra experimur, peritissimum quemque in approbando numo, reprobandove nonnunquam pendere animi, et non raro inter peritissimos quosque exortam litem, his approbantibus, reprobantibus illis. Accedit, quod ipse auctor non sibi satis constet. Nam quam hoc loco difficultatem elevat, infra § IV. etiam peritissimis molestam profitetur. Enimvero non satis video, cur habilis quidam artifex figuras ad veterem modum imitari scite possit, literarum formam non possit, cum is dolum omni collata opera meditatus est.

§ II.

De numis fusis in matrice numorum modernorum.

Id genus numi tanto sunt numero, ut musea omnia, nisi quae artis magistri instruxere, iis abundent. In his facilior est fusionis modus, quam in antiquis. Major pars numorum veterum alicujus meriti, quos solum imitari operae pretium est, vitium situ contraxit, et nitoris adeo jacturam fecit, demptis aureis fere semper illaesis. At vero numi Patavini, quia integri, facile, quam voles, formam accipiunt. Quare falsarii, quorum in sculpendis matricibus minus erudita manus, in hoc fusionis modo acquievere. Horum malam fidem saepe difficilius detexeris, quam ipsorum archetyporum, quia potes addere crassitiem, quamcunque voles; deinde cavitates ab arena profectae replentur lithocolla, scalpro emendantur literae, denique quaquaversum inducitur vernix ad tegendum aptius dolum. Nequaquam mirum, adlectos his artificiis tirones saepenumero in laqueos incidere. Neque tamen in iis dignoscendis plus impendendum operae, quam in iis, quos malleus parturivit, modo leges hactenus dictatas in consilium adhibeamus; praeterea eorum exploremus pondus, quod levius est in fusis, quam malleo percussis, quia in iis metallum rarefecit ignis, in his ictus vehementia coartavit, effecitque gravius, modo denique observemus, literas esse distortas, praeterquam quod lithocolla et falsa vernix suapte in oculos incurrunt.

Numi aurei et argentei eodem modo fusi multo facilius discernuntur, quia et lithocollam, et vernicem respuunt. Quare continuo turpes suos natales produnt, et necesse est valde esse tironem, qui his se laqueis illigari patitur.

Falsorum numorum ora in fraudem saepissime inducit. Enimvero plerumque ab hac parte numorum examen solet inchoari. Plerique in hac lege acquiescunt: aream numorum absolvi ab ora, et vicissim. At nihil hac lege fallacius. Exstant copiosi argentei, quorum oram jam Romanorum aetate attrivit lima, ut includerentur annulis, vasis, aliisve monumentis, quorum aliqua nonnunquam reperiuntur. Similes numi saepe pro suspectis sunt habiti, iisque diffidunt plerique, etsi certae sint auctoritatis. Ad hoc multi numi falsi oram habent punctis et aerugine scabram, tanquam saeculorum hoc esset injuria, quod quidem hoc modo peragitur. Margo numi falsi cera obtegitur, et haec pluribus locis pungitur. Immissa foraminibus aqua fortis oram sic exedit et pervertit, quam istud longi temporis aetas praestare potuit. Ergo tum ora in speciem legitima patrocinari areae non potest, atque ut paucis absolvam, nihil hoc judicio intutius, quia, ut dixi, numus, cujus oram lima rosit, potest esse antiquus, et alter, qui oram habuerit ad veterum modum exesam, esse spurius.

§ III.

De numis fusis in matrice numorum antiquorum.

Magis arduum in his examen, quam in praecedentibus, quia, cum hujus generis numos fundere est propositum, ad parandam formam fusioni servituram se-

ligitur numus quisque integerrimus, unde numus nascitur adeo parenti similis, ut etiam peritissimo cuique posset imponere. Fundi hoc modo possunt omnis magnitudinis et metalli numi, et si eorum vitia emendavit scalprum, tam prope imitantur verum, quam numi ipsi veteres, atque istud tanto certius, quia, cum haec fraus raris tantum numis intendatur, falsarii liquefactis numis coaevis, sed obviis, in operis materiem utuntur, ut numus nasciturus ejusdem sit spectato metallo naturae.

Negari nequit, numos hoc modo paratos difficilius discerni, et plurimis hanc fraudem esse fatalem, praecipue in comparandis imperatorum argenteis, quos propter arctius volumen facilius licet imitari. Vix exstant musea, quae non contineant numos hac ratione confictos. Gynaeceum Trajani, Pertinax, Did. Julianus, Pescennius, duo Gordiani Africani, Tranquillina, Cornelia Supera millies ad hanc fraudem sunt vocati, et doctus sum experientia, ex horum numis XX., quos musea ab urbe nostra principe remotiora continent, vix unum alterumve esse a fraude immunem.

Praecipua duo in hac causa sunt observanda, I. literae, II. area numi. Cum is fusus est, literae apparent vagae, neque nitide ex area prominent, et agnoscuntur vestigia scalpri, si hoc illae adjutae fuere. Ergo sollicite indagandum, utrum literae omnes eandem sequantur legem et formam, an earum nulla claudicet, sed omnes eadem fiducia ex area existant. Cum haec deerunt, numum suspectum puta. Quod ad aream attinet, ea in numis fusis non aeque, ac percussis integra est, sed exiguis hiatibus, quos ingressa importune arena excavavit, respersa. Vitium istud nequaquam, ut in aeneis, ope lithocollae, et vernicis occultari potest, sed necesse est, ut in aureis argenteisque continuo in oculos incurrat.

§ IV.

De numis antiquis, quorum mutantur capita et typi.

En tibi numorum genus prioribus mirabilius, quodque minus in suspiciones patet, cujusque ut evites laqueos, oportet magnos in numorum mechanica fecisse progressus. Intelligo numos vere quidem veteres, sed quibus novae inscriptiones, nova capita, novi typi mira arte sufficiuntur. Hos cum comparavere numorum studiosi, sui securi fraudis suspicionem procul habent, quia vere antiquos experiuntur, sed qui nihilo minus falsi sunt, quia re ipsa a veris differunt. Suapte patet, nonnisi in raris capitibus et typis hanc fraudem instrui. Major eorum pars ex Italia infertur, qua in regione coeptum est hoc modo corrumpere numos, ex quo priores modi frequentiore usu cogniti vim nocendi amisere.

Placuit igitur, numum quempiam antiquum quidem, sed obvium in rariorem alium transformare, v. c. aeneum Claudii Antiochiae Syriae in Othonem, Faustinam seniorem commatis Alexandrini in Titianam, Domnam in Didiam Claram, Macrinum coloniae in Pescennium, Orbianam magni aeris in Anniam Faustinam, Mamaeam in Tranquillinam, Philippum patrem vel Valerianum in Aemilianum etc. Nihil obstat, vultus lineamenta in his aliquantum differre. Quod deest,

commode supplet scalprum. Lubet creare Pertinacem, serviet istuc numus M. Aurelii, praecipue in cujus aversa est consecratio, quia uterque hunc typum communem habet. Effice, ut magis turgeant barba et nasus Aurelii, et siquidem dextre mutaveris epigraphen, numus similis, qui aversam offert incorruptam, aliaque integritatis indicia, nisi cautissimo, facile imponet.

Numi hoc modo personati saepe occurrunt in museis, praecipue in serie aeneorum I. et II. formae, quorum fraudem maligna vernix praeterea adjuvat. Ergo iis, qui opes veteres colligunt, danda principio opera, uti hunc fallendi modum discant detegere. Fere semper literae judicium dictabunt. At enim fuere in Italia artifices, qui longo per omnem vitam usu artem sibi propriam fecere tollendi literas proposito inimicas, et sufficiendi alias, atque istud adeo scite, ut plerisque sincerae videantur. Vidi virorum peritissimorum dissidere judicia in approbanda Titiana operis Aegyptii, quae tamen aliud non fuit, quam Faustina sic transformata. In similium numero fuit Caesonia ex auro musei olim Lebret. Compertum serius fuit Parisiis, in primaevo suo statu fuisse Agrippinam seniorem cum aversa Caligulae, factamque Caesoniam ope inscriptionis per artem inductae.

Eadem fallacia non capitibus modo, sed et typis intentatur. Saepe ab aevi injuriis immunis est pars capitis, sed vitium oblatum parti aversae. Si haec rariorem habet typum, numusque est aeneus, reparari solet scalpro, figuraeque omnes restitui numi area aliquantum excavata. At enim advertere tum licebit, figuras sic restitutas parum prominere, et ex area existere, praecipuo latentis fraudis argumento.

Multi numi aenei partes aversas offerunt illaesas totas, et primaevae integritatis, sed has ipsas recente arte elaboratas. Horum quoque pars adversa vetus revera est, qua intacta relicta excavatur pars aversa, repletur lithocolla ejusdem cum numo coloris, atque haec tam solide adglutinatur, ut nonnisi vi avelli possit. Subinde lithocollae insculpuntur literae, figurae, et quae lubet alia, ut numus rarus, et totus integer evadat, inducitur utrinque vernix, ac tum tanto magis ad fraudem valent, quia pars antica sincera est, neque adeo aversa facile in rigidius examen vocari solet. Enimvero non paucis numis aeneis I. formae hoc modo vitium oblatum est. Tamen etsi non toti falsi sint, et exstent plures, qui tantum aliqua sui parte hunc dolum passi sunt, vitiosi nihilominus sunt, et exigui propterea pretii. Paucae dantur series magni aeris, quae non numis sic refectis abundent. Longo usu, et intelligentia artis veteris ad eos dignoscendos opus est, ac tum fallacia haud difficulter in apricum proferetur. Quo in argumento princeps lex esto, diffidere vernici, scalpro suspectas partes experiri, explorare, utrum omnes partes sibi constent, quo merito semper erit numus prognatus ex matrice adcurate et perite scalpta.

§ V.

De numis malleo transformatis, et compositis.

Numi mallei ope transformati ejusdem fere sunt cum praecedentibus indo-

lis. Pars aversa numi veteris obvii, sed probe integri, lima aufertur, et in ejus locum ope matricis modernae typus alius, qui veterem imitetur, imprimitur, quod fit, partem, qua caput est, applicando chartarum strui, ne caput ictus vehementia subsidat. Hac igitur ratione numus existit elegans, et si dexter fuit matricis novae artifex, veterum aemulus. Id genus aversae sua sese raritate commendant, et pleraeque genuinis in numis nunquam reperiuntur, quales sunt: *aquas Claudiam ex fontibus etc.* in numo Claudii, *Pons Aelius* vel *Expeditio Judaica* in numis Hadriani. Numos hac arte formatos ex ipso fabricae modo, quo pars antica ab aversa abludit, dignoveris.

Numi compositi constant ex duobus numis dimidiis obviis quidem, sed qui conjuncti rarum efficiunt. Haec fraus non aeneis solum, sed argenteis quoque intentatur, v. g. ex numo Antonini tollitur pars aversa, eique applicatur caput Faustinae, en tibi numum rarum. Si numus est aeneus, seligitur alter ejusdem coloris et vernicis. Numos reperias hac arte tam affabre sociatos, ut nonnisi scientia, esse sic compositos, fraudem aperiat, praecipue cum in hoc fallendi negotio ora numi semper maneat illaesa.

Sunt numi alii partim argentei, partim aenei, compositi ex duobus numis dimidiis conglutinatis, opus artificum, qui memoratum componendi modum, quia magis arduus, praestare nequeunt. Verum in his fallacia sese continuo manifestat inspecta ora, quam hoc in instituto limari semper oportuit.

Interea compositi hi numi confundi non debent cum magno numero numorum vere antiquorum in omni metallo et forma, qui aversas offerunt ab imperatoribus, quorum praefixa sunt capita, alienas. Harum causa perversitatum fuit aut oscitantia monetariorum, aut fraus artificum, jam vetere aevo monetam publicam corrumpentium.

§ VI.
De numis fissis.

Fissurae, quas contraxere copiosi numi veteres, et praecipue majoris aeris causa amplioris voluminis, occasionem dedere falsariis ipsum hoc vitium imitandi, quo facilius numus antiquus videretur. Potior pars numorum falsorum dubium istud antiquitatis indicium prae se fert, et cumprimis, ut dixi, ii, qui magni sunt aeris, quia, quanto latior est numi orbis, tanto facilius finditur; atqui certum est, a sola mallei vehementia fissuram numi proficisci. In nostrae aetatis moneta vix unquam vitium istud reperitur, quia in hac operis monetarii perfectione unicus sufficit ictus ad imprimendos numo typos. At vero numos veteres propter repetitos mallei ictus, cujus certissima indicia eorum plurimi offerunt, facilius findi necesse fuit. Has igitur fissuras in numis, seu percussis, seu fusis imitari placuit. Ad quam fallaciam detegendam oportet utramque numi partem in examen vocare, et advertere, utrum fissura haec iter naturale peragat, illudque arcuatum, ac denique in filum tenuissimum desinat. Haec si praesto erunt, numum, aut verius numi orbiculum antiquum puta, etenim fieri potest, ut numus cetera antiquus alio vitio, qualia hactenus exposuimus, laboret. At si fissura

principio sit latior, et linea recta procurrat, neque, ut dixi, desinat, continuo judicato, fuisse eam lima procuratam, neque praeterea alia spurii commatis indicia sunt quaerenda.

§ VII.

De numis subaeratis et incusis.

(De subaeratis, quia ad fraudem veterem pertinent, jam egimus parte priore hujus capitis. Vnicum, quod huc pertineat, praeterea monendum.) Quoniam, ut dictum, difficile est, numos veteres subaeratos imitari, ac propterea in subaeratis nulla est recentis fraudis suspicio, solent nonnunquam falsarii numum spurium argenteum candente acu ferrea transfigere, quo facto argentum intrinsecus nigredinem contrahit, et numi vere subaerati speciem praebet. At fraudem tentatis scalpro aliis numi partibus facile perspexeris.

(Numi incusi, quia non dolo intentato, sed monetariorum negligentia vitiosi sunt, a praesente argumento alieni sunt, de iisque actum alibi.)

§ VIII.

De numis veteribus fusis, iisque, qui sunt duplicis metalli.

Quae hoc articulo auctor de numis veteribus fusis disserit, praeterimus, quia de hoc numorum veterum genere jam egimus capite XI. At non omittendum insigne auctoris monitum de numis, qui fusi, ac propterea suspecti videri possent, etsi fusi omnino non sint. Nimirum magnam numorum veterum partem, cum ex terrae sinu emergunt, etsi intrinsecus incolumes sint, spissa aerugo involvit. Ad hanc tollendam solent imponi igni. Verum cum numi omnes sive argentei, sive aenei aliquam materiae heterogeneae partem contineant, necesse est, metallum mollius liquefieri, et in fumum abire, dum interim illud, quod durius est, calefiat tantum, nihilque sui deperdat. Quo fit, ut metallum in vaporem solutum in superficie numi cavitates relinquat, quae fusionis praeferre suspicionem possunt, etsi fusus non sit numus, vitiumque suum uni igni debeat, cui impositus fuit, ut aeruginem exuat. Addit cl. auctor, saepe se ejus eventus fecisse periculum, cui fides haberi possit. *)

De numis duplicis metalli egimus capite XII.

§ IX.

De numis confictis, et iis, quorum pauci inveniuntur spurii.

Aliud mihi hoc loco propositum non est, quam indicare numos confictos eo consilio, ut tirones objecto typo illu-

*) Sunt in museo Caesareo numi non pauci argentei aeneique, in quorum superficie unus, duo, pluresve colliculi turgent, et speciem praebent campi, in quo talpae cubilia foderunt, cum tamen haud dubie sint genuini, tantumque absit, ut fusi sint, ut certissima in iis appareant adhibiti mallei indicia. Rei insolentiam cum diu mirarer, neque aut ipse causam reperirem, neque eam possent explicare illi, quos consulueram, gaudebam sane, mihi ab hoc viri praeclari indicio desideratam lucem fuisse adfusam. Ejus in numis veteribus vitii, et a qua causa oriatur, mentionem jam fecit Savotus. (de Num. ant. P. II. c. 4.)

stri ac singulari in fraudem inducantur. Ejus generis sunt numi Graeci Priami, Paridis, Helenae, Aeneae, aliorumque regum, ducum, philosophorum, qui olim nominis sui fama orbem replevere, sed quorum imago nunquam vetere aevo numis fuit inlata. Eodem pertinent numi Latini Hannibalis, Scipionis, Ciceronis, aliorum Romae et Carthaginis virorum illustrium. Omnes hi numi tam manifesta praeferunt operis novicii indicia, ut pigeat ei comprobando longius immorari.

Numi consulares, quorum maxima pars est ex argento, paucis aureis et aeneis, non tam frequenter ad fraudem vocati sunt, quam numi regum et imperatorum, quia minus avide a rei monetariae studiosis expetuntur. Praeterquam quod pauci reperiuntur sic sani et incolumes, ut inde forma ad fusionem apta confici possit, vix sunt aliqui, si restitutos a Trajano demas, quibus supra metalli valorem aliud praeterea pretium soleat constitui. Quae causa fuit, cur hactenus falsariorum cupiditatem non irritaverint. Vix credam, horum reperiri aliquos, qui sint commatis moderni, tametsi adfirmare nolim, non existere aliquos fusos. Quocirca cujus cupiditas in numos consulares fertur, minus falsariorum praestigias pertimescendas habet.

Numi coloniarum Romanarum multo adhuc minus, quam consulares, fraudi ansam dedere, quia rudioris sunt operis, ac propterea eos imitari est difficilius. Omnes igitur hujus classis numi in antiquis possunt putari, neque facile memini, in his me spurium aliquem vidisse.

Quinarii non minus, quam alii imperatorum numi fraudem recentem sunt experti. Eorum multi, tam aurei, quam argentei, fusi occurrunt. Quin magis in his cautione opus est, quia denariis multo sunt rariores. Tamen ab hac suspicione liberi sunt numi serrati, quorum multi occurrunt inter numos familiarum, quin et Julii Caesaris, M. Antonii, et Augusti, a quibus imitandis impostorum avaritia hactenus abstinuit *), quibus adde contorniatos, quia causa singularis fabricae difficilem habent imitandi artem.

CAPVT XX.

De numis monetariorum veterum culpa vitiosis.

Etiam istud argumentum propter multiplices artis numariae causas tractandum haud dubie est, dignum jam olim visum summo viro Froelichio, de quo prolixam dissertationem conscriberet, quae inter vulgata sua IV. Tentamina postremam efficit. Ex copiosa hac messe aliquas tantum spicas sublegam, partim quia

*) De numis serratis agetur in Prolegomenis ad numos familiarum. Ceterum me unquam inter numos J. Caesaris, Antonii, et Augusti videre serratum, non memini, quod tamen hoc loco auctor adscrit.

unum alterumve in eadem causa exemplum praecipue in materia suapte clara tantundem probat, quantum amplus eorum catalogus, qualem instruxit Froelichius, partim quia multas is causas tractatui suo inseruit, quas nos in praecedentibus commentariis jam expedivimus.

Veteribus monetariis sive in scalpendis matricibus, sive in feriundis numis aliquid potuisse accidere humanitus, quis negabit? Atqui et lapsos fuisse frequenter, et quidem negligentia, quam ipsa facilitas nequeat excusare, infinita habemus documenta. Monendum tamen, vix aliqua reperiri monetariorum sphalmata in moneta Graeca, quae signata fuit florentibus Graeciae rebus, aut saltem nondum valde attritis, et si quid forte in ea videbitur peccatum, adhibito studio patere plerumque, absolvendum jure monetarium. Sic cum Florentiae in museo M. Ducis inciderem in numum Thespiensium elegantem, et pervetustum cum insolente, sed luculenta epigraphe *ΘΕΣΠΙΚΟΝ*, in eo eram, ut condemnarem monetarium *K* pro *E* intrudentem; verum conlatis aliis exemplis *ΝΑΓΙΔΙΚΟΝ*, *ΤΕΡΣΙΚΟΝ*, *ΦΕΝΙΚΟΝ* etc. edoctus facile fui, monetarium in hoc numo usum verbo κτητικῷ pro ἐθνικῷ. Vide dicta capite XVII. § 8. Eandem laudem sibi vindicat moneta Romana, quam consularem, et familiarum vocamus, modo numus subaeratus non sit. Graecam serius corrupit ingruens barbaries, Romanam auctus in immensum monetariorum numerus, officinae per provincias distributae, omissa paullatim pulcri atque elegantiae cura, denique barbaries quoque. Sed jam aliquot supinae negligentiae exempla proferamus.

Exhibet Froelichius numum aeneum I. formae, qui nunc est in museo Caesareo: AVRELIVS. CAESAR. AVG. PII. F. COS. *Caput M. Aurelii nudum.*)(DESNOS. S. C. *Honos stans.* Satis apparet, syllabam DES. ad partem adhuc anticam pertinere, sic ut sit COS. DES., nempe *consul designatus,* et pro hoc in aversa ponendum HO, sic ut sit HONOS, epigraphe obvia in numis Aurelii Caesaris. Exemplum aliud magis lepidum olim ex aeneo Alexandri Sev. I. formae dedi, qui est in museo ill. Com. Vitzai [x]), in cujus aversa est: PMRTI PACIFERP. S. C. *Mars galeatus stans d. oleae ramum, s. hastam.* Habentur hujus imperatoris numi cum eodem Martis typo, quorum alii inscribuntur: P. M. TR. P. COS. P. P., alii: MARTI. PACIFERO. Ex quo patet, monetarium, cum priorem epigraphen insculpere matrici meditaretur, finitis jam prioribus binis elementis ad alteram dilapsum, eaque continuata pro O in fine posito ex intenta primum inscriptione recepisse literam P. Docent haec exempla, frustra esse eos, qui in his rei numismaticae abortibus nescio quid eruditionis reconditae augurantur, et cum eos tanquam portenta despuere oporteret, dignos subtili explicatione putant. Similis naturae numus olim Lutetiae emersit: IMP. T. CAES. VESP. AVG. P. M. TR. P. COS. VIII. *Caput Titi laur.*)(AERES.

x) Num. vet. p. 312.

AVGVSTI. S. C. *Aequitas stans.* AE. II. Cl. Boze explicando huic prodigio intentus multa erudite congessit, ut comprobet, AERES positum pro AES, et hoc pro MONETA [y]). Misso hoc judicio ad eruendam veritatem utar more meo. Exstant inter numos Titi eodem anno signatos alii cum epigraphe AEQVITAS. AVGVST., alii cum CERES. AVGVST. Certum ergo, et ex praecedentibus exemplis liquet, monetarium, cum scribere voluisset AEQVITAS, post scriptum jam AE ad epigraphen CERES aberrasse.

Alia scalptorum vitia consistunt in mendosa literarum metathesi, ut in numo Neronis: IANVM. CLVSTI. pro CLVSIT (Mus. Caes.), in numo Rhascuporidis Thraciae regis: *PAIΣKOΥΠOPΔOΣ* pro *PAΣKOΥΠOPIΔOΣ* (Mus. Caes.), in numo Valeriani: LERIGIO pro RELIGIO (Ibid.). Alia in adjectione literae superfluae, ut: OPITIMVS, SAECVLLVM pro OPTIMVS, SAECVLVM (Ibid.). Alia in omissione literae, ut: VERITAS pro VBERITAS, et similia. Substitutione literae alienae, ut: SVLVTARI, REDVCA, *ΓOPΔΥANΩC*, pro SALVTARI, REDVCI, *ΓOPΔIANOC*. Huc pertinent perversae notae chronologicae, ut cum legitur: COS. XIII. DES. VIIII., pro quo manifeste legendum: COS. VIII. DES. VIIII.; quae confusio, praecipue in subaeratis imperatorum perfrequens est. Accedunt literae inversae contra naturalem earum situm, quibus monstris in numis tyrannorum sub Gallieno, et Claudii Gothici pridem adsuevimus, etsi subinde justus epigraphes ordo ac lex in moneta Romana revixerit. De scriptura retrograda, primum remotae antiquitatis indice, deinde invalescentis barbariei egimus cap. XVII.

Saepe prolapsis Graecorum Romanorumque rebus tanta est in inscriptionibus perturbatio, ut in his nullum componere verbum sanum, aut quodcunque libuit, possis. Haec cum luce ipsa sint evidentiora, et obviis possint exemplis comprobari, fuere tamen ingenia diligentia, et supra communem sensum perspicacia, qui ex his paludibus rigare philologiam sunt aggressi. Atque horum conatibus accepta referimus inaudita hactenus in historia Romana imperatorum nomina, v. g. D. N. EOANVS. P. F. AVG. — D. N. C. BRITIVS. — D. N. CALPITIANVS — D. N. VECVNINVS — AVLENAVS etc., quae cum risu perstringit Scipio Maffeius a Froelichio laudatus [z]). Quibus addenda ORIVNA. AVGVSTA credita Carausii uxor, de qua vide monetam hujus imperatoris.

Sunt exempla, a scalptoribus saepe non tam negligentia, quam ignoratione orthographiae et linguae fuisse peccatum. Obvium est in denariis Antonii IIIviri: LEG. XVIII. LYBICAE., et, quod mirere, constans, cum tamen Graeci, Romanique constanter scripserint *ΛIBΥA*, et LIBYCVS. Inconcinnum est etiam, quod frequenter in numis Caesarensibus Cappadociae, aliisque legitur: *ΥΠATOΥ. TPITOΥ*, vel *TETAPTOΥ*, id est, si ad verbum reddas, *consulis tertii*, vel *quarti*, pro *ΥΠATOΥ. TPITON*, vel

y) B. L. T. XII. p. 303. z) l. c. p. 331.

TETPAKIΣ., *consulis tertium*, vel *quartum.* In numis Hostiliani: C. OVAL. OSTIL. MES. COVINTVS pro C. VAL. HOSTIL. MES. QVINTVS arguit scalptorem Graecum orthographiae Latinae rudem. Adde numulos argenteos Gallicos, numos coloniae Laodiceae Syriae, et passim alios declinantis imperii mixtis literis Graecis, Latinisque deformes.

Etiam aetatis consuetudo, quae a vetere instituto discessit, et ad novam scribendi legem deflexit, non raro absolvet scalptorem. Sic RAEDVX, PIAETAS, BAEATISSIMO, contra, CESAR, REIPVBLICE paullatim sese inferiore aevo insinuavere.

At supersunt vitia, quae uni scalptorum incuriae procul dubio debentur, qualia sunt, cum inscriptio longe a typo, quem enunciat, discrepat. Sic: FAVSTINA. AVGVSTA. scriptum juxta caput M. Aurelii in aeneo I. formae, qui est in museo regis Galliarum teste Vallemontio[a]). Item: *ΛOYKIΛΛAC. CЄBACTHC.* scriptum juxta caput L. Veri in aeneo Ephesiorum maximi moduli olim musei Foucault, teste Gallando[b]). Ejusdem rationis est: ABVNDANTIA. AVG. typo Pudicitiae, in numo Etruscillae. (Banduri p. 40.)

Aliud certum, et obvium monetariorum vitium sunt formae numorum male compositae, ut quando cum parte antica alicujus Augustae jungitur aversa, quae per inscriptos consulatus, tribuniciam potestatem, pontificatus, typos militares etc. ad maritos tantum imperatores pertinet, aut etiam, quando, quae aversa est patris, tribuitur filio, et vicissim, tametsi fuere tempora, quae monetarios palam absolvunt; nam certum est, in moneta Romana cum Philippo filio communicatas fuisse partes aversas, quae sine dubio sunt patris, ut olim probabimus, in moneta vero Antiochiae Syriae obvium est videre numos Otaciliae et Etruscillae, in quorum postica legas trib. potestatem, et consulatus, maritorum nempe titulos. Peccatum item a monetariis, quando in uno numo duas partes anticas ejusdem imperantis conjunxere, aut duas partes aversas, sic ut in illo desit pars aversa, in hoc pars antica. Nolim tamen cum Froelichio in negligentiae peccatis putare numum aeneum II. formae musei Caes., in cujus utraque parte est: HADRIANVS AVGVSTVS, et hujus caput laureatum: nam plura vidi ejus exemplaria, quam ut oscitantiae suspicio cadere in monetarium possit, etsi, quo istud imperatum sit consilio, ignorem. Peccatum etiam, quando cum capite Augusti, vel Augustae junxerunt aversas, quae sunt praecedentium imperatorum. Infinita hujus sunt exempla in argenteis subaeratis, nimirum furtive signatis. De typis in numis familiarum hoc modo permutatis vide prolegomena ad hujus classis numos.

Denique in certis monetariorum lapsibus putamus numos incusos, et bis percussos, de quibus egi capite XII. in mechanica artis monetariae.

a) Woltereck Electa p. 182. b) Ibid. p. 200.

CAPVT XXI.

De aetate numorum definienda, variisque varia aetate, locisque artis causis.

Varii sunt modi, qui docent, de numorum aetate recte ac sobrie arbitrari. Non agimus hic de iis, qui per certas notas chronologicas suam ipsi aetatem suapte edisserunt, cujusmodi sunt inscripti epochae anni, quae ratio certissima, saltem tum, cum de ejus exordio constat, vel effigies, aut saltem nomen regis, aut quocunque nomine imperantis, quia tempus, quo principatum tenuere, plerumque ex historia critica certum tenemus, quanquam in hac parte cautione opus, quia fuere principes, quibus grata posteritas diu post eorum mortem numos dedicavit, ceu Geloni, Hieroni, Alexandro M., Julio Caesari, ut in singulorum numis dicetur. Verum agimus hoc loco de numis iis, qui utroque hoc subsidio ad definiendam aetatem suam carent, qua indole plerumque sunt numi illi, quos *autonomos* vocamus. Et tamen permagni interest sive ad artis veteris historiam, sive alias causas, etsi non proximum, tamen quoad ejus fieri poterit, propinquum autonomorum tempus indicare, praecipue cum haec numorum classis antiquitate reliquas omnes antecellat.

Ergo deficientibus certis temporum indiciis advocandae leges aliae, quae possint desideratam aetatis intelligentiam suppeditare. Sunt vero metallum, inscriptionis modus, ac literarum forma, fabrica, quo nomine intelligimus causas operis externas a mechanica petitas, denique picturae stilus, quo vocabulo jam recepto indicamus circumscriptionem, gestum, habitum, cultumque signorum, quae omnia varia aetate, variisque locis magnopere differre sunt comperta. Haec quidem discrimina suapte sese homini tractandis numis adsueto offerunt, sed quia longius istud tempus postulat, neque omnibus ad musea liberalius instructa aditus patet, ut experimentum capere ipsi possint, ad operis mei institutum pertinere putavi, utilissimae hujus doctrinae, et ad multas causas profuturae proponere praecepta, quae longo monetae veteris usu satis a me comprobata, confirmataque intelligo.

Enimvero Barthelemius, in hoc studiorum genere semper cum honore nominandus, ante annos complures argumentum istud coepit tractare edita insigni dissertatione, quam *Essai d'une paléographie numismatique* inscripsit[c]). Parabat materiam omnem duabus partibus complecti, quarum prima ageret de numorum fabrica, metallo, pondere, magnitudine, forma literarum, et natura typorum, altera pars in naturam monetae variis in regionibus signatae inquireret initio facto

c) B. L. T. XXIV. p. 30.

a Cyrenaica, et continuato itinere vocatis in examen numis Syriae, Asiae minoris, Graeciae propriae, insularum Archipelagi, et mediterranei, denique magnae Graeciae. Verum dolendum, virum praestantem, qui unus sive propter insignem rei veteris numismaticae usum, sive eruditionis opes, sive, quae sibi omnium maxime praesto sunt, subsidia et facultates, implendo tanto proposito par fuerat, posteaquam partem eam, quae ad vetustissimae monetae fabricam pertinet, praeclare explicuisset, in medio cursu substitisse nulla relicta spe utilissimi hujus argumenti ad exitum perducendi. Non est mihi animus, coeptam a viro summo materiam eadem ἀκριβείᾳ, tantoque rerum verborumque apparatu continuare, neque istud permittunt fines, quos praesenti operi praefixi. Tentabo tamen generalia de singulis praecepta tradere, quibus olim, cui plus otii fuerit, ad pleniorem ejus tractationem uti opportune poterit. Atqui multa ad praesentem hanc causam pertinentia hactenus variis locis prolixius sunt exposita, quae jam necesse non erit, iterum commemorare, et deinceps omissa brevitatem orationi, modumque conciliabunt.

Sed ad definiendam recte numorum veterum aetatem oportet epochas quasdam constituere, intra quas numi singuli verisimili quadam ratione possint concludi. Eas ex causis, quas dabimus, statuimus sequentes:

Epocha I. Eam a primis rei monetariae incunabulis porrigo usque ad Alexandrum I. Macedoniae regem. Mortuus is est circiter V. C. 291.

Epocha II. Inde ab Alexandro I. usque fere ad initia Philippi II. Amyntae filii, quae complectitur annos circiter C.

Epocha III. Ab initiis Philippi II. usque ad vicina eversae reipublicae Romanae tempora.

Epocha IV. A tempore exeuntis reipublicae usque ad Hadrianum.

Epocha V. Ab Antoninis usque ad Gallienum.

Antequam singularum epocharum characterem constituo, monendum omnino, praecepta, quae dictabimus, nequaquam ejus esse naturae, ut citra errandi periculum numi omnes certae suae epochae, et non potius vicinae, possint inseri, aut ut non interdum justae sint dubitandi rationes, cui potius epochae hic illeve numus sit tribuendus. Nequaquam nobis, nostraeque facultati tantum tribuimus. Verum si scientiae antiquariae magistri permissum sibi putant, ex variis indiciis longo usu ac meditatione captis statuarum, operum anaglyphorum, gemmarum aetatem augurari, possumus et nos permissum nobis putare, ea, quae longo rei numismaticae usu didicimus, in praecepta redigere, ac majore istud in numis fiducia, quia hi fere semper epigraphen adferunt, ex cujus sive literarum forma, sive mentione, qua in regione, aut urbe signati sint, eximia saepe possunt auguria capi ad definiendam certius eorum aetatem.

EPOCHA I.

A primis rei monetariae incunabulis usque ad Alexandrum I. Macedoniae regem.

Ejus characteres sunt:

Metallum. Nullus in hac aeris usus, (de Graecorum hic moneta agimus, non de numis Italiae mediae, in qua aliud obtinuit) argentum cum auro, sed hoc rarissimo, solum dominabatur, de quo argumento supra late egimus capite VIII.

Inscriptio saepe nulla. Quae causa est, cur multis hujus epochae numis certam patriam non possimus praescribere. Vide hujus generis non paucos apud Pellerinium, (Rec. III. tab. CXV.) et in museo Hunteri. (Tab. 66.) Cum adest inscriptio, simplex ea est, et parca, sola urbis mentione contenta, nulloque inscripto magistratu, aliisve indiciis in inferioris aevi moneta obviis. Ea vel recta est, vel retrograda, vel, quam *βουστροφηδον* vocamus; sed si posterioribus duobus modis peragitur, plerumque tantum hujus epochae, minus frequenter secundae erit indicium. Vide, quae de his modis plura alia praecepimus supra capite XVII.

Literarum forma. Hanc pete ex capite VIII. § 10., quo loco antiquissimorum characterum formam pictam ex numis vetustissimis stitimus. Sed monendum, sicut in linguis, ita et in literarum delectu et forma nonnunquam occurrere archaismos, v. g. in obviis drachmis Achaeorum, quae certe epocha I. posteriores sunt, est F pro *Φ*, et ϙ pro *K*, in aeneis Atheniensium Theta quadratum pro rotundo.

Fabrica.

Quorum numorum argentum vel aurum globosum magis est, et crassiusculum, vel informis rotunditatis, ii plerumque hujus sunt epochae. Vide numos Peloponnesi cum typo testudinis, Rhegii Bruttiorum, antiquissimos Atticos. Ergo quod in his volumini detrahitur, compensat massa.

Contra fuere regiones, in quarum moneta orbiculi tenuitas, et rotunditas perfectior certum remotissimae antiquitatis characterem constituunt. Confer numos Syracusarum, Naxi, Abacaeni, aliarumque Siciliae urbium. Tenuis etiam sunt laminae numi variarum M. Graeciae urbium, iique omnes vetustissimi, qui typum in aversa incusum offerunt.

Quadratum informe parti aversae incusum, de cujus natura et causis actum capite XII. § 2., certissimus est hujus epochae testis.

Typi in parte antica exstantes, in aversa introrsum cusi, qui modus, ut mox dixeram, fuit urbibus M. Graeciae proprius, et de quo ex instituto agetur in prolegomenis ad numos Lucaniae, hanc quoque sibi epocham sine dubio postulant.

Circulus ornatus extremum numi marginem ambiens, qualem saepe videmus in gemmis, quas Etruscas vocant. Hic plerumque conspicuus est in numis M. Graeciae incusis, ut Sybaris, Crotonis, Cauloniae; item Pandosiae, (Pellerin. Lettres p. 201.) Tarenti, (Hunter.) in Sicilia Naxi, (Torremuzza.) et numis Messanae inscriptis Zancle. Extra has regiones vidi etiam in numo Barces Cyrenaicae, (Pellerin.) sed qui potius epochae II. videtur.

Stilus picturae.

In numis antiquissimis talis est, qualis esse debuit illo tempore, quod numos hos parturivit. Tametsi magnum observetur inter ipsos numos, quos huic epochae tribuimus, discrimen, aliis picturam fere

barbaram praeferentibus, aliis eam, quae rectum jam tramitem ad artis perfectionem ingressa est. Neque aliter evenire istud potuit, quoniam finibus satis laxis hanc epocham circumscripsimus. Quare numi, quanto magis sunt barbari, tanto aut altiori tempori debentur, aut existimandi sunt signati in urbe, quae veras artis leges nondum recepit, quod nos discrimen cogimur perinde habere, quia ejus reperiundi facultas jam non superest. Hujus igitur epochae numos secundum varias picturae causas inspiciamus.

Picturam barbarae adfinem offerunt numi antiquissimi variarum Cretae urbium, Eleuthernarum, Lycti, Rhauci, quorum iconismos vide apud Hunterum. Ibidem numi insigniter antiqui Phaselidis Lyciae. Ejusdem sunt naturae numi inde a Goltzio Lesbo tributi, sed quos nunc esse Macedonicos certo constat, ut dicetur in moneta Lesbi, qui violentum mulieris raptum exhibent. In his, ut reliqua picturae monstra praeteream, sive dextera mulieris in altum elata, sive sinistra demissa omnem justae mensurae modum excedunt. Quibus numi ipsi praesto non sunt, adeat eorum imagines apud Hunterum. (Tab. 33. n. 1. seq.) Erunt, qui causam requirent, cur malim numos similes signatos statuere remoto illo aevo, et sub artis Graecae initiis, ac non potius illa aetate, qua ars per Graecas urbes a summa perfectione ad ultimam barbariem prolapsa est. At facile est, dubium istud expedire. Praeterquam quod peristases supra adlatae eorum antiquitatem stabiliunt, necesse foret, eos detrudere in ea tempora, quibus urbes Graecae ferire monetam pridem desivere, quo de argumento abunde actum alias. Ceterum quantumcunque barbaram dixi picturam, tamen multum praestat iis rei monetariae abortibus, quos olim populi vere barbari progenuere, ceu Daci et Moesi imitando numos regum Macedoniae, Thasiorum etc., Galli numos Massiliae etc., neque mirabimur, Graecorum artem sub artis initiis, quam ipsi invenere, fuisse barbaram, quando memorati barbari inventam ab iis, perfectamque artem non poterant nisi barbare imitari.

Alter modus huic epochae proprius in violento membrorum motu, gestu, totiusque corporis situ consistit. Insignia hujus stili exempla suppeditant numi, quos propter alias omnes causas necesse est in antiquissimis putare. In numo apud Pellerinium (Suppl. IV. tab. II. n. 10.) Apollo nudus flexo violenter sinistro genu dextera plectrum attollit. In numo Cnossi Cretae Minotaurus humi sinistro genu innixus dextera globum attollit, sinistram nulla apparente causa distorquet. (Pellerin. Rec. III.) In numis Camarinae idem est Nemesis ingeniculatae situs. Adde incessum Crimisi naturae plane inimicum in numis Segestae Siciliae. Quod in figuris humanis placuit, placuit etiam in fingendis animalium motibus. Nihil violentius motu caprae, quae fingitur in numis qualiumcunque Aegarum apud Hunterum, (Tab 16. n. 13. 14. 15.) adde taurum et leonem in numo Acanthi Macedoniae apud eundem. (Tab. 1. n. 16.) Qui violentos corporis motus fuisse artificibus Etruscis proprios dixerunt, habent in his numis exempla vetustissimorum Graecorum, ac mihi quidem verisimile semper

visum, hunc picturae modum nequaquam in Etrusco solo prognatum, sed ex vicina M. Graecia invectum, adoptatumque ab Etruscis, et ab his diutius retentum, cum interim Graeci magis naturae obsequi discerent. Tamen in hoc stilo, etsi absque causa naturae vim inferat, adversus partium inter se proportionem non peccatur, quemadmodum peccari vidimus articulo praecedente in numis picturae barbarae. Hac enim spectata nihil vitio dabis sive laudato Apollini Tarentino, sive Minotauro Cnossio, aliisve, quorum attuli exempla.

Vtrumque vitium hactenus commemoratum vitavere numi plures, praecipue M. Graeciae, quorum pictura non modo nihil offert aut barbari, aut violenti, sed potius naturae legibus fideliter inhaeret, in qua, si rigorem et asperum membrorum textum demas, nihil culpaveris. Hujus stili sunt Neptunus Posidoniatarum, Juppiter fulminans, aut quisquis is est, Cauloniatarum, bos respiciens Sybaritarum, Juppiter sedens, et caput leonis Rheginorum, ut copiosis aliis exemplis abstineam. Atqui et hos intra hanc epocham concludendos, aut saltem horum plures, ex eo manifestum est, quia fuere urbes, quae post statutum a me hujus epochae exitum numos amplius ferire non potuerunt. Exit haec, ut dixeram, circa annum V. C. 291., at Sybaris jam anno V. C. 243. eversa a Crotoniatis fuit. Ergo hujus urbis numi omnes, saltem qui manifeste pervetustum opus offerunt, huic sunt epochae vindicandi. Zancle Siciliae subacta a Messeniis circa annum V. C. 273. Messana subinde coepit appellari, ergo et hujus epochae sunt numi omnes Zancles nomine inscripti. Plerique etiam Naxiorum Siciliae numi haud dubie huc pertinent, quia eorum urbs V. C. 351. a Dionysio deleta fuit. Ex harum igitur urbium numis certissime possumus de statu monetae, qualis per epocham I. fuit, arbitrari.

Esset hic locus commemorandi complures alias vetustissimi Graecorum stili causas, quarum ope non raro possemus de hujus epochae numis confidentius arbitrari, sed quas lubet praeterire, sive quod eas alii ex veterum omnis generis monumentis abunde proposuere, sive quod ambigua, et nimium saepe fallacia haec artis praecepta existimo, sive quod non is sum, qui ausim, veras vetustissimae in numis picturae notas, ut eas ex longo illorum usu apud animum meum sentio, oratione quoque secundum artis regulas explicare. Facile is, qui contemplandis numis veteribus multam impendit operam, ex descriptione primum totius corporis, deinde partium, ac praecipue vultus lineamentis poterit de eorum antiquitate, ac cui sint epochae inserendi, probabile judicium ferre.

Aliquos tamen adhuc modos hujus epochae artificibus familiares proferam. Observo, capillos coaptatis globulis, et sic per filamenta in cervicem defluis fuisse formatos. Hujus generis elegantissimum unum Syracusanorum habet museum Caesareum, capite muliebri ad hunc modum crinito, et videri possunt similes complures inter Syracusanos principis Turris Muciae. Eodem modo formantur pili, qui collum bovis cum facie humana in

numis Gelae Siciliae ambiunt. Est hoc indicium artis vetustissimae, sed qua usos etiam video scalptores in gemmis, etsi, ut apparet, non antiquissimis [d]). Eodem cultu sunt etiam capita Centauri, et mulieris raptae in argenteis pervetustis, quos supra dixi Lesbo hactenus tribui solitos. (Hunter.) In numis Aegarum, et Acanthi, quos supra quoque indicavi, capra, leo, taurus sparsos per corpus globulos similes offerunt, nulla, quod norim, certa picturae lege. In perantiquo alio Syracusarum numo musei Caesarei reticulum, quod capitis muliebris crines colligit, lineis tortuosis et in se recurrentibus ambitur, quod antiquissimum ornamenti genus veteribus *Maeander* dictum est, de quo plura notabimus in tractatu de fluviis.

Atque hujus quidem aetatis numi ut veritate naturae, artisque perfectione multo sunt inferiores iis, quos epocha III. dabit, habent tamen vel ab ipsa senectute aliquid augusti, et quod venerationem illis, dignitatemque conciliat, quos cum aspicio, idem soleo apud animum meum sentire, quod conspectis Daedali signis sensit Pausanias [e]): *Δαιδαλος δε ὁποσα εἰργασατο, ἀτοπωτερα μεν ἐστιν ἐς την ὀψιν, ἐπιπρεπει δε ὁμως τι και ἐνθεον τουτοις. Quaecunque fabricatus est Daedalus, oculis quidem absurdiora videantur, tamen ex iis divinum aliquid elucet.* Cum quo consonant ea, quae dixit Aeschylus apud Porphyrium [f]): *veteris quidem operis simulacra, etsi nulla arte elaborata, divina putari; verum ea, quae ars recentior scitius finxit, esse quidem admirationi, sed multum inferiora opinione divinitatis.*

En tibi certos hujus epochae characteres, quorum nonnullos non negavero in sequente etiam nonnunquam reperiri, ut jam altius monui. Quae leges si rite fuissent ab eruditis variis expensae, non hercle ausi fuissent, numos Syracusanos Gelonis et Hieronis I. nomine inscriptos his regibus synchronos existimare. Ex quo uno exemplo, ut similia alia omittam, satis intelliges, chronologicam hanc numorum veterum scientiam cumprimis in hac arte esse necessariam.

EPOCHA II.

Inde ab Alexandro I. usque fere ad initia Philippi II.

Mortuus est Alexander circiter V. C. 291., Philippus regnum adivit V. C. 395.

Ex artis historia constat, intra hoc annorum intervallum, quod Phidiam tulit, artes omnes insigniter fuisse excultas, quod beneficium arti quoque monetariae fuisse proficuum in aperto est. Quos enim habemus certos hujus epochae numos, ceu regum Macedoniae, Cariae, aliosque, mansuetiore jam sunt cultu, posito rigore, qui epochae praeteritae proprius fuit character.

Deinceps necesse non erit, ad definiendas uniuscujusque epochae notas eandem adferre ἀκριβειαν, quia major jam numorum copia levius examen efficit.

---

d) Natter Traité de la méth. de grav. p. 10. L. II. § 18.

e) L. II. pag. 121.

f) de abstin. ab esu carn.

Characteres hujus epochae:

Metallum. Argentum adhuc, aurumque dominatur, et nonnisi paucos aeneos intra hanc epocham signatos possumus adfirmare. Inductam hac aetate Athenis monetam aeneam testatur Aristophanes in Ranis, quae actae sunt V. C. 348., sed constat etiam ex ejusdem Concionantibus, eam paullo post fuisse abolitam clamante praecone: *argento enim utimur*; quod argumentum laxius tractabimus in moneta Attica, quo loco docebimus etiam, jam aliquanto maturius ejus usum tentatum a Dionysio rhetore, sed reprobatum. Ergo jam tum aes in Graecia respici coeptum. Enimvero complures habemus aeneos Amyntae numos, qui Philippum II. proxime praecessit.

Inscriptio ejusque modus fere ad eam accedit, quam diximus fuisse epochae I., et jam sensim *literarum forma* novae se rationi adcommodare incipit, v. g. *H* pro *E* longo, *Ω* pro *O* longo etc.

Fabrica. Metallum antea globosum jam se magis explicat, etsi crassius adhuc est, quam deinceps erit. Confer numos regum Macedoniae et Cariae, qui sunt hujus epochae, tum Syracusanos, Messanenses, Cyrenaicos, aliosque, qui per plures alias causas hujus esse epochae comperiuntur. Nullum jam in parte aversa quadratum turpiter hians, aut incertis lineis divisum, sed in ejus locum succedit typus, etsi saepe quadrato, atque huic nonnunquam duplici, inclusus, remanentibus nimirum operis prisci, sed jam cultioris, vestigiis, quod argumentum loco saepe laudato eleganter ac ordine tractavit Barthelemyus. Percurre, qui hanc doctrinam rite confirmabunt, praecipue numos Macedoniae, et vicinae Thraciae.

Stilus picturae. Vitatis prioris epochae seu vitiis, seu consuetudine numos hujus intervalli distinguit modus picturae justas quidem servans partium dimensiones, nondum tamen perfectioris naturae elegantiam et illecebras, quas subinde Charites addidere, exprimens. Possunt ex numis infinita ejus exempla peti, atque istud tanto certius, quia pauca alterius generis monumenta ex hoc aevo supersunt.

EPOCHA III.

Ab initiis Philippi II. usque ad vicina eversae reipublicae Romanae tempora.

Tria circiter saecula haec epocha, quae aurea artis Graecae aetas putanda est, complectitur.

Metallum. Durante auri, argentique usu jam passim non a civitatibus modo, sed et regibus invecta moneta aenea. Causas dedimus supra capite VIII.

Inscriptio jam productior additis frequenter magistratus nominibus, sed nondum expressa ejus dignitate, ceu archontis, praetoris etc. Prytanem tamen memorant cistophori Pergameni.

Literarum forma eadem est cum hodierna, cum Graece scribimus, sive quia prae vetustiore, et ea, quae secuta est, magis placuit, sive quia, quod a Graecis hac aetate factitatum, propter artium omnium perfectionem, communis jam, neque loco movenda lex evasit. Hujus etiam aevi character certissimus sunt non

dempto unico Neronis in eadem Caesarea signato.

Inscriptio. Satis nunc adhuc modesta, rara adhuc titulorum et ambitionis vanitate, inscripto quidem saepe magistratu, sed suppressa adhuc plerumque ejus dignitate.

Literarum forma. Fere eadem, quae observatur in numis epochae praecedentis. Inde a Domitiano rarum jam Σ pro *C*, frequentiore etiam Є pro *E*, ut dictum capite VIII. § 10.

Fabrica. Crassities aeneorum magis jam attenuari incipit, de quo modo vide plura in epocha sequente.

Stilus picturae, quem hoc loco describere non attinet, quia ex imperatoriis numis potest intelligi, cum vix aliqua esset urbs Graeca, quae autonomos tantum, et non etiam imperatorios signasset. Alioqui satis constat, artium perfectionem sensim in pejus prolabi coepisse.

EPOCHA V.

Ab Antoninis usque ad Gallienum.

Metallum. Jam fere aes solum rem monetariam occupavit. Perrexere quidem urbes aliquae, ut Alexandria Aegypti, Antiochia Syriae, Caesarea Cappadociae, Tarsus Ciliciae malleo subdere argentum, sed purum rarissime. Aureum unicum, et quidem Caesareae Cappadociae cum capite Getae dedit Vaillantius.

Inscriptio. Nunquam antehac numi veteres Graeci tam fuere loquaces, praecipue quos Asiani, homines contentiosi et extremae arrogantiae, paraverunt. Turget haec mentione titulorum, privilegiorum, ludorum, magistratuum etc., quae olim omnia aut plane fuere omissa, aut nonnisi modice usurpata.

Literarum forma. Quantum haec a praecedentibus differat, dictum est alibi. Eam plerumque magis monetariorum ruditas, quam publicus usus corrupit.

Fabrica. Cum hactenus Graecorum moneta contractioris esset voluminis, sed crassior, nunc e converso amissa soliditate excrescit volumen. Etiam numi maximi moduli ab Hadriano demum incipiunt, rarissimis, qui priora sibi tempora vindicant. Soli Alexandrini Aegypti metalli soliditatem servavere, etiam cum minimae formae numos ferirent. Mutata haec fabricae ratio autonomorum etiam aetatem commode definit. Sic numi Athenarum, quorum aes tenuius est, sine dubio hujus sunt epochae.

Stilus picturae. Quod de hoc articulo praecedente dixeram, huc etiam valet. Potest enim ex imperatoriis, cujus generis jam nunc Graecorum numi plerique fuere, ut eorum aetas, sic et picturae modus, et haec primum mediocris meriti, denique in incredibilem barbariem desinens, optime intelligi. Atque hi docebunt, quam misera denique fuerit per urbes Graecas picturae et sculpturae conditio, sic ut his conspectis vix videatur credibile, earum eos urbium esse artefacta, quarum insignia anteactae aetatis opera hodieque cum admiratione spectamus. Tametsi non dispar tum fuit Romanorum conditio, quorum numi circa Gallieni aetatem signati nihil habent, quo se Graecis praeferant. Nimirum Graeci a Romanis attriti, hi mollitie, ac domesticis seditionibus, utrique

ab ingruentibus undique barbaris, una cum humanitatis sensu liberalium quoque artium amorem exuerunt. Adeo verum est, civitates multis, gravibusque calamitatibus exercitas paullatim animum a morum, artiumque cultura avocare.

CAPVT XXII.

Bibliotheca numismatica.

Catalogum auctorum, qui de re numismatica scripsere, pridem edidere Philippus Labbe, Rudolphus Capellus, Burchardus Struvius. Hos secutus Anselmus Bandurius praeclaram suam Bibliothecam numariam scripsit, de cujus meritis agam infra in hujus operibus. Postremus, qui in eodem argumento versatus est, fuit Christianus Hirsch edito opere, cui titulus: *Bibliotheca numismatica exhibens catalogum auctorum, qui de re monetaria, et numis tam antiquis, quam recentioribus scripsere. Norimbergae* 1760. *in folio.*

Nobis cum idem argumentum in praesentis operis instituto tractandum omnino videretur, non tamen eadem sequenda ratio visa, cum ad causam meam non putem pertinere, nisi nosse opera, quae ad artis nostrae intelligentiam possunt prodesse. Quis enim non videt, ut in quavis alia scientia, sic etiam in hac nostra multas exstare lucubrationes, quas sine artis detrimento possumus ignorare, sive quod in scientiae nostrae incunabulis scriptae erroribus scatent, malique sunt viae duces, sive quod saepe continent res jam ab aliis, et non raro melius dictas? Hae ut omitti non possunt a bibliothecae scriptoribus, sic a me jure praeteriri. Quare in catalogo, quem coram dabimus, ea solum prodemus opera, quorum aut necessarius est ad rem numismaticam usus, aut quae propter varias causas ignorare vix licet. In iis, quae jam recensuit Bandurius, breviori esse licebit, quia jam ab hoc judicium incorruptum fuit peractum, et ipse facile potest adiri. Omittentur etiam hoc capite auctores, qui de singularum tantum urbium aut principum numis scripsere, aut unum tantum, alterumve numum sibi explicandum sumpsere, quorum mentionem ad eum locum differimus, quo earundem urbium, principumve monetam examinabimus.

Initium ducemus a famigerato Huberto Goltzio, quia eorum opera, qui hunc praecessere, etsi magnum aevo suo habuerint nomen, nunc fere tantum in eruditis cimeliis putantur. Cur in judicando Goltzio fuerimus uberiores, causae nos graves impulere, ut patebit.

I. *HVBERTVS GOLTZIVS.*

Ejus operum postrema editio hunc praefert titulum:

Huberti Goltzii de re nummaria antiqua opera quae exstant universa quinque voluminibus comprehensa. Antverpiae 1708. in folio.

Cum ante aliquot annos opusculum ederem, cui titulus: *Descriptio numorum Antiochiae Syriae, sive specimen artis*

criticae numariae, in ejus praefatione de Goltzii et una Mediobarbi operibus meum exposui judicium, quod hoc loco ob causas, quas dabimus, totum restituo: „At „quid ego de Huberto Goltzio dicam, „cujus ego nunquam satis mirari potui in „edendis numis consilium, et in facienda „fide fortunam. Non me poenitet incre- „dibilis laboris, quem obnixius, quam „a quopiam ante me factum existimo, „examinandae Goltzianae merci impen- „deram, sed quem ego nisi praemitterem, „facile intellexi, quidquid in re numis- „matica tentarem, enunciaremque, non „posse securo, rectoque talo consistere. „En tibi, amice lector, longi ejus exa- „minis summa quaedam capita, quae, „si superi annuent, enucleatius olim cu- „ratiusque exponam. I. Magna pars nu- „morum, qui sunt in Goltzii tabulis, „proba est sincera, excepta ex archety- „pis veris, iisque saepe raris. II. Major „eorum numerus indubitate confictus, „ac praecipue gentium Romanarum, et „quos in *Thesauro rei antiquariae huber- „rimo* exhibet. III. Multos passim repe- „rias natura genuinos, sed quos auctor „turpiter corrupit adficta, si anepigraphi „fuerant, aut literis exesis, qua libuit, „urbis, populique inscriptione. IV. Non „raro fallit metallum, cum aureus adse- „ritur numus, qui origine argenteus tan- „tum fuit. Hac cum sint partus Goltziani „conditione atque natura, factum tamen, „ut velut oestro percussi eruditorum non „manipuli, sed agmina in Goltzii verba „jurarent, unus Goltzius ab ortu suo in „omnium esset ore, Goltzii auctoritati „et praeconio tota se traderet philologia, „atque etsi non raro a viris praestantibus „in judicium vocatus, tamen compertus „mendacii, convictusque regnaret. At „quod his longe est funestissimum, infe- „lices hi ejus hominis abortus sic jam per „infinitos doctorum virorum commenta- „rios sunt propagati, ut eos inde diffici- „lius, quam ex agro male culto lolium, „tribulosque ejicias, atque ita jam iis „adsiduo usu, et propter discernendi dif- „ficultatem adsueverit oculus, ut malint „plerique quacunque ejus viri fide tran- „quille frui, quam animum molestis ejus „fraudum conscientiis terreri. Atque in „horum auctoritate IIvirorum, Goltzii „puto et Mediobarbi, a tot hactenus an- „nis, quin et saeculis nitebatur ars nobi- „lissima numismatica, qua istud fortuna, „quo eventu, noverunt ii, qui in causam „altius inquisivere. Enimvero miserabar „saepe calamitosam sortem Norisii, Pa- „gii, Tillemontii, Dodwelli, et quos „alios habemus summos artis criticae „magistros, quorum illi, dum obtrusos „ab his numos, indomitos saepe et effre- „nes, revocare ad obsequium, et com- „ponere cum historiae legibus laborant, „queri palam scriptorum, monumento- „rumque dissensum, vertere sese omnes „in partes, comminisci effugia necessitate „utique extorta, alii, dum his praeconiis „nimium fidunt, historicae veritati vim „inferre, alii, qui paullo ante numorum „auctoritatem omnibus aliis testimoniis „praetulere, jam in facienda fide numos in- „feriores ducere. Nimirum suspicari adul- „terina, vel minus fideliter promulgata, „quae Goltzius vel Mediobarbus dicta- „verant, religio fuit. Quod virorum illu-

„strium fatum cum mecum animo repu„tarem, cogitabam saepe, magis consul„tum fuisse Philologiae, si horum opera „nunquam lucem vidissent, quae sic fal„sis referta antiquitatis testimoniis etiam „doctissimum quemque, ut experientia „docuit, in fraudem possunt inducere. „Atqui, quod optandum maxime fuerat, „ut existeret aliquis, qui inveterata haec „vitia, pestemque exscinderet, nondum „contigit etc.“

Haec a me tum scripta, ut praesagiverat animus, molestius fuisse accepta, ex quorundam virorum insignium literis ad me datis intellexi. Nimis me rigidum fuisse viri praestantissimi censorem, aegre ferebant; non negabant, in ejus operibus plura contineri jure suspecta, tamen vitium istud tribuendum inconsultae lectioni praecipue in numis male integris, non fraudibus, aut figmentis, nisi malis praestantissimos quosque vocare fraudulentos, quorum neminem reperias non aliquoties falsae lectionis praeconem, et, quod caput est, non raro absolutum Goltzium prolatis numis veris, qui ab eo conficti malignius credebantur. Haec fere sunt argumenta, quae ad amoliendam a Goltzio fraudis suspicionem advocant patroni. At enim facile ex iis, quae disseram, patebit, meum de Goltzio judicium non a detrectandi libidine, cujus causam non habeo, sed ab uno veri amore fuisse dictatum. Istud antequam probare aggrediar, lubet aliorum de singulari hoc viro sententias commemorare, ne solus ego videar tantorum hominem meritorum in invidiam velle vocare.

Norisius, qui in eruditis suis disputationibus argumentorum robur, minime auctoritatem spectavit, haec de Goltzio [h]): *Verum miror, virum eruditum* (Harduinum) *haec ex Goltzio figmenta in suum certe insigne volumen deportasse. Equidem Goltzius novo commento in altero numo, quem Tito imponit, satis ridicule legit:* COL. CAESAREA. PANIAE. — — — *Goltzius non semel urbium, quarum nomina apud Stephanum legebat, numismata finxit.* En Norisium paucis verbis de Goltzio idem, quod ego, et nihil me mitius judicantem. Carolus Patinus inter primos jure nominandus, qui numorum veterum usu, eosque colligendi studio claruere, *fieri non potest,* inquit, *ut approbari possint numi omnes, quos aeri incidendos curavit Goltzius. Quare justa est suspicio, eum ex incertis fontibus numos suos descripsisse, quorum quidem archetypa nunquam viderat* [i]). Alibi idem cum dixisset, nullos se numos admisisse, nisi quos vidisset ipse, addit: *ne in illum errorem inciderem, vel alios inducerem, quo Goltzius tanta ceterum ex his artibus fama celebris tertiam partem Fastorum suorum consularium iis numismatum exemplis implevit, quorum genuinas origines nemo unquam hominum vidit, nemo fortasse videbit unquam* [k]). Andreas Morellius in epistola ad Perizonium, qua operis sui de numis consularibus institutum explicat, haec scribit: *Numi consulares Goltzii or-*

---

h) Epoch. Syromac. diss. IV. § IV. i) Hist. de Méd. cap. X. k) Impp. Rom. numism. in praefat.

dine alphabetico ad finem operis adjecti sunt, sicut libri apocryphi canonicis, quia dubiae sunt fidei, et major pars haud incertas notas falsitatis prae se fert etc. Morellii judicium amplexus quoque est Havercampus, cum ait[l]): *Tantus Goltzianorum numorum est numerus, qui nusquam observantur, quorundam quoque non injusta velut subditorum suspicio, ut a Morellii sententia nequaquam discedam.* Princeps Turris Muciae, qui tanti fecerat Goltzium, ut omnes ejus numos Siculos in opus suum reciperet, tamen agens de Drepani numis, hi, inquit, *sola et nimis antiquariis suspecta Goltzii fide nituntur*[m]). Henricus Florezius, eruditissimus monetae Hispanicae censor, cum videret tot urbium Hispaniae numos post Caligulae excessum cusos a Goltzio promulgari, *at quorsum,* inquit, *disperiit haec numorum copia, quibus tam liberaliter Amalthea Goltzium donavit? quod fatum tantam abundantiam in eam penuriam immutavit? Fierine potest, ut, numorum veterum studio et adfectu inde a Goltzio quasi ad insaniam aucto, adfirmare tamen nemo possit, se horum numorum vel unum vidisse?* Lege sequentia[n]). Spanhemius[o]): *juxta adductum a Goltzio numum, verum haud alibi visum hactenus, ac inde haud immerito suspectum.*

Haec ergo virorum in arte nostra praestantium judicia faciunt, ut non ego solus de Goltzii in promulgandis numis fide severius judicasse videar. Reliquas ejus laudes ac merita tantum abest, ut impugnem, ut libenter extollam etiam, singularem in conquirendis numis diligentiam, et in potiundo felicitatem ea adhuc aetate arduam et impeditam, indefessam ad explicanda veterum monumenta contentionem, et praeclaram in historia praecipue Romana eruditionem. Atque is cum inter primos esset, qui se numorum veterum studio dicaverant, primus fuit etiam, qui non Romanis tantum opibus inhiaret, sed Graecis etiam, regum, urbium, populorum retia intenderet, cum interim auctores non coaevi modo, sed et qui secuti sunt, non curarent nisi Romana, aut si qua Graeca cum Romanis connexa fuere, donec Lutetiae Bozius, alibi Begerus et Haymius Goltzii studia resuscitarent. Tamen non fuisse eum instructum omnibus iis subsidiis, quae virum in arte nostra clarum efficiunt, et quidem linguae Graecae scientia tam necessaria in studiis nostris, ipsa ejus scripta demonstrant. An enim, nisi in hac hospes, posset effundere illa Graecitatis monstra in Goltzii operibus ad taedium repetita *ΟΥΠΑΤΟΣ, ΔΟΥΚΤΑΤΩΡ,* pro *ΥΠΑΤΟΣ, ΔΙΚΤΑΤΩΡ?* Illud perfrequens *ΒΙC. ΝЄΩΚΟΡΩΝ* pro *ΔΙC?. ΟΥΠΑΤΟΣ. ΤΡΙΤΩΝ* pro *ΥΠΑΤΟΣ. ΤΡΙΤΟΝ?* Obvium *ΑΔΡΙΑΝΟΠΟΛЄΩΝ* pro *ΑΔΡΙΑΝΟΠΟΛЄΩΣ* vel *ΑΔΡΙΑΝΟΠΟΛΙΤΩΝ? ΑΝΤΙΟΧЄΩΝ. ΜΗΤΡΟΠΟΛЄΩΝ* pro *ΜΗΤΟΠΟΛЄΩC?* Vrbium nomina plane ridenda, v. g. *ΚΑΡΘΑΓΗΝΩΝ. ΜΗΤΡΟΠΟΛЄΩΝ?* Alibi: *Μ. ΑΝΤ. ΑΡΜΕΝΙΑΣ. ΚΑΤΑΔΟΥΛΩΣ.*, quae epigraphe conficta est ex noto de-

l) Thes. Morell. Fam. Rom. in praef. p. 5. m) Sicil. vet. numi. p. 25. n) Medall. de España p. 72. o) de Praest. num. T. II. p. 359.

nario: ANTONI. ARMENIA. DEVICTA. Nonnius Goltzii interpres eam sic explet: *ΑΡΜΕΝΙΑΣ. ΚΑΤΑΔΟΥΛΩΣΗΣ. Armenia devicta.* Ergo καταδουλοω sub persona activa passivam habet significationem, ut Latinorum *vapulo*, *veneo?* Paucas dedi ex infinita segete spicas, sed ex quibus agri natura potest cognosci, et satis apparet, virum cetera praeclarum Musas Graecas vix a limine salutasse. Sed missis his numorum Goltzianorum indolem secundum IV. articulos supra propositos exploremus.

§ I.

Magna pars numorum, qui sunt in Goltzii tabulis, proba est et sincera, excepta ex archetypis veris, iisque saepe raris.

Necesse non est, hanc thesin argumentis stabilire, quia eam Goltzii icones cum numis, quos ipsi tenemus, collatae abunde comprobant. Addidi, iis numos saepe raros contineri. Est tamen horum pro variis classibus discrimen. In fastis consularibus vix aliquem reperias denarium ex iis, quos nos in raris putamus, rarosque experimur. Non ibi comparent numi gentis Arriae, Crepereiae, Itiae, Statiae, Cornuficiae, Horatiae, nullus Labieni, nullus Sullae aureus, ne unus quidem Sex. Pompeji. Si hos possedit, viditve, cur iis usus non est, praecipue cum horum multi fastis suis fuissent ornamento? Sin ignoti fuere, jure possumus de longo singularium ejus numorum agmine dubitare, cum ne eos quidem viderit, quorum tamen plura exemplaria ex variis nostri aevi museis sunt comperta. Mirum etiam saepe visum, denarium nullum a Trajano restitutum in copiosis ejus tabulis memorari, quando inde ab ejus aetate id genus numi ad justum numerum adcrevere. Amplior rariorum seges in moneta Julii Caesaris et Augusti excrevit, ac praecipue in moneta urbium populorumque, quae posterior numos continet, quos etiam illustriora nostrae aetatis musea sibi accedere cupiunt, quod tanto magis mirum videri debet, quia numorum Graecorum supplementa Goltzii aetate multo difficilius, quam hac nostra parari poterant.

§ II.

Major Goltzianorum numerus indubitate confictus est, ac praecipue gentium Romanarum, et quos in Thesauro rei antiquariae *huberrimo exhibet.*

Goltzium in operibus suis incredibili numero proposuisse numos, quorum deinde alii similes conspecti non sunt, non modo non inficiantur, sed admirantur quoque vel ii, qui Goltzio maxime patrocinantur. At istud ipsum viris eruditis, quorum supra testimonia produxi, non suspectum solum est, sed plane incredibile, potuisse ab uno homine possideri, aut etiam in museis, quae tunc per Europam claruere, conspici tanta copia numos, cujus modi neque principum sumptus, neque locupletum privatorum obstinata cupiditas, neque eorum contentio, qui per omnem vitam patrii soli viscera rimati sunt, ut ab eo veteris monetae reliquias extorquerent, obtinere potuerunt. Nihil erant comparati cum Goltzio reges Gal-

liarum, nihil Pellerinius, Hunterus, Ennerius; vidit Goltzius quinque Hieronis I. numos a Gelois signatos, quatuor nomine Dionysii inscriptos, quos videre nunquam licuit principi Turris Muciae inde a pueritia patriae suae numis inhianti. Vidit numos copiosos adhuc post Caligulae imperium ab Hispaniae urbibus cusos, cum interim in hac Goltzii luce caecutiret Henricus Florezius, et laudatas patriae suae opes in ipsa patria frustra investigaret. Vidit in moneta regum Macedoniae numos Ptolemaei Aloritae, Antipatri, Ptolemaei Cerauni, Maleagri, Antipatri alterius, Sosthenis, Antigoni addito nomine *ΓΟΝΑΤΟΥ*, bellam hercle, atque invidendam sobolem! at horum nullum videre hactenus licuit amicissimo mihi Cousineryo, qui multis jam annis nationis Galliae res Thessalonicae procurat, et monetae veteris amore omnia Macedoniae abdita rimatur, etsi regis Pausaniae is numum reperiret et Goltzio, et omnibus nobis hactenus ex numis ignoti. Tanta in unum hominem collata fortuna cui videri potest probabilis, eum non multum abfore existimo, quo minus et Gygis annulo, et toti Acherontis domui, et hippocentauris, et Hesperidum hortis fidem adstruxerit.

Tamen haec in numis urbium et regum oblata miracula levia sunt et moderata, si cum numis Fastorum, J. Caesaris, Augusti, ac praecipue iis, quos in Thesauro obtrusit, contendas. In his ut multa reperias vera, sic pleraque nova, insolentia, inaudita, portentosa. Solas, si lubet, inspice partes adversas numorum J. Caesaris, Augusti, et M. Antonii, et reperies, additos his passim titulos, qui, etsi veri, tamen in numis hactenus a nobis comperti non sunt. Obvium est in Goltzianis numis J. Caesaris legere imperatoris nomen sexies auctum, in Graecis Antonii dignitatem auguris, omnia nobis hactenus ignota. Legas urbibus tributos neocoratus, dignitatem metropolis, aliosque titulos, quibus illas gavisas infiniti numi alii nobis cogniti non praedicant. Omnium tyrannorum, qui inde a Gallieno imperium R. vexarunt, nobis dedit numos, quorum plerosque in hodiernum usque diem incassum quaerimus; at monendum hic, tantum eorum ab illo proferri numos, quos inferioris aevi scriptores memoriae prodidere. At cur is, cui omnes numorum abyssi patuere, non etiam nobis dedit Pacatianum, Sponsianum, Druantillam, nullam etiam Corn. Superam? Nimirum horum numi, quia hodieque rarissimi, homini fuere ignoti, et quia ab historicis praeteriti, ad eorum nomina fingere numos non potuit. Volupe est etiam legere in his Goltzianis urbes non modo ex numis, sed et geographis nobis ignotas, earumque nomina perverse, contra ac numi genuini docent, exarata, quorum omnium si quis volet sphalmata commemorare, longum propter copiam, ingratumque laborem susceperit. Denique an ulla verisimili ratione genuinos statuemus numos, quorum epigraphe tam graviter linguae Graecae praeceptis adversatur, cujus supra ex obviis pauca tantum dedimus exempla? atque istud in numis Augusti et superiorum principum aetate, ut praetenditur, signatis, qua, ut experientia docet, singularem nu-

mi Graeci linguae patriae castimoniam vulgo praeferunt. Non hic, quod in aliis solemus, culpam in Goltzium inique legentem, aut etiam dormitantem transferemus, nam frequentiora sunt peccata, quam ut possimus Goltzium oscitantem potius, quam linguae Graecae parum peritum suspicari, ut supra diximus.

At enim, inquit Bandurius, (Bibl. num. sub Goltz.) eorum Goltzii numorum, quos alii in dubium vocaverant, non paucos e tenebris deinde erutos fuisse certum est. Multum etiam accessit Goltzii auctoritati, ex quo Morellius denarium Corn. Cethegi reperit ex uno hactenus Goltzio cognitum. Est hoc validissimum ejus patronorum argumentum, ac propterea explicatius refutandum. Totum numorum a Goltzio editorum agmen in duas partes distribuo, unam, quam commatis Romani vocamus, quae complectitur numos consulares, seu familiarum, Augustorum, horumque uxorum, prolium etc.: alteram commatis peregrini, quae continet numos urbium, populorum, regum, coloniarum, denique numos ab urbibus populisque externis cum Augustorum capite signatos. Alterius hujus partis frequentius compertos fuisse numos, qui hactenus unum Goltzium auctorem habuere, certum est, et expertus sum ipse nactus unum alterumve numum ex Goltzio tantum cognitum. Neque istud mirum videatur. Tantus est enim numorum commatis peregrini numerus, tot urbibus etiam obscuri nominis propria moneta usis, tanta deinde etiam eorum varietas mutatis frequenter typis, ut hodieque multi emergant, et emersuri sint deinceps, quos neque Goltzius, neque post eum alius vidit. Castellus princeps Turris Muciae, et Henricus Florezius, posteaquam ille Siciliae, hic Hispaniae numos insigni numero vulgaverant, tamen post annos non multos copiosa et argumenti novi repererunt supplementa, quae vulgatis adderent. Tot numi hucusque ignoti cum reperiantur in regionibus, quae adiri quaquaversum possunt, et a duobus saltem jam saeculis avide sunt excussae, quam multa necesse est recondi adhuc in regionibus transmarinis, quae propter adeundi et investigandi difficultatem in obscuro latent? Unde fit, ut, delata ad nos ex iis plagis majore copia moneta vetus plerumque contineat numos plures antea non conspectos. Ergo si eadem fortuna, et repetitis quidem vicibus adfulsit Goltzio, potuit nancisci numos diu nobis aliis negatos, at hos quoque paullatim conspicuos. Aliter sentiendum de numis familiarum et Augustorum, qui cum copiosius reperiantur in Italia, in qua malleum experti sunt, eaque facilem sui copiam semper fecerit, raro tibi accesserit numus saltem insignioris argumenti nondum observatus, et qui nobilioribus causis, quam minutis sigillis, aut notis arithmeticis, ceu numi Roscii, Pisonis Frugi etc. differant. Ex quo Fulvius Vrsinus Familiarum R. numos vulgavit, quod factum annos abhinc CC. et amplius, quam parca fuere eorum supplementa, quae ad hanc classem amplificandam contulere tot viri in nostris studiis indefessi, ac praecipue Patinus, Vaillantius, Morellius? Pellerinius, qui unus tot millia numorum commatis pere-

grini reperit a nemine visos, unicum tantum Familiae numum nondum notum intulit, scilicet Numoniae, eumque hoc tantum a jam cognitis diversum, quod a Trajano restitutus fuit [o]). Idem unicum tantum Julii Caesaris [p]), unicum Augusti [q]), qui aliorum oculos fugerunt, potuit obtinere. Quapropter non mirabimur, si Goltzius commatis peregrini numos serius a nobis conspectos potuit ostentare, at mirari sane oporteret, si tanto numero, quantum credi nobis voluit, nactus fuisset numos familiarum, J. Caesaris, et Augusti, quorum plurimos praeterea nemo alius vidit. Quod si serius emersit numus Cethegi, quem genuinum credimus, quia vir summus Morellius adprobavit, inconsultum videatur, ab hoc uno exemplo reliquorum velle innocentiam tueri, nisi velimus homines quoscunque palam mendaces ac perjuros absolvere, quia aliquoties in vita verum dixere.

§ III.

Multos reperias natura genuinos, sed quos Goltzius turpiter corrupit adficta, si anepigraphi fuerant, aut literis exesis, qua libuit, urbis populique inscriptione.

Saepe solet in arte nostra evenire, ut epigraphe numorum, si hi ab aetate vitium traxerunt, turbatis literarum imaginibus varie illudat legentium oculis, et peritissimum quemque in fraudem facile inducat. Ergo si auctor musei Theupoli legit *ΜΟΨΕΑΤΩΝ* pro *ΜΩΨΕΙΩΝ* (pag. 1284), idem alibi *ΣΕΝΑΤ.* pro L. ENAT. (pag. 1108), si cl. Combius in numo Metapontino legit *ΘΕΟΔΟC.* pro *ΟΒΟΛΟC,* tribuitque numum Theodosiae Tauricae, (Num. Hunter. p. 325) si Pellerinius *ΓΡΑΝΙC - ΔΟΚΡΩΝ* pro *ΟΥΡΑΝΙΑΣ ΠΟΛΕΩΣ,* (Rec. I. tab. XIV. n. 7.) si in numo Constantini M. a variis lectum BAP. NAT. pro BRP. NAT., non miramur hos lapsus, quia eorum causam videmus, nimirum in numo corrupto aliquam saltem inter veram falsamque lectionem adfinitatem. Pridem huic indulgentiae adsueti sumus, et hanc veniam petimusque damusque vicissim. Quapropter, ne iniqui judices videamur, eam neque Goltzio negabimus, si ex simili culpa peccavit, v. g. si exesis literis *ΕΛΕΥ.* legit tantum *ΘΕΡΝΑΙΩΝ,* numumque tribuit Thernae Thraciae, (in Graec. tab. 27.) cum sit Eleuthernarum Cretae, aut cum legit *ΔΕΛΦΩΝ. ΔΗΜΟΣ* pro *ΑΔΕΛΦΩΝ. ΔΗΜΩΝ,* putavitque esse Delphorum numum, (in Graec. tab. VIII. n. 8.) aut *ΛΗΜ. Lemnus* pro *ΛΑΜ. Lampsacus,* (Ins. tab. XIV. n. 2.) *ΑΔΡΑΝΙΩΝ* pro *ΑΚΡΑΓΑΝΤΙΝΩΝ,* (in Sicil. tab. VI. n. 5, 6.) ΦLIPENSE pro ILIPENSE. (in Graec. tab. XXV. n. 6.) Permittamus etiam lectum *ΑΚΤΙΩΝ, Actium* pro *ΛΥΤΤΙΩΝ, Lyctus* Cretae, etsi difficile excusatu, quia in tribus numis idem legit. (in Graec. tab. VI.) Permittamus item, etsi gravate, lectum *ΑΣΥΛΩΝ* pro AESILLAS in noto tetradrachmo Macedonum. (in Graec. tab. XXII. n. 5.) Ex similibus praeconiis

o) Mél. I. p. 192. p) Mél. I. p. 196. q) Mél. I. p. 192.

si vellemus Goltzium malae fidei convincere, necesse foret eandem dicam scribere Arigonio optimae fidei auctori, cujus tabulae hujus naturae naevis oppletae sunt. Verum alterius generis sunt plurima Goltzii testimonia, ex quibus manifeste eruimus, non eum bono animo, et absque fraudis voluntate lapsum, sed suopte ingenio numis vere genuinis alienas inscriptiones adfinxisse. Quod ejus propositum ut plane, et cui contradici non possit, intelligatur, nonnulla exemplaria numorum Goltzianorum tabulis aeneis incidenda curavi ea lege, ut singulis respondeant numi, quales nobis aut ex museis propriis, aut proborum catalogorum fide sunt cogniti.

TAB. I. num. 1.

Goltzianus exstat in Graecia tab. XXVIII. num. 1, genuinus apud Pembrock p. II. tab. 16, exstat etiam in museo M. Ducis, qui unus idemque est, nisi quod aberrante deorsum matrice urbis nomen exclusum fuit. Eum primum edidi in meis Numis vet. pag. 42, serius multo adcuratius in Sylloge I. pag. 10. Numus certus est Crotonis. Satis apparet, in numo Goltziano epigraphen *ΚΡΟΤΟΝ* aut perinde, atque in numo M. Ducis, abfuisse, aut fuisse extritam, cui suomet arbitrio suffecit *ΑΓΕΣΣΙΩΝ*, tribuitque numum Agesso sive Thraciae, sive Macedoniae urbi tam ignobili, ut ne quidem de ejus orthographia satis inter eruditos conveniat.

TAB. I. num. 2.

Goltzianus captus est ex Graeciae tab. XIII. n. 10, tributusque Nisaeae Atticae, cum sit certus Metaponti, talisque, qualem proposui, a me olim ex museo Caesareo editus, atque etiam ab aliis alibi, quos citavi in mea Sylloge I. pag. 7. Quo ergo pacto in numum unum eundemque irrepere potuit epigraphe *ΝΙΣΑΙΩΝ*, nisi conficta est?

TAB. I. n. 3.

Goltzianus est in Insulis tab. XXVIII. n. 5, et vocatus Calarim Sardiniae. Genuinus alter est apud Pellerinium Rec. II. tab. LIV. n. 18, et sine dubio Cymes Aeolidis.

TAB. I. n. 4. 5. 6.

Numus 4 Goltzianus exstat in Sicilia tab. XIII. n. 10, Goltzii praestigiis ex obvio Sidetum numo in numum Dionysii Syracusarum tyranni mutatus.

Numus 5 est ibidem tab. XIV. n. 1, ejusdemque Dionysii, sed quem genuinum opposui, editus est a Barthelemyo B. L. T. XXX. p. 427, aliisque.

Numus 6 est ibidem n. 2. et iterum Dionysii, quem evertit positus juxta genuinus, qui exstat in museo Caesareo, et alibi.

De intrusis his Dionysii numis nihil praeterea addo, quia eorum crisin abunde peragemus in ejus tyranni moneta.

TAB. II. n. 1.

Goltzianus hic Cistophorus est in Insulis tab. III. n. 5, et vocabulo *ΚΡΗΤΑΙΩΝ* evasit Cretensis, sed Pergamenum vi monogrammatis *ΠΕΡ*. exploso subreptitio *ΚΡΗΤΑΙΩΝ* efficit numus re-

spondens, qui est apud Panelium de Cistophoris pag. 7.

Unicum istud adduco Cistophororum exemplum, nam eadem tabula III. Goltzius tres alios, et sequente tabula IV. binos recitat, quibus omnibus vitium obtulit, ut luculente demonstrabo in tractatu de Cistophoris, commemoratis insuper archetypis veris, quae corrumpere placuit, et refutatis solide Goltzii figmentis, qui cum tot Cistophoros Cretenses faceret, eruditis fraudis ignaris molestarum, et inutilium disquisitionum auctor exstitit.

TAB. II. n. 2.

Habet hunc Goltzius in Insulis tab. XXVI. n. 3, eumque Curium Cypri refert, verum in numo musei Caesarei, aliisque, quos in hac Cypri urbe memorabo, legitur *ΟΥΥΣ.*, suntque hi numi hactenus incertae urbis.

TAB. II. n. 3.

Goltzianus est in numis Asiae tab. I. n. 2, et propter praetensum *ΚΟΛΧΟΙΣ* (in praecedente non multum absimili legitur *ΚΟΛΧΩΝ*) tributus Colchis. Quem juxta posui, habetur apud Pellerinium Rec. II. tab. LVII. n. 38, ejusque similes passim exstant solo variante magistratu. Sunt hi omnes Mileti Ioniae.

TAB. II. n. 4.

Dedit hunc Goltzius in numis Asiae tab. IV. n. 4. addito alio fere simili, adficto *ΖΕΦΥΡΙΩΤΩΝ*, tanquam essent Zephyrii Ciliciae. Obvios habemus horum similes drachmae pondere, quos jam satis constat esse Arcadum, vel Megalopolis Arcadiae. Numum huic oppositum mutuatus sum ex Huntero tabula VII. n. 6.

TAB. II. n. 5.

Goltzianus est in M. Graecia tab. XXI. n. 8. adficto Posidoniae nomine. Aliud docet adstitutus genuinus, quem post alios vulgavit Begerus in Thes. Brand. T. I. p. 273. Esse hos numos Maroneae Thraciae, in hac probabitur.

TAB. II. n. 6.

Est in M. Graecia tab. XXXIV. n. 7. Numus juxta positus, qui est in museo Caesareo, velut herus servum fugitivum, Arimino in Arcadiam retrahit.

Ne frustra inconum numerum augeam, nonnullos alios, qui obiter volventi sese mihi obtulerunt, citabo, quos, qui volet, privatim contendat.

ΔΕΛΦΩΝ in Graecia tab. VIII. n. 10, pro quo lege *ΕΛΥΡΙΟΝ* ex numo Pellerinii Rec. III. tab. XCVIII. n. 20.

ΑΒΔΗΡΑΣ.ΚΟΡΑΣ in Graeciae tab. XXV. n. 9, pro quo in genuinis legitur *ΑΡΚ.*, numusque restituendus Arcadiae.

ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΛΥΣΙΜΑΧΟΥ. Pallas sedens, infra quam: *ΛΥΣΙΜΑΧΕΩΝ*, in Graecia tab. XXVI. n. 7, et tab. XXXVI. Sunt obvii numi Lysimachi, at in tanto eorum numero nobis cognitorum additum *ΛΥΣΙΜΑΧΕΩΝ* nondum vidimus.

ΛΕΣΒΟΥ. in Insulis tab. XIV. n. 7. Adficta haec est inscriptio. Similes copiosi nobis cogniti aut nullam praeferunt epigraphen, aut valde diversam. Satis hodie constat, hos numos esse Macedonum mo-

uetam. Vide quae in Lesbi numis notabimus.

ΚΥΘΝΙΩΝ in numis quatuor, in Insulis tab. XVIII. Omnes hi nobis ignoti. Confer numos in principis Turris Muciae Sicilia numismatica, et fatebere, esse Se gestae Siciliae.

ΕΡΕΣΙ. in numis quinque, in Insulis tab. XV. In iis, qui se nobis obtulere, aliud non legitur, quam *ΕΡ.* in monogrammate. Vide numos Eresi Lesbi.

ΣΕΡΙΦΙΩΝ in numis tribus, in Insulis tab. XIX. Sunt nobis iidem hi numi satis cogniti, sed in nullo plus legitur, quam *ΣΕ.*

ΘЄΑ. ΡΩΜΗ. ΚΑΠΠΑΔΟΚΩΝ.)(*ΙЄΡΑ. CΥΝΚΛΗΤΟC*, in Insulis Asiae tab. I. n. 5. Obvii numuli aenei, sed in iis, quos magno numero habemus, abest *ΚΑΠΠΑΔΟΚΩΝ*, et abesse debet, quia Cappadocia senatus populique provincia non fuit.

ΕΓΕΣΤΑΙΩΝ in Sicilia tab. XII. n. 9. In numis nostris omnibus cum similibus typis legitur *ΕΣΤΓΕΔΙΙΥΣ.*

ΙΕΡΩΝΟΣ in Sicilia tab. XI. n. 3, 4, 7, 8, 9, 10. In similibus nostris legitur solum *ΓΕΛΑΣ.* Vide, quae de his Goltzianis amplius observabo in numis Hieronis regis.

ΠΙΣΑΥΡΙΩΝ in M. Graecia tab. XXXIIII. n. 6. Numus est haud dubie Tarentinus. Confer Magnan Miscell. T. I. tab. 42 n. 7, et Hunter tab. 55 n. 4.

* * *

Neque tamen mirabilis is vir, quem tam promptum vidimus inscriptionum architectum, non etiam fingendis, mutandisque typis ludum sibi fecit. Longam possem, si necesse putarem, corruptorum simili modo typorum seriem adornare, et nisi posset quivis, qui veterum numorum usum habet, suapte experiri, quae sit Goltzii hac quoque in parte fides. Et vero qui inscriptionibus vim intulit, cur is parceret imaginibus?

§ IV.

Non raro fallit metallum, cum aureus adseritur, qui origine argenteus tantum fuit.

Ex quo colligendis numis impendi coepit opera, certi quidam numi reperti non sunt, nisi argentei, sed quos aureos quoque unus vidit Goltzius. Quis unquam nostrum viderat numum cum typo bovis lactantis sive Apolloniae, sive Dyrrhachii, nisi argenteum? Eorum aureos omnino tres vulgavit Goltzius. Cistophoros an alios vidimus, quam argenteos? at aureum idem promulgavit. (Ins. tab. IV. n. 3.) Ex uno argento hactenus visus est numus Macedonum inscriptus AESILLAS. Q., aureum dedere fodinae Goltzianae. Plura exempla colligat, qui volet; jam enim satis reor patientiam meam esse lectori comprobatam.

* * *

En tibi peractam operum Goltzianorum censuram, aut potius ejus partem, nam per totum hoc opus multa dabimus alia suspectae, aut palam corruptae ejus mercis exempla. Impostorem ergo fuisse Goltzium, quocunque is animo mira, qua pollebat, arte numos ad veterem rationem habitumque confinxit, etsi maxime vellem, inficiari, cum res ipsa loquatur, non possum. Quod si quis ex me requirat,

quid impellere potuerit virum tam praeclare eruditum, ut publice aut possidere se, aut vidisse fingeret, quae nusquam exstitere, licebit continuo ex eo requirere, quid impulerit virum summae eruditionis Harduinum, ut nobis numorum interpretationes daret, quas nonnisi febri correptus dare posset, ipse autem esse veras, etsi dejerasset, credere nullo pacto potuit? Nimirum ut hic tam incredibilia commentus est non alia forte de causa, quam ut aliter cogitare ac sentire videretur, quam nos terrae filii solemus, sic et Goltzio gloriosum videri poterat jactare opes, quas nunquam ipse habuit, nemo unquam habiturus esset. Quis adeo humanae conscientiae latebras excussit, ut singulorum consiliorum speret se posse causas reperire? Mearum partium fuit erudiri, Goltzium saepe falsum dixisse, quo istud animo fecerit, homini permittamus. Mihi vero minus semper mirabile visum qualecunque istud Goltzii institutum, quam est visum illud, ejus scriptorum, tot tamque evidentibus scatentium mendaciis, tot annis consistere potuisse auctoritatem. Narrat Jobertus [q]), in museo cl. de Boze servari volumen continens numos Golzii, omnes adcurate delineatos, omnes imperatorios, eorumque numerum esse fere VII. millium inde a Julio Caesare usque ad Justinianum, non adnumeratis iis, quos jam ante dederat, Julii Caesaris, Augusti, Tiberii. Ad quae Joberti verba haec notavit Bimardus: (ibid. p. 129.) *Je me propose de donner dans une dissertation particulière, la notice de ce volume MS. de Médailles Impériales, et d'examiner quelle espèce de confiance il est raisonnable d'avoir en Goltzius par rapport aux Médailles que cet Antiquaire avoit dessinées de sa propre main, et qui ne se trouvent plus aujourd'hui.* Apparet, eam dissertationem lucem nunquam vidisse, quod sane dolendum, quia opus a praestante hoc viro elaboratum ad praesentis causae judicium valere plurimum potuerat. Codicis hujus MS. meminit etiam Bandurius in Bibliotheca sua numaria pag. 23 editionis Fabricii.

* * *

Altius questus fueram, Goltzii figmenta per infinitos doctorum virorum commentarios fuisse propagata. Parum istud adferret mali, si indicium semper aliquod additum fuisset, ut intelligeremus, Goltzianum esse partum, tantamque sic numo haberemus fidem, quantam lectori auctor promereri videretur. Verum cum istud ab eruditis, praecipue vetustioris aevi, neglectum plerumque sit, saepenumero accidit, ut, nisi cautissimi sumus, numum aliquem a posteriore quopiam scriptore conspectum nobis persuadeamus, qui tamen alium a Goltzio auctorem non habet. En tibi luculentum molesti ejus seu incommodi, seu periculi exemplum. Princeps Turris Muciae in Siciliam suam numismaticam, quod constat, omnes Goltzii numos recepit. Non repugno, modo, quod ab aliis nonnunquam factum, Goltzianos adjecto iconismis G. distinxisset. Neque multo plus ex adjectis commentariis subsidii, quia in his non semper Goltzium, sed saepe posteriorem aliquem numi sui auctorem fa-

q) Science des Méd. T. I. p. 99.

cit. Sic numos 11, 12, 13, 14, 15 tabulae XCVIII. ait captos a Paruta. Quam pronum est, credere lectorem non satis attentum, eos quoque a Paruta visos editosque fuisse? At inquirenti facile patebit, eos omnes a Paruta ex Goltzio fuisse captos. Consultius ergo fuerat, primum eorum auctorem efferre. Ejus exemplum aliud proponam in Prolegomenis ad imperatorum numos. Quam istud examen saepe mihi fuerit molestum, et impediverit progressum, pronum est intelligere. At saltem eum inde percepi fructum, quod remotis his aut falsis, aut suspectae puritatis numis majorem vidi operi meo accedere castimoniam, et a me amolitus sum invidiam, tanquam inconsultum fuisset meum de Goltzio judicium, quod hactenus lectori secundum omnes suas causas proposui. Cautius Vaillantius Goltzianos numos omnes in suo Familiarum opere litera G. notavit, Morellius vero, ut diximus, eos a certis, tanquam libros apocryphos a canonicis, discrevit.

Primus, cui mercem Goltzianam illustrare commentariis placuit, fuit SEBASTIANVS ERIZZVS. Jam istud docuit Morellius in epistola, quam ad Perizonium scripsit, et quae exstat in Electis Woltereckii pag. 42. Et vero satis istud docet inspectum ejus viri opus, quod *Discorso sopra le Medaglie degli Antichi* inscribitur, in quo reperias insignem numerum numorum ex Goltzii Fastis captorum eruditis observationibus illustratum. Haec cum certa sint ac manifesta, mirum tamen visum, quo pacto Erizzus, qui laudatum opus Venetiis anno 1559. ediderat, potuerit explicare numos Fastorum Goltzii, quorum antiquissima editio a Bandurio in Bibliotheca sua numaria proditur ea, quae exivit Brugis Flandrorum 1566. In rei insolentiam cum inquirerem, exitum tandem reperi lecta praefatione, quae est pagina 65. citatae editionis, auctore ipso in hanc sententiam scribente: *Non si sono poste nel presente trattato delle monete le figure di quelle*, — — — *per essersi le figure, e li disegni di esse stampati questi anni adietro da ALTRUI, donde potranno gli huomini havere commodamente tal beneficio, noi habbiamo stimato soverchio il ritornar' à fare quello, che da altri è stato fatto.* Atqui hunc *altrui* alium esse non posse, quam Goltzium, quis ambiget, cum non constet, praecedentium antiquariorum aliquem aut tot numos consulares, aut hos ipsos in lucem dedisse? Non satis lectorem erudivit Erizzus, cum eum vago hoc *altrui* vocabulo in incerto relinqueret, tametsi eadem incuria non paucis eorum, qui successere, possit exprobrari, ex quo factum, ut Goltzianorum numismatum fides, cum aliorum quoque testimoniis satis esse confirmata viderentur, altiores semper radices ageret. Ex quo sequitur, aut vetustiorem aliquam exstitisse Fastorum Goltzianorum editionem, aut alibi esse erratum, in quod nunc inquirere non vacat, sed necesse visum, istud enucleatius proponere, ne quis numos ab Erizzo explicatos Goltzio anteriores, et adeo non Goltzianos existimet. Post Erizzum grex fuit auctorum, qui, cum Goltzii auctoritatem quacunque alia potiorem ducerent, ejus commenta tanquam a Musis dictata in opus suum reciperent. Sed missis his lu-

cubrationes praestantium virorum, qui artem nostram ex numis, quos viderunt ipsi, promovere adlaborarunt, quibusque nemo, qui studiis nostris dat operam, facile caruerit, secundum aetatem, qua eas nasci contigit, recensere pergamus.

II. *FVLVIVS VRSINVS.*

Familiae Romanae, quae reperiuntur in antiquis numismatibus ab urbe condita ad tempora divi Augusti. Romae 1577. *fol.*

Praestantissimi hujus operis, et quod hodieque eruditorum manibus teritur, judicium, laudesque dabimus in Prolegomenis ad numos Familiarum.

III. *ANTONIVS AVGVSTINVS.*

Dialogo de Medallas, Inscriciones, y otras Antiquedades. En Taragona 1587. Opus Italice quoque, et Latine redditum. Vide Bandurii Bibliothecam.

Etsi facile hodie praeclaro isto opere Antonii Augustini, archiepiscopi Tarraconensis, careamus, quia pleraque posteri antiquarii scriptis suis inseruere, ejus tamen mentio propter insignia ejus viri in artem nostram merita facienda fuit.

IV. *ADOLPHVS OCCO.*

Imperatorum Romanorum numismata a Pompejo M. ad Heraclium. Antverpiae 1579. 4.

Opus istud Occonis, medici Augustani, jam plane inutile factum, ex quo illud Franciscus Mediobarbus supplementis auxit, de quo infra.

V. *PHILIPPVS PARVTA.*

Sicilia descritta con Medaglie. In Palermo 1612. *fol.*

Operis hujus, cujus nostra hac aetate auctoritas et fides paullatim emoritur, sive quia Goltzianos habet admixtos, sive majorem numorum partem vitiose depictam, sive demum, quia praestantiores jam habemus monetae Siculae enarratores, mentionem faciemus in prolegomenis ad numos Siciliae.

VI. *IOANNES TRISTANVS.*

Hujus viri opus, quod inscribitur: *Commentaire historique etc. Paris* 1635. *fol.*, et distributum in tria volumina numos Augustorum Latinos, Graecosque continet amplis commentariis illustratos, infinitam quidem et admirabilem eruditionem continet, sed quia eodem malo laborat, quo pleraeque ejus aetatis lucubrationes, nimirum quod parum adcurate numi aut sunt depicti, aut descripti, ad haec commentarii ipsi eruditionem jactent, quae lectorem obruat potius, quam instruat, raro jam aevo nostro in consilium solet adhiberi. Vide plura in Bibliotheca Bandurii.

VII. *PETRVS SEGVINVS.*

Selecta numismata antiqua ex museo Petri Seguini. Lutetiae 1684. 4.

Molis opus mediocris, sed eximium sane, sive numorum raritatem, sive iconum veritatem, sive plerumque in explicandis numis felicitatem et praeclaram doctrinam spectes, quo adeo vir artis nostrae studiosus carere vix potest.

VIII. *NVMISMATA*

moduli maximi, vulgo Medaglioni, ex cimeliarchio Ludovici XIV. in folio.

Consistit hoc opus tabulis XLI. eleganter aeri incisis, nullis additis commentariis. Vide, quae de hoc notavit Bandurius in Seguino sub finem.

IX. *CAROLVS PATINVS.*

Familiae Romanae in antiquis numismatibus ab urbe condita ad tempora D. Augusti, ex bibliotheca Fulvii Vrsini, Carolus Patin restituit, recognovit, auxit. Parisiis 1663. *fol.*

Vide, quae de hoc Vrsini opere a Patino restituto auctoque dicentur in Prolegomenis ad numos Familiarum.

Imperatorum Romanorum numismata ex aere mediae et minimae formae. Argentinae 1671. *fol.* In mea editione legitur: *Amstelodami* 1696.

Alias Patini lucubrationes, sed non tanti ad studia nostra momenti, vide in Bibliotheca Bandurii.

X. *FRANCISCVS MEDIOBARBVS.*

Notissimi hujus monetae Augusteae catalogi judicium peragemus in Prolegomenis ad numos Imperatorum.

XI. *HENRICVS NORISIVS.*

Annus et epochae Syromacedonum in vetustis urbium Syriae numis expositae. Florentiae 1691. *in* 4. *maj.*

Praestantissimi hujus operis saepe redibit mentio in explicatione numorum urbium Syriae.

XII. *PHILIPPVS BVONARROTVS.*

Osservazioni istoriche sopra alcuni medaglioni antichi. In Roma 1698 *in* 4. *maj.*

Praeclaros hos in numos maximi moduli Cardinalis Carpegna commentarios nemo est, qui non maximo cum fructu se legisse cogatur confiteri. Vide Bandurii illustre de his judicium.

XIII. *ANDREAS MORELLIVS.*

Specimen universae rei numariae antiquae. Lipsiae 1695. 8.

Opus mole exiguum, sed propter numorum, quos continet, raritatem spectabile.

Commemoranda bina magni momenti opera a Bandurio omissa, quia post hujus mortem lucem viderunt.

Thesaurus Morellianus, sive Familiarum Romanarum numismata etc. nunc primum edidit, et commentario perpetuo illustravit Sigebertus Havercampus. Amstelaedami 1734. *fol.*

De hujus operis meritis, ingentibus sane, si Morellii partes spectes, judicabimus in Prolegomenis ad numos Familiarum.

Thesaurus Morellianus continens XII. priorum imperatorum Romanorum numismata aurea, argentea, aerea. Amstelaedami 1752. *Tomi III. fol.*

Thesauri hujus crisin dabimus in Prolegomenis ad numos Imperatorum.

XIV. *JOANNES VAILLANT.*

Vir si quis alius, de re numismatica praeclare meritus non modo numis vulgandis, et genuinos a spuriis dignoscendi scientia, sed etiam rite explicandis, nisi cum festinatione, aut limae taedio peccavit, quorum ille peccatorum copiosa in multis suis operibus dedit experimenta. Non potest his, etsi disparis sunt valoris,

artis nostrae studiosus carere. Dabimus ex Bandurio titulos ejus operum, crisin vero reservamus iis locis, in quibus singulas certorum numorum classes pertractabimus.

Seleucidarum imperium, sive Historia regum Syriae ad fidem numismatum accommodata. Lutetiae 1681. 4.

Historia Ptolemaeorum Aegypti regum ad fidem numismatum accommodata. Amstelaedami 1701. *fol.* Huic conjungitur: *Aegyptus numismatica ex imperatoribus Romanis desumpta.*

Numi antiqui Familiarum Romanarum perpetuis interpretationibus illustrati. Amstelaedami 1703. 4. *maj.*

Numismata imperatorum Romanorum praestantiora a Julio Caesare ad Postumum et Tyrannos. Hujus operis variae exstant editiones; praeferenda ea, in qua eidem titulo additur: *Editio prima Romana plurimis rarissimis numis aucta. Romae* 1743., curante Jo. Franc. Baldino cl. reg. congr. Som. Cui addendum: *Ad numismata imperatorum Romanorum a Vaillantio edita Subplementum opera Jos. Khell e S. J. Vindobonae* 1767. 4.

Selectiora numismata in aere maximi moduli, e museo ill. D. Francisci de Camps. Parisiis 1694. 4.

Numismata aerea imperatorum, Augustarum et Caesarum in coloniis, municipiis, urbibus jure Latio donatis ex omni modulo percussa. Parisiis 1688., *item* 1695. *fol.*

Numismata imperatorum, Augustarum, et Caesarum a populis Romanae ditionis Graece loquentibus ex omni modulo percussa. Amstelaedami 1700. *fol.*

XV. *GOTTLIEB RINK.*

De veteris numismatis potentia et qualitate. Lipsiae et Francofurti 1701. 4.

Quam multa praeclara ad cognoscendam monetae veteris naturam contineat hic liber, docebit Bandurius.

XVI. *EZECHIEL SPANHEIM.*

Dissertationes de praestantia et usu numismatum antiquorum. Hujus operis aliquoties jam antea vulgati editio praestat ea, quam dedit Londinum 1706. Tomis II. in fol.

Celeberrimi hujus viri laudes commemorare hujus loci non est, quae perseverabunt, quamdiu philologiae honos erit, operis vero ipsius synopsin et causas omnes expositas vide apud Bandurium. Non esset oraculum aliud numismaticum, quod avidius consuleremus, nisi legentem absterreret stilus incomptior, duriorque, cum et sententiae interjectis saepe otiosis nimium diductae, ac propterea impeditae, denique et molestus consulendi labor defectu indicis opportuni. Ceterum suapte patet, exacto jam fere saeculo, ex quo immortale istud opus lucem vidit, multa jam in hoc esse corrigenda, quae nemo melius ipso auctore correxisset, si iisdem, quibus nos hodie, subsidiis fuisset instructus.

Quae is numismatica alia sive in variis dissertationibus, sive immixta alterius generis lucubrationibus tractaverit, vide apud Bandurium et in subjectis Fabricii notis.

XVII. *LAVRENTIVS BEGERVS.*

Thesaurus Brandenburgicus selectus etc. Coloniae March. 1696. *Vol. III. in fol.*

Opus conspicuum, at multo lectoribus futurum gratius, utiliusque, si auctor omissis conjecturis saepe frivolis, et eruditionis eluvie saepe nimium longe arcessitae, saepe a causa alienae arctiores sibi fines praescripsisset. Ferri tamen haec possent, sed multo absterret magis oratio dura et indigesta, cum auctori pravo consilio venisset in mentem dialogorum sequi rationem interlocutoribus Archaeophilo, et Dulodoro, quod scribendi genus, nisi Veneres, Charitesque calamum ducant, quae Begero nunquam adfulsisse videntur, obscuram, molestamque efficit orationem. Istud certum, me nunquam, nisi renitentem, Begeri oraculum adire, quia plus impendendum temporis enucleandae orationi, quam ipsi antiquitatis causae.

Indefessus Begeri labor plura alia opuscula numismatica parturivit, quae omnia recenset Bandurius, sed quorum in hac artis nostrae luce exiguus jam est usus.

XVIII. *PAVLVS PEDRVSI, PETRVS PIOVENE.*

I Caesari in oro, argento, Medaglioni etc. raccolti nel Farnese museo. In Parma 1694. *fol.*

Opus istud scribere aggressus Pedrusius, finito volumine VIII. vitam ipse finivit. Coeptam telam persecutus Pioveneus volumina II. addidit, sic ut totum opus constet voluminibus X. Habuerit tum, cum vulgatum fuit, veram suam utilitatem. Hodie, cum numi, quos continet, satis aliunde sint cogniti, commentarii vero magis morum praecepta, quam antiquitatis doctrinam doceant, non amplius magnopere expetitur.

XIX. *JOANNES HARDVINVS.*

Omnium confessione ut vir summae eruditionis et perspicaciae, ita ingenii singularis, cui turpe visum sensui sese communi adplicare, etiam tum, cum istud veritas et sana ratio palam flagitaret. Quare opera ejus numismatica (de his tantum mihi sermo) ut non aspernanda, quia multa sane praeclara continent, ita taedium legentibus propter opinionum licentiam adferunt. Rara igitur mihi in universo hoc opere viri hujus *παραδοξοτατου* erit mentio, ne refutandis ejus absurdis, quod nimium frequenter evenire necesse foret, temporis et chartae jacturam faciam, lubenter praeclarum illud illustris, ac moderatissimi Barthelemyi de Harduino judicium secutus: *Les opinions du P. Hardouin en fait des médailles commencent à perdre le droit d'être refutées* [r]). Illustriores Harduini lucubrationes numismaticas suppeditant volumina bina, quorum unum inscribitur: *Opera selecta. Amstelodami* 1709. *in folio.* Alterum: *Opera varia. Amstelodami* 1733. *in fol.*

XX. *LVDOVICVS JOBERT.*

La Science des Médailles. Paris 1715. *Vol. II. in* 12.

Opus istud mole exiguum statim ab ortu suo magna voluntate est acceptum, sic ut non multo post in omnes cultioris Europae linguas verteretur. Serius, cum

r) B. L. T. XXXII. p. 672.

libellus hic omnium manibus volveretur, multa tamen inessent corrigenda, aut jure reprehendenda, novam ejus editionem, sed dissimulato nomine suo, in lucem dedit vir in philologiae studiis insignis famae Josephus de Bimard la Bastie, cujus titulus:

La science des Médailles. Nouvelle édition avec des remarques historiques et critiques. Paris 1739. *Tomes II. in* 8.
Atque hi Bimardi commentarii ejus sunt generis, ut praestantia sua operis ipsius, quod illustrandum sibi sumpserat, merita facile superent. Ipse enim Jobertus tirones tantum instruit, at Bimardus veteres etiam in arena nostra pugiles. Ceterum quantamcunque tribuamus Jobertiano huic operi excellentiam, etsi totum illud memoria quis complectatur, parum adhuc in numismatum scientia profecerit. Nam deest pars, quam πρακτικην appellamus, intelligo, ipsae series numorum saltem illustriorum ab urbibus, populis, regibus, Augustis signatorum, sine quarum cognitione utrum in arte nostra dignum aliquid praestare quis possit, non video.

* * *

Hactenus opera rei numismaticae sive utiliora, sive quae majoris sunt momenti, commemoravimus, quorum Bandurius in Bibliotheca sua numaria addita erudita crisi meminit. Enarranda jam sunt illa, quae post viri praestantis mortem conscripta prioribus addenda sunt. Quod cum aggredior, monere juvat, me nunc quoque opera tantum, quae justioris sunt molis, adducturum, praeteritis dissertationibus solitariis, quam ακριβειαν illi permitto, qui olim ad Bandurii Bibliothecam continuandam animum adjiciet.

XXI. *ANSELMVS BANDVRIVS.*

Numismata imperatorum Romanorum a Trajano Decio ad Palaeologos Augustos. Lutetiae 1718. *Tomi II. in fol.*

Materiam ipse titulus satis eloquitur. Gratiae habendae viro ornatissimo, quod patientiam suam comprobavit colligendis recitandisque numis iis, quorum jam perpauci aut veram utilitatem, aut voluptatem adferunt. Hujus operis mentio redibit ante monetam Decii. De Hieronymo Tarinio, qui Bandurium nuper supplementis auxit, agetur infra. Hujus operis Tomo I. praefigitur

Bibliotheca numaria, sive auctorum, qui de re numaria scripserunt,

cujus libri in hoc tractatu saepe meminimus. Dignus, quod sane merebatur, is visus est Alberto Fabricio, quem anno sequente 1719. alteris typis seorsim in 4to Hamburgi restitueret insignibus observationibus, et sicubi necesse fuit, supplementis auctum, et emendationibus sanitati restitutum.

XXII. *NICOLAVS HAYM.*

Tesoro Britannico, overo il museo nummario etc. In Londra 1719. *Part. II. in* 4. Idem opus Anglice redditum: *London* 1719. *in* 4.

Opus istud, ex quo in lucem prodiit, omnium abstulit suffragia. Nam continet numos varii generis, urbium, populorum, regum, tum et imperatorios, sed quorum plerique extra urbem cusi sunt, omnes, qui in museis Britannicis adservantur,

omnes aut rarissimos, aut omnino auctoris tempore ἀνεκδοτους. Praecipuam vero laudem emeruit fidelis, et veritatem proxime imitata numorum pictura. Accedunt moderati commentarii numorum naturam et argumentum praeclare illustrantes. Opus tam insigne cum avidum reperiret emptorem, sic ut post annos non multos in ipsa Britannia rarissima ejus essent exemplaria, ejus novis typis restituendi, sed lingua Latina, consilium cepit Khellius, prodiitque tandem praefixo titulo:

Thesauri Britannici pars prima, seu museum numarium etc. Vindobonae typis Ludov. Schulzii 1762, *in* 4. Primae hujus partis interpres fuit Aloysius comes Cristiani, qui et suo Marte adjecit *Adpendiculam ad numismata Graeca populorum et urbium,* quos manum ducente Khellio magistro suo, erudite explicavit. Secuta est *Thesauri Britannici pars altera. Vindobonae typis Thomae de Trattnern* 1765. Interpretem egit ipse Khellius addita simili numorum anecdotorum *Adpendicula.* Postrema haec editio tanto magis prima Londinensi praestat, quia et comes Cristiani et Khellius auctoris verbis, sive cum mendosa fuere, sive cum dies aliud docuit, praeclaras notas subjecere.

XXIII. *SIGEBERTVS HAVERCAMP.*

Dissertationes de Alexandri M. numismate, ut et de numis Contorniatis. Lugd. Bat. 1722. *in* 4.

Vide, quae de hoc libro judicabimus in tractatu de numis Contorniatis.

Multus fuit etiam Havercampus in explicandis tabulis aeneis Morellianis. Ac primum quidem iis, quae numos familiarum continent, commentariorum molem infinitam superinjecit, de quorum meritis agemus in Prolegomenis ad numos Familiarum. Ejus etiam operam expertae sunt tabulae Morellii, quae XII. primorum imperatorum numos complectuntur, laboris sociis Schlegelio, et Antonio Gorio, cujus crisin dabimus in Prolegomenis ad numos Imperatorum. Adde aliud ejus opus:

Médailles de grand et moyen bronze du Cabinet de la reine Christine, gravées par Pietro Santes Bartolo. A la Haye 1742. *in fol.* Gallice et Latine.

Est hoc opus, ut Havercampiana omnia, festinatum, verbosum, indigestum, auctore magis solicito, ut brevi tempore molem magnam conscriberet, quam opus moderatum, illudque justa et sana doctrina finitum. Quae quidem Havercampo vere objici, mille hujus operis locis patebit. Ceterum de numismaticis tantum Havercampi mihi sermo. Neque enim attingo, si qua ex aliis philologiae partibus jure sibi merita collegit.

XXIV. *CHRISTIANVS LIEBE.*

Gotha numaria sistens Thesauri Fridericiani numismata antiqua aurea, argentea, aerea. Amstelaedami 1730. *fol.*

Sistit hic liber indicium illustris gazae Saxo-Gothanae, sic ut numorum vulgarium, et jam cognitorum numerus tantum prodatur, at rariorum aut anecdotorum sistantur etiam iconismi, eorumque explicationes praeclarae sane et eruditae, quae auctori eximium inter artis nostrae magistros locum paravere. Subjecit ad calcem Spanhemii ad Morellium epistolas

tres, quibus numi quidam rariores hujus thesauri illustrantur.

XXV. *ERASMVS FROELICH.*

Viri hujus de re numismatica insigniter meriti multae exstant lucubrationes ab anno 1732. usque ad 1758., quo diem obivit, conscriptae, quarum subinde complures secundis curis auctas emendatasque uno volumine edendas curavit.

IV. Tentamina in re numaria vetere. Viennae 1737. *in* 4.

Horum tentaminum primum est: *Dissertatio compendiaria de utilitate rei numariae veteris,* nimirum ex locuplete penu Spanhemii, aliorumque pauca specimina proposuit, quibus juventutem adliceret. II. *Appendicula ad numos coloniarum Romanarum a Vaillantio editos.* III. *Appendicula ad numos urbium Graece loquentium sub Augustis percussos a Vaillantio vulgatos.* Vtriusque hujus tentaminis materiam tituli eloquuntur. Modus, quo eam sibi tractandam sumpsit, insignis est, magnaeque legentibus utilitati. IV. *Dissertatio de numis monetariorum veterum culpa vitiosis.* Materia a nemine alio neque antea, neque post tanta adcuratione et instruendi studio tractata.

Animadversiones in quosdam numos veteres urbium. Viennae 1738. *in* 8. Alteris typis curante Ant. Franc. Gorio recusae Florentiae 1751. in 8. Continet opusculum istud syllogen complurium numorum anecdotorum, quos auctor in museo Granelliano Soc. Jesu reperit, additis eruditis commentariis.

Appendiculae II. novae ad numos coloniarum altera, altera ad numos Augustorum ab urbibus Graece loquentibus percussos. Viennae 1744. *in* 8. Recusae curante Khellio 1762. in 4.

Ejusdem argumenti, cujus sunt citata altius Tentamina II. et III.

Annales compendiarii regum et rerum Syriae. Viennae 1744. *in fol.* Editio altera 1750.

De hoc opere judicabimus in Prolegomenis ad numos regum Syriae.

Dubia de Minnisari, aliorumque Armeniae regum numis, et Arsacidarum epocha nuper vulgatis proposita. Viennae 1754. *in* 4.

Vide, quae de hoc libello, ejusque conscripti occasione dicemus in regibus Bactrianis.

Numismata cimelii Caesarei regii Austriaci Vindobonensis, quorum rariora iconismis, cetera catalogis exhibita. Vindobonae 1755. *Tomi II. in fol. maj.*

Opus magnificum, cujus tomus prior id, quod titulus spondet, praestat. At tomus II. exhibet numos maximi moduli, olim musei Carthusianorum Romae, de quo alias sumus acturi.

Regum veterum numismata anecdota, aut perrara notis illustrata. Vindobonae 1752. *in* 4.

Opus istud auctorem praefert Franciscum Antonium Com. Khevenhüller, sed quae ab hoc dictata fuere, sunt partim suggerentis, partim adprobantis Froelichii.

Ad numismata regum veterum anecdota, aut rariora accessio nova. Vindobonae 1755. *in* 4.

Vtroque isthoc opere Froelichius rem regum veterum numismaticam praeclare

promovit, cujus meriti experimenta adfatim dabimus in ipsis regum numis.

Notitia elementaris numismatum antiquorum illorum, quae urbium liberarum, regum et principum, ac personarum illustrium appellantur. Vindob. 1758. *in* 4.

In tironum gratiam scriptum hoc opus multa ad eos erudiendos utilia continet. Minoris meriti est articulus is, qui numos populorum et urbium persequitur. Nam aliud is non continet, praeter urbium nuda nomina, quae jure suo numos, quos autonomos vocamus, signavere. Tanto illustrior est tractatus de regum numis, nimirum quod in hac veteris monetae classe contentiore per anteactam vitam studio versatus est. Fuit istud ejus operum postremum, nam non multo post vita excessit.

De familia Vaballathi numis illustrata. Vindob. 1762. *in* 4.

Postumus hic Froelichii libellus curante Khellio lucem vidit, cujus magnus nobis erit usus in explicandis ejus familiae numis. Addidit Khellius elogium, quo immortalis ejus viri merita hortante adversus suum quondam magistrum pietate et adfectu complexus est.

XXVI. *ALEXANDER PANEL.*

De Cistophoris. Lugduni 1734. *in* 4.

Praeclarae hujus dissertationis merita praedicabimus in tractatu de numis Cistophoris.

Non eodem adsensu ab eruditis acceptae sunt Panelii dissertationes: *De numis exprimentibus XI. Treboniani annum. Tiguri* 1748. *in* 4. — *De coloniae Tarraconae numo. Tiguri* 1748. *in* 4. *Latine et Hispanice.* — *Remarques sur les premiers versets du premier livre des Maccabées, ou dissertation sur une Médaille d'Alexandre le Grand. Valence* 1753. *in* 4. *Gallice et Hispanice.* Nimium enim in his ingenio suo indulsit, cum mallet esse Harduini imitator, quam communi judicio valere, ut locis suis demonstrabimus.

XXVII. *THEOPH. SIGEFR. BAYER.*

Historia Osrhoena et Edessena ex numis illustrata. Petropoli 1734. *in* 4.

Vide de hoc opere numos regum Edessae.

Exstant etiam ejus variae dissertationes in numos nonnullos urbium et populorum, quas collegit edebitque Klotzius Halae 1770. in 8., easque opulentiore scriptas eruditione, quam suapte argumentum desiderare videbatur.

XXVIII. *MVSEVM THEVPOLI.*

Musei Theupoli antiqua numismata. Venetiis 1736. *Tom. II. in* 4. *maj.*

Auctorem hujus operis fuisse Petrum Fundi Venetum, docuit me abbas Mazzolenus in Animadversionibus suis, quas Museo Pisano a se edito subjecit, et quidem in Animadversione I. de tribunic. potest. pag. 121. Complectitur museum istud omnis generis numos veteres, sed eminet copia et raritate imperatoriorum Graecorum, et Alexandrinorum. Laus etiam sua debetur ejus enarratori Fundo, raro falsae lectionis, aut insertae monetae spuriae comperto.

XXIX. *JOH. JACOB. GESSNER.*

Impiger hic vir domo Tigurinus prae-

claro consilio ac labore indefesso iconologiam universae rei numismaticae repraesentavit, cujus sequentes exstant partes:

Numismata regum Macedoniae. Tiguri 1738. *fol.*

Vni huic regum classi notas et explicationem praefixit, sed quae Saturnia olent, et exigui adeo sunt usus, quin et lectorem incautum inducere in errorem possunt.

Numismata regum Syriae, Aegypti, Arsacidarum, Ponti et Bospori Cimmerii, Bithyniae. Tiguri. — Numismata regum Siciliae, Judaeae, minorum gentium, et virorum illustrium. Tiguri. fol.

Numismata Graeca populorum et urbium. Tiguri. in fol.

Monetae Romanae classes sunt:

Numismata antiqua Familiarum Romanarum. Tiguri. in fol.

Numismata antiqua Imperatorum Romanorum Latina et Graeca. Tiguri. in fol.

Classem hanc inchoavit recepto more a Pompejo M., et finivit cum Philippis. Ejus abruptae causam existimo, quia succedentium imperatorum numi satis ex Bandurio sunt cogniti, cui primus fuit Trajanus Decius.

Hujus utilitas instituti manifesta est. Etenim cum numorum icones collegerit ex libris omnibus, qui tum exstitere, idque tanta diligentia, ut eum ne quidem fugerent numi descripti in libris, qui ex instituto rem numismaticam non attigere, hoc beneficio collecti ob oculos ponuntur numi omnes, qui ad suam usque aetatem, qua classes has descripsit, cogniti fuere. Illud molestum, quod neglecta omni crisi numos etiam palam spurios in opus suum recepit, et quod, etsi hoc temporis potius vitium est, falsam numis aut patriam, aut principem adsignat. Qui scalptorum in Gessneri his tabulis aut ruditatem, aut negligentiam culpavere, ingratos et iniquos se censores sunt professi. Quis enim adhibenda ad opus tanti moliminis manu peritiore tam gravibus se volet sumptibus obligare? Nos in dignoscenda ex Gessnerianis typis numorum natura nunquam laboravimus. Quod si non plane satisfecere, licuit adire fontes, quos auctor ad numos singulos magna cum adcuratione commemorat.

XXX. *RODVLPHINVS VENVTI.*

Antiqua numismata maximi moduli aurea, argentea, aerea ex museo Cardin. Alex. Albani in Vaticanam bibliothecam translato. Romae 1739. *in fol.*

Opus causa nobilium, rarorumque numismatum, quae omnia tabulis incisa exhibentur, valde illustre, at non ejusdem meriti sunt commentarii, auctore ad ea explicanda plus fiduciae, quam verae scientiae adferente.

XXXI. *ANT. FRANC. GORI.*

Antiqua numismata aurea et argentea praestantiora, et aerea maximi moduli, quae in regio thesauro M. ducis Etruriae adservantur. Florentiae 1740. *in fol. maj.*

Constat hoc opus voluminibus III., quae in universo ac magnifico opere, quod *museum Florentinum* inscribitur, efficiunt volumina IV. V. et VI. Volumen I. occupant numorum imagines eorum orbe immensum aucto, nimirum ne et nostrae arti suae desint ineptiae, auctoribus magis

vanitatem, quam veritatem sectantibus. At quod hoc multo est molestius, numorum pictura scatet infinitis erroribus, qui adhibito studio vel mediocri evitari, aut tolli facile potuissent. Volumina III. et IV. Gorii commentarios continent, eruditionis jejunae, cum ea maxime opus fuit, supervacuae, cum lumine non egemus, saepe a vero longissime aberrantis, ut sunt pleraque ejus viri cetera eximii numismatica.

XXXII. *ALBERTVS MAZZOLENI,*
Abbas Benedictino-Casinas.

In numismata aerea selectiora maximi moduli e museo Pisano olim Corrario commentarii. In monasterio Benedictino Casinate 1740. *in fol. maj.*

Hic quoque catalogus numos insignes maximi moduli continet, sed pictos majore luxu, quam qui adridere possit iis, qui parabilem cupiunt doctrinam. Numos sequuntur commentarii sobriae eruditionis.

Huic instar appendicis accedit volumen alterum, cui titulus:

In numismata aerea selectiora maximi moduli e museo Pisano animadversiones. Ibid. 1741. *in fol. maj.*

Hoc in opere idem Mazzolenus multa erudite disputat, quae ad imperantium titulos et dignitates pertinent, ut: *imperatoris, Caesaris, pontificis max., Augusti, principis juventutis, consulis, proconsulis.* Sequuntur dissertationes aliae *de Octavia in numis Oppii, de urbibus, populisque neocoris, de primatu urbium, de Asiarchis, de pontificibus Graecorum et archontibus, de Perperenorum epocha, de literis* A. M. K. *in numis Tarsi, de numis monetaque Romanorum.* Haec omnia ut non vulgarem eruditionem continent, tamen saepe me a praeclaro auctore dissidere cogunt, ut suis per hoc opus locis patebit. Pars altera harum Animadversionum maxime in explicanda imperatorum *tribunicia potestate* tot praestantissimorum virorum dissidiis agitata occupatur, at quod invitus profiteor, irrito inter immensum eruditionis apparatum et orationis copiam conatu, ut late demonstrabo in tractatu imperatoriae hujus dignitatis. Accedit animadversio locuples *de votis decennalibus,* tum *de nomine navarchidis,* et nonnullae aliae contractioris modi.

XXXIII. *HONORIVS ARIGONI.*

Eruditus hic Venetus rariores eximii sui musei numos in certas suas classes tributos tabulis aeneis insculptos in lucem dedit, nullis tamen additis commentariis. Operi titulus:

Numismata quaedam cujuscunque formae et metalli musei Honorii Arigonii. Tarvisii sumptibus auctoris. 1741. *in fol.*

Veteres hujus musei opes cum subinde praeclaris accessionibus augerentur, accessit Tomus II. vulgatus ibidem anno 1744., subinde Tomus III. anno 1745., denique Tomus IV. 1759.

Vt grato animo accipere debemus numos tam illustres, tamque copiosos cum orbe harum opum avido communicatos, sic dolemus tamen, numorum imagines nimium frequenter ab archetypis nimio aberrare, quod experti sunt, qui rigidius in eas judicium exercuere. Quare etsi liber hic magnas offert ad artis nostrae incre-

mentum utilitates, tamen nonnisi caute his numorum imaginibus propter erroris metum utemur.

XXXIV. *FRANCISCVS BALDINI.*

Vide supra opera Vaillantii.

XXXV. *THOMAS COM. PEMBROCK.*

Numismata antiqua in tres partes divisa, collegit olim et aeri incidi vivens curavit Thomas Pembrochiae et montis Gomerici comes. 1746. *Vol. II. in* 4. *maj.*

Illustris hic vir vulgandis his praeclari sui musei numis magnam ab eruditis gratiam inivit. Opus totum numorum tantum iconismis absque commentariis constat. Imagines sunt caelaturae mediocris, tamen fidelis. Numos dedit musei sui non omnes, sed sive rariores, quos inter complures sunt insignis praestantiae, sive etiam magis obvios, siquidem ad locupletandas series valent, in quarum copiosas totum opus dividitur. Sunt tamen ex omni numero numi nonnulli, quos non verear in spuriorum censum referre.

XXXVI. *FRANCISCVS WISE.*

Numorum antiquorum scriniis Bodleianis reconditorum catalogus cum commentario, tabulis aeneis, et appendice. Oxonii 1750. *in fol.*

Exhibentur primum catalogi musei hujus Bodleiani. Succedunt *Notae et observationes in numos antiquos,* quae non pauca nova, hactenus antiquariis non observata, continent, auctorisque peritiam et eruditionem eximie commendant. Adduntur ad calcem tabulae, quae insculptos exhibent numos, sed plerosque jam aliunde cognitos.

XXXVII. *JACOBVS MVSELLI.*

Numismata antiqua a Jacobo Musellio collecta et edita Veronae anno 1752. *Tomi III. in fol.*

Tomus I. sistit catalogos, II. et III. numorum icones. Pro operis mole exiguum est ejus meritum. Paucos in eo raros reperias, et non jam ex aliorum praeconiis compertos.

XXXVIII. *HENRICVS FLOREZ.*

Medallas de las colonias, municipios, y pueblos antiguos de España. Madrid 1757. *Tom. III. in* 4.

De praestantia hujus operis agemus in Prolegomenis ad monetam Hispaniae.

XXXIX. *JOSEPHVS PELLERIN.*

Pervenio ad virum, cujus insigne de praestantia numorum judicium, in colligenda moneta vetere consilium, in adipiscenda felicitatem, in explicanda sagacitatem, quoad arti nostrae honos erit, nulla poterit posteritas satis depraedicare. Enimvero ex quo immortalia ejus opera lucem videre, monetae Graecae, et generatim illius, quae Romana non est, multo explicatior est facies, et deinceps in omnium ore fere unus Pellerinius. Numi omnes, quos dedit, aut perrari sunt, aut magnam partem hucusque ignoti, et maxima eorum pars tam eleganter, et tanta cum veritate tabulis aeneis incisa, ut perinde sit, archetypon, an ejus imaginem intueare, et icones Pellerinianae verum sint exemplar monetae veteris fi-

deliter exprimendae. Explicationes ut propter emendatos majorum errores, ingenium, et praeclaram eruendae veritatis rationem omnium abstulere suffragia, ita in postremis ejus scriptis non raro superfluam reprehendimus facundiam, praecipue cum causa numorum Phoeniciorum pertinaciam suam intendit, et irritis, fastidiosisque altercationibus Barthelemyum, Swintonum, aliosque aemulos aperto Marte lacesseret, sed quas nos iras non odio, aut malevolentiae, a qua praestantissimus ejus animus longe semper abfuit, sed mutatis invalescente senectute moribus (nam raro exemplo ad annum vitae fere C. commentari perrexit) imputamus. Peractis tanti viri laudibus, quae multo ampliores illi a gratis posteris debentur, ejus jam opera, ut in lucem prodivere, commemoranda.

Recueil de Médailles de Rois. Paris 1762. *in* 4.

Recueil de Médailles de peuples et de villes. Paris 1763. *in* 4.

Opus hoc tribus voluminibus finitur. Primum continet numos urbium Europae, alterum Asiae, tertium Africae, insularum, tum numos incertarum urbium, et qui lingua peregrina, plerumque incerti explicatus inscripti sunt. Accedit his justus numerus numorum quos imperatorios vocamus, nimirum in urbibus Graecis cum imperatorum capite signatorum.

Mélange de diverses Médailles. A Paris 1765. *in* 4.

Duobus constat voluminibus. Primum divisum est in tres partes, quarum I. offert numos regum et urbium, tanquam accessiones ad eos, quos continent volumina praecedentia, pars II. numos imperatorum aureos, argenteos, aeneos commatis seu Romani, seu peregrini, tum et numos Alexandrinos, pars III. numos coloniarum qui desiderantur in opere Vaillantii. Volumen II. continet numos imperatorum in urbibus Graecis percussos, qui Vaillantium item fugerunt. Junguntur ad calcem insignes animadversiones, quibus multa Vaillantii menda corriguntur, aut ab hoc omissa exhibentur.

Supplément aux six volumes de recueils des Médailles de Rois, de Villes etc. Paris 1765. *in* 4.

Exhibet hoc opus varios urbium numos seu autonomos, seu imperatorios quos auctor serius gazae suae intulit. Accedit judicium de numis compluribus, quos ipse in tomis praecedentibus promulgavit, causam movente Khellio nostro qui in scriptis suis nonnulla ejus dictata impugnavit, qua in lite animosius nonnunquam, quam verius justiusque in adversarium suum invehitur.

Second supplément aux six volumes de recueils des Médailles de Rois, de Villes etc. Paris 1766. *in* 4.

Hic iterum tomus varios numos variarum classium continet. His addidit catalogos siglarum et monogrammatum, denique indicem omnium voluminum hactenus editorum.

Troisième supplément aux six volumes de receuils des Médailles de Rois, de Villes etc. Paris 1767. *in* 4.

Idem hujus quoque partis argumentum.

Quatrième et dernier supplément aux six volumes de recueils des Médailles de Rois, de Villes etc. A Paris 1767. *in* 4.

Argumentum simile. Sub operis finem procedunt jurgia et lites causa linguae in numis Phoeniciae, quarum supra memini, et de quibus adcuratius agam in tractatu de numis Phoeniciis.

Lettres de l'auteur des recueils de Médailles etc. A Francfort, et se trouve à Paris, 1770. in 4.

Binas liber continet epistolas ad amicum anonymum scriptas. Prior praeter numos complures ἀνεκδοτους varii argumenti potissimum in molesta adversum eruditos querela versatur, qui ejus sententiam de interpretatione inscriptionum Phoeniciarum vellicarunt. Altera justum iterum numorum numerum sistit, atque hos inter aliquot regum Armeniae medii aevi.

Observations sur quelques Médailles du Cabinet de M. Pellerin. A la Haye, et se trouve à Paris, 1771. in 4.

Auctorem habet abbatem *le Blond* in nostro studiorum curriculo cum laude cognitum. Binae tabulae exhibent numos in gazae Pellerinianae voraginem derivatos, et a Blondio praeclare et erudite explicatos.

Additions aux neuf volumes de recueils de Médailles de Rois, de Villes. A la Haye, et se trouve à Paris, 1778. in 4.

Omnibus, qui rei numismaticae dant operam, postremus hic Pellerinii partus semper acerbus, semper honoratus est habendus. Acerbus, quia natura denique fecunditatem stitit, honoratus, quia nunc demum maxime patuit, quam pertinace is amore et adfectu in has veteris aevi reliquias teneretur. Scripsit opusculum istud, quod omni retro aetate raro evenit, annum agens omnino XCV., et cum oculorum jam usum amisisset, artem meditando extudit, quam ipse in operis hujus aditu explicat, qua posset nullo oculorum usu literarum notas chartae inscribere. Hic ergo liber primum sistit numos ἀνεκδοτους, quos inter sunt nonnulli insignis meriti. Succedunt animadversiones in numos aliquot a se jam olim vulgatos, quae tamen plerumque nonnisi conjecturas, easque valde infirmas continent. Sequitur inde a pagina 68, quod ad me unum pertinet: *Réponse aux observations critiques de M. Eckhel,* quo ille articulo argumenta impetit, quibus olim in opere, quod *Numi veteres anecdoti* inscribitur, plures ejus lapsus notaveram. Aegre ferebam, virum praestantem iratiore animo causam suam esse tuitum, quam istud a cognita ejus morum integritate poterat exspectari, praecipue cum fere semper fateri ipse cogeretur, judicium meum solidis esse argumentis nixum. Satis me serius in praefatione ad Catalogum musei Caesarei a me editum purgaveram, et quidem ea moderatione, ut satis ex ipsa mea reprehensione constaret, a nemine antea insignis ejus viri merita tantis fuisse laudibus celebrata. Postrema operis portio varia artis observata continet, tum et praestantissimum numum aureum Euthydemi Bactrianae regis, qui unus qualecunque opus numismaticum satis poterat nobilitare. Non potuit vir aeternus vetus suum studiorum curriculum illustriore praeconio finire.

XL. *THOMAS MANGEART.*

Introduction à la science des Médailles. A Paris 1763. *in fol.*

Auctor ampli hujus operis id unum sibi maxime habuit propositum, ut numorum typos, dignitates in iis memoratas, inscriptionum sensum, et similia explicaret, aliorum plerumque magis judicio, quam suo usus. Absunt qualescunque variarum classium catalogi, sine quibus utrum in his studiis profici possit, non video.

XLI. *JAC. PHILIPPVS D'ORVILLE.*

Jacobi Philippi D'Orville Sicula. Edidit Petrus Burmannus Secundus. Amstelaedami 1764. *in fol.*

Eximios Siciliae numos hoc in opere reperias a Burmanno erudite explicatos. Vide prolegomena ad numos Siciliae.

XLII. *JOSEPHVS KHELL.*

Praestantis vir eruditionis, et indefessi in studiis nostris laboris, magister olim meus, mihi non sine grati animi adfectu nominandus aliquot insignes edidit industriae suae partus. Plures meditantem mors oppressit. Quid in restituendo Haymii thesauro praestiterit, supra in hujus censura dictum. In edendo etiam magnifico opere, quod *Numismata cimelii Caesarei regii Vindobonensis* inscribitur, cujusque supra in Froelichii operibus memini, suas et Khellius habuit partes. Omissis lucubrationibus aliquot levioris momenti memorandum opus, cui titulus:

Ad numismata imperatorum Romanorum aurea et argentea a Vaillantio edita, a cl. Baldinio aucta subplementum. Vindobonae 1767. *in* 4.

In unis museis Austriacis reperit hos manipulos, quos opulentae messi a majoribus congestae adderet. Vaillantii institutum secutus parcas singulis notas subdidit. Formam operis externam sic temperavit, ut cum Romana Vaillantii editione a Baldinio procurata conspiraret, et cum hac instar Tomi IV. posset conjungi.

XLIII. *BEAUVAIS.*

Histoire abrégée des Empereurs Romains etc. pour lesquels on a frappé des Médailles. Paris 1767. *Tomes III. in* 8.

Numismatica tantum hujus operis nostra putamus. In eorum gratiam, qui numis colligendis dant operam, singulis imperatorum vitis subjecit justum, ut videbatur, numorum pretium ad modum monetae Gallicae expressum. Nemo non videt, hac in causa certas valoris leges dictari non posse, cum eae plerumque sint arbitrariae, atque is pro vario regionum situ variet etiam. Accedit, eas saepenumero nimis parum instruere, lectoremque in vado destitui. Nam cum ait v. g., aureos Trajani esse obvios, addat deinde: *on en trouve avec des revers qui valent jusqu'à environ* 200 *livres,* neque amplius edoceat, qui definite sint hi numi, nihilo ex his legibus evasi doctior. Atqui in hujus naturae instituto nimium frequenter necesse est id genus occurrere dubia. Interim qualecunque istud subsidium grato accipimus animo, quia tamen multis in casibus fluctuanti opem praestat. Additur tomo III. dissertatio:

Manière de discerner les Médailles antiques de celles qui sont contrefaites.

Praeclare in hac explicantur modi, quibus usi sunt falsarii nostri aevi in imitanda antiquitatis moneta, cujus praeceptis in eodem argumento nos fuisse usos, supra capite XIX. professi sumus.

XLIV. *DOMINICVS MAGNAN.*

Miscellanea numismatica, in quibus exhibentur populorum insigniumque virorum numismata omnia etc. Romae 1772. *Tomi IV. in* 4.

Opus istud numorum tantum imaginibus constat. Ordinem sibi praefixit auctor nemini hactenus alteri tentatum, qui v. g. Crotoniatarum numos inter numos Commodi et Domitiani constituit. Numi ipsi ex variorum eruditorum operibus sunt corrasi, nullo addito indicio, unde; neque Goltzianorum auctorem cepit oblivio, ut adeo liber *Miscellaneorum* titulum, quem sibi praescripsit, plene adimpleat, utrum et reliqua ibi promissa, arbitretur lector. Idem hoc opus uno partu geminam edidit sobolem, cui indita nomina:

Bruttia numismatica. Romae 1773. *fol.*
Lucania numismatica. Romae 1775. *in* 4.

Tabulae in utroque hoc opere eaedem sunt, quae in praecedentibus Miscellaneis, sed callida librariorum ars sic novit secernere tabulas et rursum componere, ut inde duplex opus ad speciem novum existeret, nimirum Bruttia (ut auctori appellare placuit) et Lucania numismatica.

XLV. *LVDOVICVS DVTENS.*

Explication de quelques Médailles Grecques et Phéniciennes, avec une paléographie numismatique. Seconde édition. A Londres 1776. *in* 4.

Exhibet hoc opus numos Graece, aut lingua peregrina inscriptos, variaque ad causas numismaticas utilia observata, inter quae praecipue commemoranda palaeographia numismatica. Major operis pars explicationibus numorum Phoeniciorum, Punicorum, Numidicorum occupatur, quibus in studiis quantum hactenus fuerit profectum, examinabimus disputatione singulari, quam dabimus ad calcem numorum Phoeniciae.

XLVI. *THOMAS ANDREAS DE GVSSEME.*

Diccionario numismatico general para la perfecta inteligencia de las medallas antiquas. Madrid 1773. *Tomi VI. in* 4.

Lexicon istud cum obiter inspicerem, vidi desiderari Mostidem, Monunium, Moagetem, Zenodorum, reges dudum ex Froelichio, Theupoli, Pellerinio cognitos. Quid ergo sibi quaesivit auctor, cui optimorum scriptorum opera fuere ignota? et quod adeo huic VI. voluminum operi pretium? Quam praeterea inconsultum, non citare fontes, unde numos suos hausit, ut, si quis amplius instrui cuperet, haberet, unde peteret? Taedebat post haec in alia hujus operis seu commoda, seu vitia inquirere.

XLVII. *ANONYMVS.*

Catalogue raisonné d'une collection de Médailles. 1774. *in* 4.

Audivi, opus istud vulgatum Lipsiae, ejusque auctorem Schachmannum. Complectitur catalogum numorum, quos is in museum suum intulit, quo in dilectu eos tantum suos esse voluit, qui perfectione laboris et integritate praestare videbantur. Rariores (sunt autem inter eos nonnulli perrari) nitidis fidelibusque iconismis exhibentur. Adjectae non magno numero notae praecipue spectatis artis causis dignae sunt, quae legantur.

XLVIII. *JOSEPHVS ECKHEL.*

Numi veteres anecdoti. Viennae Austriae 1775. *in* 4.

Numos ἀνεκδοτους lectori antiquario quadringentos et amplius obtuli, quos in itinere meo Italico, et redux in museis patriis reperi. Addidi explicationes, quos mereri videbantur, numos ipsos tabulis XVII. proposui.

Catalogus musei Caesarei Vindobonensis numorum veterum distributus in partes II., quarum prior monetam urbium, populorum, regum, altera Romanorum complectitur. Vindobonae 1779. *in fol.*

Jam olim Froelichius illustris thesauri hujus numos typis vulgavit, sed rariores tantum, at cum is amicorum judicio dignus videretur, qui universus eruditorum oculis objiceretur, eum totum edendum censui servato ordine, cujus rationem infra capite XXIV. uberius exponam.

Sylloge I. numorum veterum anecdotorum thesauri Caesarei. Viennae 1786. *in* 4.

Museum Caesareum annis proximis tam praeclaras propitia fortuna fecit accessiones, ut me poeniteret, ejus edendi consilium non longius distulisse. Ergo cum inconsultum esset visum, novam ejus adornare editionem, cepi consilium, si justum quem numorum ἀνεκδοτων numerum ei gazae intulissem, eos omisso viliorum aut jam satis cognitorum agmine praefixo sylloges titulo vulgandi. Propositum subinde istud latius placuit porrigere, neque solum in hunc censum recipere numos ἀνεκδοτους musei Caesarei, sed etiam alienorum, si forte ab amica manu numorum hujus naturae typi mecum communicarentur, quod et in hac ipsa Sylloge I. a me fuit praestitum. Quin et invitare ausus sum viros per Europam insignes, ut si quem praesto haberent ejusdem meriti numorum numerum, suam velint conferre symbolam, hoc syllogen II., altero III. vel IV. elucubrante, quae deinde, siquidem chartae idem modus habebitur, in unum corpus redactae materiam eodem pertinentem complectantur. Praesens sylloge exhibet numos circiter CXX. tabulis aeneis X. expressos et commentariis illustratos. Accedunt numi nonnulli praestantis argumenti, quorum picturam doctissimus Stephanus Borgia, nunc amplissimis suis promeritis S. R. E. cardinalis, mihi expendendos explicandosque miserat una impulsus praeclara sua in haec studia voluntate.

XLIX. *FRANCISCVS NEVMANN.*

Populorum et regum numi veteres inediti. Vindobonae 1779. *in* 4.

En tibi partem musei, quod non tam numorum numero, quam horum raritate, nitore, fide ac castimonia spectandum

eruditus auctor multorum annorum labore, industria, sumptibus instruxit. Pars I. exponit numos Graeciae Europaeae, altera numos Asiae, Africaeque, omnes necessariis eruditisque commentariis illustrantur. Sequuntur numi incogniti, tum et nonnulli inediti commatis Romani, deinde commentarii perutiles varii argumenti, v. g. denarii familiarum incusis notis insignes, numi monetariorum culpa vitiosi, anecdoti subaerati, denique animadversiones in numos a Pellerinio vulgatos, quibus magnum numorum numerum, quos illustris hic vir perperam aliorsum derivavit, magno purgatoque judicio verae suae patriae restituit, non impune laturus, si Pellerinio vita superfuisset testibus Khellio, Barthelemyo, me. Haec omnia artis nostrae studiosus non sine magna voluptate ac fructu leget, nam vix alium facile reperias, qui ea artis nostrae parte, quam *πρακτικην* appellamus, Neumanni nostri praestantiam aequet.

L. *GABRIEL CASTELLVS PR. TVRRIS MVCIAE.*

Siciliae populorum et urbium, regum quoque et tyrannorum veteres numi Saracenorum epocham antecedentes. Panormi 1781. *in fol.*

A multis jam annis eruditus hic princeps, et patriae monetae veteris cultor impiger praeclari hujus operis, cujus simile dudum desideravimus, fundamenta jecit, praeeuntibus ejusdem argumenti opusculis V., *Aggiunte di medaglie alla Sicilia numismatica di Filippo Paruta,* in quibus aut majorum errores in vulganda explicandave moneta Sicula admissos idonee castigat, aut numos alios nemini antehac conspectos offert, et praeclaris animadversionibus illustrat. Nunc omnibus illustris hujus insulae numis, quotquot hactenus comperti sunt, in unum congestis idem patriae suae praestitit beneficium, quod nuper Hispaniae suae insignis Henricus Florezius. Utinam majorem scalptores ad imitanda numorum archetypa attulissent curam, et numi Goltziani a reliquis, qui certae sunt fidei, manifestiore quodam, et in oculos mox incurrente signo fuissent discreti. Operi huic serius accesserunt Auctaria II. continentia numos Siculos hactenus sibi non conspectos.

FRANC. PEREZ BAYER.

De numis Hebraeo-Samaritanis. Valentiae Edetanorum 1781. *in* 4.

Numorum Hebraeo-Samaritanorum vindiciae. Ibid. 1790. *in* 4.

Praestantissimos hos commentarios collaudabimus in ea operis praesentis parte, quae Hebraeorum monetam explicabit.

LI. *CAROLVS COMBE.*

Numorum veterum populorum et urbium, qui in museo Gulielmi Hunter asservantur, descriptio figuris illustrata. Londini 1782. *in* 4.

Illustre hoc opus continet partem thesauri numismatici quem Hunterus artis anatomicae aevo suo facile princeps coemptis ingenti sumptu plurimis museis, quae in prooemio recensentur, ad prodigium auxit. Numorum catalogus a Combio erudite, nitide, et adcurate contextus est sub-

jectis ad calcem rariorum aut anecdotorum copiosis tabulis aeneis. Ut thesauri hujus incredibiles copias et praestantiam non possumus satis admirari, ita dolemus, una cum Huntero exspirasse quoque spem nobis in eodem prooemio ostentatam, fore ut, quo coeptum est, more lucem etiam videant classes aliae, videlicet numi peregrina lingua inscripti, numi regum, numi imperatorum in coloniis et Graecis urbibus cusi, numi Romanorum inediti, numi Saxonici et Anglici. Sed haec credo nostra vota pridem abstulere venti, piis tantum desideriis nobis relictis.

LII. *CHRISTOPHORVS RASCHE.*

Lexicon universae rei numariae veterum. Lipsiae 1785. *in* 8.

En tibi opus, quod hominis unius vires atque aetatem, et quamcunque velis animo pertinaci et adversum ardua imperterrito tribuere patientiam, longe videatur superare. Nunquam illud in manus sumpsi, quin continuo mihi displicerem ipse, et omitterem fastum, si quem animus reputandis secum plurium annorum vigiliis ac laboribus forte concepit. Cum dico, omnia, quaecunque etiam laxius cum scientia numismatica connectuntur, hoc in opere contineri, citatis ubique fideliter ac religiose fontibus, una operis et propositum, et argumentum, et materiam edixi. At quanto vir praestans magis et sibi, et lectori consuluisset, si resecare placuisset, quae nemo jam curat, aut nosse cupit, qualia sunt, Pacuviorum nostrae artis dictata, Harduini aliorumque deliria, monetariorum absurde errata, quae aut ridendo aspernamur, aut facile emendamus ipsi, tum et manifesta auctorum in describendis numis vitia, laxi catalogi numorum omnium, quos singulae urbes signavere, cum mentione typorum quomodocunque ignobilium ac tritorum, et quae sunt similia alia, paucis ut rem complectar, si in universo hoc, tamque laudabili conatu aliquas saltem partes sobrio dilectu tribuisset Minervae, non omnes Herculi. Factum ex hac infinitae materiae coagmentatione, ut propter objectam rerum inutilium, otiosarum, obsoletarum molem mora sit in reperiundo, quod maxime cupis, et malis saepe plane abstinere, quam cum inquirendi taedio erudiri. Tamen, quae nos reprehendimus, erunt forte, qui laudi potius ducent; at quod idem ille, qui artis nostrae corruptos situ latices perinde ac fontes sanos salubresque commovit, et in receptaculum suum derivavit, quod idem, inquam, ille puros et abundantes Pellerinii rivos fastidivit, et fere reliquit intactos, et sic effecit, ut desiderentur ea, quae vulgo praestantissima putantur in ea arte, cujus commodis et incrementis tanti moliminis opus est conscriptum, istud enimvero mirabile mihi semper visum, et cujus ego rationem consilii adsequi nunquam potui. Ceterum quoscunque velimus viro praeclaro in tanti molimine operis irrogare naevos, habebit, quo nulla arrogantiae invidia tueri se possit, illud Apollodori pictoris [s]): *Μωμησεται τις μαλλον, η μιμησεται.*

s) Plut. de gloria Athen.

LIII. *GEORGIVS ZOEGA.*

Numi Aegyptii imperatorii prostantes in museo Borgiano. Romae 1787. *in* 4.

Meum de eximio hoc opere iudicium vide in Prolegomenis ad numos Aegypti imperatorios, vulgo Alexandrinos.

LIV. *DOMINICVS SESTINI.*

Lettere e dissertazioni numismatiche sopra alcune medaglie rare della collezione Ainslieana. Livorno 1789. *in* 4.

Numi capti sunt ex illustri museo, quod a multis jam annis Robertus Ainslie M. Britanniae apud Turcos orator magnis sumptibus instruxit, et adhuc instruere pergit. Auctor eruditus ejus rarioribus numis edendis quatuor jam tomos implevit, additis dissertationibus forma epistolari, in quibus aut novas suas expromit sententias, aut veteres aliorum corrigit. Etsi non facile quis omnibus ejus dictatis volet subscribere, tamen fatebitur peritus quisque, virum clarissimum in contendendis idonee numis et vera numorum patria definienda magna cum laude versatum. Quam non gravate ejus me praeceptis instrui sim passus, suis per hoc opus locis patebit. Erunt, qui jure mecum reprehendent repetitos unius ejusdemque urbis numorum catalogos, tabulas variae magnitudinis, numorum imagines parum scite expressas, in prioribus tribus tomis multas superfluas, in quarto pauciores, quam vellemus, denique in eodem hoc tomo postremo numos non paucos, quos esse genuinos haud facile dabunt eruditi, de quo jam supra conquestus sum capite XIX.

LV. *HIERONYMVS TANINI.*

Numismatum imperatorum Romanorum a Trajano Decio ad Constantinum Draconem ab Anselmo Bandurio editorum supplementum. Romae 1791. *in fol.*

Argumentum operis ipse titulus satis exponit. In reliquis auctor secutus fere est ordinem, quem praeivit Bandurius. Supplementa sunt insignia, et multo labore congesta, etsi nemini non molestum esse debeat, datum locum numis manifeste spuriis, quales haud dubie sunt numi Münteriani, de quo item egi altius capite XIX.

Praeter hos nostri aevi scriptores essent adhuc cum laude commemorandi viri insignes, qui singularibus dissertationibus rem numismaticam illustravere. Multos complectitur opus multorum jam voluminum, quod *Mémoires de l'Académie des Inscriptions et Belles lettres* inscribitur, quos inter haud dubie eminent Barthelemyus et Belleyus. Varios etiam virorum praestantium commentarios sistit aliud Gallorum opus, quod *Mémoires de Trevoux* titulum praefixit, quorum partem jam inde excepit Woltereckius in suis *Electis rei numariae.* Sed singularium harum dissertationum ad ipsos numos profitebimur et nomina et meritum.

CAPVT XXIII.

Illustriora per Europam musea.

Commemoratis viris praestantibus, quorum opera et labore indefesso ars nostra crevit, justum videatur quoque, proponere catalogum illustrium per Europam monetae veteris museorum, partim ut hac quoque in parte instruantur ejus studiosi, et cum occasio tulerit, hac possint scientia opportune uti, partim ut grato animo depraedicemus institutum virorum seu principum, seu privatorum, qui sive collatis sumptibus, sive consiliis, sive utrisque, effecerunt, ut illustres hae veteris aevi reliquiae ad literarum, liberaliumque artium firmamentum in unum cogerentur, et a certissimo interitu vindicarentur.

Dabimus hoc loco eos tantum thesauros, quos dignos esse praeconio aut fideles eorum catalogi, aut certa fama, aut ipsi a me coram conspecti explorati-que docuere. Quare si quem praeterivi, qui propter praestantiam jure fuerat commemorandus, scito, horum, quae modo enarravimus, illi aliquid defuisse, quo modo ignoravimus, quantas opes numismaticas contineant Pellerinii, et Hunteri scrinia, antequam eas illi cum orbe erudito communicarent. Qui initia museorum, quae inde a renatis literis constituta, sed incertis deinde casibus dissipata fuere, nosse cupit, adeat praefationem Josephi Bimardi la Bastie, quam Joberti operi, quod *Science des Médailles* inscribitur, praefixit.

HISPANIA.

Numorum veterum, quos *museum regium* continet, catalogi hactenus editi non sunt, de ejus tamen, saltem in certis classibus praestantia dubitari non potest, praecipue ex quo Philippus V. rex celeberrimum museum abbatis de Orleans Rothelin regio sumptu emptum gazae suae veteri addidit. Teste Panelio istud continebat DCCXXXIII. Latinos et Graecos ex argento maximi moduli numos, DCCLXV. quinarios, denariorum fere sex millia Caesarum, et Augustorum. (de Numis exprimentib. XI. Treboniani ann. pag. 100.) Etiam serenissimi infantis Gabrielis Antonii opes numismaticas Henricus Florezius in praefatione ad tomum III. ejus operis, quod *Medallas de España* inscribitur, magnis laudibus effert.

GALLIA.

Ut hactenus prae Gallia nulla fuit regio, cui artis veteris numismaticae progressus et perfectio suorum indigenarum contentione, peritia, studiis plus debeat, sic neque alia fuit hactenus, quae ampliores, lectioresque harum opum thesauros potuerit jactare. Tamen ex illustribus museis, quae superior, nostraque aetas celebravere, vix jam aliquod seorsim exstat. Ea, quae viri insignis famae, Boze, mareschallus d' Etrées, Seguinus, Patinus, ac nuper Pellerinius instruxere, prae-

clara fortuna in museum regium fuere derivata, Foucaultianum cum Farnesiano conjunctum exstat hodie Neapoli, Rothelinianum, cujus continuo a me facta mentio, nunc est Madriti in museo regio, opulenta gaza cl. d' Ennerii anno MDCCLXXXVII. auctione publica dissipata magis, ut fertur, quam vendita. At superest, quod instar omnium haberi potest,

Museum regium Parisinum, quod, cum antea non modo illustrium, quas memoravi, gazarum accessione, sed etiam ope virorum praestantium, quos, ut praedicat Barthelemyus, (B. L. T. XXVIII. p. 598.) ad comparandam monetam veterem in Orientem, Italiam, Britanniam misere Colbertus, Maurepasius, Argensonius, sic esset locupletatum, ut principem facile prae reliquis omnibus locum obtineret, adjectis nuper Pellerinii immensis opibus tantum inclaruit, ut spes vix supersit, quacunque aetate, aut quibuscunque sumptibus ejus posse aequari praestantiam. Incredibile dictu, quanta philologiae incrementa ex hoc Musarum sacrario accesserint, et tamen multa in eo adhuc contineri ignota, et si vulgarentur, publice profutura, experimentum haud ita pridem dedit Georgius Zoëga, qui, cum unam tantum numorum classem, numos intelligo Alexandrinos, scrutaretur, materiam reperit tam copiosam, tamque illustris argumenti, quantam post vulgatam hujus generis monetam sperare ausi nunquam fueramus. Quod si idem beneficium impensum fuisset reliquis, quam in multis causis minus esset impeditum studiorum nostrorum curriculum! Enim vero ejus nobis consilii spem olim ostentavit Barthelemyus, quando, commemorata regii ejus thesauri suae curae crediti excellentia, haec addit: (l. c.) *il m'a paru que nous pouvions enfin jouir de nos avantages, et les publier.* Scripserat haec anno MDCCLVII. Quod quidem promissum tanto majore accepimus voluptate, quanto nos neminem alium novimus, sive ingenium spectes, sive eruditionis copiam, ad tractandum hoc argumentum peraeque instructum. Tamen posthac nonnisi paucas videre licuit lucubrationes ab hoc oraculo profectas. Nimirum eodem tempore ad scribendum Anacharsin suum conversus, huicque uni curae intentus, ut propter operis praestantiam eruditae aliorum cupiditati cumulate satisfecit, ita nostram forte in perpetuum distulit.

Museum S. Genovevae, cujus numos praestantiores edidit Claudius Moulinet in opere: *Le Cabinet de la bibliothèque de sainte Géneviève.*

ITALIA.

Roma.

Museum Vaticanum, si numos maximi moduli spectes, ex praestantissimis unum, quippe ex illustribus duobus compositum, nimirum Cardinalis Carpegna, quod vulgavit Philippus Buonarrotius adjectis insignibus commentariis, et cardinalis Alexandri Albani, quod edidit Rodulphinus Venuti, ut dictum supra capite XXII. Hujus classis splendorem, cum Romae agerem, non aequavere aliae. Quid deinceps accesserit, ignoro.

Museum ducis Bracciano, olim Christinae Suecorum reginae, illustres in om-

ni classe series complectitur. Ejus numos insigniores plerosque jam vulgavit Vaillantius, tum aeneos Augustorum I. et II. formae Havercampus in opere, quod supra capite XXII. § XXIII. recensui, ut adeo, nisi novae opes accessere, nihil jam fere ignotum egregius hic thesaurus contineat, quod expertus sum ipse, cui excell. ducis humanitate ad investigandos ejus numos aditus patuit.

Museum em. card. Stephani Borgiae, quod est Velitris, cujus excellentiam vel una numorum classis, scilicet Alexandrinorum, nuper a cl. Zoëga edita, commendat.

Feruntur et illustria alia in hac urbe exstare musea in principum domibus, sed centum servata clavibus, in cujus veritatem famae inquirere meum non puto. Praeclari olim musei Ottoboniani reliquias tantum vidi aliquas, reliquis partibus dissipatis.

* * *

Neapolis.

Museum regium, olim pars elegantiarum nobilissimae domus Farnesiae, auctumque numis Foucaultianis Parma huc translatum est. A Paulo Pedrusio et Petro Piovene fuisse editum, diximus capite XXII. Haud ita pridem cum eo conjunctum fuit museum ducis Caraffae Noiae magnae Graeciae opibus insigniter locuples.

* * *

Florentia.

Museum magni ducis, insignes reliquiae magnificentiae et liberalitatis, quam gens Medicea inde a principio bonis artibus impendit. Numos maximi moduli cum orbe erudito communicavit Gorius, ut dictum capite XXII. § 31, imperatorios Graecos Vaillantius, et quidquid post horum conatus praecipue ex numis regum, urbiumque autonomis restabat ignotum, illud omne publici juris feci in opere, quod *Numi veteres anecdoti* inscripsi sumptis numorum ectypis, quo tempore jussu Leopoldi Magni ducis, nuper Caesaris Augusti, procurante Raymundo Cochio viro immortali, amplissimo literarum artiumque thesauro, qui Florentiae est, tum praefecto, lectissimum istud museum in ordinem redegi.

* * *

Venetiae.

Museum Theupoli a Joanne Dominico Theupolo conditum, a viris illustribus ejusdem gentis auctum et vulgatum. Ej merita promulgavimus capite XXII. § 28.

Museum Pisani ab Hieronymo et Angelo Corrariis constitutum, et dotis nomine in amplissimam gentem Pisanam translatum. Hactenus tantum numi maximi moduli prodivere, quo de opere egimus capite XXII. § 32, reliquae classes ignotae.

Celebre etiam hac in urbe fuit *museum Honorati Arigonii,* vide caput XXII. § 33, sed quod pridem fuisse dissipatum fama accepi. Aliud non minus illustre *Antonii Savorgnan,* ex quo numos non paucos meo de *Numis veteribus anecdotis* operi inserui, sed de cujus hodie fortuna nihil amplius compertum habeo.

BRITANNIA.

Museum Pembrock, de cujus auctore et meritis egi capite XXII. § 35.

Museum Hunteri omnium in Britannia facile princeps, de quo vide dicta ibidem § 51.

Museum Roberti Ainslie, quod hactenus est Constantinopoli, ubi adornari coeptum est. Vide ibidem § 55.

Haymius in Thesauro suo Britannico plura alia eruditae hujus regionis musea meritis laudibus celebravit, *ducis Devoniae*, *Sadleri*, *equitis Abdy*. Bina etiam alia nostro aevo coaluere, quorum cum laude meminit eruditus Dutens, (Explicat. de quelq. méd. p. 162.) alterum, quod instruxit *Mylord Rockingham* numis praecipue aeneis I. formae illustre, alterum quod constituit cel. *Duane*, nobile cumprimis numis aureis et argenteis maximae formae regum, populorum, urbium. Constat, insignes numos Siculos, quos multorum annorum curis collegerat princeps Turris Muciae, cum Duani gaza fuisse unitos. Vidi complures tabulas aeneas, in quibus expressi fuere copiosi numi regum Syriae, et Macedoniae ex ejus viri thesauro deprompti, tamen etsi insignes hujus musei opes testentur, tamen vix aliquid novi majoris momenti in iis reperire licuit. Sub finem ejusdem operis narrat Dutensius, illustre istud Duani museum cum Hunteriano fuisse unitum. (inter paginam 232 et 233.)

G E R M A N I A.

Museum Caesareum Vindobonense. Jam ante saecula duo et dimidium magni fuit nominis teste Wolfgango Lazio. Auctum liberalitate successorum principum, ac praecipue Caroli VI. Aug., qui illustre Cartusianorum Romae museum, quod ejus coenobii procurator Rochefortius collegegerat, adjecit. Quae omnia latius olim descripsi in historia hujus musei, quam ejus catalogo anno 1779 vulgato praefixeram. Ex quo ejus regendi cura mihi est demandata, praeclara accessere supplementa, museum Granellianum, quod stetit in collegio Vindobonensi abolitae Societatis Jesu, numis Graecis sane locuples, museum comitis Ariosti, quod continebat praeclaram ac perpetuam seriem monetae Augustorum ex argento, Bruxellense Caroli Lotharingiae ducis, Ambrasianum Tirolense, ex quo aurei omnino LXXX., qui hactenus desiderabantur, capti fuere, museum bibliothecae Windhagianae, non adnumeratis iis, qui seorsim coempti, aut permutatione acquisiti sunt. Facile igitur Caesareus hic thesaurus inter alios sui generis principem in Germania locum obtinet, et forte, si regium Parisinum demas, nulli alteri cessurus, si inde a principio eadem cura colligendae monetae Graecae, quanta Latinae, impensa fuisset.

Museum regium Berolinense, eximiae et istud famae, cujus numos illustriores edidit explicavitque magnae vir eruditionis Laurentius Begerus, ut diximus capite XXII. § 17.

Museum Saxogothanum, quod olim Antonius Guntherus comes Schwarzburgicus Andreae Morellii potissimum consilio usus collegit, et Arnstadii collocavit. Ineunte hoc saeculo a Friderico Saxonum Gothanorum duce magnis sumptibus emptum Gothae securam in hunc diem stationem reperit. Ejus opes praedicavit Christianus Liebe in praeclaro opere, quod laudavimus capite XXII. § 24.

Museum S. Floriani canonicorum regularium S. Augustini Austriae superioris. Ejus auctor Apostolus Zeno, impe-

rante Carolo VI. poeta Caesareus, vir variae eruditionis ac solidae. Inchoatum Vindobonae, et cum Venetias impetrata missione redivisset, per honestum otium insigniter auctum, ejus abbatiae sumptibus Austriam repetiit. Illustres in omnibus monetae veteris classibus series continet, sed parum adhuc a tanto annorum spatio eruditis cognitas propter difficilem, quae vetus est querela, ac fere *ἀδυνατον* ad illud accessum, cum videantur viri praeclarae ceterum famae fecisse impensam, non ut veteres hae opes servirent literarum incremento, sed ut, quod alibi questus fueram, vix ex terrae visceribus renatae alteram continuo mortem cogerentur experiri. Aliud fuisse in simili causa virorum nobilissimorum institutum, ac propterea grato a nobis animo acceptum, sequentia exempla docebunt.

Museum cels. principis Christiani de Waldeck exercitus Caesarei promareschalli, legionis equestris supremi tribuni etc. Virum nominavi, quem Mars, cum res armis gerenda, Minerva, cum ab his cessatur, in familiarissimis suis putant. Illustrem imperatorum seriem, ac si aeneos primae formae spectes, e praestantissimis unam, quas per Europam reperias, non tam sumptibus suis debet, quam institutis fere quotannis cluso Jani templo in Italiam itineribus, ac purgato suo judicio, quo numorum fidem longo, multoque usu explorare didicit. Praeclarum hoc museum nunc Vindobonam translatum insignes mihi ad praesens opus commoditates attulit, in quo non pauca reperies numorum *ἀνεκδοτων* exemplaria, quos in literarum bonum vulgandi princeps liberalissimus veniam lubens fecit.

Museum Alexandri L. B. de Seckendorf, equitis ordinis Teutonici, C. R. M. a cubiculo etc.: quod is multorum annorum opera, sumptibus, ac suamet peritia instruxit, et in dies augere accessionibus non desinit. Quod si lentius est ejus ad perfectionem iter, in causa est negotiorum moles, quae virum Musis amicum, praecipue cum civilibus discordiis Belgium misceretur, a nostris studiis abstraxere.

Museum excell. feminae comitis de Bentinck natae comitis de Aldenburg, cujus erectam supra sexum suum mentem multa alia experimenta nobilitaverunt. Iam inde a prima juventute elegantes artes toto animo complexa faciles subinde illas paratasque experta est, quae senectutem oblectarent. Hoc illa animo coepit moliri Hamburgi thesaurum monetae veteris, quem subinde, cum satis jam auctum colonis videret, nullo ipsa adjutore usa vulgatis hactenus tribus voluminibus publici juris fecit. Erunt, qui de numorum nonnullorum fide, quos catalogus hic continet, volent dubitare, quod eorum esto arbitrii, qui videre. Praeclara nuper ad paratas jam opes accessio fuere numi maximi moduli, quos ex thesauro Ennerii Lutetiae venali emptos in museum suum derivavit.

Museum Francisci Neumann, cujus capite praecedente § XLIX. obiter memini, et laudavi merita. Monetam tantum regum, urbium, populorumque complectitur in omni metallo, non tam numero, nam numorum circiter quatuor millia cum semisse continet, quam horum nitore, ac raritate conspicuam, quas propter laudes

inter privatorum musea locum insignem promeretur. Haec scribentem certiorem fecit auctor, se thesaurum hunc suum, multorum delicias annorum, cessisse excell. comiti Szechenyo Hungaro, qui illum proxime in aedes suas, quae sunt Sopronii, transferet.

HVNGARIA.

Museum ill. Michaelis comitis a Vitzai, jam a patre Michaele tanta contentione instrui coeptum, auctumque suppetiis, ut jam tum omnes illustris ejus regni thesauros, qui monetam veterem continent, numorum et copia, et praestantia post se relinqueret. Argumento sunto tot numi insignes, et nondum cogniti, quos mihi, quo fuit praeclaro adversum me, quoad vixerat, animo, ultro suppeditavit inserendos operi, quo tum scribendo maxime occupabar, numos veteres anecdotos complexo. Coeptum a patre institutum retexens filius ut bonorum, sic, quod rari est exempli, voluntatis quoque paternae haeres, incredibile, quanto, non dixerim, adfectu, sed fame in has feratur veteris aevi reliquias, impigro usus adjutore P. Felice Caronni Barnabita Italo, quem anno proxime elapso eas conquirendi studio magnam cultae Europae partem obire voluit, et nunc alteri erudito itineri destinat. Quo ille praeclaro usus consilio dum bona fortunae eruditionis adjumentis, tempus honestissimo literarum otio impendit, nemo est, qui non intelligat, quantum inde honoris gloriaeque non modo nobilissimae genti suae, sed et patriae, cujus simul ornamentis haec subsidia parantur, accedat. Non paucis hujus operis locis apparebit, quam insignes ex ejus musei numis, quorum mihi usum pro sua humanitate, et publice serviendi studio indulserat, utilitates abstulerim. Praetereo, quia huc non pertinent, gemmas veteres, diptycha, tabulas honestae missionis, et quamcunque aliam veteris aevi suppellectilem, quarum magnam partem jam collegit, partim colligere non desinit.

TRANSILVANIA.

Museum excell. L. B. de Bruckenthall, quod est Cibinii. Praeter insignes series operum, quas sive ars pictoria, sive natura produxit, tum et opulentissimum monetae patriae thesaurum illustres etiam audio continere numorum veterum opes, ac praecipue imperatorum R. in omni metallo.

CAPVT XXIV.

De ordinandis utiliter museis.

Superest, ut, quo pacto disponenda, ordinandaque sint numorum veterum musea, quia apta partium dispositio magnas studentibus adfert opportunitates, consilium nostrum expediamus. Fuere, qui in colligendis numis certam sibi tantum seriem praefixere, sive quod in hanc unam praecipuo ferrentur adfectu, sive quod sum-

ptuum vererentur magnitudinem, si ad omnes cupiditatem suam porrigerent. Sic cardinalis Alexander Albani ad numos tantum maximi moduli imperatorum, alii ad alios animum adjecere. At de his agere hoc loco non instituimus, quia ipsi sibi legem ordinemque facile praescribunt, sed sola musea locupletia, quae omnes, et diversissimas quasque monetae veteris classes complectuntur, huc pertinere putamus.

Antequam, quem ipse modum reliquis praestare existimem, aperio, commemorandi sunt varii modi, qui majoribus nostris, et ad hunc diem plerisque aliis maxime adridere sunt visi.

Froelichius veterum institutum secutus totum numismatum agmen in plures classes dispescuit. Harum omnino quindecim, et his etiam plures proposuit [t]), et hoc consilio non modo in disponendo catalogo, qui *Numismata cimelii Caesarei Vindobonensis* inscribitur, usus est, sed eodem ipsos etiam numos per scrinia musei Caesarei ab eo distributos reperi. Ex hujus legis praescripto primum locum obtinent numi aurei maximi moduli primum urbium et populorum, tum regum, denique imperatorum. Succedunt aurei voluminis minoris urbium iterum, regum, imperatorum. Auro succedit argentum eodem voluminis discrimine. Argenteos excipiunt aenei distributi in numos maximi moduli, dein numos I. II. III. formae. At vero veteris hujus moris incommoda jam alias perstrinxi. (in praefat. ad Catal. mus. Caes.) Demus, ajebam, aequabili hoc cum metalli, tum voluminis modo pasci nonnihil oculos, istud indubitatum, numos ejusdem populi vel principis per classes nimio diversas multiplicesque disjici. Nam tum evenire necesse est, ut cum commentari in numos v. g. Syracusanorum, vel Alexandri M., vel Hadriani cupimus, ii ex sex, pluribusve diversis locis pro varia metalli, voluminisve ratione conquirendi sint, quod ipsum quanto mihi saepe in vetere musei Caesarei distributione et incommodo fuerit, et taedio, facile est intelligere. Nemo est, qui non intelligat, ad disciplinam nostram nihil interesse, ex quo quis numus sit metallo, qua magnitudine. Cum raras has prisci aevi reliquias non aliam ob causam adservandas putemus, quam quod transactae aetatis idonei sunt testes, ac magistri, perinde est, seu aurum illud sit, et argentum, quod nos erudit, seu aes, seu etiam plumbum, sitne magno orbe spectabile, an intra angustiores limites coartatum. At nemo est qui negaverit, ad institutum nostrum magnopere interesse, numos omnes, quorum una est aetas, aut patria, etiam uniri situ, plusque valere ad institutionem ac usum museum etiam mediocre hac lege distributum, quam locupletissimum aliud per incommodam nimiumque diligentem ἀκϱιβειαν in superfluas classes partitum. Haec cum sedulo reputarem animo, nulla me aliorum auctoritate permoveri passus sum, quo minus in musei Caesarei partitione neglectis iis illecebris, quas captus ex metallo, et

---

t) Notit. elem. p. 7.

volumine ordo suppeditat, alium magis naturalem, et ad usum multo praestabiliorem sequendum censerem, quem continuo dabimus. Quod si quis oculorum etiam voluptati tribuendum aliquid existimat, is quaeso reputet, ne hanc quidem facile sinceram posse obtineri. Exemplo esto series numorum maximae formae Augustorum, in quam ii, qui ea delectantur, inserere amant aureos quoque et argenteos, si modo consuetum monetae aureae vel argenteae modulum vel tenuiter excedant, qui adeo collati cum praegrandibus aeneis juxta positis contempti sunt voluminis. Deinde cum usque ad Hadriani imperium vix exstent aenei maximae formae numi, necesse putant in consortium admittere numos, quos *Contorniatos* appellamus, qui propter despectam prosapiam ab hac societate excludendi potius sunt, quam cum hac nobili classe miscendi. Vide, quae huc pertinentia alia dedi supra capite X.

Praeter hunc modum plerisque hactenus familiarem placuit alius quoque, cujus auctor fuit Jacobus Oiselius [u]). Is numismata in varias classes a prioribus diversas dispescit, v. g. regionum, provinciarum etc. — deorum, dearumque — virtutum — rerum militarium — circorum, ludorum etc. — consecrationum — templorum, aedificiorum publicorum etc. — sacerdotiorum, signorum pontificalium — miscellaneorum. Eandem legem secutus etiam videtur is, qui museum Pembrockianum disposuit, ut apparet ex ejus catalogo. At enim quis non videt, hoc pacto illustrius quoddam museum in series infinitas diduci posse, et hunc modum confusionem magis, quam rectum ordinem appellandum esse, etsi non negaverim, aliquas cum hac lege utilitates esse conjunctas, sed quas nos alio etiam modo, nimirum adjectis indicibus rite digestis, possumus recuperare.

Omissis his diversarum classium modis, quos magis auctoritas, quam rei natura consecravit, aliam placuit disponendorum rite numorum tentare legem, cujus rationem in eadem praefatione ad Catalogum musei Caesarei explicavi, atque hoc loco utiliter repetendam existimo. Non alia magis idonea, magisque simplex visa est, quam totum numorum agmen in binas partes dispescere, quarum I. numos urbium, populorum, regum, II. monetam Romanorum complecteretur. Ad primam quod attinet, satis constat, eam hactenus per legem alphabeticam perturbatam potius fuisse, quam ordinatam. Quid enim magis vero, justoque ordini repugnat, quam Panormum Siciliae excipere Panticapaeum Tauricae in Septemtriones positae, huic proxime conjungi remotissimam in meridiem Paphum? Et tamen passim videas sive in museis, sive catalogis hac lege digestos numos. Neque vero ea methodus propterea solum repudianda, quod vicinas urbes longe dimovet, dissitas conjungit, verum etiam quod insigni commodo, atque ex praecipuis uno disciplinam numismaticam privat. Nam cum quaevis regio, ac singuli fere tractus

u) Thes. sel. num. ant.

in cudenda moneta certam quandam, ac sibi propriam habuerint legem, seu epigraphen spectes, ejusque varium situm ac modum, seu typos, seu metallum, ejusque mixtionem, seu numi diversam conformationem, seu fabricam ipsam, seu denique qualecunque illud discrimen, quod oculi longo usu eruditi facile intelligunt, sed tradi praeceptis nequit, sic ut harum ope differentiarum mox definias, Siculusne sit numus, an Creticus, an Aegyptius, omne istud discrimen tam varium, ac multiplex non alia felicius ratione perspici, atque intelligi potest, quam si numi, quos idem natale solum in lucem dedit, situ quoque conjungantur. Ea ejusdem regionis numorum contentione factum, ut magnus Pellerinius, qui eo consilio forte primus uti coepit, magnam partem tot in re numismatica aenigmata, quae suo hactenus Oedipo caruere, incredibili felicitate ac perspicacia explicaret. Ad ejus viri institutum sic universam distributionis rationem adcommodandam existimo, ut fas tamen putem, ab eo in nonnullis discedere. Nam primum numos regum iis regionibus conjungere amo, quibus imperitabant, deinde numis singularum urbium, quos autonomos vocamus, continuo subjicio illos, quos eaedem urbes seu coloniae nomine, seu absque hoc, cum imperatorum effigie signavere. Hoc ordine unum Harduinum, quod mihi constet, in suis populorum et urbium numis usum video, cum eos alii in separatas classes conjicerent, seu coloniarum, seu numorum in urbibus Graece loquentibus cum imperantium effigie signatorum. Nolo hic adversum eos, quibus haec lex praeplacuit, iniquiorem ferre censuram, facile tamen adducor, ut credam, eruditos hos viros magis vetus institutum, quod non semper optimum est, quam veram utilitatem secutos, cum, quidquid adferri possit, indubitatum sit, argumentum, quod partes aversae continent, raro cum imperatoribus, quos exhibent, sed cum ipsa urbis historia, religione, situ, aliisque peristasibus plerumque connecti. Denique insularum numos, quos in separatam seriem conjecit Pellerinius, conjungo cum regionibus, quibus maxime fuere vicinae, quia plerumque eandem cum illis legem in feriunda moneta secutas video.

Sequitur pars II., sive quae monetam Romanorum complectitur. In hac agmen ducunt numi, quos consulum aetas tulerat, sed de quorum dispositione dicere nihil attinet. Nam cum neque chronologia, neque opportunis legibus aliis ligari possint, nisi conjecturis non ferendis indulgeas, sequenda omnino, si sapias, recepta ratio, quae numos secundum gentium Romanarum nomina persequitur. Aliud de imperatorum moneta judicium.

In hac duplex hactenus observata lex. Occo et Mediobarbus eam praeclaro quidem consilio per Romanorum fastos duxere, verum istud plerisque molestum jure visum, quod conjecturis nimium darent, numosque omni nota chronologica destitutos, quales non paucos reperias etiam prima Caesarum aetate, inde vero a Gallieno fere omnes, nulla opportuna ratione ac consilio certis annis illigarent. Despe-

rato ab hac parte successu plerique alii ordinem alphabeticum partium aversarum velut ancoram arripuere, quo utrum magis consultum sit museo, an vero magis perturbata omnia, decidere vereor. Sane quidquid commodi verae utilitatis, atque etiam voluptatis suppeditat chronologia, perpetua historiae series, vultus imperatorum paullatim in senium vergens, istud omne altero hoc modo planissime pessumit. Quae causa fuit, cur posteriore repudiato visum sit Occonis potius vestigiis insistendum. Non diffiteor, ejus statutum ordinem saepenumero esse consutum temere, et quod notae chronologicae absunt, nimio claudicare, verum, si qua in re alia, in hoc certe negotio valere debet vetus illud, eundum, qua potest, qua non potest, non eundum. Esto, multa esse vaga atque incerta, at vero multa habemus certa et explorata. Vtamur ergo his ut certis, et quae incerta sunt, incertis committamus, ac tum salvá erunt, quae salva esse ad studia nostra magnopere interest, ac vitabuntur, in quibus peccavit Occo. Hoc ergo consilio imperatorum numi sic videntur collocandi, ut suis annis tribuantur ii, quorum certam, aut saltem verisimilem tenemus aetatem, reliquis, quos *vagos* appellare placuit, in postremum agmen ordine aversarum alphabetico conjectis. Atque hanc legem cum mihi in ordinando museo Caesareo praescripsissem, absoluto jam opere uberrimum tuli ejus instituti fructum, cum illud ipsum forte fortuna celeberrimi Bimardi calculo comprobatum viderem, cujus de hoc argumento judicium ii, qui novitatis me, ac judicii minus purgati arguere possent, videre, si lubet, possunt in opere: *la Science des Médailles T. I. p.* 199. Ceterum si tum in consulatuum ac tribuniciae potestatis et historiae ratione Mediobarbum fere constanter secutus sum, et frequentius adeo hoc duce peccavi, in causa fuit, quod et ibidem ingenue confessus sum, quia nondum mihi tum otium fuerat, adcuratum universae historiae Romanae examen, et ad severiores critices leges exactum, quod multorum esse annorum opus nemo nescit, instituendi. At enim cujus tum facultas non fuit, istud adcuratius a me praesente in opere fuisse praestitum, et non vulgari contentione, facile quivis, qui inspicere volet, intelliget.

His generatim expositis superfluum existimo, reliquas, minimasque quasvis hujus instituti causas, modosque exponere, cum hi omnes ex inspecto musei Caesarei catalogo possint intelligi, aut potius eos, quibus haec mea praestare videbuntur, hortabor, ut in disponendis numis sequantur ordinem, quem in praesente opere secutus sum, quia, ut continuo dixeram, re secundis curis curatius discussa, praecipue ea in parte, quae chronologiam imperatorum continet, vitavi vitia, quae illi catalogo inhaerent.

Superest, ut partem etiam hujus causae mechanicam attingamus, intelligo, scrinia recipiendis numis destinata, eorumque conformationem internam, praecepto tanto magis necessario, quia institutum meum alias dispositionis internae leges exigit. Pro more hactenus recepto haec scrinia, sive arculae continent asseres variae magnitudinis foras et introrsum mobiles, in quibus torno excavatae sunt

areolae rotundae numos recepturae. Harum varia est pro numorum volumine capacitas. Ampliora exigit hospitia classis illa, quae numos maximae formae complectitur, et sic *ἀναλογως* contractiora illi, qui sunt formae I. II. III. Nemo non videt, hanc areolarum spectata magnitudine distributionem, ut huic se instituto suapte adcommodat, quia voluminis legem sequitur, a meo plane esse alienam. Nam cum in hoc nulla habeatur magnitudinis ratio, sed sibi succedant numi, ut eos seu geographiae, seu chronologiae lex jubet succedere, necesse est, areolas ejus esse capacitatis, quae seriem coeptam interrumpi non patiatur. At enim hoc modo, inquies, necesse erit, areolas omnes peramplae esse diametri, quia non raro fiet, ut numum III. vel IV. formae, v. g. Pergami, vel Valentis, excipiat numus praegrandis formae ejusdem urbis, vel Caesaris, ac tum necesse etiam, supra modum multiplicare scrinia, quia etiam minimae formae numuli eandem sortientur aream, quantam, qui maximae sunt. Ad haec non potest non offendere oculos, cum vident, numulum exilem, quales sunt minutissimi Tarentini, vel Attici, quos propter parvitatem vix possumus digitis tractare, occupare spatium, quod centenis similibus sufficeret, accedente etiam ejus jacturae periculo, si carcere tam laxo contineatur. Non possum equidem hanc difficultatem inficiari, quae instituti mei rationem necessario consequitur. Sed eam mitigare hac ratione institui. Prospecto antea numorum numero duplicis generis paravi tabulas, seu asseres mobiles. Horum unum divisum fuit in areas, quae numorum I. formae mensuram aliquantum excedunt, atque per has perpetua serie distribui numos I. et II. formae, quin et numos maximi moduli, si modo eos areolae capacitas admisit, (nam sunt non pauci, qui numos I. formae magis crassitie, quam volumine excedunt). Alterum divisum fuit in areolas angustiores, quae numos III. formae, et quoscunque his minores reciperent. Qui numi maximae formae majoris sunt voluminis, quam ut eos prior divisio coercere possit, quoniam perpauci sunt numero, neque etiam omissi seriem perturbant, facile extra ordinem in tabulas aliquot capacioribus areis instructas possunt differri. Atque haec lex tam in serie numorum urbium, populorum, regum, quam in ea, quae Augustorum numos complectitur, locum habet. Hac ratione olim museum Caesareum non modo, quod ad universam ejus dispositionem, sed etiam, quod ad tabularum apparatum pertinet, instruxi, neque ejus me consilii multorum causa commodorum hactenus poenituit.

DOCTRINA
NVMORVM VETERVM.

HISPANIA.

PROLEGOMENA
AD NVMOS HISPANIAE.

Celeberrimae hujus regionis rem monetariam fuisse opibus illustrem ac conspicuam, docet insignis numorum copia, qui vetere aevo signati vitatis tot saeculorum minis ad nostri aevi notitiam pervenere. Operae pretium, eorum variam naturam, ac indolem, et quae alia opportune praemoneri possunt, distinctis capitibus exponere, quorum I. aget de numis Hispaniae pro varia eorum aetate, II. quo tempore res monetaria in Hispania desiverit, III. de metallo in numis Hispaniae, IV. de argento Oscensi et Bigato, V. de epigraphe, VI. de typis, VII. de fabrica et forma, VIII. de eruditorum operibus Hispaniensem monetam illustrantibus.

I. De numis Hispaniae pro varia aetate.

Cum rei monetariae in Hispania incunabula aeque nobis ignota sint, atque illa aliarum regionum, aliud nobis reliquum non est, quam capto initio a numis iis, quos ex certis indiciis vetustissimos agnoscimus, ad inferiora tempora descendere.

In vetustissimis putamus sequentes:

Caput nudum barbatulum, in aliis imberbe, adstitutis aliquot literis Hispanis.)(*Epigraphe Hispana. Vir armatus eques citato cursu d. hastam.* AR. III. denarii fere pondere. AE. II. (Mus. Caes.)

Caput nudum imberbe.)(*Epigraphe Hispana. Eques desultor binos equos regens.* AR. III. (Mus. Caes.)

Praetereo numos alios aut parum diversos, aut aliis quidem typis, sed omnes Hispane inscriptos, quorum magnum numerum edidere Ludovicus Velasquez *Ensayo sobre los alphabetos de las letras desconocidas. Madrid* 1752. *in* 4*to.* et Mahudelius *Dissertation historique sur les monnoyes antiques d'Espagne. Paris* 1752. *in* 4*to.* Istud certum, maximam id genus numorum partem esse similem iis, quos hoc loco sede priore indicavimus.

Indubitatum est, Hispanos liberos suique adhuc juris in inscribenda moneta sua usos quoque lingua patria, proinde vetustissimos habendos numos, quos peregrinae linguae contagio nondum corrupit.

Succedunt aetate numi bilingues, id est, cum numus unus idemque epigraphen partim Hispanam, partim Latinam offert, quales sunt numi Obulconis, Saetabis, Sagunti etc. nimirum cum Hispaniae urbes jam esse Romanis obnoxiae coeperunt, aut certe jam liberalius illis cum his commercium fuit; denique ii, in quibus, extrusa lingua nativa, una jam dominatur Latina. Eodem modo inter Phoeniciae urbium numos antiquissimi habentur ii, qui sola Phoenicum lingua notantur, serioris aevi sunt, qui Phoeniciam et Graecam miscent, novissimi, qui una Graeca loquuntur, ceu numi Beryti, Sidonis, Tyri etc.

Eadem ratio ad urbes a Phoenicibus et Graecis in Hispania conditas valebit. Sane numos Gaditanos et Abderitanos solam linguam Phoeniciam, Emporitanos solam Graecam praeferentes esse antiquiores iis, qui Latinam serius suffecere, nemo erit, qui ambigat.

Ex fabrica etiam et typis possunt aetatis remotae auguria vix fallacia capi. Sic fabrica rudior, et saepe barbara, ut in numis Obulconis, Vliae, Vrsonis, tum et typi simplices, et ex vetere Hispanae artis ingenio, tempus arguunt nondum a Romanorum elegantia excultum. Enim vero Hispanarum urbium numi Caesarum aetate haud dubie signati, etsi nunquam summum artis nitorem praestant, a summa tamen artis barbarie plerumque longe distant.

II. Quo tempore res monetaria in Hispania desierit.

Diximus, non posse adsignari tempus, quo primum Hispani ferire monetam coeperunt. At potest certum definiri tempus juris monetarii in Hispania antiquati. Ademptum illud imperante Caligula, jam inter omnes convenit. Postremus enim is est, cujus effigiem nomenque monetae Hispanae illatum constet, et si qui fuere auctores, qui Claudium, Galbam, aliumve aliquem in numis Hispanis se reperisse jactabant, eos aut in superiora removendos tempora, aut alterius esse regionis monetam, recentiorum artis nostrae magistrorum demonstravit peritia, et experientia. Florezio Hispano, cujus praeclarum judicium nunc primum, deinceps frequentissime recitabo, cujusque laudes postremis horum προλεγομενων capitibus persequar, veri simile visum anno imperantis Caligulae postremo Hispanis feriundae monetae jus ademptum, quia in Caesaraugustae numis quatuor varios reperit viros totidem Caligulae annis, nam in quartum annum duravit, respondentes [a]).

Cum nemo veterum causam sublati hujus permissus proderet, non defuit tamen nostrae aetatis hominum diligentia, qui eam probabili conjectura adsequi posse sperarent. Vaillantii conjectura fuit, Caligulam Caesaraugustanis iratum, quod M. Agrippam avum, a quo se teste Sue-

a) Tom. I. p. 253.

tonio genus ducere ob ignobilitatem nolebat profiteri, in numis proposuissent, totam Hispaniam cudendae monetae jure multasse b). Mira enimvero oratio! Cur enim tota Hispania luat piaculum ab unis Caesaraugustanis admissum? Aut cur id privilegium non restituerunt successores Caligulae, quo per hujus stolidum ingenium excidit? Ceterum quibus tam atrox ea videtur injuria Hispaniae inflicta, ii velim reputent, idem Galliae coloniis sub ipsa Augusti tempora accidisse, Italiae autem, saltem continentis, coloniis jus istud sub ipsum Caesarum exortum, nisi forte jam antea, ademptum. Siciliae numi Augusti aevum non excedunt. Quare inquirendum potius, cur non permissum fuerit Europae in occasum vergentis provinciis quod datum fuit reliquis ultra Adriaticum et Ionium, in orientem positis, quarum moneta ultra Gallienum porrigitur, et mirandum potius, tam diu licuisse Hispaniae, quod aliis multo maturius fuit ademptum, aut concessum nunquam. Verum hanc disquisitionem in alium locum differimus.

III. De metallo in numis Hispaniae.

Aureus hujus regionis numus hactenus repertus non est, etsi ex Strabone c) aliisque satis constet, Hispaniam non minus auro, quam aliis metallis abundasse. Quare ex ipso hoc monetae aureae defectu certi esse possumus, eam in Hispania in usu non fuisse. Quin idem etiam non obscure ex Livii verbis colligimus. Nam cum summam praedae, quam expugnata a Scipione Carthago Nova intulit, enumeraret, argentum quidem factum signatumque, at factum tantum aurum enarrat d).

Argenteae monetae usum, ut apud plerasque gentes alias, sic et apud Hispanos fuisse vetustissimum, docent numi, quos supra capite I. recitavi, Hispana lingua omnes inscripti, et quos propter hanc ipsam causam in Hispaniae antiquissimis habendos dixi. Quibus in urbibus numi hi argentei Hispane loquentes cusi sint, cum ejus linguae idoneum interpretem nacti nondum simus, incompertum. Habemus tamen argenteum Phoenicium Gadibus signatum, tum et complures Graecos, Emporitanos et Rhodenses. Saguntinum possedit Florezius e). Neque etiam constat, quo tempore argentum in Hispania flari feriri desiverit. Istud certum, inde a Caesarum aetate antiquato pecuniae argenteae usu aes malleo subjectum. Quare Florezio res insolens visi numi duo argentei coloniarum Carthaginis Novae et Ilici aevi Augustei, quin tamen propterea adfirmare auderet, jus monetarium Hispaniae coloniis hac adhuc aetate in argentum permissum f).

b) Num. colon. sub Agrippa. c) L. III. d) L. XXVI. c. 47. e) Tom. III. p. 116. f) l. c.

IV. De argento Oscensi et Bigato.

Livius, auctor gravis, inter spolia variis bellis ab Hispanis extorta quater *argentum Oscense Bigatum* memorat. En testimonia ipsa:

M. Helvius ex Hispania ulteriore ovans urbem ingressus *argenti infecti tulit in aerarium quatuordecim millia pondo, septingenta triginta duo, et SIGNATI BIGATORVM septemdecim millia viginti tria, et OSCENSIS ARGENTI centum viginti millia quadringentos triginta octo.* Factum istud anno V. C. 559 [g]).

Q. Minucius ex Hispania ulteriore triumphans *tulit argenti pondo triginta quatuor millia octingenta, BIGATORVM septuaginta octo millia, et OSCENSIS ARGENTI ducenta septuaginta octo millia.* Factum istud eodem anno [h]).

M. Porcius Cato ex Hispania citeriore triumphans *tulit argenti infecti viginti quinque millia pondo, BIGATI centum viginti tria millia, OSCENSIS quingenta quadraginta.* Factum istud V. C. 560 [i]).

Q. Fulvius Flaccus ex Hispania citeriore redux *tulit in triumpho SIGNATI OSCENSIS NVMVM centum septuaginta tria millia ducentos.* Factum istud V. C. 574 [k]).

Ex his ergo Livii oraculis certum est, argentum *Oscense* et *Bigatum* veram fuisse monetam; nam huic tantum vocabula *signatum* et *numus* competunt. Agemus primum de numis Oscensibus.

Quos Livius numos nomine argenti Oscensis intellexerit, non una fuit antiquariorum mens, quos inter illi magnopere falluntur, qui Oscense argentum dixerunt denarios illos, qui propositi exstant inter numos Domitii Calvini, et Lentuli Spintheris, inscripti OSCA, quos dabimus in numis familiarum. Certum est enim teste Florezio [l]), raros esse hos denarios, ac praecipue in Hispania, summam autem corrasae vel ad solos hos quatuor triumphos monetae Oscensis, ut vidimus, tam enormem, ut necesse esset fuisse signatos ingente copia, atque adeo majore numero etiam hodie reperiri; quod vero sententiam hanc penitus affligit, est, quod pauci illi, qui hodie supersunt, Domitii et Lentuli denarii multis post quatuor hos triumphos annis signati sunt, ut suo loco docebitur. At multo est verisimilior sententia eorum, qui nomine Oscensis intelligunt veteres illos numos argenteos Hispane inscriptos, de quibus capite I. egimus, signatos olim tanta copia, ut vel hodie musea omnia iis abundent. Et vero refert Vincentius Lastanosa in Museo suo pag. 17. et 61., anno saeculi elapsi XXX. magnam similium numorum vim erutam esse.

Quae autem fuerit causa, cur Oscensis ea pecunia nominaretur, magis adhuc incertum. Florezius copiose refutat eos, qui credidere, eam sic vocatam propterea, quod Oscae tantum, celebri Tarraconensis urbe, signari sint soliti, et cujus ipsius urbis numos non paucos habemus superstites, et in qua certum est etiam cu-

g) L. XXXIV. c. 10. h) l. c. i) L. XXXIV. c. 46. k) L. XL. c. 43. l) Tom. II. p. 520.

sos denarios Lentuli et Domitii supra memoratos. Quae quidem opinio nullam habet veri speciem propterea, quod variantes typi et epigraphes literae varias etiam urbes videntur indicare. Quam tamen ego multo magis sequi malim prae altera Florezii, conjicientis, dictam forte Oscensem a Livio causa adfinitatis, nimirum quod literae Hispanis his numis inscriptae videantur similes literis illis, quae exstant in monumentis Oscorum Campaniae [m]). Praeterquam enim quod neminem futurum existimem, qui non continuo profiteatur, conjecturae huic ne minimum quidem inesse probabilitatis, hoc illa uno jam evertitur, quod tum Livius dicturus non fuisset argentum *Oscense,* sed *Oscum.* Forte a vero non aberravero, si existimem, monetam hanc communi nomine dictam fuisse Oscensem, quod forte primi fuere Oscenses, qui hac forma, et hoc pondere argentum signaverunt, aliis deinde Hispaniae urbibus eandem in pecunia sua legem sequentibus, ut nos florenos aureos dicimus, non quod Florentiae signati sunt, sed quod praeivere Florentini.

Bigati altera praedae Hispaniensis portio, et ipsi certa Hispanorum moneta, et secundum tot Livii testimonia ab Oscensi distincta. Dictam bigatam a bigarum typo, dubitari nequit. At quaeri potest, fueritne moneta domestica, an peregrina. Fuisse domesticam, id est: ab Hispanis ipsis signatam, post alios credidit Mahudelius [n]), sed quae sententia propter binas causas ferri nequit, primum quod ex tot numis argenteis residuis, quos per certa indicia Hispanienses novimus, nullus hactenus compertus sit cum bigarum nota. Deinde quod bigatos Livius in praeda Hispana numeravit, qua sola illi ratione nixi domesticam monetam putant, eorum sententiam non juvat propterea, quod idem Livius, quibus locis praedam ex Gallia Cisalpina captam enumerat, numorum quoque bigatorum summam prodit [o]). Vnde sequeretur, Gallos quoque Cisalpinos propriam habuisse monetam, de qua quidem hactenus nihil nobis constat, et eam, perinde atque Hispaniensem, bigis insignem fuisse. Melius igitur alii nomine bigatorum intelligunt denarios Romanos, quorum vetustiores magnam partem bigis notati fuere. Cum Romani inde a temporibus Hannibalicis magnos in Hispania exercitus alerent, necesse fuit, magnam denariorum vim in stipendia, aliosque belli usus inferri, eosque deinde populorum commerciis per universam Hispaniam differri. Praeclare istud iterum confirmat Livius, cum in summa praedae, quam Lentulus ex Hispania citeriore ovans prae se tulit, nulla argenti Oscensis vel bigati mentione, refert tantum *argenti signati DENARIOS triginta quatuor millia etc.* nimirum quos alio loco bigatos, hoc denarios dixit, quod perinde utique habendum, utroque nomine monetae Romanae proprio, tametsi absurdum non sit opinari, Livium denariorum nomine etiam numos Oscenses intellexisse, quanquam minus proprie, quia, ut capite I. diximus,

m) l. c. p. 522. n) Diss. sur les monn. d'Esp. p. 41. o) L. XXX. c. 23. et L. XXXVI. c. 40.

utrique fuerunt argentei, utrique ejusdem ponderis, et constat etiam, propter easdem causas etiam Graecorum drachmas nonnunquam dictas denarios.

V. *De epigraphe.*

Ad linguam, qua Hispaniae numi inscribuntur, quod attinet, habemus binas domesticas, tres adventitias. Domesticae sunt, quanquam et hae forte adventitiae dici possint, sed a remotissimi aevi colonis invectae, *Celtiberica* et *Turdetana;* adventitiae: *Phoenicia, Graeca, Latina.* A domesticis ordiamur.

Celtibericae et *Turdetanae* discrimen repererunt eruditi ex numis veteribus, nimirum quod literae, quas in his objiciunt populi in Celtiberia, et majore parte Hispaniae Tarraconensis habitantes, longe differunt ab iis, quibus in moneta sua usi sunt Turdetani et Baeticae urbes. Vtriusque linguae naturam pridem magna contentione explicare sunt adorti eruditi Hispani, quorum postremus, quod norim, in arenam progressus est Ludovicus Josephus Velasquez edito opere, quod inscribitur: *Ensayo sobre los alphabetos de las letras desconocidas, que se encuentran en las mas antiguas medallas y monumentos de España. En Madrid* 1752. *in* 4*to.* Quo in tentamine, postea quam longum dedisset majorum suorum catalogum, qui hanc causam scriptis suis illustravere, literas cum in numis, tum aliis monumentis patriis repertas instituit comparare cum alphabetis vetustissimis Graecorum, Etruscorum, Latinorum, Gothorum, Runorum, Samaritanorum, Phoenicum, et eum denique legit industriae suae fructum, ut auderet non modo proponere alphabeta utriusque linguae Celtibericae et Turdetanae, sed etiam interpretari copiosa vocabula monumentis utriusque linguae charactere inscripta. Quo de opere quale meum sit judicium, sic habeto. Ego, ut lubenter, et, quod bonum virum decet, grato animo accipio, quidquid alter solide, graviter, et ex certis causis dictavit, sic, ut temere arripiam, quidquid contra cecidisse intelligo, nulla me patiar auctoritate permoveri. Enimvero quisquis libero a praejudiciis animo opus istud pervolverit, facile mecum intelliget, pleraque in eo arbitrarie adfirmari, et in argumentorum solidorum locum succedere conjecturas, quas levissimus halitus ferat agatque. Exemplo esto lapis literis Celtibericis inscriptus, quas sic reddi posse existimat vir eruditus: (ὑπερ) *NEON. ΥΔΕΝ. ΥΕΝ. EN. ΔΔΩ. ΔΕΜΕΙΝΑ.* id est: (*super*) *novam silvam pluit; ibi satio pratum* p). Ab uno hoc partu de reliquis arbitretur lector. Atqui si post tot insignium virorum tentamina nihil hactenus probabile prolatum est, fateamur, quod res est, nos a vera utriusque linguae scientia tam distare, quam dudum. Equidem existimo, illustrem Florezium non aliam magis ob causam ab explicandis his numis abstinuisse, quam quod majorum naufragia veritus

p) pag. 127.

maluit fatales hos scopulos evitare, quam cum periculo et provisa jactura adire.

Inter linguas adventitias

Phoenicia antiquissima, a Phoeniciis, qui commercii causa huc commeabant, deinde Carthaginiensibus illata. Ejus alphabetum *Bastulo-phoenicium* vocat Velasquez, quia ejus usus in Baetica maritima valuit, quam inhabitabant Bastuli, et coloniis frequentabant Phoenices. Neque tamen ea lingua ultra litora longius progressa videtur. Ejus reliquias habemus in numis Abderae, Canacae, et Gadium, ut dicetur in dissertatione de numis Phoeniciis Phoeniciae propriae numis subjecta.

Graecam linguam invexerunt coloni Massilia profecti, suntque hac inscripti numi Emporiarum et Rhodae Tarraconensis urbium.

Latinae denique inductae, et reliquas omnes paullatim absorbentis causas quis ignorat? Admissa primum in societatem, quod comprobant numi non pauci bilingues, serius sola locuta est.

VI. De typis.

Habet Hispania, ut quaevis alia regio, in moneta sua certos suos typos, modosque sibi proprios, sic ut vel ab his facile saepe sit, eam ab aliarum regionum numis discernere. Quin et alios modos habent numi Baeticae, alios Tarraconensis. Lusitanicae numi, cum pauci numero sint, et fere tantum a Caesarum temporibus, jam magis alienos, quam nativos suos offerunt.

Baeticae numi perfrequenter sistunt ramos, spicas, pisces, eosque raro singulos, sed plerumque geminos, et quidem situ horizontali, sibique parallele dispositos, scripto in horum medio urbis nomine. Est hic character sic monetae Baeticae proprius, ut hoc conspecto dubitari non possit, numum eo insignem esse urbis Baeticae, aut si Tarraconensis, certe ad Baeticae confinia positae. Eodem modo Sphinx fere Baeticam tantum monetam occupavit. Ejus typi causa incerta. Florezius ad Aegyptiorum religionem et mysteria retulit. Frequenter etiam astra solis et lunae, vel solitarium A per Baeticae monetae aream vagantur. Propter certos hos ejus characteres factum, ut Florezius numum inscriptum OSCA non celebriori illi Tarraconensis Oscae, sed ignobiliori Baeticae tribuendum putaret. Generatim etiam moneta Baetica remotioris antiquitatis indicia praefert, quod propter abundantiam, maris viciniam, et appulsus opportunitatem pridem avide ab exteris nationibus frequentabatur; diutius etiam veterem suum modum et nativos typos retinuit, quia serius ea in regione pedem fixere Romani. Contra moneta Tarraconensis pauciores habet typos ex domestico ingenio captos, si demas equitem armatum citato cursu praecipitem, qui est typus potior in numis Bilbilis, Oscae, Saetabi, Segoviae, Toleti. Major pars Romanos typos, ac maturius quidem respexit, quia maturius a Romanis subacta ea Hispaniae pars paullatim mores suos ad victoris populi ingenium finxit. Atque haec de discrimine

numorum utriusque provinciae videbantur praecipienda.

Caput barba quidem opaca, sed plerumque attonsa, capillitio crispo, in aliis barba rasa. Hic typus obvius est in parte numorum adversa, tam certo monetae Hispaniensis charactere, ut, cum Lentulus Spinther et Domitius denarios, de quibus capite IV. egimus, Oscae Tarraconensis urbe feriundos curarent, simile caput barbatum iis imprimi vellent. Quorum ea capita effigies referant, incertum; in barbatis Florezius Herculem videt [q]), nisi potius utriusque generis capita heroes indigetes veteris aevi sistant, qui factis illustribus patriam nobilitaverunt, ut censet Mahudelius [r]).

Equi, spicae, oleae rami, uberes et felices horum in Hispania proventus facile indicant, ad quae apposite a Claudiano dicitur [s])

Dives equis, frugum facilis, pretiosa metallis.

* * *

Attingenda etiam symbola, Hispaniae in Romanorum moneta tribui solita:

Cuniculus, in numis Hadriani inscriptis HISPANIA, vel RESTITVTORI. HISPANIAE.

Hoc animalis genere abundasse Hispaniam in suammet perniciem, et ipsis etiam insulis fuisse infestum, docet Strabo [t]), sic ut harum nonnullae missis legatis terram habitandam a Romanis postularent, quod negarent, eorum sese incrementis posse resistere. Oppidum a cuniculis in Hispania suffossum narrat Plinius [u]). Lege ejus testimonia alia [x]). Unde et Catullus ad Egnatium scripsit [y]):

Tu praeter omnes une de capillatis
CVNICVLOSAE CELTIBERIAE fili
Egnati, opaca quem facit bonum barba.

* * *

Caput muliebre velatum, prominentibus in fronte, et incultis crinibus, pone scriptum: HISPAN., in denariis gentis Postumiae.

Capillatos a Catullo dici Hispanos, mox vidimus, et de se Martialis, Hispanus ipse [z]):

Hispanis ego contumax capillis.

* * *

Arma etiam huic genti propria. Jacula duo oblonga, et clypeus rotundus exigui voluminis dictus *cetra* Livio [a]). Gladius curtus bifidus in pugionis formam, aliaque, quorum omnium forma videri potest in denariis Pompeji M. et Galbae Aug., universus armorum apparatus et congeries in denariis P. Carisii, quae omnia late explicata habes apud Florezium [b]). Adde Hispanorum vexillum praefixo apro, de quo agetur in numis Cluniae Tarraconensis.

q) Tom. II. p. 519. r) Diss. sur les monn. d'Esp. p. 44. s) Carm. XXIX. v. 54. t) L. III. p. m. 213. u) L. VIII. § 43. x) Ibid. § 81. et 83. y) Poem. 35. z) L. X. ep. 65. a) L. XXI. c. 27. b) ad numm. Tabulae I.

VII. De fabrica et forma.

Fabrica, ut in regione, quae olim Gratiis et elegantiae nunquam litavit, Hispaniensem monetam nunquam cohonestavit. Ars in numis ejus gentis etiam optimis mediocritatem nunquam excedit, demptis Emporitanis et Rhodensibus, quos scires a Graecis, quod erant, elaboratos, sed et hi serius tracto a vicinis contagio in turpem barbariem degeneravere. In multis, praecipue vetustioribus Baeticae, opus videas humanitati prorsus inimicum, ac plane barbarum.

Forma in argenteis tertiam magnitudinem non superat. Aenei omnis sunt moduli, etiam nonnunquam maximi.

VIII. De eruditorum operibus Hispaniensem monetam illustrantibus.

Abundantibus rei monetariae veteris in Hispania copiis, non defuere viri ejus regionis eruditione praestantes, quibus operae pretium fore visum, si justis eam commentariis illustrarent. Non hic memorabo vetustiores illos, quorum opera in hac rei numismaticae luce jam fere fastidiuntur, quorumque catalogum dedit Bandurius in sua *Bibliotheca numaria*, ac multo ampliorem Ludovicus Velasquez initio operis, cujus supra capite V. amplam mentionem feci. Horum plerique explicandis tantum numis iis, qui Hispanam epigraphen offerunt, sunt immorati. Varias monetae hujus partes, cum occasio tulit, explicavit Antonius Augustinus archiepiscopus Tarraconensis in eximiis suis, omnibusque, qui arti nostrae dant operam, abunde cognitis dialogis. Numos coloniarum, municipiorumque Hispaniae, qui Caesarum effigies offerunt, proposuit explicavitque Joannes Vaillantius in suo de coloniis opere, tum et Sigebertus Havercampus in suis ad Andreae Morellii Thesaurum numorum imperatorum commentariis.

Verum omnium superiorum laudes, qui in hoc argumento versati sunt, longe superavit Henricus Florezius Hispanus Ord. S. Aug. vulgato opere: *Medallas de las colonias, municipios y pueblos antiguos de España. En Madrid* 1757. *in* 4*to.* Constabat primum partibus II. Verum cum opere jam perfecto auctori ob oculos venisset justum agmen numorum hujus argumenti nondum cognitorum, lecta haec supplementa in partem III. conjecit, editque anno 1773. additis praeterea regum Gothorum Hispaniae olim imperantium numis. Omnem hanc monetae patriae copiam tabulis aeneis omnino LXVII. scite et adcurate incisam repraesentavit, non comprehensis hoc numero numis Gothicis. Numos in opus suum non recepit, nisi quos vidit ipse, aut a viris fide dignis editos reperit, jure adeo fastiditis omnibus iis, qui unum Goltzium praeconem nacti sunt, magno certe nostro legentium beneficio, cum ab aliis scriptoribus passim Goltziana figmenta cum veris, ac ingenuis permixta videas nullo addito indicio, quo caveremus. Commentarios praecedunt prolegomena ampla varia ac mul-

tiplici eruditione referta, tanquam faces doctrinam, quae sequitur, illustrantes. In ipsis commentariis nihil est, quod amplius desideres, sive doctrinam, sive adcurationem, sive in explicando sagacitatem, sive etiam, quae maxima laus est, modestiam spectes. Neque vero etiam in postremis beneficiis putandum, quod Vaillantii, Morellii, aliorumque errata, quorum incredibilis est numerus, notavit, numosque ab iis mendose editos ad veterem fidem restituit, sic ut jam nullo offensionis metu per numismaticam Hispaniae arenam liceat decurrere. Sane quoties praeclarum istud opus pervolveram, toties apud animum coepi precari, tali ingenio ac doctrina regionibus singulis, quae opibus numismaticis abundant, obtingeret monetae patriae praeco, quod unum foret ac certissimum remedium, sanandi morbos omnes, qui artem numismaticam vexant.

Atque his cognitis nemo erit, qui non continuo intelligat, virum his subsidiis instructum, cui praeterea omnia patriae suae musea patuere, qui ex vicino de urbium veterum situ, locis iis, in quibus certi generis numi frequentius reperiuntur, aliisque causis ad numorum scientiam pertinentibus unus omnium rectissime potuit judicare, parum jam posteris, ac cumprimis exteris nobis reliquum fecisse, quod aut sibi indictum esset, aut melius dici posset. Quod quidem praefandum necessario in hac mea numorum Hispaniensium doctrina duxi, ne abs me aut nova, aut aliter dicta expectet lector; paucissima sunt, quae post vulgatas Florezii opes addere licuit, paucissima, in quibus non mihi cum viro eruditissimo conveniat, hoc uno contentus, ut quae is laxius disputavit, pro instituti proposito contraherem.

Vrbium numos Florezius ordine omnes alphabetico proposuit, quem ego ordinem sic mutandum duxi, ut pro instituta a Romanis Hispaniae divisione primum numos Hispaniae Lusitanicae, deinde Baeticae, denique Tarraconensis commemorarem.

NVMI HISPANORVM
IN GENERE.

Florezius tabula I. operis sui numos commatis Romani, qui Hispaniae mentionem faciunt, proposuit explicavitque, sed quos nos pro instituto in alteram operis nostri partem differimus. Ex eo tamen numero binos excerpimus.

* * *

Caput Palladis, supra quod caput arietis, in area P. In alio: *Caput virile nudum.*)(HISPANORVM. *Eques hastatus citato cursu.* Æ. II., (Vterque numus est in museo Caes., item in Parutae Sicil. tab. 162.)

Caput Palladis.)(HISPANORVM. *Equus liber currens.* Æ. II. (Paruta l. c.)

Numi hi spectata fabrica, tum et typis Hispaniam patriam facile profitentur, etsi non constet, qua in urbe, qua aetate, quove consilio signati sint. Interim mirum, eorum nullum exemplum in manus navi Florezii venisse, qui eos ex Parutae opere citavit. Atque haec quidem potior causa fuerit, cur eos non in Hispania cusos, sed ab Hispanis Sicilia olim potitis videatur conjicere, sed quod judicium propter multas causas, quas commemorare longum foret, non facile quis probaverit.

Horum similem unum, sed aevi injuria septem primoribus literis multatum in museo Hunteriano Cymes Aeolidis numis perperam illatum video. (Tab. 22. n. 18.)

HISPANIA LVSITANICA.

EBORA.

Vetus nomen retinet. Plinio oppidum veteris Latii, et certum municipium secundum inscriptiones a Florezio citatas.

* * *

PERMISSV. CAESARIS. AVGVSTI. P. M. *vel parcius. Caput Augusti.*)(LIBERAL. IVLIAE. vel: LIBERALITATIS. IVLIAE. EBOR. *intra lauream.* In alio: *Instrumenta pontificalia.* Æ. I. II.

Plinius: (L. IV. p. 229.) *Ebora, quod item LIBERALITAS IVLIA,* incertum, qua de causa sic dicta a Julio Caesare, ut plures aliae ejus tractus, nomine a quopiam Caesaris elogio tracto. De *Caesaris permissu* cudendae monetae, quem non paucae Hispaniae urbes monetae inscripsere, agetur in tractatu de Coloniis.

* * *

Autonomus cum capite Cereris et tauro, quem Florezius principio Eboram retulit [c]), est *Borae* incertae, ut ipse serius docuit [d]).

Æ. RRR.

c) pag. 642. d) Tom. III. p. 17.

EMERITA.

Vrbs princeps Lusitanicae constituta ab Augusto, deducta colonia militum *Emeritorum*, unde urbi nomen, ut dicetur. Hodie vulgo *Merida.*

Augustae gentis caput numi singuli offerunt, Augusti seu vivi, seu mortui, Juliae, Tiberii, quorum singulares aliqui mox describentur. *Permissum Augusti* numi copiosi jactant.

Epigraphe: AVGVSTA. EMERITA. praefixo nonnunquam COL. vel etiam tantum: C. A. E. id est: *Colonia Augusta Emerita*, in uno: EM. AVG.

AETERNITATI. AVGVSTAE. *Templum*, in numis Tiberii.

PROVIDENT. *Ara ignita*, in numis D. Augusti.

Divinos honores Augusto post mortem ab Emeritensibus decretos, eumque templis ac aris cultum, hi numi testantur. Neque istud mirum, cum eosdem honores adhuc vivo delatos in Tarraconis numis simus visuri. Fuisse *aeternitatem* solis diis tributam, in Trajani numis Romanis copiose docebitur. Aversa alterius numi capta est ex numis obviis aeneis ejusdem Augusti.

* * *

SALVS. AVGVSTA. PERM. AVGVSTI. *Caput muliebre.*)(IVLIA AVGVSTA. C. A. E. *Julia sedens d. spicas, s. hastam.*

De hoc numo Liviae, subinde ex Augusti testamento Juliae, tum et de numis aliis similis argumenti agemus copiose in moneta Romana ejusdem Augustae. Hoc loco tantum observamus, Hispaniam ulteriorem, in qua sita Emerita, missis legatis orasse, ut exemplo Asiae delubrum Tiberio matrique ejus extrueret, sed quod negatum e). Cum non permitteretur delubrum, permissum sibi tamen putabant Emeritenses, Juliae Cereris specie divinos honores largiri.

* * *

LE. V. X. *Aquila legionaria inter duo signa militaria*, in numis Augusti.

De Emerita nostra Dio f): *Παυσαμενου δε του πολεμου τουτου, ὁ Αὐγουςος τους μεν ἀφηλικεςερους των ςρατιωτων ἀφηκε, και πολιν αὐτοις ἐν Λυσιτανιᾳ, την ΑΥΓΟΥΣΤΑΝ ΗΜΕΡΙΤΑΝ καλουμενην, κτισαι ἐδωκε. Finito hoc bello* (Asturico et Cantabrico) *Augustus emeritos milites dimisit, urbemque eis in Lusitania, nomine AVGVSTAM EMERITAM, condendam dedit.* Ex qua legione fuerint hi emeriti, scriptorum nemo prodidit, sed fuisse ex LE*gione* V. et X., praeclari hi numi testantur. Eaedem legiones occurrunt etiam in numis Cordubae, sive Patriciae Baeticae.

* * *

Epigraphe solita. *Persona adversa Panos barbata, auribus acutis.* In alio: *Persona adversa juvenilis.*)(*Aversa argumento solito.*

Ad explicandos insolentes hos typos mirum non est a Florezio nonnisi conjecturas adferri, et forte Panos caput numo illatum, quia teste Sosthene apud Plutarchum g) Bacchus victae a se Iberiae Pana comitem praefecit, a quo omnis regio dicta *Pania*, serius in *Spaniam* detorta.

e) Tacit. Ann. IV. 37. f) L. LIII. § 26. g) de Fluminib. in Nilo.

Lege porro conjecturas ejus alias. Neque minus in personae juvenilis explicatu adhaeret, quem, quia certi quid nihil praestat, lubens praetermitto.

* * *

Typi reliqui:

Porta urbis, cui plerumque inscriptum: AVGVSTA. EMERITA.

Sacerdos arans, obvius coloniarum, etiam Hispaniae, typus, quem explicamus in tractatu de coloniis.

* * *

In numis Emeritae tam aeneis, quam argenteis denariorum pondere saepe memoratur *P. Carisius legatus Augusti pro praetore*, sed quos placuit recensere partim in numis gentis Carisiae, partim in numis Augusti ad annum V. C. 732.

Æ. C.

NORBA.

Numos, quos auctores varii huic Lusitanicae oppido tribuerunt, vide descriptos in moneta Carthaginis Novae provinciae Tarraconensis.

OSONOBA.

Sita versus Anae ostia. Florezius huc refert autonomum: OS - - - BA. *Piscis.*)(*Navigium cum velo*, qui typi maritimam urbem arguunt. (Tom. III. p. 111.)

Æ. *unicus.*

PAX IVLIA.

Colonia sita eo loco, ubi nunc est *Beya* judice Florezio.

Caput Augusti.)(PAX. IVL. *Mulier sedens d. caduceum, s. cornucopiae.*

Pax sedens ad urbis nomen haud dubie adludit. Primus Florezius coloniae hujus numos protulit.

Æ. *unici.*

SALACIA.

Vrbi huic positae eo loco, ubi nunc est *Alcacer do Sal,* Florezius non inique conjicit tribui posse numum: (Tom. III. tab. LXVII. 3.)

Caput virile barbatum.)(IMP. SAL. *Duo pisces.*

Causa hujus judicii fuit, quod Plinio in hoc tractu memoratur *Salacia cognominata urbs Imperatoria.*

Æ. *unicus.*

HISPANIA BAETICA.

ABDERA.

Maritima, hodie *Adra.*

* * *

Autonomi hujus urbis exstant Phoenicio charactere inscripti, editique a Cel. Bayerio [h]), sed de quibus agam in tractatu de numis Phoeniciis monetae Phoeniciorum subjecto.

* * *

Imperatorii cum solo Tiberii capite.

Caput et epigraphe Tiberii.)(ABDERA. *Templum, in cujus intercolumnio duo pisces.* In alio: (Florez. T. III. tab. 59.) *Templum* 6. *col., in area* D. D. *id est: Decreto Decurionum.*

Templum in his numis expressum

h) del Alfab. de los Fenices.

Florezius causa piscium existimat sacrum fuisse Neptuno, quos verisimile est esse thynnos, quorum piscatus in hoc littore quaestuosus fuit. Addit, pisces in templo instar victimae constitui, citatque Athenaeum, quo teste piscatores, cum thynnorum captura prospere cessit, horum unum mactare Neptuno consuevere [i]).

Fuisse Abderam coloniam, nemo veterum prodidit. Quare Havercampum objurgat Florezius, quod eam coloniam nullo auctore dixit [k]). Tamen coloniam fuisse vel municipium, arguit adstitutum numo alteri D. D., ad quod reflexisse animum non videtur Florezius, cum numum hunc serius vulgaret.

Æ. RR.

ACINIPO.

Nunc *Ronda la Vieja*, a mari remotior.

Autonomi ejus numi omnes.

Epigraphe: ACINIPO.

Typi: Botrus, spicae jacentes parallelo situ, folium fici arboris.

Magistratus Aedilis: L. FOLCE. AEDILE.

Æ. RR.

ANTICARIA.

Hodie *Antequera*.

Florezius huc refert numum: *Caput virile nudum, pone clava.*)(VANTIK. *Leo gradiens.* (Tom. II. p. 633.) Judicium oppido suspectum. Praeterquam enim, quod praefixum urbis nomini V non parum obturbat, etsi elementum istud putat esse residuum contracti vocabuli MVN. ex numo exclusi, typi utriusque partis, epigraphes ratio, et universus modus plane persuadent, numum esse reguli Galatici, quales non paucos dabimus in horum regum moneta, quos, si convinci velis, confer.

ARIA.

Huic tribuit Florezius [l]) numos varios inscriptos ARIA. CNARIA. CVNBARIA., quin auctori vel de nomine hujus urbis, vel situ, vel de modo, quo vocabula haec varie scripta legenda sint, satis constet, neque hercle operae pretium videtur abstulisse numorum explicationi immorando, quos praestabat in classem incertorum redigere.

Typi, et omnis reliqua ratio numos hos esse Hispanienses, dubitare non sinunt, *caput virile nudum, eques hastatus, pisces, spica.*

S, semissis nota, comparet in numis inscriptis CVNBARIA. et saepius in hujus tractus moneta comparitura.

Æ. RRR.

ARVA.

Haec quoque situs non satis certi.

Autonomi tantum exstant.

Caput juvenile nudum)(ARVA. *Eques hastatus.* Non multum absimilem alium dedit Florezius Tomo III.

Ab hoc non magnopere abludit numus inscriptus ARIA, quem dedit Florezius [m]), et de quo mox egimus.

* * *

S. RVF. *Caput virile nudum pictura barbara.*)(M. ARVEN. *Eques hastatus citato cursu.* (Florez. Tom. III.)

Fuisse Arvam municipium, jam constabat ex marmore Gruteri, in quo legitur

---

i) L. VII. c. 17. k) Morelli Impp. T. I. p. 603. l) Tom. I. et III. m) Tom. III. tab. 59.

ORDO. MVNICIPII. FLAVII. ARVENSIS.[n]), quod nunc hoc quoque numo comprobatur. Nominibus S. RVF., quae scripta sunt in parte antica, putat Florezius indicari *Sergium* RVF*inum*, cujus meminit idem marmor Arvense: AEMILIA. LVCIA. MATER. ET. SERGIVS. RVFINVS. FRATER. EIVS. in quo mihi cum viro erudito difficulter convenit. Ipse fatetur, numum esse aetatis remotae, et Caesarum tempora antecedere, verum tota ejus epigrammatis ratio multo posteriorem aetatem sapit, quod multo magis verum erit, si municipium Arvense dictum est FLAVIVM a Vespasianis. Accedit, nomen RVF. inter Romanos late patuisse, ac denique S solitarie positum et in praenominis loco, fere constanter significasse *Sextum*, et nonnisi violenter ad notandum *Sergium* cogi posse.

Æ. RRR.

ASIDO.

Florezio hodie *Xerez de la Frontera*. In coloniis numerat Plinius, sed numi coloniae nihil habent.

Autonomi omnes.

ASIDO. *Caput virile vario cultu.*)(*Epigraphe Hispaniensis. Bos currens, superne astra solis et lunae.*

Sunt hujus generis numi omnos fabricae barbarae, indicio longae vetustatis. Florezii dictata, bovem, solem et lunam ex Aegyptiorum mythologia repetentis, in meris conjecturis puto.

* * *

ASIDO. *Caput Herculis leonis exuviis tectum, ad cujus collum clava.*)(*Cornucopiae transverso fulmine, intrà lauream.* (Florez. Tom. III.).

Numus est operis multo mansuetioris. Caput Herculis cultu simillimo obvium est in moneta Gadium, ut et aversa tota obvia in numis Valentiae.

Æ. RR.

ASTA.

Caput Turdetanorum.

Autonomi bini Florezio cogniti:

ASTA. *Caput virile nudum.*)(*Epigraphe Hispanica. Sphinx alata.* (Tom. III. tab. 60.)

M. POPILLI. M. F. *Caput Apollinis.*)(P. COL. ASTA. RE. F. *Taurus stans.* (Tom. II. tab. 51.)

Numus prior omnia pervetustae monetae Hispaniensis habet argumenta. Recentior alter Romanorum jugum profitetur tam mentione hominis Romani, quam coloniae. Plinius[o]): *Coloniae: Asta, quae Regia dicitur,* cujus vi testimonii litterae numi RE. legendae RE*gia*. At explicatum difficilem reddunt epigraphes littera prima P. et postrema F., quae forte F*elix* significat.

Æ. RRR.

ASTAPA.

Hodie *Estepa*, a fide versum Carthaginienses, et Romanorum odio cognita[p]).

ASTAPA. *Caput juvenile nudum.*)(*Caput muliebre adversum divergentibus radiis.* (Florez. T. III. p. 16.)

Æ. RRRR.

BAILO.

Nunc *Bolonia*, a veteribus varie scripta, *Bailon*, *Belon*, Stephano Βηλος. Sita

---

n) pag. 476. 1. o) L. III. p. 139. p) Liv. L. XXVIII. 22.

ad ipsum fretum, et inde trajectus in oppositam Tingitanam.

Autonomus.

BAILO. *additis litteris Hispanicis. Spica.*)(*Bos stans, supra quem astra solis et lunae.* (Florez. T. II. p. 635.)

Similem aversae typum habent numi vicinae Asidonis.

Æ. RRRR.

CALLET.

Situs incerti.

Autonomi:

Caput Herculis, vel: *aliud galeatum.*)(CALLET. *inter duas spicas situ parallelo.*

Æ. RRR.

CALPE.

Promontorium notum ad fretum Gaditanum, cui adstitutam urbem cognominem asserunt Strabo aliique pauci. Alii nullam eam fuisse contendunt, quam litem disputat Cellarius. Vrbi suppetias venit Pellerinius proferendo numum, in cujus adversa: *Caput Jovis.*)(CALP. *Miles stans.* (Lettres p. 194.) At hunc et similes alios referendos Panormum Siciliae certum est, et abunde comprobavit Princeps Torremuzza [q]).

Nihilo felicior numus Philippi junioris inscriptus: C. I. CALPE. citatus ex museo Christinae a Spanhemio [r]), Norisio [s]), Harduino. Cujuscunque is numus fidei sit, ad Calpen hanc non pertinet jam solo eo, quod Philippi caput exhibet. Eundem Holstenius Calpis Bithyniae tribuit [t]). Numi imaginem dedit Vaillantius, quae navim cum vectoribus exhibet [u]). A vero non aberravero, si existimem, numum esse coloniae Apameae Bithyniae, in cujus moneta obvia epigraphe: C. I. C. A. APA. pro quo incautior quis facile potuit legere: C. I. CALPE. Nihil ergo ex hoc numo habet praesidii Spanhemius ad confirmandam Strabonis sententiam, fuisse Calpen monti cognomini adsitam.

CANACA.

Ad ostia Anae, uni Ptolemaeo prodita. Ejus numos Phoenicio charactere inscriptos reperit Bayerius, de quibus agam in tractatu de numis Phoeniciis.

CARBVLA.

Baeti adsita prope Cordubam.

Autonomi aliquot proditi a Florezio: (Tom. I. et III.)

Caput juvenile, ante quod serpens.)(CARBVLA. *Globus, ex cujus peripheriae una parte exsurgunt radii concentrici.*

Numi fabricae barbarae, quocirca nequaquam mirum, non satis intelligi, quid sibi velit mirus partis aversae typus, aliis rete, aliis fontem, aliis caput Isidis, vel caput multiplicatis cornubus, Florezio caput solis conjiciente. Lege varias has conjecturas apud auctorem locis citatis.

Æ. RRR.

CARISA.

Hodie *Carixa* prope Hispalim.

Autonomi tantum comperti.

Epigraphe: CARISA, CARISSA, CARISI.

Typi: in antica: *capita variorum nu-*

---

q) Aggiunt. IV. p. 231. r) de Praes. T. II. p. 600. s) Cenot. Pis. diss. II. c. 14.
t) Not. ad Steph. p. 156. u) Colon. sub Philipp. jun.

minum, in aversa: constanter *eques galeatus s. clypeum tenens.*

Æ. RR.

CARMO.

Vetere nunc nomine in *Carmona*, et situ.

Autonomi tantum. *Epigraphe*: CARMO.

Typi: in adversa: *capita variorum numinum*, in aversa: *duae spicae horizontali et parallelo situ.* Atque omnes hactenus cogniti ejusdem sunt rationis. Ab his differt, quem olim edidi: (Catal. mus. Caes. T. I. p. 2.)

Caput Jovis.)(CARMO. *Equus gradiens, infra quem* IA.

Numus hic elegantioris, quam pro vetere illa Hispaniensi moneta, fabricae, posteriora, et artibus magis amica tempora sapit.

Æ. RR.

CARTEIA.

Ad fretum Gaditanum et Calpen montem, quam aliqui cum hodierno Gibraltar eandem faciunt, alii cum vetere Tartesso. Vide infra in Tartesso. Vrbis olim celebris rudera videntur prope hodiernum *Rocadillo.* Colonia V. C. 583. a senatu constituta, quatuor millibus eorum, qui a militibus Rom. et mulieribus Hispanis prognati erant, petentibus, ut agri sibi adsignarentur, quibus concessa Carteia cum agro vicino [x]).

Autonomi omnes. Vnum cum capite J. Caesaris vulgavit Haymius [y]), verum an illi habenda fides, dubitat Florezius [z]). Dubium confirmat Carterus Anglus, qui numum vidit et examinavit [a]). Eo subinde in museum Hunterianum translato adfirmat Cl. Combius, nequaquam Caesaris in eo caput proponi, sed muliebre turritum in hujus coloniae numis obvium [b]).

Numos Carteiae magno numero vulgavit Florezius non modo Tomo I., sed et II. [c]) et III.

Epigraphe. CAR. KAR. CART. CARTEIA. Coloniae vocabulum in nullo additur.

Typi variant. In antica *caput muliebre turritum*, nempe genius urbis, *caput Jovis*, nisi praestet Neptuni dicere, et alia ignota. In aversa plerumque maritima: *Neptunus stans*, *delphinus*, *puer alatus* (Neptuni genium puto) *in delphino equitans*, *piscator sedens in littore captum hamo piscem virga attrahit*, *navis gubernaculum. Clava*, indicium cultus Herculei, et jure istud merito, nam Hercules hoc loco clavae impulsu Calpen discidit. Carteiam vero ab hoc heroe nomen abstulisse, quia quod Graecis *Heraclea*, id Phoeniciis *Melcarthia*, unde per aphaeresin enatum *Carteia*, per me, qui volet, credat Bocharto istud more suo adserenti [d]).

* * *

Magistratus.

IIIIviri Carteiae principem locum tenuere, saepe in ejus moneta memorati, addito saepe horum unius vel duorum nomine. Illustriores sunt:

C. VIBIVS. IIIIVIR. IT. C. MINI. IIIIVIR. IV. id est: *IIIIvir iterum*,

---

x) Liv. L. XLIII. c. 3. y) Thes. Brit. T. I. p. m. 241. z) T. I. p. 313.
a) Iter Gibraltar. b) Mus. Hunter. c) in Addend. Tab. LII. d) in Canaan. L. I. c. 34.

IIIvir quartum. Adhaeret Florezius, utrum in numo suo legendum sit IT., an II.; verum in simili musei Caesarei manifestum est IT.

Q. PEDECAI. CARTEIA. Est is *Q. Pedecaius* quispiam coloniae IIIIvir, aut forte certus quaestor provinciae, nam eundem videtur quoque memorare numus Vrsonis ejusdem Baeticae, quam vide. Ipsas litteras male discrevit Haymius legendo Q*uintio* PEDE. *Colonia* A*ugusta* I*ulia* CARTEIA[e]).

M. FALCIDIVS. IIIIVIR. EX. S. C. Hanc formulam explicamus in tractatu de coloniis cap. VI.

GERMANICO. ET. DRVSO. CAESARIBVS. IIIIVIR. Insignis numus, qui Germanicum et Drusum Tiberii filios, illum adoptione, hunc natura, IIIIviratu apud Carteiam honoris ergo functos docet. De Caesarum per colonias magistratu agimus in citato tractatu.

* * *

Aediles non rari in his numis exempli. Sic:

AED. CN. AMI. L. ARG. vel: C. VIB. AID. scripto ἀρχαϊκῶς AID. pro AED.

Quo pacto jam IIIIviri, jam aediles Carteiae numis illati sint, dicetur in eodem tractatu.

* * *

Decuriones expressi siglis D. D. id est: D*ecreto* D*ecurionum*, formula obvia in coloniarum moneta.

* * *

S semissis nota secundum Romanorum morem, haec quoque in Carteiae numis obvia.

Æ. C.

CAVRA.

Nunc *Coria* Baeti adsita.

Autonomi: *Caput Martis.*)(CAVRA. *Piscis, in area* A.

Æ. RRR.

CELTI.

Hodie *Puebla de los infantes* in Septentrionem.

Autonomi apud Florezium: (Tom. I. et III.)

Caput Martis.)(CELTITAN. *Taurus*, in alio: *Aper hastae ferro insistens.*

Qua inscriptione Florezius notari putat CELTITAN*um municipium.*

Æ. RRR.

CORDVBA, quae et PATRICIA.

Vetus suum nomen in *Corduba* retinet abjecto adventitio *Patriciae.* Utroque nomine exstant numi non pauci.

* * *

Nomine CORDVBAE.

Autonomi omnes.

CN. IVLI. L. F. Q. *Caput Veneris*)(CORDVBA. *Cupido stans d. facem. s. cornucopiae, in area tres globuli.*

Sunt hi numi fabricae delicatioris, quam pro solita fabrica Hispanica. Typus Veneris et Cupidinis sine dubio ad gentem Juliam, ex quo horum numorum Cneus fuit, refertur. Tres globuli, totidem unciarum indicium, Romanam monetam imitantur. Hae igitur omnes causae cum non monetam indigenarum, sed ab Romanis imperatam arguant, verisi-

e) Thes. Brit. T. I. p. m. 244.

mile admodum est, adnexum Cn. Julio Q non Quinquennalem, ut in aliis Hispaniae numis, sed quaestorem provinciae significare, et ab hoc adeo quaestore Cn. Julio in militum stipendium Cordubae hos esse signatos numos illata iis Venere generis auctore. In denariis L. Julii, cujus forte filius fuit hic Cn. Julius, sistitur Venus in bigis duorum Cupidinum.

* * *

Magistratus Quaestor.

Vnciarum notae, ut dictum.

Æ. RR.

Nomine PATRICIAE.

De Corduba Strabo [f]): *Maxime autem gloria ac potentia crevit Corduba Marcelli opus - - - ob agri bonitatem ac amplitudinem, magnam quoque partem Baeti fluvio conferente, inhabitaruntque eam ab initio delecti Romanorum et indigenarum viri,* (*Ρωμαιων τε και των ἐπιχωριων ἐπιλεκτοι ἀνδρες*) *primamque eo istis in regionibus coloniam Romani deduxerunt.* Atque propter hos Romanorum viros illustres arguunt eruditi, Cordubae *Patriciae* cognomen inditum. Plinius [g]): *Colonia Corduba Patriciae cognomine.*

Coloniae nomen numi ejus omnes praeferunt, suntque ii omnes

Imperatorii, sed cum unius Augusti adhuc vivi imagine scripto juxta: PERMISSV. CAESARIS. AVGVSTI. vel plene, vel parcius.

Epigraphe: COLONIA. PATRICIA scriptum saepe intra coronam quernam, indicio servatorum ab Augusto civium, obvio in Augusti numis commatis Romani. Etiam contractius: COL. PATRIC. aut similiter. Cordubae nomen in his numis nunquam additur, etsi in marmoribus non raro utrumque conjungatur, quin et multo serius in numis Gothorum Hispaniae regum, scripto: CORDOBA. PATRICIA. Vide apud Florezium numos regum Chindasvinti, et Recesvinti [h]).

* * *

LE. V. X. *Aquila legionaria inter duo signa militaria.*

Eaedem legiones V. et X. et idem typus comparent in numis Emeritae, quos vide, X. etiam in numis Caesaraugustae.

* * *

Instrumenta pontificalia, non infrequens in his numis typus, in honorem pontificatus maximi ab Augusto sero demum suscepti.

Æ. R.

GADES.

Hodie *Cadix* in parva insula ultra fretum ejusdem nominis, urbs olim opibus et re maritima celebris. Fundatam a Phoeniciis commercii causa huc advectis, in hac ejus fama comprobare non attinet.

In recensenda urbis hujus moneta spectabimus I. Gades liberas, II. Gades municipium.

* * *

I. *Gades liberae.*

Nomine monetae Gadium liberarum intelligo eam, quae sive inscriptione, sive typis nullum cum Romanis nexum profitetur, et quae, suadente fabrica in numis multis rudiore, tum et inscriptione Phoenicia, signata fuit, antequam urbs

---

f) L. III. p. m. 207. g) L. III. p. 138. h) Med. de Españ. T. III. p. 254. seq.

in Romanorum leges iret, aut saltem, quando, etsi jam Romanis obnoxia, suis tamen juribus relicta fuit.

Caput Herculis leonis exuviis tectum, ad cujus collum clava.)(*Epigraphe Phoenicia. Duo pisces, vel unus.*

ODACIS. A. *scriptum juxta caput simile. Reliqua ut in praecedente.* (Mus. Caes. Vide meos num. vett. p. 3.)

Vide nonnullos typos alios apud Florezium[i]), et Bayerium, qui Gadium numos Phoenicio charactere notatos curatius discrevit[k]).

Frequens in Gadium numis Hercules, cum quod in eam usque oram penetravit, tum quod et Tyri magni fuere ejus honores, cujus colonos fuisse Gaditanos constat, unde et Herculis cultum in hanc oram invectum existimat Arrianus[l]). In ejus ibi templo nullum fuisse Herculis simulacrum, testantur Silius Italicus[m]), et Philostratus[n]), sed ejus loco aeternum ignem super ara nutritum. Vide etiam numos aureos Hadriani inscriptos HERC*ules* GADIT*anus*. Quae sit significatio vocabuli ODACIS. A. in citato numo musei Caesarei, et qui ignotus fuit Florezio, nondum reperi.

Epigraphes Phoeniciae, quae urbis vetus nomen *Gadir* sistit, explicationem habes in tractatu de numis Phoeniciis, qui dabitur ad calcem numorum urbium Phoeniciae.

Sunt hi numi aenei omnes, dempto uno insigni argenteo, quem vulgavit Bayerius[o]).

AR. unicus, ut dictum. Æ. C.

* * *

II. *Gades municipium.*

Refert Dio[p]): Julium Caesarem V. C. 705. post eversos in Hispania Pompeji duces Afranium et Petrejum Gades profectum Gaditanos omnes civitate donasse, quod deinde beneficium populus ratum habuit. Coloniam, contra quam aliquibus visum, nunquam fuisse, diserte probat Florezius[q]).

Autonomus insignis apud Florezium.

MVN. *Spica jacens.*)(GADES. *Piscis.*

Numus hic veterem adhuc monetae Hispaniensis modum imitatur, et est unicus, qui totum urbis nomen GADES exprimit. Narrante Festo Avieno[r]) vetustissimo aevo dicta fuit *Cotinussa*, a Tyriis *Tartessus*, a Poenis *Gadir*, quod vocabulum in eorum lingua *septum* significat, atque idem nomen constituit epigraphe Phoenicia in numis prioris classis, ut dicetur in moneta Phoeniciae inscripta, unde natum Latinorum *Gades*.

Inter autonomos referri etiam possunt sequentes:

Caput Herculis leonis exuviis tectum, ad cujus collum clava.)(BALBVS. PONT. *Instrumenta pontificalia.* Æ. m. m.

Eadem adversa.)(*Sine epigraphe. Templum 4. col. intra lauream.* Æ. m. m. (Florez. tab. LIV.)

---

i) Tab. XXVII. et LIV. k) de la lengua de los Fenic. inde a pag. 373. l) de exped. Alex. L. II. c. 16. m) Punic. III. 20. n) Vit. Apollon. L. VI. c. 5. o) L. c. p. 373. p) L. XLI. § 24. q) T. II. p. 431. r) descript. orb. v. 612.

Balborum nomen Gadibus illustre fuit. Horum primus Cornelius Balbus Gaditanus a Pompejo M. civitate donatus ob praestitam in bello Sertoriano operam, eorum, qui extra Italiam nati sunt, primus consul fuit V. C. 714., cujus vitam scripsit Nauzeus [s]). Patruus fuit ejus Cornelii Balbi, qui procos. Africae de victis Garamantis externorum primus triumphavit V. C. 735. Vide de utroque Dionem, Plinium, et denarios gentis Corneliae Balborum. Balbus in hoc numo memoratus haud dubie est horum posterior propter additum PONT*ifex,* nam de hoc ait Vellejus [t]) eum in triumphum et *pontificatum* assurrexisse. Hunc igitur civem suum Gaditani tanquam patronum urbis suae in moneta venerati sunt, cujus plura mox exempla dabuntur. Numus alter Herculis templum exhibet, quod, ut supra diximus, Gadibus stetit.

Numi hi, ut et sequentium fere omnes, urbis nomen dissimulant, sed invictis argumentis comprobavit Florezius, hos, et qui sequentur, omnes Gadibus tribuendos [u]).

Æ. RRRR.

Imperatorii municipii Gadium omnes imperante Augusto signati sunt, et offerunt capita, vel nomen Augusti, M. Agrippae ejusque filiorum Caji et Lucii, tum et Tiberii, quos nunc ordine proponam.

* * *

Augusti.

Caput Herculis, ut in praecedentibus.)(AVGVSTVS. DIVI. F. *Fulmen alatum.* Æ. m. m.

Eadem adversa.)(PONTIFEX. MAXIMVS. *Instrumenta pontificalia.* Æ. I.

AVGVSTVS. *Hujus caput laureatum.*)(*Sine epigraphe. Templum 4. col. intra lauream.* Æ. m. m. (Florez. tab. LIV.)

Eadem adversa.)(Sine epigraphe. *Capita nuda et aversa Caji et Lucii Caess. intra lauream.* Æ. m. m. (Florez. l. c.)

In numo I. Gaditani Augusto fulmen tribuunt velut Jovi terrestri. In numo II. eidem *pontificatum maximum* gratulantur, Lepido vita functo aditum. In III. proponitur templum Herculis, quod mox in autonomo conspeximus. In IV. capita Caji et Lucii Agrippae filiorum, quos in gentem suam adoptavit Augustus.

* * *

M. Agrippae.

Caput Herculis, ut in praecedentibus.)(M. AGRIPPA. COS. III. MVNICIPI. PARENS. *Acrostolium.* Æ. I.

AGRIPPA. *Caput Agrippae nudum, vel corona navali redimitum.* MVNICIPI. PARENS. *vel:* MVNICI. GA. PATRON. *vel:* MVNICIP. PATRONVS. PARENS. *Acrostolium.* Æ. m. m. et I. (Florez. loco suo, et tab. LXII.)

De his numis hoc loco observanda sunt: Gaditanos satis sibi urbem suam indicasse visos expresso solo MVNICIPII nomine, et dissimulata plerumque ipsarum Gadium mentione, sive quod numi ipsi jam per alias suas causas esse se Gaditanos sunt professi, sive quod Gades κατ' ἐξοχην Baeticae municipium dictae fuere. Lege de hoc argumento Florezium [x]).

s) B. L. Tom. XIX. p. 327. t) L. II. c. 51. u) Tom. II. p. 432. x) Tom. II. p. 440.

Dicitur Agrippa MVNICIPI. PATRONVS, vel PARENS, vel juncto utroque PATRONVS PARENS. De natura harum appellationum, quae sunt etiam in numis Paesti Lucaniae, et urbium Bithyniae, vide quae dicentur alibi.

Acrostolium videri posset adludere ad vires Gaditanorum maritimas; verum cum illud in unius Agrippae numis proponi videam, dubium non est, illud referri ad victorias ejus de Sex. Pompejo et M. Antonio mari relatas.

* * *

Tiberii.

Caput Herculis, ut in praecedentibus.)(TI. CLAVDIVS. *vel:* TI. CLAVDIVS. NERO. *Simpulum.* Æ. I. (Florez. tab. LIV.)

NERO. *Caput Tiberii nudum.*)(TI. CLAVDIVS. *Simpulum.* Æ. m. m.

Caput Augusti nudum.)(TI. CLAVDIVS. *Simpulum.*

Mortuo Agrippa videntur Gaditani patronum sibi delegisse Tiberium. Numi citati cusi certe sunt vivo adhuc Augusto, et quidem ante annum V. C. 757., nam hoc demum anno abjectis *Claudii Neronis* nominibus, quod ab Augusto adoptatus esset, dici coepit TIBERIVS CAESAR. Simpulum Tiberii pontificatum notat. Vide de his plura in ejus numis commatis Latini.

Æ. RRR.

ILIBERIS.

Nunc *Granata.* Fuit municipium testibus marmoribus.

Autonomi tantum:

Caput virile incertum.)(ILIBERRIS. in alio: LIBER. *Sphinx.* (Florez. T. III. tab. LXII. LXIII.)

Plinius: *Iliberi, quod Liberini,* at numus duplicat R, perinde ac *Calagurris, Gracurris.* Nomen alterum LIBER videtur fluxisse ex Plinii *Liberini.*

Æ. RRR.

ILIPA.

De ejus situ eruditis proxime non convenit.

Autonomi omnes. (Florez. loco suo, et tab. LIV. LXIII.)

Epigraphe: ILIPENSE. subjecta nonnunquam litera A. In uno monetarius et laboris sibi et temporis lucrum quaesivit scripto IL. SE omissis litteris mediis. Subauditur vero *municipium.*

Typi fere constantes: *hinc piscis imminente superne saepe lunula, additis nonnunquam binis astris, inde spica.*

Hujus municipii numi olim variis urbibus tributi fuere a viris palaestrae nostrae summis, et a majore horum parte Philippis Macedoniae, dum Norisio praeeunte eos sibi Ilipa nostra vindicaret. Vide Mediobarbum pag. 48.

Æ. R.

ILIPLA.

Creditur stetisse, ubi nunc est *Niebla,* sed vereor, ut *Ilipam* praecedentem, Ptolemaei *Ilipulam,* et praesentium numorum *Iliplam* satis adcurate discreverit Florezius.

Autonomi:

Eques armatus citato cursu, infra solitarium A *et lunula.*)(ILIPLA. *scriptum inter duas spicas jacentes parallelo situ.*

Æ. RRR.

ILITVRGI.

In vicinia hodierni *Andujar.* Scipionis olim victorias morata et eversa ex ruderibus iterum emersit.

Autonomi: (Florez. T. III. tab. LXIII.)

Caput virile laureatum.)(ILITVRGI. *Eques armatus citato cursu.*

Caput simile, prae quo lunula et duo astra.)(*Epigraphe constans binis versibus, quorum superior* ILOITVR, *inferior* ESNEG. *Spica jacens.*

Insolens est in numo altero OI scriptum pro I, sed majus monetario dedecus est *το ὑϛερον πρoτερον* versus inferioris, scripto ESNEG. pro GENSE., quod conjunctum cum ILOITVR effecit ILOITVRGENSE, id est: *municipium.* Plinius: *Illiturgi, quod Forum Julium.*

Æ. RRR.

ILVRCO.

Prope hodiernam *Granatam*, oppidum soli Plinio memoratum.

Autonomum unicum obtulit Florezius:

ILVRCON. *Caput virile nudum.*)(*Caput virile nudum.*

Numus est operis veteris et informis, et incertum, quorum sint capita in eo exstantia.

Æ. RRR.

IPAGRO.

Prope hodiernum *Aguilar*, ex Antonini itinerario cognita.

Autonomus apud Florezium: (Tom. II. tab. LIV. n. 12.)

IPAGRO. *Caput barbatum incertum.*)(*Victoria stans.*

Æ. unicus.

ITALICA.

In vicinia Hispalis. Nominis originem prodit Appianus[y]): *Scipio milites vulneribus invalidos in urbe collocavit, quam ab Italia ITALICAM appellavit.* Factum istud circa medium saeculi XVI. ab V. C. Vrbs natalibus Trajani, Hadriani, Theodosii M., et secundum aliquos C. Silii poetae consularis clara.

Autonomi ignoti.

Imperatorii cum capitibus Augusti seu vivi seu mortui, Juliae, Tiberii, ejusque filiorum Drusi et Germanici.

Epigraphe: MVN. ITAL., MVNIC. ITALIC. vel similiter. Mansit municipium usque in Hadriani imperium, a quo coloniae jura petiit, impetravitque[z]).

Typi:

ROMA. *Vir militaris stans*, in numo Augusti.

GEN. POP. ROM. *Vir togatus et volatus stans d. pateram, humi globus*, ejusdem.

Lupa geminos lactans, ejusdem.

Aquila legionaria cum vexillo inter duo signa militaria, in numis Germanici et Drusi.

Hi numi Italicae exortum et cum Roma metropoli nexum, de quo mox egimus, indicant, neque explicatione magnopere indigent. Singularis est typus lupae lactantis unico hoc in moneta Hispaniensi exemplo, cum obvius sit in

---

y) Hispan. L. VI. c. 38. z) Gellius L. XVI. c. 13.

aliarum provinciarum coloniis municipiisque. Quo pacto is adversetur Harduino, vide apud Florezium; nam taedet adhuc refutare miram ejus viri sententiam, quam falsam esse etiam citra praestantem hunc numum pridem constitit. Numi postremi ad originem urbis, constitutis in ea militibus sauciis, typo vexillorum adludunt.

* * *

Augusti.

Capricornus cum gubernaculo, cornucopiae, globus, obvius etiam typus in moneta Augusti commatis Romani, quam vide.

D. Augusti.

Ara, addita epigraphe PROVIDENT. *vel* PROVIDENTIA. AVGVSTI., cum capite vel Augusti, vel Tiberii.

Typus captus ex obviis numis Romanis Augusti consecrati. Non mihi convenit cum Florezio, in numis iis, in quorum antica Tiberii caput est, indicari aram Providentiae Tiberii honori consecratam.

Juliae.

IVLIA. AVGVSTA. *Ipsa velata sedens dextera extenta cor, s. hastam,* in numo Augusti consecrati.

Adeo hunc numum nitidum integrumque spondet Florezius, ut adfirmare non dubitet, illud, quod figura sedens dextera porrigit, certissimum esse cor, quantumcunque istud insolens videri possit. Quare existimat, Juliam oblata nobiliore hac corporis interni parte, qua residere amorem fingimus, suum in Augustum mortuum adfectum, cujus caput pars adversa obtinet, velle testari. At enim cor, consideratum ut amoris symbolum, res novicia est, et ab sequioris aetatis ingeniis invectum, olim forte a poetis ad amoris significationem translatum: ad monumenta vetera quod attinet, eorum aliquod cuperem exemplum produci. Credam verius esse pateram, et sic, quod saepe factum, quocunque casu deformatam, ut possit cordis speciem praebere; et tum habebimus Juliam Vestae ritu propositam, ut in numis aliis sive Romani, sive peregrini commatis, quos dabimus in moneta Liviae seu Juliae Augustae.

* * *

PERM*issu* AVG*usti* numis omnibus inscriptum legitur.

* * *

Numos *Concordiae* cum Bilbili vide in numis Bilbilis Tarraconensis.

Æ. RR.

ITVCI.

Non satis explorati situs. Plinius: *Ituci, quae Virtus Julia,* eamque in coloniis immunibus numerat, sed quo nomine numos non habemus.

Autonomi sunt omnes.

Epigraphe in omnibus eadem, solo ITVCI., in uno veterem Hispaniensem reperit Florezius.

Typi: Eques armatus, spicae, piscis, additis nonnunquam astris solis et lunae, et A solitario.

Æ. RR.

IVLIA.

Olim, ubi nunc *Antequera* et *Lucena* versus Cordubam. Plinius: *Julia, quae Fidentia.*

Florezius numum unicum, sed eum singularem proposuit: (Tom. III. tab. LXIII. n. 6.)

PRINCIPI. LEG. IX. *Caput virile juvenile nudum.*)(COLONIA. IVLIA. IIVR. *Duo boves aratro juncti.*

Principem legionis in nullo adhuc numo expressum constat, praeterquam in praesente, sed etiam unico hoc ejus merito. Nam quis sit is, qui dedicandi formula princeps legionis IX. dicitur, et cujus juxta effigies proponitur, incertum. Florezius ipsius Caesaris putat, sed abludunt lineamenta, si numi ectypon non fallit. Reliquis conjecturis consultius abstinendum puto.

Æ. unicus.

LAELIA.

Situ non satis certo. Memoratur Ptolemaeo, sed de nominis origine nihil constat. Numos vide apud Florezium loco suo, tum et tabb. LV. et LXIII.

Autonomi inscriptione sola et constante LAELIA, in unico LAELLIA geminato L., in nonnullis additur solitum in hoc tractu, et solitarium A.

Typi: Eques armatus citato cursu, spicae, rami, palma arbor.

Æ. RR.

Imperatorios habemus cum capitibus Augusti, Tiberii, et Lucii Caesaris. Typi iidem, qui in autonomis.

Æ. RRR.

LASTIGI.

Hodierna *Zahara* creditur. Oppidum am ex Plinio cognitum.

Autonomi omnes.

Epigraphe: LASTIGI. Sitne numus solo LAS. notatus, tum et alter LAS. CV. serius Florezio repertus (Tom. III. tab. LXIII.) ejusdem urbis, dubitem.

Typi: Caput Martis, et binae spicae jacentes situ parallelo.

Æ. RRR.

MIROBRIGA.

Hodie *Capilla*, municipium teste marmore Gruteriano [a]). Ad hanc Mirobrigam (alia enim fuit Lusitanicae) refert

Autonomum Florezius: (Tom. III. tab. 63. 10.)

Caput Martis.)(MIROBRI - - *Eques armatus citato cursu.*

Æ. RRRR.

MVNDA.

Retento primaevo nomine. Vrbs a postrema J. Caesaris victoria nobilis, quae victori orbis terrarum imperium peperit.

Autonomus Florezio sero cognitus, (Tom. III. tab. LXIII. 11.)

Caput nudum barbatum, incertum cujus.)(MVNDA. *Sphinx.*

Insignis alius editus ex museo Hunteri: (Tab. 38. n. XIV.)

MVN. *Spica, in area* A.)(L. AP. DE - - *Piscis.*

De inscripto *magistratu* vide quae dicentur in numis vicinae Vrsonis.

Æ. RRR.

MVRGI.

Fuit Plinio teste urbs hoc nomine ad mare, et Tarraconensis fines posita. Auctores alii quoad situm variant, aut plura fuerunt in hac provincia hoc nomine oppida. Vide Florezium.

---

a) pag. 257. 2.

Autonomus apud eundem: (Tom. III. tab. LXIV.)

Caput virile laureatum.)(MVRCI. *Eques citato cursu d. palmae ramum.*

Observat Florezius, in urbis nomine literam M esse manifestam, ne quis forte pro MVRCI legendum ILITVRCI existimet, tanto proniore dubio, quod et Iliturgis numus equitem offerat.

Æ. RRRR.

NEBRISA.

Nunc *Lebrija.* Autonomum inscriptum NA. et typo cervi huc vocat Florezius [b]) sola inductus ratione, quod unus alterve similis numus hoc loco repertus est. Quae sola ratio ut valere possit, metuo. Non videntur voluisse Nebrisenses urbis suae vocabulum prima et ultima litera NA indicare, quod tamen contendit Florezius, et cervi typus a reliqua Hispaniae moneta exulat. Quantum ex omnibus hujus numi causis consulto ectypo conjicio, videtur in moneta Gallica putandus.

NEMA.

Oppidum geographis veteribus praeteritum, notum tamen ex marmore Hispalensi, quod *C. Aelio Accito lintrariorum omnium patrono lintrarii NEMENSES* posuerunt [c]). Marmoris praeconium confirmat nunc quoque

Autonomus Florezio serius cognitus: (Tom. III. p. 100.)

Caput nudum barbatum, pone spica.)(NEMA. *Delphinus et piscis.*

Æ. RRRR.

OBVLCO.

Nunc *Porcuna.* Plinius: *in mediterraneo Obulco, quod Pontificense appellatur.* Fuisse municipium, docent marmora a Florezio citata.

Autonomi sunt omnes, iique copiosi, quos proposuit Florezius loco suo, tum et tabb. LV. et LXIV.

Numi vetustioris aevi.

OBVLCO. *Caput muliebre.*)(*Epigraphe Hispaniensis plerumque duorum versuum, inter aratrum et spicam.* Æ. m. m. item I. et II.

OBVLCO. *Caput muliebre, pone quod in nonnullis* CX. *vel* XC.)(L. AIMIL. M. IVN. AID. *inter aratrum et spicam.* Æ. I.

Opus in his rudius, epigraphe Hispaniensis, tum et repetitus archaismus scripto AI pro AE remotiori hos numos aetati vindicant. Caput muliebre aliis Veneris, aliis Isidis, aliis, sed inique, Liviae visum. Aratrum et spica, in sequentibus etiam numis obvia, certa sunt felicis in vicinia agriculturae indicia. CX vel XC, quod capiti muliebri adstitui dixi, varias explicationes expertum est, aliis litteras veteris alphabeti, aliis numeros Latinorum, aliis notas monetariorum conjicientibus, dubio inter haec ipso Florezio. Mihi verius astra solis et lunae videntur in numis urbium Baeticae obvia.

Numi recentioris aevi.

ILNO. *Caput muliebre intra lauream.* V. V. N. OBVLCO. *Eques armatus intra lauream.*

Epigraphe anticae incerti est explicatus. Siglae aversae, cujus similes sunt etiam in numis Toleti, commode leguntur V*rbs*

---

b) Tom. III. p. 98. c) Grut. p. 345. 4.

Victrix Nobilis OBVLCO praeeuntibus numis Oscae.

* * *

OBVL. NIC. vel NIG. *Caput Apollinis* cum variis aversis.

In explicandis additis his litteris multum se torsit Florezius, eventu, ut patuit, infelice.

Typi reliqui: *Eques armatus*, — *Caput equi.*)(*Aper*, — *Aquila*)(*Bos.* — *Spica inter aratrum, et jugum, quod bubus arantibus illigatur.* In explicandis his typis nimium saepe conjecturis indulsit Florezius.

* * *

Magistratus. Aediles addito AID. indicati, ut vidimus. Forte etiam hos notant barbara vocabula ANSANI. SISIREN., quae leguntur in numo Florezii[d]).

Æ. C.

ONVBA.

Hodie *Huelva.*

Autonomos binos, sed simillimos dedit Florezius.

C. AELI. Q. PVBLILI. *Caput Martis.*)(ONVBA. *Duae spicae jacentes situ parallelo.*

Magistratus in his numis notatos C. Aelium et Q. Publilium fuisse IIviros Onubae sive coloniae sive municipii, verisimile est.

Æ. RRR.

ORIPPO.

Hodiernum *Dos Hermanas.*

Autonomi apud Florezium loco suo, et T. III. tab. LXIV.

Epigraphe ORIPPO. in alio: ORIPENSE. sed de qua lectione nonnihil dubitat Florezius. (T. III. p. 105.)

Typi: Bos stans, vel in genua anteriora situ tranquillo procumbens, vel cornupeta, in nonnullis superne lunula.

Æ. RRR.

OSCA.

Oscam Baeticae prodidere Plinius et Ptolemaeus diversam a celebriore altera Tarraconensis, cujus infra dabuntur numi. Ejus tamen situs non satis exploratus.

Autonomum vulgavit Florezius: (Tom. III. tab. LXIV. n. 12.)

OSCA. *Caput virile diadematum.*)(*Sphinx, juxta astrum.*

Jure vir eruditus numum hunc Oscae Baeticae tribuit, quia nihil illi cum numis Oscae Tarraconensis, quorum magnum habemus numerum, convenit, at proxime spectata fabrica et typo cum numis Baeticae.

Alium addidit Florezius typo equi currentis, sed quem rectius Oscae Tarraconensi tribuendum, in hujus moneta dicetur.

Æ. RRRR.

OSET.

Versus Hispalim, Baeti utramque dirimente.

Autonomi tantum proditi.

Epigraphe: OSET. OSSET. OSSHT.

Typi: in antica: *caput virile incertum,* ut plerumque in autonomis; in aversa: *vir nudus stans d. botrum, s. cornucopiae.*

In horum uno comparet signum incusum constans literis CON., quas explet Florezius CON*stantia,* nempe secundum

d) Tab. LXIV. 6.

verba Plinii: *Osset, quod cognominatur Julia CONSTANTIA.*

Antonius Augustinus in simili suo legit COSSET., eumque adeo in Cossetanis, in quibus sita Tarraco, natum credidit [e]), quem deinde secutus est Harduinus. Liebeus item in suo legit COSSET., sed quas ille literas dividendo effecit *Colonia* OSSET. [f]) Florezius utrumque falli arbitratur, atque in his perinde, atque aliis suis legi tantum OSSET.

Æ. R.

PATRICIA.

Vide CORDVBA.

ROMVLA.

Vetere nomine *Hispalis,* dicta subinde *Romula,* vel *colonia Romulensis.* Plinius: *Hispalis colonia, cognomine Romulensis.* Et S. Isidorus [g]): *Hispalim Caesar Julius condidit, quam ex suo nomine et Romae urbis vocabulo Juliam Romulam nuncupavit.* Vrbs hodie *Sevillae* nomine notissima. Numi tantum

Coloniae Romulensis nomine sunt cogniti, et tantum

Imperatorii cum capitibus Augusti, Tiberii, aliorumque ex Caesarum domo.

Epigraphe constans: COL. ROM., addito etiam constanter PERM*issu* AV*Gusti*, signandae videlicet monetae.

Typi:

Caput Augusti nudum.)(*Cornucopiae, globus, gubernaculum.*

Vnicus hic est numus Augusto vivo signatus.

* * *

Caput Augusti radiatum imminente astro solis.)(IVLIA. AVGVSTA. GENETRIX. ORBIS. *Caput uxoris Liviae, postea Juliae, laureatum globo impositum, superne lunula.* Æ. m. m.

De hoc numo, extremae insaniae teste, vide, quae dicentur in moneta Liviae Romana.

* * *

Caput Tiberii.)(*Epigraphe et capita nuda se respicientia filiorum Caesarum Germanici et Drusi.*

* * *

Caput Tiberii.)(*Epigraphe et capita se respicientia Juliae matris, et Drusi filii.*

* * *

Epigraphe et caput nudum Germanici.)(*Clypeus votivus intra lauream.*

* * *

Caput Tiberii.)(*Capita nuda se respicientia Neronis et Drusi, filiorum Germanici.*

Numos hos descripsisse satis esto, quia nihil continent, quod coloniae Romulensis posset historiam illustrare. Reliqua ex historia et numis Romanis sunt cognita.

Æ. R.

SACILI.

Ad Baetim in vicinia Cordubae, veteribus etiam geographis cognitum.

Autonomos tres, sed exiguo inter se discrimine, protulit Florezius.

SACILI. *Caput virile ignotum.*)(*Equus gradiens, infra quem in omnibus tribus* L.

Caput anticae Florezius Panos putat, sed conjecturis violentis.

Æ. RRR.

e) Dial. VII. f) Goth. num. p. 193. g) L. XV. c. 1.

SALPESA.

Videtur esse eadem, quae Plinio dicitur *Alpesa* circa hodiernum *Facialcazar*, ubi etiam repertum marmor: ORDO. MVNICIPI. FLAVI. SALPESANI.[h]).

Autonomus:

SALPESA. *Caput Apollinis* (ut visum Florezio) *intra lauream.*)(*Substructio trium columnarum, lyra, pharetra, arcus.*

Æ. RRRR.

SEARO.

In conventu Hispalensi, a Plinio et in marmoribus dictum *Siarum* contra fidem numorum.

Autonomi tres a Florezio proditi loco suo, et Tom. III. tab. LXV.

Epigraphe constans SEARO.

Typi: Capita in singulis variant, Herculis, Martis, virile ignotum. In aversa *duae spicae jacentes et parallelae.*

Æ. RRR.

SISAPO.

Hodie *Guadalcanal,* ab argenti fodinis celebre teste Strabone.

Autonomus apud Florezium: (Tom. III. tab. LXVI.)

Caput virile nudum.)(SISAPO. *Aper,* ut visum Florezio.

Æ. RRRR.

TARTESSVS.

Autonomum singularem Florezius vulgavit: (Tom. III. tab. LXVI.)

Caput virile nudum.)(TARTES. *Spica et piscis situ parallelo.*

Quisquis hactenus modum, omnesque causas monetae Baeticae vidit, nequaquam dubitabit, numo praesenti Baeticam patriam constituere. Addidit etiam nomen *Tartessi*, urbis in extremum occidentem positae, et saepenumero poetis memoratae. Strabo, Plinius, aliique, qui aetatis suae geographiam scripsere, aut veterem Tartessum interiisse scribunt, aut amisso vetere nomine in Gades, vel Carteiam, nam utrumque proditum, migrasse. Atque hanc causam pridem discussam a Salmasio et Bocharto revocarunt Florezius in praesentis numi explicatione, eruditi Nauzeus, et Anvillius, academici Parisini[i]), majore credo nisu, quam veri erudiendi spe. Gades ergo referendum numum huc conjicit Florezius, quae teste Plinio Latinis *Tartessus* dicebantur. Arbitrentur, ad quorum salivam conjecturae faciunt.

Æ. unicus.

TRADVCTA.

Ex auctoribus veteribus binas Traductas eruimus, uno Herculis freto diremptas. Harum una in Baetica stetit teste Strabone: (L. III. p. m. 205.) *ἠν δε και Ζελης της Τιγγος ἀςυγειτων, ἀλλα μετῳκισαν ταυτην εἰς την περαιαν Ρωμαιοι, και ἐκ της Τιγγιος προςλαβοντες τινας· ἐπεμψαν δε και παρ᾽ ἑαυτων ἐποικους, και ὠνομασαν Ἰουλιαν Ἰοζαν την πολιν. Erat vero et urbs Zeles urbi Tingi vicina, sed transtulerunt eam Romani in oram oppositam, additis ex Tingi aliquibus, tum et ex suis colonos eo miserunt, urbique nomen fecerunt Juliae Jozae.* Nescio, qui factum, ut vir summus Casaubonus verba *εἰς την περαιαν* verteret *in oppositam Mauritaniam,* nulla adeo causa vocabulum *Mauritaniam* inserendo,

---

h) Muratori pag. 1107. i) B. L. Tom. XXX. pag. 97. et 113.

quod in textu Graeco abest, cum ea verba reddenda sint: *in oppositam regionem transmarinam,* aut similiter, id est: Baeticam. Nomine *Juliae Jozae* aliam Straboni urbem non intellectam, quam Juliam Traductam, ex ipso vocabuli etymo eruitur; nam יצא Hebraeis, ut jam observavit Bochartus, significat *egressus est;* quare Zeletanis novis colonis, qui ipsi teste Mela[k]) Phoenices fuere, ea Baeticae urbs dicta fuit *Joza,* colonis vero Italis *Traducta.* Vtriusque vocabuli cum una esset significatio, Strabo absque errore unum pro altero capere potuit, ut revera nomine Phoenicio Joza pro Latino Traducta usus est. *Transductae* Baeticae meminere etiam Ptolemaeus, Marcianus Heracleota, et Anonymus Ravennas, atque eam stabiliunt quoque numi, ut dicetur. Ejus situm Florezius prope Carteiam, et ad hodiernum *Algeciras* figit.

De Traducta oppositae Mauretaniae Plinius[l]): *Nunc est Tingi, quondam ab Antaeo conditum, postea a Claudio Caesare, cum coloniam faceret, appellatum Traducta Julia.* Plinio certe, res aetate sua gestas persequenti, et qui res Baeticae ipse procuravit, omnis habenda fides.

Binas ergo certas habemus Traductas, Baeticae unam, alteram Mauretaniae, quod notasse ad praesentem causam satis esse existimo, quin animus sit discutere annosam litem, qua viri eruditi citatum Plinii locum, tum et Melae loco laudato patriam Tingiteram, quae nonnullis eadem cum Traducta Baeticae est visa, solicitaverunt, de qua copiose actum a Norisio[m]), Nauzeo[n]), Florezio[o]), et paucis a Cellario[p]).

Antequam comprobo, numos inscriptos IVL. TRAD. esse Traductae Baeticae, juverit praemittere eorum descriptionem.

Imperatorii sunt omnes, omnes cum capite sive Augusti, sive filiorum Caii et Lucii Caesarum, addito constanter in numis Augusti PERM. CAES. AVG.

Epigraphe: IVL. TRA. vel: IVLIA. TRAD.

Typi aversae: hi in numis Augusti repraesentant ea, quae ad hunc ipsum pertinent, ut *corona querna, instrumenta pontificalia* causa pontificatus maximi, *capita aversa et nuda Caii el Lucii.* At in horum numis *spica horizontali situ,* vel *botrus.*

* * *

Mentio PERM*issus* AVG*usti,* capita ad occipitium opposita, spica situ horizontali, instrumenta pontificalia, modum monetae Baeticum arguunt, et dubitare adeo non sinunt, numos hos in urbe Baetica signatos. Spanhemius et Patinus a Norisio citati[q]) diserte adfirmarunt, hos numos esse Traductae Mauretaniae, at cum viderent in his numis proponi caput Augusti, Plinius vero adserat, hanc Africae Traductam serius a Claudio constitutam, errorem in Plinii codicibus suspicati, pro *Claudio Caesare* legendum *C. Julio Caesare* conjecerunt. At enim praeterquam, quod omnes codices in lectione

---

k) L. II. c. 6. l) L. V. c. 1. m) Cenot. Pis. diss. II. c. 1. n) Mem. B. L. Tom. XXX. p. 102. o) Hisp. sacra T. X. p. 50. p) in Traducta Baet. q) l. c.

Claudii conspirant, certum est, a Julio Caesare eam coloniam deduci non potuisse, quia, quoad is vixit, Mauretania Bogudi regi paruit, quod ex veterum testimoniis copiose probat Norisius. His ergo numis quaerenda urbs sita in tractu Romanis subjecto, qualis fuit Baetica, et in qua fuisse oppidum Traductae nomine, satis, ut vidimus, constat, et quidem secundum citatum Strabonis testimonium ab Augusto conditum, cujus aevum numi quoque eloquuntur. Quod *Julia* tantum dicitur, Julium Caesarem conditorem non arguit; nam quo loco urbes imperatorum nomina ferentes recensebimus, plura dabimus exempla urbium tantum Juliarum, etsi eas condidit Augustus. Ceterum ad me jam non pertinere existimo expedire dubia, quae eruditis objecit citatus Plinii locus, adserentis, Tingi a Claudio deductam coloniam nomine Juliae Traductae. Vide conjecturas apud laudatos auctores, ac praecipue Norisium et Nauzeum.

Idem Nauzeus existimat, Augustum Traductae suae non coloniae, sed municipii tantum jura tribuisse. Non fuisse coloniam, non satis tuto vir eruditus ex silentio Strabonis et numorum arguit. Carteia in Traductae nostrae conspectu posita, certa fuit colonia, nunquam tamen coloniam sese in numerosa sua moneta profitetur. Possem addere plura exempla alia ex numis coloniarum Hispaniae, Italiae, Siciliae. Municipium vero tantum fuisse, nullo argumento comprobat. Municipii tamen conditionem videtur arguere signum incusum DD., quod observo in numo primo Traductae a Florezio edito. Dicemus in tractatu de coloniis [r]), notam DD., qua Decretum Decurionum indicatur, forma signi incusi hactenus a me tantum in numis municipiorum observatam. Neque obest, homines Romanos una cum Zeletanis et Tingitanis ab Augusto huc missos a Strabone dici *ἐποίκους*, *colonos*, nam certum est, etiam municipes dictos fuisse colonos. Ita Livius de Emporiis Tarraconensis [s]): *Tertium genus, Romani coloni ab Divo Caesare post devictos Pompeji liberos adjecti*, et tamen Emporiae ex scriptoribus et numis municipii tantum nomine cognitae sunt.

Æ. RR.

TVCCI.

Hodie *Martos.* Aspernandus numus is, quem citat Harduinus ex Golzio. Tamen testatur Florezius [t]), ab erudito quodam editum numum, sed quem ipse nunquam viderit, hujus tenoris:

Caput opere barbaro.)(TVCCI *per medium numi scriptum, hinc spica, inde ramus oleae.*

Modus numi plane ex ingenio Baetico omnem huic cimelio fidem conciliat.

Æ. RRRR.

VENTIPO.

Auctor incertus *de bello Hispaniensi* omnium veterum solus oppidi hujus meminit, scripti *Ventisponte*, *Ventiponte*, et similiter [u]). Ex ejus oratione colligitur, non longe Hispali abfuisse, et in qua vicinia repertum marmor vulgavit Florezius, in quo leguntur: EQVITIVS VEN-

r) cap. V. § 6. s) L. XXXIV. c. 9. t) Tom. III. p. 124. u) cap. 27.

TIPONENSIS. et EQVITIA. VENTIPONENSIA.

Autonomum unicum idem obtulit:

Caput Martis.)(VENTIPO. *Miles stans curto indutus sago d. hastam inversam.*

Militem dixi, Florezius retiarium, quia hastae pars extima in tridentem exire videtur, quo armorum genere retiarios usos constat. Sed enim nullo mihi pacto videatur verisimile, Ventiponensibus typum ex despecta arena quaesitum, nullo certe alio in moneta Hispaniense exemplo, at militum varie armatorum multa in hac argumenta.

Æ. RRRR.

VGIA.

Hodie *las Cabezas.* Oppidi mentio fit apud Ptolemaeum, et in itinerario Antonini.

Autonomum edidit Florezius: (Tom. III. p. 128.)

Caput Vulcani, pone forceps.)(VGIA. *Camelus, ut videtur.*

Causa propositi in Vgiae numo Vulcani, tum et cum hoc sociati cameli, si modo camelus est, hactenus ignota.

Æ. RRR.

VLIA.

Vbi hodie *Montemayor* prope Cordubam.

Autonomos plures collegit Florezius, exiguo omnes discrimine.

Caput muliebre, prae quo spica vel ramus, infra lunula.)(VLIA. *scriptum intra quadrilaterum, quod duo oleae rami ambiunt.*

Omnes hi numi operis sunt supra modum hiulci barbarique. Caput anticae esse Isidis profitetur Florezius, quam ille sententiam multis arcessitis conjecturis confirmare adlaborat, v. g. Vlienses Isidem in numis suis propronendo videri ad nomen urbis *Vlia* adlusisse. *Vlii* enim nomen datum fuisse numinibus salutaribus, in quorum utique numero censendam Isidem. Generatim praestantissimus Florezius in explicandis Hispaniensis monetae typis nimium videtur ab Aegyptiorum mythologia pendere, facili istud quidem effugio, tritoque, cum nos Graeca et Romana destituit.

* * *

Imperatorium Vliae Florezius tantum indicat [x]), in cujus antica est CAES - - et *caput virile,* in aversa VLIA *intra folia querna.*

Numum *Concordiae* cum Vrsone vide in numis proximis.

Vide etiam *Ausam* Tarraconensis.

Æ. RR.

VRSO.

Hodie *Osuna.* Ejus numos partim *Autonomos,* partim *Imperatorios* non paucos dedit Florezius, quos continuo sine discrimine dabo.

* * *

VRSONE. *Caput virile diadematum, in nonnullis laureatum.* In alio: *caput muliebre diadematum.* In uno: *caput virile ejecta lingua.* (Tom. III. tab. LXVI. 8.) L. AP. DEC. Q. *pro qua epigraphe in aliis litterae veteres Hispanienses. Sphinx galeata alata gradiens.* Æ. I. II.

In plerisque his numis proponi caput

x) Tom. III. p. 130.

Augusti, etsi rudiore artificis manu, existimat Florezius, parum motus diademate, quod plerumque dictum caput ambit, inquam ille libertatem in colonia venia dignam putat. Sed vereor, ne numi similes operis usque adeo rudis, et quorum non pauci litteras Hispanienses exhibent, Augusti aetatem praevertant. Vltra non urgeo. In capite muliebri suam iterum Isida videt Florezius. At typus profecto insolens, caput virile linguam turpiter exserens, cui explicando imparem se profitetur auctor noster, sic ut neque conjecturae, quas subjicit, aliquid lucis, quia longius petitae, adfundant. Vtinam aenigma istud solveret Sphinx in ejusdem numi parte aversa stabulans.

Magistratus Quaestor.

L. AP. DEC. obvius in his numis. Legit Florezius: *Lucius Apius Decimus*, vel *Decius*, nulla certa causa, cum ἀρχαιουσαι hae litterae varie expleri possint. Addit confidenter, adjectum Q. significare Vrsonis coloniae *Quinquennalem*, cui quidem sententiae non possum subscribere, neque reor ipse eam dictasset, si vidisset numum Mundae serius in museo Hunteriano vulgatum, in quo idem magistratus L. AP. DE - - legitur. Neque enim verisimile, in urbibus diversis fuisse quinquennalem iisdem prorsus nominibus. Licebit igitur statuere, το Q legendum *Quaestor*, nempe provinciae, et magistratus Romanus, çujus exemplum jam in moneta Cordubae dedimus.

Q. REDECAL. Hic magistratus inscriptus est Vrsonis numo, quem tamen Florezius a se non conspectum ex Roderico Caro citat. Credo, magistratum hunc eundem omnino esse, qui frequenter in Carteiae numis legitur, sed Q. PEDECAI. Ob eandem ergo causam, quam mox memoravi, verisimile est, hunc quoque Q. Pedecaium fuisse quaestorem.

* * *

VRSONE. *Caput Augusti nudum.*)(*Vrsus arrectus stans d. pede ramum lauri, s. coronam tenens.*

Numus hic ad urbis nomen haud dubie adludit. Lauri ramus, et corona, quam quernam esse non ambigo, nota sunt munera Augusto a senatu oblata. Numum tamen hunc Florezius ipse non vidit, sed fide Morellii, qui eum inter numos Augusti tab. XLII proposuit, descripsit.

* * *

VRSONE. *Caput virile.*)(VLI. *quam epigraphen rami ambiunt.* (Florez. T. III. tab. LXVI. 7.)

En tibi *Concordiae* numum inter civitates vicinas Vrsonem et Vliam, obviis ejus in Graecorum moneta exemplis, sed et in Hispaniensi cognitis, ut Bilbilis et Italicae, Dertosae et Ilercavoniae, ut dicetur.

Æ. R.

HISPANIA TARRACONENSIS.

ACCI.

Posita ad fines Baeticae, quo nunc loco *Guadix el viejo.* Fuisse illustrem coloniam, numi ipsi docent.

Imperatorii omnes, cum capitibus Augusti, Tiberii, Caligulae, et Caesarum Germanici et Drusi.

Epigraphe: COL. ACCI. — COLON. ACCI. — C. I. G. A. — COL. IVL. GEM. ACCI. In uno, quem ex Vaillantio citat Florezius, COL. GEM. ACCI.

IVLIA. Generatim hoc nomen ad Julium Caesarem refertur. Quare et Florezius existimat, ab hoc Julio, non, quod aliis visum, ab Augusto huc translatos legionum veteranos, de quibus mox. At enim satis constat, complures fuisse colonias, quae, certe ab Augusto deductae, *Juliae* tantum, neque addito *Augustae* nomine, vocatae sunt. Ejus exemplum proxime vidimus in moneta Traductae Baeticae, et plura alia damus capite de urbibus imperatorum sibi nomina addentibus.

GEMELLA. Sic et Plinius [y]): *Ex colonia Accitana Gemellenses,* nempe cives Carthaginis conventui adscripti. De causa nominis in proximis numis.

* * *

Typi aversarum.

LEGIONES.

L. III. *Duae aquilae legionariae inter duo signa militaria,* in numis D. Augusti, Tiberii, Caligulae. (Florez.)

LEG. VI. *Duae aquilae legionariae inter duo signa militaria,* in numo Augusti. (Florez. ex Morellii Impp. tab. XXXVIII. in Aug.)

LEG. VI. *Aquila legionaria inter duo signa militaria.* (Florez. ex Vaillant.)

LEG. VI. *Aquila legionaria et vexillum cum panno quadrato inter duo signa militaria,* in numo Augusti. (Florez. ex Vaillant.)

Haec ergo colonia duas legiones monetae suae inscripsit, III. et VI. Legionem III. *Gallicam* stetisse in Hispania, docet Panvinius in imperio Romano, Legionem item VI. *Ferratam* ibidem collocatam, probant numi Caesaraugustae, copiosa marmora Hispanica, tum et Tacitus referens [z]): *principem Galbam sextae legionis auctoritate factum.* Ab his ergo duabus legionibus, quarum aut pars in colonia hac stationem habuit, aut veterani a J. Caesare vel Augusto huc traducti sunt, dubium non est, coloniam Acci dictam fuisse *Gemellam.* Vaillantium opinantem, eam sic vocatam, quia Augustus huc traduxerit veteranos duarum legionum sextarum, legionis VI. Ferratae, et VI. Victricis, copiose et jure refutat Florezius [a]).

Etsi constet ex ipsis his numis, duas in hac colonia legiones stetisse, nunquam tamen utriusque eodem in numo fieri mentionem videmus, quod tamen Emeritae, Caesaraugustae, et alibi factum, atque istud ne tum quidem fieri, cum propositae in uno numo duae aquilae duas sine dubio legiones indicant. Vix existimo,

y) L. III. p. 143. z) Hist. L. V. c. 16. a) T. I. p. 123.

in hoc instituto aliquid reconditum latere, nam quaeri aeque poterit, cur Emeritenses et Caesaraugustani unam tantum aquilam proposuerint, etsi illi duas, hi tres legiones memorarent. Magis miror, Florezio domi nullum hujus coloniae numum cum legione VI. conspectum, omnibus iis, quos proponit, ex Vaillantio et Morellio captis, ut indicavi. An propterea de horum fide numorum dubitandum? Nolim equidem istud adserere, etsi videam, Florezium per opus suum Vaillantii, Morellii, et qui hujus numos explicavit, Havercampi indiligentiae saepenumero irasci.

Magistratus IIviri.

GERMANICO. ET. DRVSO. CAES. IIVIR. *Capita nuda se respicientia Germanici et Drusi,* in numo Tiberii.

Nobilitatem coloniae Acci commendat, quod Caesares ipsi IIviratum in ea honoris ergo obivere. De Caesaribus per colonias magistratu domestico functis vide tractatum de coloniis.

Æ. R.

ASTVRICA.

Vrbs Asturum princeps.

Coloniae nomine numum cum capite *Augusti* edidit Vaillantius: COL. AST. AVGVSTA. *Colonus arans,* at dubitat, an is sit vel Astae, vel Astigi Baeticae urbium, vel hujus Asturicae. Certior, si modo de ejus fide satis constaret, esset is, quem Cellarius ex Holstenio ad Ortelium citat, inscriptum: COL. ASTVRICA. AMAKVR. AVGVSTA., nam Ptolemaeus Asturicam in gente *Ἀμακων*, *Amacorum*, sitam scribit. Hic si non fallit, libenter credam, etiam priorem Vaillantii esse Asturicae.

AVSA.

Autonomum edidit Liebeus: (Goth. num. p. 165.)

Caput muliebre, prae quo ramus, infra lunula.)(AVSA. *scriptum intra quadrilaterum, quod duo oleae rami ambiunt.*

Vir eruditus numum hunc tribuit Ausetanis, qui inter Pyrenaeos et Iberum propius mare habitabant. At enim quo jure numum, qui spectatis omnibus causis totus Baeticus est, dabimus populo, tanto regionum intervallo a Baetica distanti? et quod amplius, qui tam planissime Vliae Baeticae numis similis est, ut, nisi AVSA, ut fertur, inscriptum esset, ejusdem esse Vliae dejeraremus. Nisi igitur aliquod numi vitium illusit Liebeo ceterum adcuratissimo, ut legendum AVSA videretur pro VLIA, necesse est, exstitisse aliquam in Baetica Ausam, sed a scriptoribus neglectam, forte quia ignobilem, quae numos suos ad exemplum monetae Vliensis ferierit. Miror profecto, Liebeanum istud cimelium cognitam Florezii diligentiam in conquirendis ex auctoribus numis patriis fugisse.

Æ. unicus.

BILBILIS.

Municipium multis veterum testimoniis celebratum, situmque prope hodiernum *Calatayud.*

Imperatorii sunt omnes, Augusti, Tiberii, Caligulae.

Ephigraphe in antiquioribus: BILBILI. in auferendi casu, ut: VRSONE. CALAGVRRI. etc. in recentioribus: BILBILIS. in recto, denique MVN. AVGVSTA. BILBILIS.

AVGVSTA dicitur, atque etiam sic-

dicta poetae Martiali, qui hanc urbem natalibus suis illustravit[b]):

Municipes Augusta *mihi quos* Bilbilis *acri*
Monte creat.

Antiquioris formae sunt:

BILBILI. *Caput virile nudum.*)(ITALICA. *Eques armatus citato cursu d. hastam.*

Florezius caput anticae esse Augusti existimat. Verum mihi id genus numi remotiorem praeferre aetatem videntur, et caput illud esse ex ignotis unum, qualia frequenter in Hispaniensi moneta comparent.

Scriptum in aversa ITALICA in varias sententias eruditos distraxit. Aliis visum, eo vocabulo indicari, Bilbilitanos in legionibus vel cohortibus Italicis militasse; aliis, Bilbili jus Italicum fuisse concessum. Vtrumque solide refutavit Florezius, eorumque potius accedit opinioni, qui Graecarum urbium exemplo initam Bilbilim inter et Italicam concordiam notari censent. Verum neque haec sententia, etsi prioribus longe anteferenda, plane arridet. Novi, in nonnullis Hispanicae monetae numis junctas binas urbes, v. g. Vrsonem cum Vlia, Dertosam cum Ilercavonia, verum hae urbes vicinae fuere, at Bilbilis et Italica nimio distabant. Aliud igitur additum illud vocabulum indicare videtur, quod hactenus ignoramus.

Typus equitis adludere ad equestre Bilbilitanorum studium videtur, nimirum teste Martiali[c])

Videbis altam Liciniane Bilbilim
Equis et armis nobilem.

Typi reliqui:

Fulmen, in numis Augusti, nimirum cum Jove comparati. *Corona querna*, intra quam in aliis scriptum: IIVIR., in aliis COS., de quo postremo continuo.

* * *

Consulatus in binis Tiberii numis notatus: TI. CAESARE. III. COS., addito deinde collega notae sub hoc imperatore potentiae: TI. CAESARE. V. L. AELIO. SEIANO. COS., cujus singularis numi explicationem differimus in monetam Tiberii commatis Romani, quam vide ad annum V. C. 784.

* * *

Magistratus IIviri jam sub Augusto inscribi coepti, et deinceps continuati, v. g. L. COR. CALDO. L. SEMP. RVLLO. IIVIR.

Æ R.

CAESARAVGVSTA.

Primaevo nomine *Salduba.* Finito bello Cantabrico ab Augusto deducta colonia, et ab ejus nomine dicta *Caesaraugusta.* Numis prae ceteris Hispaniae urbibus abundat.

Imperatorii sunt omnes, Augustorum, Caesarum, aliorumque Augustae domus ab Augusto usque ad Caligulam. Nonnulla de singulis.

* * *

Augustus tam vivus, quam consecratus saepe proponitur additis titulis, et typis plane ex ingenio monetae Romanae, quod observatum etiam ad sequentes valet.

IMP. AVG. *Statua Augusti velata togata d. simpulum basi impsita.* C. CAES.

b) L. X. epigr. 103. c) L. I. epigr. 50.

COS. DES. *Statua C. Caesaris togata basi imposita.* L. CAESAR. *Statua L. Caesaris togata basi imposita.*

Illustris hujus numi explicationem, quia chronologiam Caesarum eximie illustrat, dabimus in numis Caji et Lucii Caesarum.

Numos Augusti consecrati cusos fuisse imperante Caligula, patet ex inscriptis IIviris.

Julia.

IVLIA. AVGVSTA. *Livia, Augusti uxor, Vestae ritu velata sedens d. pateram, s. hastam.*

Vide hunc, similesque numos explicatos in moneta Liviae Romana.

PIETATIS. AVGVSTAE. Numos binos sic inscriptos eodem loco explicatos dabimus.

Cajus et Lucius Caess. Agrippae filii. Vide supra in Augusto.

Tiberius obvius, atque etiam in illustribus numis I. formae, *ipse paludatus in equo*, vel, ut in numis Romanis I. formae, *togatus sedens d. pateram, s. hastam.*

Agrippa, Germanicus, Agrippina.

M. AGRIPPA. L. F. COS. III. *Caput cum corona rostrata.*

GERMANICVS. CAESAR. C. CAESARIS. PATER. *Caput nudum.*

AGRIPPINA. M. F. MAT. C. CAESARIS. AVGVSTI. *Hujus caput.*

Omnium horum numis inscribuntur *Scipio et Montanus* vel *Titullus et Montanus, IIviri*, cumque iidem legantur etiam in numis Caligulae, certum est, illos quoque hoc imperante signatos, et hujus adeo majores ad observandum principem a Caesaraugustanis in moneta publica restitutos; nam fuit Agrippa Caligulae avus maternus, Germanicus et Agrippina parentes.

Agrippa proponitur cum corona rostrata more solito. Hos numos in causa fuisse, cur a Caligula Hispaniae universae ademptum fuerit jus feriundae monetae, multis creditum, sed et refutatum supra in prolegomenis.

Germanicus et Agrippina solitis titulis et cultu:

Nero et Drusus Caess. Germanici filii.

NERO. CAESAR. DRVSVS. CAESAR. *Ipsi togati sedentes in sella curuli dexteras jungunt,* in numis Tiberii.

Numum alium vide infra in *Magistratu.*

Caligula. Ejus numi obvii.

* * *

Epigraphe: C. C. A. id est: *Colonia Caesar Augusta,* vel supresso *coloniae* nomine: CAESAR. AVG. vel: CAESAR. AVGVSTA.

Numi, in quorum antica est caput Augusti, in)(C. A. intra lauream, qui a Florezio aliisque Caesaraugustae tributi sunt, restituendi Caesareae ad Panium Trachonitidis, ut in hujus urbis numis docebitur.

* * *

Typi:

Sacerdos arans, obvius typus in numis coloniarum, de quo agimus in tractatu de coloniis.

* * *

Legiones:

LEG. IV. LEG. VI. LEG. X. *Typo trium signorum militarium, de quibus infra,* in numis Augusti et Tiberii. (Florez. Tab. VI. 1. Tab. VIII. 8.)

Memorantur in his numis tres hae legiones, sive quod in hac urbe stationem habuere, ut existimant Seguinus et Harduinus, sive quod in coloniam Caesaraugustam deducti sunt veterani trium harum legionum, ut censuere Vaillantius et Florezius. Legionis IV. veteranos per hunc tractum divisos, plura docent monumenta, quae profert Florezius [d]). Legionem VI. jam vidimus in numis coloniae Acci, et X. in numis Emeritae et Cordubae sive Patriciae.

Signa militaria.

LEG. IV. LEG. VI. LEG. X. *Vexillum basi infixum, ex quo pendet pannus quadratus, inter duas perticas basi item infixas, quarum singulis superne amplior quidam orbis adfixus est*, in numis Augusti et Tiberii. (Florez. ll. cc.)

Vexillum unicum cum simili panno basi infixum, in numis Augusti.

Aquila legionaria fulmini insistens inter duo signa militaria, ex quibus superne prominet manus expansa, in numis Tiberii et Caligulae.

Aquila legionaria inter duo signa militaria, cultu simplice et solito, in numis Tiberii.

Varia signorum militarium forma et cultus in numis ejusdem coloniae, et quae non possunt aliorsum pertinere, quam ad legiones primi generis numis inscriptas, magnam sine dubio facessunt molestiam iis, qui explicandae variae horum signorum naturae et usui operam impendunt. Mihi satis visum, eorum formam et varietatem adcurate describere, neque multum iis explicandis inhaerere, quem laborem sibi pridem ex instituto sumpserunt alii, conatu, ut exitus docuit, non satis felice. Cujus animus facilius conjecturas qualescunque admittit, adeat Florezii in hos numos commentarios [e]).

* * *

Bos stans cum infulis, in numis Augusti, Tiberii, Caligulae.

Typus hic haud dubie testatur vota pro principum salute suscepta.

* * *

Magistratus.

IIviri. Plerique hujus coloniae numi IIvirorum suorum nomina inscripta offerunt, quos inter memorandi:

NERO. CAESAR. DRVSVS. CAESAR. IIVIR. C. C. A. *Capita nuda se respicientia Neronis et Drusi filiorum Germanici*, in numo Tiberii.

Honoris nimirum causa IIviratum Caesaraugustae obivere, quod et factum alibi et ab aliis, ut dicetur in tractatu de coloniis.

Praefecti. Hi quoque saepius in variis coloniarum sive intra sive extra Hispaniam numis proditi, quo nomine indicantur ii, qui vice Caesaris, honorarii in coloniis IIviri, IIviratum in patria susceperunt. Ex Caesaraugustae moneta cogniti *Junianus Lupus* PR*aefectus* C. CAESAR*is*, nempe Caligulae nondum Augusti, (Florez. tab. VIII. 2. tab. IX. 3.) *Fulvianus* PRAEFECTVS forte Tiberii Augusti, certe in ejus numis proditur. (Florez. tab. LI. 9. 10.) *Tiberius Flavus* PRAEF*ectus* GERMAN*ici*, (ibid. tab. VI. 1. 4.

d) pag. 191. e) pag. 215. 233. 234.

tab. VII. 9.) sed quem Florezius perperam me judice *praefectum cohortis Germanicae* facit. Verum haec latius a me disputantur in tractatu de coloniis cap. IV.

* * *

PERMissum CAESaris signandae monetae in numo unico reperit Florezius, (Tom. III. tab. LX. 4.) unico exemplo in numo urbis Tarraconensis provinciae.

Æ. C.

CALAGVRRIS.

Calagurres in Hispania citeriore binae fuerunt teste Plinio f), una civium Romanorum, *Calagurritanos, qui NASSICI cognominantur,* altera stipendiaria, *Calagurritanos, qui FIBVLARENSES cognominantur.* Prior sita in Vasconibus trans Iberum, sed in ripa ulteriore hodie *Calahorra.* Altera cis Iberum sita in Ilergetibus, quam cum vicinis Oscensibus contributam refert Caesar g), hodie *Loharre.* Vtramque paucis et erudite illustravit Cellarius.

Vtri tribuendi sint numi Calagurris nomine notati, discordant eruditi, et nonnihil dubitat ipse Florezius, neque enim, ait, satis hactenus invigilatum, in utrius vicinia numi sic inscripti reperiantur, neque marmora lucem adfundunt. Istud tamen certum, numos, qui vocabulum NASSICA inscribunt, esse Calagurris Nassicae, ut mox dicetur, atque ex aliis causis, quas etiam commemorabimus, satis liquido comprobari, alios quoque numos omnes Calagurris nomine inscriptos eidem Nassicae tribuendos, nullum Fibularensi.

Municipium testibus numis, et Plinio, qui oppidum istud civium Romanorum vocat. Cellarius aliique ex textu Plinii male punctis distincto perperam collegerunt, municipium istud ejus scriptoris aetate in coloniam versum. Fuit haec Calagurris patria Aurelii Prudentii poetae.

Imperatorii sunt omnes cum capite Augusti, vel Tiberii.

Epigraphe: MVN. CAL. — M. C. I. — M. CAL. I. — MVN. CAL. I. — MVN. CAL. IVL. — MVN. CAL. IVLIA. In binis legitur NASSICA. de quo continuo.

* * *

NASSICA. *Caput virile nudum.*)(CVLAGVRRI. IVLIA. *Taurus stans.*

NASSICA. *Caput Augusti nudum.*)(C. VAL. C. SEX. AEDILES. *Caput bovis adversum.*

Calagurritanos dictos fuisse NASSICOS, testimonio Plinii supra citato abunde docemur, urbem vero et ipsam dictam NASSICAM, testatur fragmentum Livii ante annos non multos a praeclaris IIviris Giovenazio et Brunsio editum, in quo haec de Sertorio perhibentur: *Profectus inde in Bursaonum et Casuantinorum et Graccuritanorum fines, evastatis omnibus, proculcatisque segetibus ad CALAGVRIM NASICAM sociorum urbem venit, transgressusque amnem propinquum urbi, ponte facto castra posuit.* Causa epitheti hujus nominis incerta. Neque enim facile jam ferimus dictata Vaillantii, existimantis, in antica numi prioris propositum et nomen et caput Scipionis Nasicae, cujus sibi nomen adjecerint Calagurritani, quod se, praetor Hispaniae cum esset, beneficiis

f) L. III. P. 142. g) Bell. civ. L. I. c. 60.

ornaverit. Haec partim arbitrarie, partim falso adserta jam docuit Florezius, qui et existimat, caput numi prioris perinde esse Augusti, sed rudioris manus opus. Istud verisimile, numos addito vocabulo NASSICA reliquis Calagurris numis esse antiquiores, cujus deinde mentio in numis dissimulata, at non obliterata memoria, teste ejus Plinio. Fuisse vero nomen urbis *Nassica* palam cognitum, et promiscui cum Calagurri usus, testatur numus alter, in quo solum cognomen NASSICA legitur, quemadmodum etiam in numis Cordubae pro hac solum cognomen *Patriciae* legimus.

IVLIA. quod nomen raro in his numis negligitur; id tamen in hac urbe et Ilici praeter aliarum morem, nomini urbis postponi cognomen IVLIA, cum in aliis honoris epitheta praeponi soleant. Nomen istud abstuleritne a J. Caesare, an Augusto, non liquet. In priorem Caesarem propendet Florezius, quia in nullo horum numorum additur *Augusta*, sed quae lex non raro fallit, ut observabo capite de numis urbium Caesarum nomina praeferentium. Saltem de Augusti in hanc urbem voluntate constat; nam narrat Suetonius [h]), eum in sui custodiam Calagurritanorum manu usque ad devictum Antonium usum.

Quoniam nomen *Juliae* in numo priore conjungitur cum nomine *Nassicae*, certum est, Calagurrim hanc Nassicam dictam fuisse Juliam, magno argumento, etiam numos reliquos, qui omisso Nassicae nomine solum Juliae offerunt, ejusdem esse Calagurris, non, quod aliquibus visum, Fibularensis. Cum praeterea constet ex Plinio, Calagurrim Nassicam fuisse municipium, ex numis, fuisse dictam Juliam, ex scriptoribus, fuisse urbem clari inter alias nominis, altera vero Fibularensis non modo horum nihil jactare possit, quin ejus ignobilitatem non obscure innuant Plinius et Caesar, quorum ille eam dixit stipendiariam, hic Oscae contributam, dubium reor non est, numos quos habemus omnes, Calagurris nomine inscriptos Nassicae tribuendos.

* * *

Typi:

Taurus stans, typus obvius non in hujus modo urbis numis, sed et Cascanti, Celsae, Ercavicae, Turiasonis. Causam typi Florezius ab Hercule petendam conjicit. Is narante Diodoro [i]) captorum in Hispania boum partem ejus loci regulo dono dedit, quo ille laetatus honore quotannis lectissimum ex grege taurum Herculi sacrificavit. Addit continuo historicus: *τας δε βους τηρουμενας συνεβη ἱερας διαμειναι κατατην Ιβηριαν μεχριτων καθ' ἡμας καιρων. quo factum, ut hodieque boves sacrae per Iberiam habeantur,* non, ut Florezius Rhodomanum secutus interpretatur: *bovesque accurate habitae ad nostrum usque saeculum in Iberia permanserunt,* nullo sensu. Non gravate subscriberem Florezii conjecturae, si urbes Hispaniae maritimas, ac praecipue Baeticae, quas potissimum peragratum Herculem communis fert fabula, frequentius tauri typo usas videremus. Contra accidit, ut taurus obvius sit

h) cap. 49. i) L. IV. c. 13.

in moneta urbium, magno intervallo a mari, et noto Herculis itinere distantium. Quapropter existimo, quemadmodum Baeticae urbes saepius piscem in numis proposuere, sive quod ex piscatu rem facerent, sive vitae alimenta peterent, sic urbes longius a mari remotas taurum, quod in hujus maxime ope omnis nitatur agricultura. Quocirca ipse tanquam laboris socius, et unus ex colonis magno vulgo in honore habitus, latis olim severis legibus in eum, qui tanti animal meriti per injuriam occidisset, perinde capitali habito, si quis bovem necasset, quam civem. Vide de hoc insignem locum apud Plinium [k]), et Harduini ad eum observata.

* * *

Caput bovis adversum, in numis III. formae.

Vt certum est, typum hunc indicare sacrificium immolato tauro peractum, sic difficile divinare, cujus sive rei, sive hominis causa illud jussum fuerit. Lege conjecturas Florezii et Vaillantii.

* * *

Magistratus:

IIviri, notati in plerisque.

PR. IIVIR. C. MAR. M. VAL. in numo Augusti, quod legendum videtur PR*aefectis* IIVIR*is* C. MAR*io* M. VAL*erio,* de quo agetur in tractatu de coloniis cap. IV. § 3.

Aediles notantur in numis Augusti et Tiberii III. formae, de quibus vide, quae dicentur loco citato.

Æ. C.

CARTHAGO NOVA.

Hodie *Carthagena,* aedificata ab Asdrubale Poeno, et dicta *Carthago.* Discriminis causa additum *Nova,* cum Africana deinceps *Vetus* appellaretur.

Res hujus urbis numismatica difficultates offert oppido molestas, quarum causa optimum factu existimo, si ejus numos certos primum, deinde incertos profero.

Numi Carthaginis Novae certi.

Autonomi nonnulli proditi, sed quos seorsim non commemoro, quia per certa indicia Augusti tempora testantur.

Imperatorii: Augusti, Caii et Lucii Caess., Tiberii, Neronis et Drusi Caess., Caligulae.

Epigraphe: V. I. N. K. vel: C. V. I. N. K. rarius: V. I. N. C. id est: *C*olonia *V*ictrix *I*ulia *N*ova *K*arthago. In aversa numi Tiberiani scriptum juxta caput Caligulae nondum Augusti: C. CAESAR. TI. N. QVINQ. K. id est: QVINQ*uennalis* K*arthaginis,* ubi το K solum urbis nomen constituit. In alio juxta idem caput epigraphe insolentior: C. CAESAR. TI. N. QVINQ. IN. V. I. N. K. id est: QVINQ*uennalis* IN *V*ic*trice* *I*u*lia* *N*o*va* *K*a*r*-*thagine.*

* * *

M. POSTVM. ALBIN. L. PORC. CAPIT. II. VIR. Q. *Vir togatus stans d. situlam, s. oleae ramum,* in numo Augusti vivi.

In hoc numo omittitur nomen ipsum, et tituli Carthaginis, verum IIvir quinquennalis M. Postumius Albinus, quem in numis proximis intuebimur, dubitare non

k) L. VIII. p. 472.

sinit, fuisse eum hujus coloniae IIvirum. Numi typus indicare videtur sacerdotem, vel virum in magistratu constitutum, cujus munus fuit, populum vel quidvis aliud, quod ignoramus, inspersa aqua lustrare. Hic numus causam dedit eruditis non paucis adserendi, quinquennales in coloniis idem fuisse, quod censores Romae, aeque iis demandata cura agendi census, condendique lustri, sed quae sententia jam fere emarcuit. Vide, quae super hac causa copiose disserit Florezius l), et paucis dicemus nos in tractatu de coloniis.

* * *

P. TVRVLLIO. IIVIR. QVINQ. V. I. N. K. *Caput Augusti radiatum.*)(M. POSTV. ALBINVS. IIVIR. QVINQ. ITER. V. I. N. K. *Templum* 4. *col., cujus fronti inscriptum:* AVGVSTO. Æ. III.

Eadem epigraphe. *Imperator in quadrigis triumphalibus, juxta vexillum cum panno quadrato.*)(*Eadem aversa.* Æ. III.

P. TVRVL. QVINQVE. V. I. N. K. *Vexillum dependente panno quadrato inter duo signa mil.*)(ALBINO. QVIN. V. I. N. K. *Instrumenta pontificalia.* Æ. III. (Florez. tab. LXI. 4.)

Quem in numo praecedente Augusti vivi habuimus quinquennalem primo *M. Postumium Albinum,* eundem in praesentibus Augusti mortui numis habemus quinquennalem iterum. Typi honores postumos Augusto in hac colonia habitos indicant, ac primum erectum ejus numini templum more aliarum Hispaniae urbium. In sequente revocata actorum triumphorum memoria, majore puto veri specie, quam quod existimat Florezius, exhiberi Circenses Augusto sacros. Triumphum enim potius arguit lentus processus, rectoris manus nullo minax flagello, et adstitutum juxta vexillum magis utique bellum, quam arenam sapit. Eodem igitur modo in hoc numo celebrantur res ejus belli gestae, quo in sequente bonos pontificatus maximi.

* * *

Tiberii numi in aversa offerunt capita Neronis, Drusi, Caligulae, filiorum Germanici, de quorum titulis agitur in eorum numis commatis Romani.

* * *

SAL. AVG. *Caput muliebre,* in numo Caligulae.

Esse deae Salutis, dubium non est. At sunt qui existiment, esse Caesoniae uxoris exemplo numorum Liviae; verum istud copiose refutabitur in numis Impp. Romanis, quo loco de hac Caligulae uxore agetur.

* * *

Magistratus:

IIviri quinquennales. Soli hi, neque alii in certis his Carthaginis numis leguntur. Notantur scripto IIVIR. Q. vel liberalius: IIVIR. QVINQ. Inter quinquennales hujus coloniae habes etiam illustria nomina trium Germanici filiorum Neronis, Drusi, Caii in numis Tiberii. In numo Caligulae legitur IIvir CN. POM*pejus* FLAC*cus.* Videtur hic idem esse, quem Plinius equitem R. vocat, militasse in Syria cum L. Vitellio ejus provinciae legato extremis Tiberii temporibus, et tum

l) in Proleg. cap. VIII. m) L. XIV, § 21. et 24.

utrumque reversum, Vitellium in Italiam, Flaccum in Hispaniam [m]).

Æ. R.

Numi Carthaginis Novae dubii.

C. I. N. C. EX. DD. *Caput nudum M. Antonii, pone labyrinthus.*)(M. AIMILIO. T. FVFIO. II. VIR. *Caput Octaviani nudum.*

C. I. N. C. *Caput Augusti nudum.*)(C. PETRONIO. M. ANTONIO. II. VIR. EX. DD. *Labyrinthus quadratus.*

Hos numos jam aliunde cognitos in eadem tabula XVI. stitit Florezius. Eos Harduinus Norbam Lusitanicae refert legendo: *Col. Iulia Norba Caesariana,* Vaillantius Carthaginem Novam legendo: *Col. Iulia Nova Carthago.* Cum hoc consentit Florezius, praeter alia argumenta non magnopere convincentia nixus eo, quod numi cum inscriptione in N. C. vel N. K. desinente non raro in vicinia Carthaginis Novae reperiuntur. (pag. 319.) Pellerinius testatur, similes numos sibi ex oriente advectos, dubitatque, sintne huic Carthagini tribuendi [n]), ac dubitari quidem jure posse, profiteor ipse. Quem nexum habeat labyrinthus cum Carthagine, neque Vaillantius, neque Florezius idoneam causam adferunt.

* * *

AVGVSTVS. D. D. C. C. N. C. *Caput Augusti nudum.*)(M. PETRONIO. C. IVLIO. ANTONIO. IIVIR. *Capita nuda se respicientia Caii et Lucii Caess., in quorum medio:* C. L.

In harum siglarum lectione conspirant Vaillantius et Harduinus, nimirum: *Col. Concordia Norba Caesariana.* At Florezius et Pellerinius legunt: *Col. Caesarea Nova Carthago*, ac posterior lectionem suam hoc confirmat, quod rara sint exempla, ipsi urbis nomini epitheta honorifica postponi, atque adeo postremo C non indicari *Caesariana,* sed potius *Carthago* [o]). Interea in Hispaniae coloniis tria saltem ejus habemus exempla: *Ilici Augusta, Calagurris Julia,* et in uno Emeritae apud Florezium: (Tab. XXIII. 3.) EM. AVG. Quare et hi numi dubiis suis non vacant, quamvis facile tribuam, Norbam non pertinere.

* * *

Caput Palladis.)(CVINK. *Signum muliebre super basi.*

Numum hunc, qualem descripsi, edidit Florezius, et causa inscriptionis nostrae esse Carthaginis edixit. Aliquot post annis Pellerinius similem, eumque, ut profitetur, integerrimum vulgavit, sed qui plus non offert, quam litteras C. V. I. N., quas adeo interpretatur: *Colonia Victrix Iulia Norba,* deficiente nimirum extremo elemento K, quod si adesset, neque ipse dubitaret, numum hunc Carthagini tribuendum [p]). Hoc eruditi Galli indicio monitus Florezius fassus quidem est, το K in numo suo non liquido discerni, tamen sententiam suam non mutavit, quia, inquit, etsi ea litera a monetario neglecta esset, tamen Carthago solis literis CVIN satis videatur indicata [q]). Nolo me litis arbitrum ferre, etsi diffici-

m) L. XIV. § 21 et 24. n) Mel. I. p. 248. 249. o) Mel. I. p. 253.
p) Rec. I. p. 8. q) Tom. III. p. 35.

lius sit, Florezii causae tam infirmo nixae praesidio adsentiri. Istud tantum moneo, neque in simili alio, quem Combius ex museo Hunteri edidit, literam K observari.

* * *

In hac etiam colonia creditur cusus numus, qui Jubam II. Mauretaniae regem IIvirum eloquitur, quem in moneta hujus regis descriptum explicatumque reperies. Alios, qui non exigua veri specie huc referendi videntur, vide infra in moneta Celsae, tum et in numis Hispaniae sine urbis nomine hujus catalogi calci subjectis.

CASCANTVM.

Eodem nunc nomine regno Navarrae contributum.

Imperatorii omnes cum unius Tiberii capite.

Epigraphe: MVNICIP. CASCANTVM.

Typus unicus: *Bos stans,* cujus explicationem dedimus in moneta vicinae Calagurris.

Æ. R.

CASTVLO.

Nunc *Cazlona,* mediterranea in finibus Baeticae. Teste Plinio et marmoribus municipium, sed dissimulant numi, forte quia anterius signati.

Autonomi sunt omnes:

SACA ISCER. *Caput laureatum incertum.*)(SOCED. CAST. *Sphinx alata.* Æ. II.

Caput juvenile tenui filo redimitum, in area A *et lunula.*)(CASTVLO. *Sphinx alata.* Æ. I. (Florez. Tom. III. tab. LXI.)

Nisi constaret, fuisse Castulonem in Tarraconensi positam, nemo dubitaret numos hos formae prorsus Baeticae in Baetica quoque signatos statuere. Sed urbs, quod constat, Baeticae adsita, typos suos, et monetae modum ex vicinia hausit. In epigraphe numi prioris solum CAST. cognitam habet causam. Reliqua vocabula velut totidem aenigmata Sphinx videtur ipsa proposuisse. Miror, Florezio parcitum a monstro, qui explicare illa tentavit quidem, sed exitu, ut existimo, infelice.

Æ. RR.

CELSA.

Hodie *Xelsa,* mediterranea, Ibero apposita.

Imperatorii omnes Augusti et Tiberii. Addi possunt Agrippa et Tiberius nondum Caesar ex numis, sed quos huc pertinere non aeque certum, ut dicetur.

* * *

C. V. I. CEL. *vel* CELSA. *additis nominibus IIvirorum. Bos stans,* in numis Augusti et Tiberii II. formae.

V*ictrix* et I*ulia* in numis omnibus appellatur colonia Celsa. De typo bovis vide dicta in Calagurri.

* * *

C. V. I. CELSA. *scriptum in medio numi, additis nominibus vel* IIVIR*orum vel* AED*illium sine typo*, in numis Augusti et Tiberii III. formae.

C. V. I. (*sic*) L. PANSA. SEX. NIGRO. AED. *sine typo,* in numo Augusti IIII. formae. (Florez. T. III. tab. LXI. 13.)

Hi numi praeter IIviros etiam aediles offerunt, cujus exempla jam in aliarum coloniarum numis vidimus. Insolens est omissum in numo altero urbis nomen *Celsa,* credo, quod numi spatium arctius videretur, quam ut illud commode cape-

ret, urbs vero ipsa praemissis aliis titulis satis esset indicata.

* * *

Praeter numos modo descriptos Florezius coloniae Celsae tribuendos adserit numos alios similis naturae, quos ille omnes in eandem tabulam compegit r), quosque omnes, quod mereri istud videntur, adcuratius lubet describere:

IMP. CAESAR. - - - C. L. BEN. PRAE. *Caput Augusti nudum.*)(HIBERO. PRAEF. *Tropaeum.* Æ. III.

M. AGRIP. Q. V. I. C. HIBERO. PRAE. *Caput Agrippae nudum.*)(L. BENNIO. PRAEF. *Tropaeum.* Æ. III. (Sic legendus numus collato Floreziano, et alio, quem olim edidi in meis numis vett. pag. 1.)

TI. NERONE. Q. V. I. C. HELVI. POLLI. PR. *Caput nudum Tiberii.*)(HIBERO. PRAEF. *Instrumenta pontificalia.* Æ. III.

HIBERO. PRAEF. *Simpulum.*)(L. BENNIO. PRAEF. *Palmae ramus* Æ. IV.

HIBERVS. II. V. QVINQ. *Caput juvenile nudum aquas evomens.*)(C. LVCI. P. F. II. VIR. QVINQ. *Simpulum.* Æ. III. Sic legendus IIvir pro C. LVCIPI. corrigente se ipsum aliosque serius Florezio Tom. III. p. 45.

Hos ergo numos Florezius exploratum putat Celsam referendos causa numorum II. et III., quorum siglas Q. V. I. C. hunc facere sensum docet: *Quinquennali Victricis Iuliae Celsae* s). At vero nondum istud satis comprobatum existimo, et non desunt argumenta valida cum hoc ejus judicio pugnantia. Praeterquam enim quod cum reliqua certa Celsae moneta nihil habent commune, mirum profecto, in solis hujus generis numis Celsae IIviros praedicari *quinquennales*, quando in aliis ejus certis nonnisi annui memorantur. Advertit haec difficultas virum praestantem, eamque molliri posse credidit dicendo, Celsenses, quando viris Romae principibus IIviratum detulere, honoris causa pro annuo decrevisse quinquennalem. Nemo non videt, Florezium hanc in naufragio tabulam non sponte, sed necessario arripuisse. Satis enim constat, quando viris principibus honorarius in urbibus magistratus demandatus fuit, nequaquam ejus tum naturam fuisse mutatam, sed delatum talem, qualis apud se in usu fuit, de quo ex professo agemus in tractatu de coloniarum numis. Deinde dici non potest, in viris imperii summis honoris ergo auctum IIviratus tempus, cum in numo postremo etiam Hiberum et C. Lucilium quinquennales dici videamus. His ergo expensis nescio, an non majore jure hos sibi numos vindicare possit Carthago Nova. Jam primum certum est, magistratum ejus ordinarium, et, saltem in certis ejus numis unicum, fuisse quinquennalem. Dicta perinde fuit *Victrix Julia.* Neque adversatur scriptum C pro K; nam fatente ipso Florezio, ut dictum supra in ejus coloniae numis, perinde scribi potuit *Carthago* et *Karthago.* Facile etiam est excusare omissum titulum *Novae.* Ipse Florezius numum nobis obtulit, in quo solum K omissis titulis *Victricis, Juliae,* et *Novae* Carthaginem Novam notat t). Idem, ut

r) Tom. II. tab. LII. n. 8—12. s) Tom. II. p. 639. t) Tab. XVII. 4.

mox observavimus, Celsae numum exhibet, inscriptum C. V. I., in quo adeo ipsum urbis nomen omissum est, quod tamen ipso fatente Florezio non obstat, quo minus is Celsae sit tribuendus. Quo ergo jure Carthaginem fraudabimus numo, in quo non urbis nomen, sed titulus tantum *Novae* supprimitur? Denique, quod non parum causam meam juvat, in Carthaginis numis obvium est legere viros principes magistratu in ea colonia functos, in certis tamen Celsae numis nunquam. His expositis eruditus jam lector arbitretur.

Ad typos in his numis quod attinet, nihil magnopere observandum praeter caput numi postremi, quod judice Florezio evomere aquam videtur, et esse imago Hiberi fluminis, cui urbs adsita fuit, ac praeterea adlusio ad nomen Hiberi IIviri juxta scripti. Non impugno hanc conjecturam, modo ne quis existimet, Hiberum IIvirum Carthaginiensem, quia longius ab Hibero flumine distabat, cum vellet ad nomen suum adludere, non potuisse remotioris fluvii imaginem numo inferre. Magis miremur, Xanthi, qui in Troade fluxit, et nomen et imaginem illatam numis Germanicopolis Paphlagoniae. Hiberus, Tarraconensis fluviorum pater, et a quo Hispania omnis Hiberiae nomen abstulit, neque etiam Carthaginiensibus aut ignotus aut inhonoratus esse debuit.

De *Praefectis*, quos memorant hi numi, hic non agimus, nam in tractatu de coloniis Cap. IV. § 3. describentur iterum et explicabuntur.

Æ. R.

CLVNIA.

Supersunt rudera inter *Corunnam* et *Pennal.* Fuisse coloniam, unus testatus est Ptolemaeus, numi dissimulant praeter Golzianum. Harduinus unum protulit nomine MVN*icipii*, eumque dixit existere in museo regis Galliarum, sed quem, quia ignotus fuit Vaillantio, non moramur.

Imperatorii sunt omnes, et cum unius Tiberii capite.

Epigraphe sola CLVNIA, nullo alio onere.

Typi:

Bos stans, in Æ. II. formae.

De bovis typo vide dicta supra in Calagurri.

Porcus, in Æ. III. formae.

Videtur animal istud signis militaribus Cluniensium fuisse praefixum. Istud certum, exstare numos Hispanos, aut commatis Romani, sed argumenti Hispani, in quibus fingitur signum militare praefixo porco. Prioris generis habes numum aeneum apud Florezium [u]), qui sistit equitem simile signum manu praeferentem; alterius generis denarios gentis Coeliae, et Galbae Augusti, in quorum explicatione plura huc pertinentia memorabuntur, tum et in prolegomenis ad numos Galliae. Nexum porci animalis cum nostra Clunia magis confirmat signum porci incusum, quod frequenter inhaerere conspicimus numis Cluniae primo loco memoratis cum typo bovis stantis.

* * *

Magistratus:

IIII*viri*, in sola praeterea Carteia me-

u) Tab. LVIII. n. 5.

morati. Leguntur tantum in numis II. formae, in quibus imago bos stans. Istud praeterea in Cluniae numis singulare, quod in uno eodemque omnium IIIIvirorum nomina exarantur.

Aediles. Exstant hi tantum in numis III. formae typo porci.

* * *

Cluniae mentionem facit etiam numus Galbae Aug. commatis Romani, et Æ. I. formae cum epigraphe: HISPANIA. CLVNIA. SVL. Nimirum haec colonia impensius culta fuit a Galba, et SVL*piciae* cognomine decorata, quia in hac commoranti imperium delatum fuit, de quo copiosius disseremus in moneta Romanorum ad hunc Galbae numum.

Æ. R.

COSSETANIA.

Vide Osset Baeticae.

DERTOSA.

Sita in Ilercaonum agro prope Hebri ostia, hodie *Tortosa.*

Colonia fuit teste Strabone et numis. Harduinus municipium dixit, quia Plinius eam *civium Romanorum* vocavit [x]). Sed enim, praeterquam quod ea verba, etsi a Plinio plerumque ad indicandum municipium adhibentur, coloniam non inficiantur, idem, quod aliis urbibus, evenire potuit Dertosae, ut esset colonia tempore, quo scripsit Strabo, et signati numi, municipium tempore, quo scripsit Plinius, de quo vide tractatum de coloniis.

Imperatorii sunt omnes, cum imaginibus J. Caesaris, D. Augusti, et Tiberii.

* * *

Caput J. Caesaris laureatum.)(COL. DERTOSA. *Sacerdos arans, superne IIviri:* Q. LVCRETI. L. PONTI:

Singularem hunc numum Florezius ex Haymii thesauro Britannico est mutuatus. Is cum inscriptione, tum typo Dertosam coloniam comprobat.

* * *

AVGV. C. I. A. D. *Caput Augusti radiatum*)(TI. CA. C. I. A. D. *Caput Tiberii laureatum.*

Explenda epigraphe: *C*olonia *I*ulia *A*ugusta *D*ertosa. Hos numos Harduinus Dertonae Italiae superae tribuit, perperam, ut in Italiae superae numis dicetur.

* * *

Magistratus IIviri ex numo citato.

* * *

Numum, in quo junguntur Dertosa et Ilercavonia, explicatum vide infra in Ilercavonia.

Æ. RRR.

EMPORIAE.

Hodie *Ampurias,* urbs maritima prope Pyrenaeos. Numorum copia et varietate praestat, ad quos rite explicandos juvabit praemittere testimonia Livii et Strabonis. Ille [y]): *Jam tunc Emporiae duo oppida erant muro divisa. Vnum Graeci habebant, a Phocaea, unde et Massilienses, oriundi, alterum Hispani. - - - - Tertium genus, Romani coloni ab Divo Caesare post devictos Pompeji liberos adjecti. Nunc in corpus unum confusi omnes, Hispanis prius, postremo et Graecis in civitatem Romanam adscitis.* Et Strabo omisso

---

x) L. III. p. 142. y) L. XXXIV. 9.

Graeco textu [z]): *Est autem in duas urbes divisa muro ducto, cum olim accolerent indigetum quidam, qui etsi sua uterentur reip. forma, tamen quo essent tutiores, iisdem cum Graecis voluerunt includi moenibus, muro tamen intus ab iis distincti. Tempore in unam coaluerunt civitatem, mixtam ex barbaricis et Graecis constitutionibus, quod et multis aliis evenit.*

Haec utriusque auctoris dictata numis etiam praeclare confirmantur, quorum alios habemus I. cum epigraphe *Graeca*, alios II. *Hispana*, alios III. *Latina*, quo etiam ordine universam hujus urbis monetam recensebimus.

I. Numi cum epigraphe Graeca.

Sunt *autonomi* omnes:

Caput muliebre spicis coronatum intra tres pisciculos.)(*ΕΜΠΟΡΙΤΩΝ.* vel: *ΕΝΠΟΡΙΤΩΝ. Pegasus volans.* AR. III.

Alii similes mixtis litteris Hispanis, saepe nullo sensu. AR. III. (Pellerin. Rec. I. tab. 1.)

ΕΝΠΟΔΕΙΤΩΝ. (sic) *Caput muliebre spicis coronatum.*)(*Equus stans ab advolante Victoria coronatur.* AR. III. (Pellerin. l. c.)

Alius, sed inscriptione plane barbara. AR. III. (ibid.)

Sunt hi numi monetae Emporitanae haud dubie antiquissimi. Phocaeenses Ioniae patriam suam exosos conscensis navibus in Galliam appulisse, ibique condidisse Massiliam, res pervulgata. Ab hac alteri coloni profecti in Hispaniam condidere Emporias. Hinc illae a Silio dicuntur *Phocaicae* [a]), nempe ob Phocaeam majorem patriam, et a Strabone *Μασσαλιωτων κτισμα* propter conditores Massilienses.

Caput Cereris vel Proserpinae intra pisciculos, Pegasus volans, (quibus adde etiam equum a Victoria coronatum in numo III., cum typi essent plane Siculi, factum, ut Golzius, Paruta, Harduinus Siciliam his numis patriam constituerent, sed factum etiam, ut, cum urbem hoc nomine in Sicilia non reperirent, unis cogerentur conjecturis orationi suae fidem conciliare. At enim post dictata Pellerinii, ac praecipue Florezii, testantis, numos Emporiarum nomine inscriptos in agro hodierni Ampurias reperiri, certum jam est, eos omnes huic Hispaniae oppido tribuendos. Quo magis subit mirari, Principem Torremuzza in definienda eorum patria fuisse animi incertum, neque has Hispaniae Emporias respexisse, eosque sibi ex uno Golzio fuisse cognitos [b]). Ceterum dubitari nequit, fuisse Emporitanis causam, cur monetae Siculae typos ac fabricam tam anxie adfectarent; forte cum Siculis in hanc legem commercii causa, quo magnas sibi opes paraverant, conventum.

Fabrica in aliis id genus numis barbara, tum et literarum Graecarum cum barbaris Hispanis confusio ac perturbatio

z) L. III. p. m. 241. a) Punic. L. III. v. 369. b) Sicil. num. p. 25.

etiam, si adductis testimoniis careremus, per se satis probarent gentis utriusque permistionem, quae profecto unica fuit amissi Graeci nitoris causa. Sed idem fuisse fatum vicinae Rhodae, et Massiliae, in his dicetur.

AR. R.

II. Numi cum epigraphe Hispana.

Caput Palladis, addita in nonnullis epigraphe Hispana.)(*Epigraphe Hispana. Pegasus volans, supra quem in aliis corona, in aliis Victoria advolans cum corona.* Æ. I. II.

Eadem adversa.)(*Epigraphe Hispana. Leo gradiens.* Æ. II. III.

Caput Palladis cum vel sine epigraphe Hispana)(*Epigraphe Hispana. Hippocampus, vel bos cornupeta.* Æ. II. III. (Florez. T. II. tab. LIII. 7. 10. 11.)

Caput juvenile nudum, pone delphinus.)(*Epigraphe Hispana.* Æ. III. (Ibid. n. 8.)

Numos primo loco citatos esse Emporiarum, invicte docent numi proximi Latini, qui, si inscriptionem demas, illis secundum omnes causas sunt simillimi. Numos reliquos huc quoque pertinere, docent inscriptae literae Hispanae ejusdem formae, cujus sunt illae, quae comparent in numis primo loco descriptis, iisque certis Emporitanis. Leo haud dubie ex moneta Massiliae patriae huc est vocatus, ut et bos cornupeta. Reliqui typi urbem maritimam arguunt.

Æ. RR.

III. Numi cum epigraphe Latina.

Caput Palladis, juxta quod in compluribus literae punctis divisae.)(EMPOR. EMPORI. EMPORIT. *Pegasus volans.* Æ. I.

EMPOR. *Protome Dianae.*)(MVNIC. *Pegasus volans.* Æ. I. (Florez. loco suo, et tab. LIII. 4.)

Prioris generis numi evicere denique, numos barbare inscriptos, quos proxime recitavimus, quia cum his typo utriusque partis, fabrica, volumine conspirant, ad has quoque Emporias pertinere. Alterius generis numi

MVNIC*ipium* fuisse Emporias profitentur. Laxius ergo locutus est Livius loco, quem initio indicavi, qui a D. Caesare *colonos* huc missos dixit.

* * *

Typi: praeter Pegasum in Emporitanis omnis generis numis conspicuum memoranda

Dianae effigies. Haec dea in omnibus Massiliae coloniis impense colebatur, quod et Strabo de Emporiis nostris et his vicina Rhoda testatur [c]). Causam vide infra in moneta Massiliae.

* * *

Magistratus.

Juxta Palladis caput, ut supra dictum, comparent saepe literae punctis divisae.

c) pag. m. 241. 271.

His indicari nomina magistratuum domesticorum, nemo dubitabit. A certis incerta illustrentur.

P. AVR. COT. PA. *Aurelii Cotae* passim cogniti.

L. M. RVF. P. C. Q. Probabilis lectio: L. M*escinius* RVF*us*, quae tria nomina continent etiam denarii Augusti. Quae sequuntur P. C., varie expleri possunt.

CN. C. P. M. A. Q. Prona iterum lectione: CN. C*alpurnius* P*iso*, sed incertis iterum M. A.

M. O. L. A. Q.
M. O. H. L. A. F. Q. } Pellerin.

Eosdem utrinque homines indicari, manifestum est; nam alter numus non differt a priore, nisi quod hic addat cognomina H. et F., quae ille omittit. Ceterum haec nomina nemo nisi per inanes conjecturas expleverit, quod item de similibus aliis judicandum.

Quinquennalis.

Quoniam in similibus numis elementum Q plerumque postremam sedem occupat, dubitari vix posse existimo, eo utrumque urbis Q*uinquennalem* notari. Certe Ilici, et Valentia ejusdem Tarraconensis urbes uno etiam Q contentae fuere.

Patronus forte.

P. AVR. COT. PA. — C. C. A. T. C. O. C. addito PA. literis contracis.

Ad explicandas binas has literas artis nostrae magistri aut nihil, aut, quae non satisfaciunt, attulere. Non absurdum videbitur conjicere, iis indicari PA*tronum* vel PA*tronos* post ea, quae in numis Paesti Lucaniae de IIviris, iisdemque coloniae suae patronis docebuntur.

Æ. R.

ERCAVICA.

Quo loco hodie *Santaver.*

Imperatorii tantum, Augusti, Tiberii, Caligulae.

Epigraphe: ERCAVICA. tantum, intra quernam. MVN. ERCAVICA plerumque Scriptores veteres eam passim dixerunt *Ergavicam.* Sed constat etiam, literas C et G a Latinis saepe fuisse permutatas.

Typus fere perpetuus *bos stans,* de quo vide dicta in Calagurri.

Magistratus: IIviri, quorum nomina saepe adduntur.

Æ. R.

GRACCVRRIS.

Vbi nunc *Agreda.* Causam nominis dedit Livius [d]): *Ti. Sempronius Gracchus procos. Celtiberos victos in deditionem accepit, monumentumque operum suorum Gracchurim oppidum in Hispania constituit.* Praeter haec alia docuit Festus [e]): *Gracchuris urbs Hiberae regionis, dicta a Graccho Sempronio, quae antea Illurcis nominabatur.*

Imperatorii tantum, cum Tiberii effigie.

Epigraphe constans: MVNICIP. GRACCVRRIS.

Typi: Bos stans cum infula, vel *caput bovis adversum.*

Æ. R.

ILERCAVONIA.

Hodie *Amposta* ad Iberi ostia, sita in gente cognomine.

---

d) Epit. XLI. e) sub. Gracchuris.

Binos tantum diversos, *autonomum*, et *imperatorium* reperit Florezius, eccos!

MVN. HIBERA. IVLIA. *Navis expanso velo.*)(ILERCAVONIA. *Navis expanso velo cum remige.*

Epigraphe et caput Tiberii.)(M. H. I. ILERCAVONIA. *Navis expanso velo, intra quam, et epigraphen scriptum* DERT.

Apud scriptores plerumque reperitur *Ilergavonia*, numi G in C mutant, cujus varietatis mox aliud exemplum in Ercavica vidimus.

HIBERA dicitur haud dubie ab amne Ibero, cujus ostiis adfixa fuit, et qui promiscue jam cum, jam sine adspirata scribi consuevit.

Typus navis urbem maritimam comprobat.

Numus alter propter additum DERT. varie ab auctoribus fuit explicatus. Vaillantius censuit legendum *Ilercavonia* DERTosanorum, quorum urbs in Ilercavonibus sita fuit, Harduinus Dertosam cum Ilercavonia unam urbem facit. Vtrumque operose impugnat Florezius, et verisimilius censet, indicari foedus inter utramque urbem. Commemorare omnia ejus argumenta tanto minus lubet, quod haec quoque lectorem nonnihil incertum relinquunt.

Æ. RR.

ILERDA.

Hodie *Lerida*, posita in Ilergetibus, et veterum testimoniis clara.

Vnius generis numi cum epigraphe Latina comperti:

Epigraphe et caput Augusti.)(MVN. *vel* MVNIC. vel MVNICIP. ILERDA. *Lupa.* (Florez. loco suo, et tab. LIV. 9. LXII. 12.)

Causa lupae in his numis incerta. Forte id animal sic occupavit signum militare Ilerdensium, ut porcus vexillum Cluniae, quam vide.

* * *

Exstant numi complures, in quibus hinc caput nudum ignotum, inde lupa similis cum epigraphe Hispana plerumque quinque literarum, quos causa ejusdem typi non injuria huc refert Florezius. Et cum eaedem literae in nonnullis aliis compareant, qui vice lupae exhibent equum gradientem, vel equitem citato cursu, quos is repraesentat tabula LXII., non dubitat, hos quoque Ilerdae tribuere.

Æ. RR.

ILICI.

Maritima, sita in Contestanis, versus Baeticam, hodie *Elche.* Ab auctoribus jam simplice, jam geminato L scriptum reperitur.

Imperatorii omnes, Augusti et Tiberii.

Epigraphe:

C. I. I. A. vel C. I. IL. A. vel Q. I. I. A. vel: C. C. IL. A.

Primam literam significare *Coloniam*, suapte patet. Pro hac in modo tertio reperitur scriptum Q, sed quod nihil mutat; satis enim constat, omni aevo, etiam eo, cujus sunt numi praesentes, C et Q promiscue accepta. Sic in denario gentis Antistiae legitur QVM pro CVM. Sunt hi numi apud Florezium tab. XXIX. 8. et LIV. 10.

I primum Vaillantius legendum putavit *Immunis*. Fuisse Ilicin immunem et juris Italici, certum est ex Plinio et Paulo

ICto [f]). At immunes etiam fuere Emerita et Caesaraugusta, quae tamen sese immunes non scripserunt. Cum igitur privilegium istud addere in numis praeter morem fuerit, putat Florezius, pro aliarum urbium more *το* I legendum I*ulia.* Confirmat hanc lectionem modus quartus scripto C. C. IL. A., ubi pro I. ponitur C., nempe *Caesarea,* vel *Caesarensis.* Atqui sive I*uliam* dicas, sive *Caesaream,* utrumque ad Julium Caesarem refertur. Id rari exempli, postponi epitheton A., id est: A*ugusta* ipsi urbis nomini. Verum Calagurritani quoque suum I*ulia* postponunt.

* * *

Typi:

Templum, cujus fronti inscriptum IV. NONI. in numis Augusti.

Quo typo indicatur, Liviae Augusti conjugi tanquam Junoni erectum ab Ilicitanis templum. Constat, eam non minus pro Cerere, Vesta etc. sed etiam pro Junone cultam; unde et Prudentius [g]):

Adjecere sacrum, fieret quo Livia IVNO.

Et Ovidius de Livia [h]):

Cum tibi contigerit vultum IVNONIS adire.

Et licere potuit Ilicitanis, quod licuit Graecis, quorum exstat numus urbis incertae, inscriptus *ΛΙΒΙΑΝ ΗΡΑΝ*, *Liviam Junonem* [i]).

* * *

IVNCTIO. *Duo viri togati stantes manus jungunt, media inter has ara,* in numo Tiberii.

Numus hic cum inscriptione, tum typo aliud non docet, quam manuum junctionem, sed quae ob multiplices causas peragi consuevit. Hac in numis Trajani indicatur ADOPTIO, hoc scilicet Hadrianum adoptante; in numis M. Aurelii et L. Veri CONCORDIA. AVGVSTOR*um*; in numis Claudii, in quibus is praetorianos in fidem recipit, fingitur imperator dexteram cum praetoriano jungens, atque idem praestat Quadorum rex adstanti Quado in numis Ant. Pii inscriptis: REX. QVADIS. DATVS. In numis Balbini et Pupieni AMOR. MVTVVS. vel CARITAS. MVTVA. AVGG. junctis dexteris indicatur. Hic ergo IVNCTIO*nis* typus ad indicandam adoptionem, concordiam, fidem, amorem aeque valuit. Quapropter difficile est, verum hujus typi sensum in numo praesente reperire, et vagae sunt, incertaeque causae, quas ad eum enucleandum eruditi attulere. Vaillantius credit propositos Germanicum et Drusum Ti. F., adoptione fratres, ac positam propterea in eorum medio adoptionis aram. Florezius in Tiberium et Germanicum inclinat, putatque, indicari hoc typo Germanicum a Tiberio adoptatum. Quod quidem ego judicium non facile probavero, quia verisimile non videtur, adoptionem Germanici multis antea annis peractam nunc demum in moneta memorari. Verius igitur existimo, celebrari in hoc numo fraternam Germanici et Drusi concordiam, qui etiam in notis Sardianorum numis togati una sedentes proponuntur, et

f) Dig. L. L. tit. 15. § 8. g) contr. Symmach. L. I. v. 251.
h) de Pont. L. III. el. I. v. 145. i) Vaill. in Graecis p. 7.

ΦΙΛΑΔΕΛΦΟΙ appellantur. Ara inter utrumque statuta videtur indicare, deae Concordiae ad servandam mutuam hanc inter utrumque caritatem ab Ilicitanis sacrificatum, ec modo, quo urbes Graecae serius causa Caracallae et Getae fratrum festum *Φιλαδελφια* egerunt.

* * *

Signa militaria. Haec in hujus coloniae numis varii sunt modi. In aliis: *Aquila inter duo signa militaria*, in aliis: *Aquila et vexillum praefixo panno quadrato inter duo signa militaria*, in aliis: *Vexillum simile inter duas aquilas legionarias.* Similem varietatem jam observavimus in numis Acci, obscuris sane atque incertis ejus causis. Cum in nonnullis binae occurrant aquilae, conjici potest, duarum legionum veteranos in hanc coloniam transscriptos.

* * *

Magistratus: atque hi quidem *Quinquennales* perpetuo, atque additis quidem eorum nominibus in his numis memorati, sed modis variantibus, in aliis IIVIR. tantum, in aliis Q. tantum, in aliis: IIVIR. Q.

Æ. R.

OSCA.

Nunc *Huesca* magni olim, et nostra quoque aetate nominis versus Pyrenaeos montes in Vescitania. Plinius *civium Romanorum* dixit. Numi conditionem non addunt, dempto uno, in quo *Municipium* vocatur, de quo mox.

Imperatorii sunt omnes, Augusti, Tiberii, Germanici, Caligulae.

Epigraphe: OSCA. vel: V. V. OSCA. vel: VRBS. VICT*rix* OSCA. *Victricis* titulum cujus arbitrio abstulerit, an suomet, an Romanorum, incertum.

MVN. OSCA. *scriptum in medio numi*, in numo Tiberii nondum Augusti.

Testatur ipse Florezius [k]), sibi cimelium istud nusquam conspectum, et ex solo museo Muselii cognitum. At vero hujus unius testimonio non facile acquiescunt eruditi.

Typus in Oscae numis frequentissimus: *Eques armatus citato cursu, d. hastam*, obvius in moneta Hispana. Reliqui typi obvii ac triti.

Magistratus IIviri, eorumque nomina plerumque in his numis continentur.

* * *

Autonomum edidit Florezius: (Tab. LXIV. 13.)

OSCA. *Caput laureatum barbatum.*)(*Equus currens.* Æ. II.

Addidit alium typo Sphingis in parte aversa. Vtrumque Oscae Baeticae tribuendum putat. De numo altero facile mihi cum viro erudito convenit, non modo quod Sphinx fere tantum in moneta urbium Baeticarum habitare consuevit, verum etiam quod revera in Baetica urbs fuit Oscae nomine. At non perinde velim numum, quem mox descripsi, Oscae Tarraconensi eripi. Nam in numo Augusti, quem Florezius ex thesauro Morellii edidit, restituitque [l]), et qui propter additum VRBS. VICT*rix* certe est hujus Oscae, caput etiam horridum, barbatumque occurrit; deinde in numo Toleti, quae fuit

---

k) Tom. II. p. 649. l) Tab. XXXVI. 2.

Tarraconensis provinciae urbs, adeo similes sunt utriusque partis typi, ut, nisi inscriptum urbis nomen discrimen faceret, unius urbis posset uterque numus putari. Notandum praeterea, numos similes sed anepigraphos a Paruta monetae Panormitanae fuisse insertos [m]), quod deinde judicium secuti sunt Havercampus [n]), Begerus [o]), Petrus Burmannus [p]), et ego quoque [q]). Quidni ergo hi quoque numi aut Oscenses sunt, aut Toletani? Crederem istud, quia dempta epigraphe, qua carent, cetera illis sunt simillimi. Tamen cum haud ita pridem in horum unum inciderem, qui infra equum currentem binas literas Punicas luculentas exhibet, praeterea horum plerique eodem loco globulum objiciant, quod utrumque obvium est in numis Siculo-Punicis, at a moneta Tarraconensi alienum, non ausim eos a Sicilia avertere, etsi mira in reliquis causis cum illis concordia communem patriam videatur exigere.

* * *

De denariis Romanis, inscriptis OSCA, actum supra in prolegomenis, ac praecipue in numis gentis Corneliae Lentulorum, et Domitiae Calvinorum.

Æ. R.

OSICERDA.

Memoratur a Ptolemaeo et Plinio, qui eam conventui Caesaraugustano subjicit, sed de certo ejus situ nihil constat.

Autonomos binos Florezius ab aliis editos reperit:

OSI. *Victoria gradiens.*)(*Epigraphe Hispana. Elephas serpentem pede anteriore calcans.* (ex Lastanosa.)

Caput Vulcani pileo laureato, prominente pone forcipe.)(OSIC. *Leo.* (ex Pellerinio.)

Elephas serpentem calcans obvius est typus in denariis J. Caesaris, quem explicabimus in ejus imperatoris moneta. Ad eum igitur hoc typo adludi putamus, ut et typo Victoriae ad ejus victorias.

* * *

Imperatorii reliqui, unius Tiberii.

Epigraphe: MVN. OSIC. — MVN. OSICERDA.

Typi: aut sola epigraphe aversam occupat, aut est *bos stans.*

Numi apud Florezium sunt loco suo, tum et Tom. III. tab. LXV.

Æ. RRR.

OSTVR.

Ex solis numis cognitum, quos edidit Florezius Tomo II. et III. Refert tamen idem, sibi serius relatum, in regno Valentiae versus Alcoram esse territorium dictum *Ostur,* et ruinas veteres, et glandibus aprisque, qui typi in his numis occurrunt, abundare. Quare eos huc referendos conjectat.

Autonomi sunt omnes inscripti ΘSTVR. typo apri, glandis, ramorum. Istud certum, dispositionem typorum in his numis, et universam formam ex numorum Baeticorum esse ingenio. Quo verisimile redditur, aut oppidum istud situm fuisse in ipsa Baetica, aut huic provinciae vicinum.

Æ. RRR.

m) Sicil. num. Tab. XVIII. n. 175. 179. n) ad citt. numm. Parut. o) Thes. Brand. T. I. p. 369. p) ad Orvillii Sicula pag. 470. q) Catal. Mus. Caes. T. I. p. 37.

RHODA.

Hodie *Rosas*, maritima et ad radices Pyrenaei. Teste Strabone eam aedificarunt Rhodii, his ademerunt Massilienses [r]). Alibi eam urbem Emporitanorum vocat [s]), sed quod perinde habendum, nam Emporitani ipsi Massilienses. Ejus meminere etiam Mela, Ptolemaeus, Stephanus, sed corrupto saepe textu; alii recte *Rhoda*, vel *Rhode*, apud Strabonem *Rhodos*, et *Rhodope*, apud Ptolemaeum *Rhodepolis*. Gentile Stephano est *Rhodaeus*, in marmore Gruteri *Rhodenses* [t]), in numis *Rhodetes*.

Autonomi tantum.

ΡΟΔΗΤΩΝ. *Caput muliebre spicis coronatum.*)(*Rosa quatuor ramusculis quadrifariam divisa.* AR. III. (Pellerin, Mus. Caes.)

Alii sine epigraphe, cetera similes, sed fabrica magis in barbariem declinante. AR. III. (Pellerin, Mus. Caes.)

Rosae in his numis expedita causa; adludit enim, ut in Rhodiorum numis, ad nomen urbis; areae quadrifariam sectae modus forte captus est a Massiliensibus, de quorum cum Rhodensibus nostris nexu mox actum. Cum similes numi nunquam se obtulerint Florezio in perquirenda moneta patria indefesso, non inique posset quis suspicari, eas Rhodam, aliis Rhodanusiam, Graecam item urbem Massiliensibus vicinam, et his quoque obnoxiam pertinere. Interim istud certum, numos hujus argumenti tres, qui nunc sunt in museo Caesareo, mihi, Tolosae cum agerem, ab amica manu dono datos, ad radices montis Pyrenaei, in Hispanae ergo Rhodae vicinia, repertos esse. In barbariem denique deflexit moneta Rhodensis, sed quod fatum cum Massiliensi et Emporitana commune habuit.

Æ. RRR.

SAETABIS.

Nunc *S. Phelipe* in Valentiae regno, saepe a veteribus memorata. Fuit municipium teste Plinio, quod ex numis non constat, qui haud dubie omnes ante Caesarum aetatem signati sunt. Sunt ergo

Autonomi omnes.

SAETABI. *Caput virile nudum jam barbatum, jam imberbe.*)(*Quatuor literae Hispanae. Eques citato cursu d. palmae ramum.*

Jure Florezius aliique in hujus urbis moneta putant numos alios, qui non modo eosdem cum prioribus habent typos, sed et literas Hispanas eodem numero ac forma, etsi vocabulum SAETABI absit.

Æ. RR.

SAGVNTVM.

Hodie *Murviedro*, urbs antiquitate et fato suo cognita: nam ut auctor est Bocchus apud Plinium [u]), fundata fuit annis ducentis ante excidium Trojae a Zacynthiis, unde paullum detorto nomine *Saguntum*, quod confirmat et Strabo. Stephanus eam vocat *Σαγουντον*, alio loco *Ζακανθα πολις Ιβηριας*, et in *Ζακυνθος* idem memorat. Appianus *Ζακανθαιους* vocat, et Zacynthiorum item colonos, sed in definiendo urbis situ turpiter

r) L. XIV. p. m. 967. s) L. III. p. 241. t) pag. 404. 4. u) L. XVI. p. 37.

peccat [x]). Silius Italicus eam diserte Zacynthum appellat [y]).

Autonomi: frequentes a Florezio proditi, quorum multi remotam vetustatem praeferunt.

Epigraphe: SAG. SAGV. SAGVNT., etiam SAGVNT. INV*icta,* in uno SAGVNTVM.

INV*ictae* nomen jure sibi arrogavit, quod maluit flammis se dedere, quam Hannibali.

Literae Hispanae saepe comparent in aversa numorum, in quorum antica Sagunti nomen Latine scriptum legitur. Cum vero etiam sine hoc in multis literae ejusdem formae observentur, eodem modo, ut proxime in Saetabi diximus, jure hi eidem Saganto tribuuntur.

* * *

Typi:

Caput Palladis galeatum alatum.)(*Prora navis.*

Typi hi ex Romanorum moneta capti arctum Saguntinorum cum Romanis nexum comprobant.

Caput virile nudum.)(*Eques armatus citato cursu.*

Hispanam hi numi tantum habent epigraphen, typi ipsi in hujus tractus numis obvii.

Delphinus.)(*Concha.* Æ. III. et AR. III., ut mox dicetur.

Amabant Saguntini typos situm viresque maritimas testantes, quibus eos excelluisse, satis a veteribus proditum.

* * *

Magistratus: Aediles. CN. BAEBI. GLAB. L. CALPVRN. AED. G. S. Additae hae literae G. S. quam habeant significationem, aeque cum Florezio fateor incompertum.

Æ. R.

Imperatorii tantum cum capite Tiberii.

Epigraphe tantum SAG. nulla municipii mentione, etsi hac eam fuisse conditione, constet ex Plinio. Inter numos Florezianos exstat unus cum signo incuso M. S., quod forte legendum M*unicipium* Sa*guntum.*

Typus in his perpetuus *triremis*, vel *ejus prora.*

Magistratus: IIVIR*i* additis eorum nominibus, in aeneis II. formae. AED*iles*, hi quoque nominati, in aeneis III. formae. Decurionum perfrequens mentio literis solitis DD., sed tantum signo incuso, quem morem in municipiorum tantum numis observavi.

Æ. RR.

Argenteum parvum typo delphini et conchae possidere se testatur Florezius. (Tom. III. p. 116.)

SEGOBRIGA.

Florezio argumentis idoneis videtur eadem cum hodierna *Segorbe.* Fuit caput Celtiberiae teste Plinio. Vaillantium duas ex numis Segobrigas statuentem late refutat Florezius.

Autonomi pauci comperti:

SEGOBR. *Palmae ramus.*)(*Bos stans.* Æ. III.

Caput nudum imberbe barbarum, prae quo delphinus.)(SEGOBRIGA. *Eques armatus citato cursu.* (Florez. tab. LV. 9.)

---

x) de reb. Hisp. c. 7.   y) Punic. L. I. v. 275.

Imperatorii cum capite Augusti, Tiberii, Caligulae.

Epigraphe et *typi:* SEGOBRIGA intra coronam quernam. Sed in Augusti numis eques, ut in autonomis.

Æ. R.

SEGOVIA.

Retinet antiquum nomen. In Arevacis sita.

Autonomi tantum restant.

Caput virile imberbe nudum inter C *et* L.)(SEGOVIA. *Eques armatus citato cursu.*

Literarum C et L incerta significatio.

* * *

Bos stans.)(SEGOB. *scriptum inter arcus pontis lapidei, cui imposita turris.*

Numum hunc Florezius ex Roderico Caro hausit, qui eum non Segoviae Tarraconensis adjudicavit, sed alteri cognomini Baeticae, cujus unus Hirtius meminit [z]). Ejus opinionis causa Caro fuit, quod eo loco, quo verisimile est, Segoviam Baeticam stetisse, pons hodieque supersit, et substructionum veterum reliquiae, a qua se sententia saltem non alienum fatetur Florezius. Res admodum incerta.

Æ. RRR.

TARRACO.

Durat vetus appellatio. Ab hac provinciae Hispaniae citeriori nomen. Vrbs antiquae famae, sed a Romanis sic aucta, ut a Plinio diceretur *opus Scipionum, ut Carthago Poenorum.*

Autonomos ejus paucos commode cum imperatoriis miscebimus, quia ex typis imperatorum aetatem loquuntur.

Imperatorii varia Augustae familiae capita offerunt, Augusti, Juliae uxoris, Caii et Lucii, Tiberii, Germanici, Drusi jun., de quibus mox singillatim.

Epigraphe: C. V. T. vel: C. T. T. vel: C. V. T. T., in nonnullis pleniore urbis nomine TAR. TARRA.

C. more solito *Coloniam* notat, quam fuisse Tarraconem ex Plinio aliisque monumentis constat.

V. interpretamur *Victrix,* quo epitheto plures alias Hispaniae urbes gloriatas vidimus.

T. prioris loci communi fere consensu *Togata* explicatur. Sic et Gallia Cisalpina dicebatur *Togata,* et diserte de Hispanis Strabo [a]), horum complures populos receptis Romanorum institutis, lingua, vestibus omnino Romanos esse factos, et qui hanc formam sequuntur, vocari *Togatos,* quales fuisse constat ex Marone [b]):

Romanos rerum dominos, gentemque togatam.

Vide de hoc plura apud Ant. Augustinum dial. VII.

* * *

Typi:

DEO. AVGVSTO. *Ipse togatus cum corona radiata sedens d. Victoriolam,* (in alio *pateram*) *s. hastam.*)(AETERNITATIS. AVGVSTAE. *Templum octo columnarum.* Æ. I. II. Eadem aversa est etiam in numis Tiberii.

Liquet, numos hos ab Augusti morte signatos. Eum epigraphe DEVM appellat, Romanis DIVI nomine contentis. Sedet ipse divinitatis more. Epigraphen et

z) Bell. Alex. c. 57.

a) L. III. p. m. 225.

b) Aen. I. 286.

typum, quales sunt in aversa, jam in Emeritae numis vidimus. De Tarraconis templo Tacitus [c]): *Templum ut in colonia Tarraconensi strueretur Augusto petentibus Hispanis* (a Tiberio) *permissum, datumque in omnes provincias exemplum.* Illud deinde aevo fatiscens restitutum fuisse ab Hadriano, serius iterum a Severo refert Spartianus [d]). Tarraconensium in Augustum singularis pietas eo nata, quod apud illos longius commorabatur, recreatus ibi ex gravi morbo V. C. 729. [e]), et adito apud eam urbem consulatu VIII. et IX.

* * *

Ara quadrata, ex qua excrescit palmae ramus, in numis D. Augusti, Tiberii, et nonnullis autonomis.

Typum hunc vere explicat Quinctilianus [f]), *Augustus,* inquit, *nunciantibus Tarraconensibus, palmam in ara ejus enatam, apparet, inquit, quam saepe accendatis.*

* * *

C. L. CAES. AVG. F. *Capita nuda Caii et Lucii Caess. se respicientia.* — In alio: CAESARES. GEMINI. *Iidem togati stantes.* — In alio: CAESARES. GEM. *Iidem togati stantes, singuli clypeum humi positum apprehendunt.*

Typus numi primi ex aliis vicinarum urbium numis cognitus, ut et sequentium typi ex utriusque Caesaris numis Romanis. Singularis epigraphe, qua *Caesares gemini* appellantur. Tales natura non fuere, diversis quippe annis nati, at dubium non est, eos tanquam alteros Dioscuros sic vocatos.

* * *

DRVSVS. CAESAR. TRIB. POT. IVLIA. AVGVSTA. *Capita nuda se respicientia Drusi Ti. F. et Juliae,* in numo Tiberii.

GERMANICVS. DRVSVS. CAESARES. *Capita utriusque nuda se respicientia,* in numo Tiberii.

Illustris numus prior, qui Drusum Tiberii F. cum avia Julia componit. Fratres numi alterius jam dederunt numi alii hujus tractus.

Æ. R.

TOLETVM.

Eodem nunc quoque nomine, olim Carpetanorum caput.

Autonomi omnes:

Caput virile nudum barbatum.)(TOLE. *Eques armatus citato cursu.*

Typus hic, ex regionis ingenio, explicatione non eget. In similium numorum uno juxta caput ignotum legitur: CELTAMB EXSC. Quid priore vocabulo, nisi duo sunt, intelligatur, difficile conjectu. Posteriorem partem significare EX *Senatus Consulto,* vix ambigendum, et censet Florezius, Toleto EX. S. C. ante Augusti aetatem concessam potestatem signandae pecuniae.

* * *

Caput laureatum barbatum.)(V. V. TOLE. *Equus currens.* (Florez. T. III. tab. LXVI. 3.)

Habemus in hoc numo Toletum quoque *Vrbis Victricis* appellatione, atque is non modo spectato utriusque partis typo

---

c) Ann. I. 77. d) in utriusque vita. e) Dio. L. LIII. § 25. f) Inst. orat. L. VI. c. 4.

simillimus est numo Oscae vulgato a Florezio [g]), sed etiam conspirat cum epigraphe aliorum Oscae numorum, in quibus haec quoque passim *Vrbs Victrix* appellatur. Quin et in hujus Oscae numis, ut in Toleti, typus obvius est eques armatus. Causa tantae cum typorum, tum epigraphes concordiae incerta. Similes numos ab omnibus inde a Paruta rei numismaticae scriptoribus Panormitanos habitos, in numis Oscae diximus.

Æ. RRR.

TVRIASO.

Hodie *Tarazona.*

Autonomis dubiis, ut dicetur, sunt *imperatorii* Augusti, Liviae, Tiberii.

Epigraphe: TVRIASO., vel MVN. TVR. vel MVN. TVRIASO scriptum saepe intra coronam quernam.

SILBIS. *Caput muliebre laureatum.*)(TVRIASO. *Vir paludatus eques pacificatoris ritu.*

TVRIASO. *Caput muliebre nudum,* in numo Augusti.

TVRIASO. *Caput muliebre velatum,* in numo Augusti.

Vocabulum SILBIS, quia neque urbis cognitae est, neque divinitatis, in incertis putandum. Tamen caput muliebre esse Liviae conjicit Florezius, perinde atque in sequentibus binis numis, neque obstare lauream numi primi, cum eadem in Romulae quoque numis laureato sit capite. Ergo et vir eques ejusdem numi indicabit statuam Augusto Turiasone positam.

Typi reliqui:

Bos stans, typus frequentior in Turiasonis moneta. Vide de hoc dicta in Calagurri.

DIVVS. AVGVSTVS. *Ipse capite radiato sedens d. fulmen, s. hastam,* in numo Tiberii.

* * *

Magistratus: IIVIR*i*, in numis I. et II. formae, AED*iles* in numis III. formae, utrinque eorum adscribuntur nomina.

* * *

Morellius in numo Turiasonis videre sibi visus est inscriptum PERM*issu* AVG*usti*, quae formula, in Baeticae numis obvia, hactenus in provinciae Tarraconensis numis comperta non est, dempto numo Caesaraugustae. Verum probavit etiam Florezius, hunc Morellii numum non esse Turiasonis, sed Italicae.

Æ. C.

VALENTIA.

Eodem nomine hodie superstite. De ea Livius [h]): *Junius Brutus consul in Hispania iis, qui sub Viriatho militaverant, agros oppidumque dedit, quod Valentia vocatum est.* Colonia fuit teste Plinio.

Autonomi sunt omnes:

Caput Palladis galeatum alatum, additis quinquennalium nominibus.)(VALENTIA. *Cornucopiae simplex illigato fulmine, omnia intra lauream.*

Caput simile, prae quo literae Hispanae.)(VAL. *Idem typus.*

Simillimo utrinque typo usus est Q. Fabius Maximus in denariis.

* * *

Magistratus, uterque *Quinquennalis*, unico elemento Q. notatus.

---

g) L. III. tab. LXIV. 13. h) in epitome L. LV.

* * *

Cum praeter Tarraconensem hanc Valentiam alia adhuc fuerit in Bruttiis sita, et haec quoque numorum ferax, factum, ut viri eruditi monetam Valentiae nomine inscriptam passim confunderent, et Tarraconensi largirentur, quae fuit alterius Bruttiorum, et vicissim. Florezius adcuratas regulas dedit, quibus sua cuique tribuitur [i]). Nos ejus dictata repetere necesse non putamus, cum novisse sufficiat, numos omnes, qui his, quos modo descripsimus, sunt similes, esse Valentiae Tarraconensis. Praeterquam enim quod testetur Florezius, ejus generis frequentes reperiri in Valentiae agro, adscriptae in nonnullis literae Hispanae dubium omne feliciter tollunt. Contra, qui numi vel minimum ab his discedunt, ne dubita, Valentiae Bruttiorum monetam putare, quam vide.

* * *

Plerique hactenus antiquarii huc revocarunt numos, in quorum antica sunt *capita J. Caesaris et Octaviani in diversum respicientia*, in)(C. I. V. typo *navis.* At Florezius et Pellerinius testantur, numos similes non reperiri in Hispania, at magno numero in Gallia Narbonensi. Pellerinio igitur visum, esse Viennae restituendos, cujus et nos consilium sumus secuti.

Æ. RR.

VISONTIVM.

In Pelendonibus prope Numantiam praecone Ptolemaeo.

Imperatorium Augusti ex museo regio citat Harduinus, in cujus)(MVN. VISONTIVM intra lauream. Posset hic numus, si revera exstat, tribui Sequanis Galliae, sed horum urbs fere constanter scribitur *Vesontio.* Similem aversam in numis Galbae proposuit Morellius [k]), ejusque similem Cellarius ex Hadriano Valesio citat [l]). Verum jam diu ante Galbam defecit res numismatica urbium Hispaniae et Galliae. Hujus numi non meminit Florezius.

NVMI VRBIVM HISPANIAE INCERTI SITVS.

AMBA.

Epigraphe AMBA. typo Sphingis, vel duorum ramorum situ horizontali, vel bovis stantis. Modus horum numorum plane Baeticus. Ceterum urbis situs ignotus.

BORA.

Numos hoc nomine insignes primum Eborae Lusitaniae tribuit Florezius [m]), quod praefixum E videre sibi visus est. Integriores serius acquisiti esse Borae ignotae urbis docuere [n]).

CERET.

Scriptum inter duas spicas more Baetico. Numi sunt apud Florezium Tom. I. tab. XIX. 10. et tab. LXI. 15.

---

i) Tom. III. p. 126. k) Tab. VIII. n. 16. l) in Vesont. Gall.
m) Tom. II. p. 642. n) Tom. III. p. 17.

GILI.

Numos sic inscriptos, additis etiam in uno literis Hispanis, et typo in aversa equitis proposuit quidem Florezius [o]), sed patriam eorum non reperit.

IRIPPO.

Exstant *autonomi* inscripti IRIPPO. typo *mulieris sedentis d. strobilum tenentis.* Spanhemius numum similem causa strobili, et vitiata haud dubie inscriptione post Welserum Augustae Vindelicorum tribuit [p]). Vide et infra in Augusta Vindelicorum. Numi sunt apud Florezium tab. XXX. et LXIII.

LONT. OLONT.

Numos sic inscriptos typo equitis, spicae, strobili dedit Florezius tab. XXXII. XXXV. LXIV., sed ignorantur haec nomina in geographia Hispana.

Numi Hispaniae sine urbis nomine.

Florezius tab. LVI. a num. 1. usque 6. varios obtulit numos, quorum unus caput habet Augusti, reliqui autonomi, sed et hi quoque, ut satis ex typis appareat, Augustorum aetate cusi. Typi sunt: *instrumenta pontificalia, aquila fulmini insistens, signa militaria, Victoria etc.* Singulis inscribuntur IIVIR*i* QVIN*quennales*, sed et in singulis reticetur urbis nomen. Causa IIvirorum Quinquennalium, et quia similes numi frequentius intra fines Carthaginis Novae reperiuntur, existimat auctor noster, eos in hac signatos. Ex his juverit unum descripsisse:

L. ACILIVS. IIVIR. QVIN. AVG. *Instrumenta pontificalia.*)(L. IVNIVS. IIVIR. QVIN. AVG. *Aquila fulmini insistens.*

Singulare in hoc numo additum utrique Quinquennali AVG., neque in alterius hactenus coloniae numo observatum. Conjicit Florezius [q]), legendum QVIN*quennalis* AVG*ustalis*, quo forte significaretur, utrumque IIvirum Augusti nomine in hac colonia supremo hoc munere functum. Verum tum solitos dici praefectos, non Augustales, saltem ex lege ordinaria, dicemus in tractatu de numis coloniarum. Accedit, truncatum vocabulum AVG. aliis etiam modis, iisque congruis, expleri posse. Quid si AVG*urem* significaret? quam dignitatem etsi praeter morem fuerit numis inscribere, tamen constat, fuisse augures in coloniis, eosque a decurionibus electos, de quo vide Norisium [r]). Quid si AVG*ustalem?* non quidem in sensu Florezii, sed quo sacerdotium D. Augusti notaretur. Sic et in marmore Reatino apud Gruterum [s]) T. Fundilius Geminus dicitur VI. VIR. AVG*ustalis* PATRONVS. ET. QVINQ*uennalis* PERPETVVS. Verum haec omnia in conjecturis putamus.

* * *

Praetermitto numos incertos alios, quos Florezius tabulis postremis Tomi II. et III. complexus est, quod major eorum pars nihil ad philologiae causas confert.

o) Tab. XXVIII. et LXII. p) Tom. I. p. 308. q) pag. 652.
r) Cenot. Pis. diss. I. c. 6. s) p. 414. 2.

GALLIA.

PROLEGOMENA.

Galliae monetam secundum constitutam ab Augusto vastae ejus regionis divisionem, nimirum in provincias *Aquitanicam, Narbonensem, Lugdunensem, Belgicam* persequemur. Pauca tamen praemonenda, quae spectant ad horum numorum I. epigraphen, II. typos, III. metallum, IV. fabricam, V. aetatem, VI. auctores, qui in hos numos sunt commentati.

I. Epigraphe in his ter varia, Graeca, Latina, aut ex utriusque linguae literis mixta. Literis et lingua Graeca usa est Massilia Phocaeensium Ioniae colonia, et Massiliae colonia Antipolis, tum et Beterra, quae omnes fuere Galliae Narbonensis urbes. Latinam adhibuerunt populi reliqui omnes. Quam mixtam dixi, ejus est naturae, ut lingua Latina dominetur, immixtis nonnunquam literis Graecis. Linguae Graecae scientiam non fuisse Gallis penitus ignotam, variis testimoniis docemur, quae collecta vide in Gasparis Oderici epistola de numo Orcitirigis. Hausere vero eam a colonis Graecis ex Ionia, ut dixi, huc profectis. Auctis Romanorum in Provincia rebus commeantes huc frequentius Galli Latinas ab his literas sunt mutuati, sic tamen, ut nonnunquam temere, quo barbaros arguas, Graecas sibi prius cognitas miscerent. Singularis est numus in Catalogo d'Ennery [t]), in cujus antica scriptum Latine EPENOS, in aversa idem nomen Graece *ΕΠΗΝΟC*.

II. Typi omnium maxime obvii sunt *equi*, vel *apri*. Typo equi verisimile est indicari Gallorum in educandis equis generosis studium. Nam Strabone teste [u]) Galli equitatu magis, quam peditatu illustres fuere, sic ut ab iis Romani optimam equitatus sui partem haberent. Apri quoque vel porci significare videri possent ejus animalis beatam in Galliis sortem; nam sues pernoctare in agris, esse robore et proceritate praestantes, atque inde salsamentorum copiam Romam deferri testatur Strabo [x]), at propius vero est, eandem eos in numis Gallicis habere significationem, quam in Hispanicis. Advertimus in numis Cluniae Hispaniae, gentis Coeliae, tum et in numis Galbae Aug., aprorum vel porcorum imagines in Hispania rei militari serviisse, propterea quod saepe vexillis praefixi exhibentur. At idem videre est in his Galliae numis; nam in eorum uno, quos infra in Tornaco Belgicae recensebimus, aper figurae militari adstituitur, in altero miles aprum hasta defixum gestat. In numo alio urbis incertae apud Pellerinium [y]) aper item hastam militis ornat, denique et teste Bouterovio (pag. 42.) in arcu triumphali Arausionis

t) pag. 120. u) L. IV. p. m. 299. x) L. IV. p. 301. y) Rec. I. tab. 5. 8.

sculpta comparent arma, et insignia Gallica, quibus apri praefixi sunt. Si vera refert Tacitus, Germani quoque Aestii ad ultimum maris Balthici litus in ortum positi, hujus animalis formis delectabantur. *Matrem deum,* inquit, *venerantur; insigne superstitionis, formas aprorum gestant. Id pro armis omnique tutela; securum deae cultorem etiam inter hostes praestat* [z]). Quid quod et teste Plinio in Romanorum exercitu apri singulos ordines anteibant [a]). Idem confirmat Festus, qui et addit, eum inter signa quintum locum obtinuisse, quia confecto bello caesa porca foedus firmari solebat [b]).

Sunt hi typi monetae Galliae proprii. At sunt et alii adscititii et ex alieno advocati, ut caput Palladis galeatum alatum ex denariis Romanis. Huc refert Pellerinius numos aureos et argenteos, qui hinc caput nudum, inde figuram bigis vectam offerunt addita inferne scriptura literis luxatis constante [c]). Existimat vir eruditus, signatos esse a Gallis ad modum aureorum Philippi II. Macedoniae regis, quorum exemplaria complura ii, qui sub Brenno in Macedonia militantes subinde in Galliam rediverint, in patriam importarint. In eadem sententia est etiam Belleyus [d]), et docet idem experientia.

Ex sigillis minutis frequentissime occurrit pentagonum ejus plane formae, qua illud exhibent numi Veliae, Nuceriae, Ptolemaeorum, ac praecipue Pitanes Mysiae. Principio sigillum istud tanti non putabam, ut sperarem, quod subinde comperi, posse aliquid ad illustrandam Gallorum theologiam philosophiamque conferre. Accipe, quo istud pacto praestet. Druidum disciplinam, quos sacri profanique juris arbitros Galli constituerunt, fuisse Pythagoricam, in confesso est. *In primis,* testatur Caesar [e]), *hoc volunt persuadere, non interire animas, sed ab aliis post mortem transire ad alios, atque hoc maxime virtutem excitari putant metu mortis neglecto.* Quod dogma ut esse Pythagoricum, etsi suppresso auctore, facile intelligimus, sic Gallos Pythagoricis placitis imbutos diserte adfirmat Diodorus Siculus [f]): *invaluit enim apud eos* (Gallos) *Pythagorae doctrina, animas hominum natura esse immortales, et definito annorum numero reviviscere in aliud ingressas corpus.* At Ammianus [g]): *Inter hos Druidae ingeniis celsiores, ut auctoritas Pythagorae decrevit, - - - despectantes humana pronunciarunt animas immortales.* Fuit vero dogma istud sic in Gallis inveteratum, ut essent etiam, qui crederent, ipsum Pythagoram illud a Gallis hausisse, creditumque istud fuisse Alexandro, refert Clemens Alexandrinus [h]). His constitutis ad pentagonum nostrum, hujus causam disputationis, revertamur. Teste Luciano [i]) Pythagoraeis instar symboli habitum est το *τριπλουν τριγωνον,* το *διαλληλον,* το *πενταγραμμον, triplex triangulum inter se junctum, quinquelineare,* et quod *ΥΓΕΙΑ προς αὐτων ὠνομαζετο, SALVS ab ipsis*

z) German. cap. 45. a) L. X. § 5. b) in Porci. c) Rec. I. p. 14.
d) B. L. T. XXXVII. p. 394. e) B. G. L. VI. c. 14. f) L. V. § 28.
g) L. XV. in Constantio. h) Stromm. L. I. i) de lapsu inter salut.

appellabatur. Et vero idem hoc pentagonum in Pitanes Mysiae numis pro ipsa salute positum in ejus urbis moneta demonstrabimus. Eodem ergo alveo, quo Pythagorae doctrina in Galliam fluxit, derivantibus haud dubie Massiliensibus, Pythagoricorum etiam symbolum eo devectum, et religionis causa numis videtur inlatum.

III. Metallum triplex ad feriundos numos adhibitum, aurum, argentum, aes. Auri argentique fodinas per Galliam, hodie, quod mirere, fere sterilem, pluribus locis commemorat Strabo, quin et numos ex utroque metallo, cum narrat, Luerium Avernorum regem tantis fuisse opibus, ut aliquando ostentandae opulentiae causa curru vectus auream argenteamque monetam spargeret, quam comites legerent [k]). Idem refert Athenaeus [l]). Gallorum aurei plerique in aversa bigas exhibent, quos nempe supra § II. ad exemplar numorum Philippi II. signatos dixi. Major monetae Gallicae numerus argenteus est, reliqui aenei, quos inter sunt etiam, qui alia viliora metalla admixta habent, qua colluvie vix alibi signatos numos reperi, suntque fabricae insigniter barbarae, quorum typi sunt capita informia, aves, equi etc. Eorum plura exemplaria sunt in museo Caesareo, et meminerunt etiam Pellerinius [m]) et Caylus [n]), qui facto examine chymico reperit, ex quibus partibus aes istud sit compositum, quod hac ratione ejus evasit naturae, ut malleo resisteret, solaque fusione hi potuerint numi confici.

IV. Fabrica in nullo optima, in multis non ingrata tamen, at in aliis misere barbara. Argentei proprium quendam modum habent, quo eos esse Gallicos facile doceare; sunt namque minuti, ceu Romanorum quinarii, et laminae tenuis.

V. Ad aetatem numorum Gallicorum quod attinet, fuere, qui censerent, eos non cusos ante tempora, quibus Romani rerum in Gallia potiebantur. Hos inter Sperlingius sanxit, nullum ex iis, quos Bouterovius protulit, observari, qui non Romanis debeatur, illorumque coloniis in Galliam deductis, aut illorum auctoritati jus monetae Galliis concedenti. Causas adfert, quod caesaries illa, illa barba immissa, quam historici veteribus Gallis tribuunt, in his numis abest, tum vero deorum dearumque Romanarum imagines in his observantur [o]). At enim infirmae sunt hae causae. Quis enim facile edixerit, quorum sint hae imagines, Gallorumne, an deorum? Typi vero Romani minus commode Galliam jam tum Romanis subjectam comprobant, quia inde sequeretur, etiam Macedonibus eam paruisse, quia Macedonici in ea typi comparent, ut articulo II. diximus. Fuit semper barbaris proprium, cultiorum populorum typos etiam citra obsequium imitari. Fuisse vero Gallis jam ante Romanorum res monetam propriam, ex Strabone arguimus narrante, Luerium Arvernorum regem, ejus Bituiti patrem, qui cum Fabio Maximo bellum gessit, monetam auream et argenteam in publicum abjecisse [p]). Necesse video statuere, auream

k) L. IV. p. m. 291. l) L. IV. p. m. 152. m) Rec. I. p. 16.
n) Rec. d'Ant. T. VI. p. 330. o) de Num. non cus. c. 37. p) L. IV. p. m. 291.

hanc monetam fuisse aut peregrinam Roma adlatam, aut domesticam. Romanam admittere non possum. Etenim Bituitus cum Fabio bellum gessit anno V. C. 633. Ejus ergo pater Luerius floruit ineunte saeculo VII. ab V. C. At tum aut nulla fuit adhuc Romae pecunia aurea, aut parcissima, ut probabimus in numis consularibus. Necesse igitur, eam pecuniam fuisse domesticam, Gallisque ante Romanorum jugum propriam fuisse monetam, aut viderit Sperlingius, quo se pacto contra Strabonis auctoritatem tueatur. Neque vero dubitari etiam potest, in anteriora tempora pertinere numos aureos et argenteos, quos paullo supra ad modum numorum Philippi II. signatos dixi. Ceterum non negavero, obscura esse pleraque, quae de monetae Gallicae ortu et progressu possunt adferri, quia notis chronologicis, nisi quae coloniarum R. est, prorsus destituitur. Coloniarum numos adhuc imperante Augusto feriri desitos, inde arguimus, quod cum Tiberii capite eorum nullus amplius comparet, et forte etiam tum omni Galliae interdictus usus monetae propriae inducta in provincias pecunia Romana. Sane refert Strabo [q]), de sua utique loquens aetate, nimirum exitu Augusti, et initio Tiberii, a praefectis Romanis Lugduni auream et argenteam monetam cusam. Ceterum non est mihi animus refutandi sententiam auctoris anonymi, dejerantis, numos Gallorum veteres inferiori Augustorum aetati deberi, sic tamen, ut saltem Constantini M. aevum aequent, cujus ille judicii causam ab utriusque monetae similitudine repetit [r]).

VI. In numos Gallicos primus commentatus est Claudius Bouterovius in opere: *Recherches curieuses des Monnoyes de France. Paris* 1666 *in fol.* Adde citatum auctorem anonymum in Memoriis Trevoltiensibus, sed multa frigide, et nullo criterio adserentem. Successit Pellerinius, qui numos Bouterovio ignotos edidit et illustravit [s]). Id genus numos binis etiam tabulis exhibuit auctor musei Pembrockiani [t]). Auctores, qui numos singulares edidere, per ipsum opus laudatos reperies.

---

q) L. IV. p. m. 292. r) Mém. Trev. Nov. 1706.
s) Rec. I. p. 13. et Rec. III. p. 179. t) Part. II. tab. 93. 94.

GALLIA AQVITANICA.

AVARICVM.

Hodie *Bourges*, olim Biturigum caput ad Ligerim.

AVARICO. *Aper.*)(*Eques.* Æ. III. (Pellerin.)

Æ. RRRR.

PETROCORII.

Hujus reliquias nominis hodiernum *Perigueux* conservat.

PETRVCOR. *Caput Palladis galeatum alatum.*)(*Eques.* AR. III. (Bouteroue.)

AR. RRRR.

SANTONES.

Populus ad Oceanum, hodie nomine provinciae *Xaintonge*, et urbis *Saintes* cognitus.

SANTONOS. *Caput Palladis.*)(*Equus currens.* AR. III.

ARIVOS. *Caput Palladis.*)(SANTONOS. *Equus currens.* AR. III.

Q. DOCI. *Caput Palladis.*)(Q. DOCI. SANT. *Equus currens.* AR. III.

Sunt omnes in museo Caesareo, apud Bouteroue, et Hunter.

AR. C.

TVRONES.

Populus Lugdunensi contributus, sed eorum urbs, serius *Caesarodunum*, hodie *Tours* cis Ligerim in Aquitania stetit. A re monetaria medio aevo plus, quam vetere illustris.

TVRONOS. *Caput Palladis galeatum alatum.*)(CANTOPIX. *Equus currens.* AR. III. (Bouteroue.)

Bouterovius literam *C* positam pro *Σ* putat, mixtis nimirum literis Graecis Latinisque, uti scriptum videtur quoque CANTOPIX pro SANTORIX. Hanc sententiam verisimilem faciunt scripta SANTONOS et similia. Istud si verum, *C* pro *Σ* jam mature hunc tractum invasit.

AR. RRRR.

GALLIA NARBONENSIS.

ANTIPOLIS.

Mediterraneo adsita, Massiliensium colonia, cujus causa numi Graece inscripti, hodie *Antibes*.

Capita variantia adscriptis verbis ambiguis: ΜΙΔΙ. vel ΔΗΜ. etc.)(*ΑΝΤΙΠ. ΛΕΠΙ. Victoria tropaeum coronans.* Æ. III. (Pellerin, Mus. Caes.)

Vox *ΛΕΠΙ.* haud dubie Lepidum IIIvirum indicat, quod mox infra confirmabunt numi Cabellionis.

Æ. R.

ARECOMICI.

Vide infra in *Volcae.*

AVENIO.

Hodie *Avignon.*

Caput Apollinis laureatum.)(*ΑΟΥΕ. Aper.* AR. III. (Pellerin.)

Alius similis, sed scriptum AΧΕ. et Æ. III. (Hunter.)

AR. et Æ. RRRR.

BETERRA.

Nunc *Beziers.*

Protome puerilis galeata elata dextera.)(*ΒΗΤΑΡΡΑ. Leo currens, superne* K. Æ. fere I. (Pellerin.)

Caput virile nudum lunae bicorni impositum.)(*Similis aversa.* Æ. II. (Liebe p. 167.)

Holstenius missum sibi a Peirescio numum laudat, in quo scriptum: *ΒΗΤΗΡΡΑΤΩΝ.* [u]), unde verum urbis nomen in codicibus multum corruptum eruitur. Jam et Plinius urbem vocavit *Beterras.* Vide de his plura apud Liebum, qui et jure Harduinum refutat similes numos in Palaestinam avocantem.

Æ. RRR.

CABELLIO.

Hodie *Cavaillon.*

IIvirorum nomine cusos habemus numos, quod et factum videmus in aliis Galliae urbibus, Antipoli, et Lugduni.

CABE. *Caput juvenile pendentibus cincinnis.*)(LEPI. *Cornucopiae intra coronam.* AR. III. (Morelli Fam. Aemil. tab. 2.)

CABE. *Caput muliebre turritum.*)(IMP. CAESAR. *Cornucopiae.* AR. III. (Morelli l. c.)

CABE. *Caput geminum, ceu Jani.*)(M. ANT. - - *Caput M. Antonii nudum.* Æ. III. (Pellerin Rec. I. p. 20.)

AR. et Æ. RRRR.

Colonia. Coloniam fuisse Cabellionem, auctor est Ptolemaeus. Quo certi reddimur, numos inscriptos COL. CABE. huc pertinere, nam nullam aliam urbem ab his literis incipientem fuisse coloniam constat. Lege de his numis late et praeclare disserentem Bimardum [x]).

COL. *Caput muliebre galeatum.*)(CABE. *Caput juvenile intra lauream.* Æ. III. (Mus. Caes. Morelli in Fam. Aemil. tab. 2.)

Æ. RR.

LACYDON.

Vide in sequente Massilia.

MASSILIA.

Illustris Phocaeensium Ioniae colonia, qui Olympiade XLV. Persicam servitutem fugientes hic sibi sedes quaesivere, subinde aucta potentia non in vicina modo litora, sed et ipsam Hispaniam colonias deduxere, ipsi etiam barbarae Galliae salutares inductis artibus moribusque Graecis. Copiosa sunt veterum de hac colonia testimonia, sed vide praecipue Justinum [y]), et Silium Italicum [z]).

Autonomi hujus urbis incredibili sunt numero, quos omnes contulit, et praeclara dissertatione illustravit vir eximius S. Vincent supremus juri dicundo in Provincia praefectus, cui titulus: *Mémoire sur les médailles de Marseille* 1771.

* * *

Caput Dianae cum arcu et pharetra.)(*ΜΑΣΣΑΛΙΗΤΩΝ. ΜΑΣΣΑ. Leo gradiens.* AR. III.

Num hi potiorem monetae Massiliensis numerum faciunt. Causam Dianae numis insertae infra in aeneis prodemus.

---

u) in *Βαιταρρα.* x) ad Jobert. T. II. p. 235. y) L. XLIII. c. 3. z) Pun. XV. v. 169.

Vtramque superficiem plerumque litera una pluresve vario modo conjunctae obsident, quarum explicatio erui nequit. Ingens etiam exstat numerus similium numorum opere supra, quam credi potest, barbaro. Nunquam mihi persuasero, Massilienses ad extremum usque imperii R. aevum praeclaris artibus deditos tam barbarae monetae fuisse auctores. Quare credam potius, a finitimis Gallis barbaris ad exemplar numorum Massiliensium eos percussos, quo modo etiam Philippi II. et Alexandri M. numos barbaris in exemplum serviisse alibi docemus.

* * *

Caput virile imberbe.)(MA. *in area quadripartita.* AR. IV. (Mus. Caes. Pellerin.)

ΜΑΣΣΑ. Caput Apollinis.)(M. *in area quadripartita.* AR. IV. (Pellerin.)

ΛΑΚΥΔΩΝ. Caput juvenile.)(*Area quadripartita.* AR. IV. (Pellerin.)

Numum ex his primum pertinere Massiliam, jam pridem sanxit Bouterovius [a]), quare mirum, potuisse Froelichium suspicari, numulos esse Macedonicos, et aream in quatuor partes sectam indicare Macedoniam a Romanis quadrifariam divisam [b]). Numus alter inscripto *ΜΑΣΣΑ.* loquacior dubium omne penitus aufert. Exstant numi Syracusani his prorsus similes, nisi quod pro *ΜΑ.* legitur *ΣΥ.* vel *ΣΥΡΑ.*, quibus Princeps Turris Muciae perperam numum literis *ΜΑ.* insignem miscuit. Refert illustris S. Vincent supra laudatus, legi in actis Provinciae ad annum 1366., stupendam hujus generis numorum copiam in agro apud castrum de Tourreves a pueris ludentibus repertam, quo enarrato sic claudit historicus: *Et erat ipsa pecuniae forma talis, habens ab una parte formam capitis Sarraceni, et ab alia parte erat formae talis, habens crucem cum literis, sicuti patet, MA, et erat puri argenti fini, quod dicebatur valere denarios quinque vel circa nunc usualis monetae, de quo eventu multi praesagiati sunt potius malum, quam bonum: quid autem per hoc futurum sit, deus novit.* Iisdem binis literis usi sunt adhuc Massilienses in suis medii aevi numis regum Francorum, quos videre potes apud le Blanc.

Numulus III. in uno Pellerinii museo conspicuus illustre est Massiliae monumentum. A praecedentibus solo inscripto *ΛΑΚΥΔΩΝ* differt, cujus explicationem vocis ex Pomponio Mela hausimus [c]): *Lacydon*, inquit, *Massiliensium portus, et in eo ipsa Massilia.* Praeterea Eustathius [d]): *ἀγαϑος γαρ τοις Μασσαλιωταις λιμην ὁ Λακυδων, praestans enim Massiliensibus portus Lacydon.*

* * *

Caput Palladis, pone A *vel* B.)(*ΜΑΣΣΑ. Aquila stans expansis alis.* AR. IV. (Pellerin, Hunter.)

Rarissimi sunt Massiliae numi argentei, qui sint aliis typis quam quos hactenus vidimus.

* * *

Caput Apollinis.)(*ΜΑΣΣΑΛΙΗΤΩΝ. Taurus cornupeta.* Æ. II. (Mus. Caes.)

a) pag. 55. b) Not. elem. p. 143. c) L. II. c. 5. d) ad Dionys. v. 75.

Caput Palladis.)(MA. *Tripus.* Æ. II. (Mus. Caes.)

Caput Dianae.)(*ΜΑΣΣΑΛΙΗΤΩΝ. Diana Ephesia cum cervo adstante, omnia intra coronam.* Æ. III. (Mus. Caes.)

Typus tauri irruentis obvius est in Massiliae numis aeneis. Habuit urbs in vicino portum dictum *Tauroenta* testibus Mela et Stephano. Refert hic [e]), navem, in qua vecti sunt, qui urbem condidere, pro insigni habuisse taurum, et a classe Phocaeensium rejecti cum essent, illuc appulisse, ac urbem a navis insigni nominasse. Ex simili causa credam numum alterum Palladis cultum jactare; nam in vicino fuit Athenopolis Massiliensibus subjecta testibus Plinio et Mela. Diana Ephesia postremo numo inserta praeclare confirmat verba Strabonis perhibentis, Dianam Ephesiam praecipuum fuisse Massiliensium numen, ejus honori conditum apud se fanum dictum *Ephesium,* ejusque cultum in colonias etiam propagatum [f]). Nimirum cum Phocaeenses patriae suae irati novas sedes quaererent, Aristarcha mulier secundum quietem monita civibus persuasit, ut Dianae Ephesiae quampiam imaginem navi impositam viae ducem deligerent. Atque hinc tractus fuerit mos, mulierem sacerdotem a patria Phocaea arcessendi. Sic marmor Phocaeae repertum Fl. Moschum appellat *Αρχιερειαν Ασιας ναου του ἐν Εφεσῳ πρυτανιν ϛεφανοφορον δις και ἱερειαν της Μασσαλιας ἀγωνοθετιν κ.τ.λ. summam sacerdotem templi Asiae, quod est Ephesi, prytanin, stephanophoram iterum, et sacerdotem Massiliae, agonothetin, etc.* (Spon. Misc. p. 349.)

AR. et Æ. C.

NEMAVSVS.

Volcarum Arecomicorum, quorum et infra numos dabimus, urbs princeps.

Autonomi Nemausi nondum coloniae rarissimi.

Caput muliebre diadematum, pone A.)(NEMAV. *Eques citato cursu d. binas hastas, superne astrum.* AR. III. (Bouteroue.)

AR. RRRR.

Colonia a quo deducta, incertum, sed fuisse celebrem, et opulentam, tot superstites Romanae magnificentiae reliquiae, quot nulla alia Gallicarum urbium potest ostentare, quasque ipse cum admiratione vidi, abunde testantur, inter quas praecipuae amphitheatrum mirandae molis, et vicinus aquaeductus.

Autonomi:

Caput juvenile galeatum.)(NEM. COL. *intra coronam.* AR. IV. (Mus. Caes.)

Caput juvenile galeatum.)(NEM. COL. *Mulier stans ante aram d. pateram, s. columnae innixa* Æ. IV. (Mus. Caes.)

Numus prior istud habet singulare, quod argenteus est, cum nullius alterius coloniae, qua patuit orbis Romanus, monetam argenteam addito coloniae nomine habeamus. Vterque numus, tam argenteus, quam aeneus, rarus est.

Imperatorii.

IMP. DIVI. F. *addito in aliis:* PP. *Capita duo opposito occipite, Augusti lau-*

---

e) in *Ταυροεις.* f) L. IV. p. m. 271.

reatum, Agrippae cum corona rostrata.)(COL. NEM. *Crocodilus palmae adligatus, superne corona.* Æ. II.

Nihil his numis magis obvium. Pars aversa omnino videtur allegoriam continere, et crocodilus vinculis adstrictus indicare Aegyptum captam, palma et corona laurea adludere ad victoriam de Cleopatra relatam. Sed quae sit causa hujus typi monetae Nemausensi inserti, ariolari piget. Numi, qui juxta Augusti caput literas P. P. offerunt, ante annum V. C. 751. feriri non potuere, nam hoc demum anno Augustus P*atris* P*atriae* titutum admisit. At Agrippa his numis semper insertus ante annos IX. diem obivit. Vnde verisimile, Nemausenses Agrippae ex quacunque causa multum obstrictos ejus memoriam his numis renovare voluisse.

Exstant non pauci hujus generis numi, ex quorum margine prominet pes hinnuli justae magnitudinis. De his, sed ob alias causas, jam egi in Prolegomenis generalibus [g]). Comes Caylus, qui de his data opera disseruit [h]), ut ultro fatetur, veram eos monetam non fuisse, sic conjicit, ad aliquod superstitionis argumentum valuisse.

Æ. C.

RHODA vel RHODANVSIA.

De hac Plinius: *ubi Rhoda Rhodiorum fuit, unde dictus multo Galliarum fertilissimus amnis.* Et teste Marciano Heracleota: *Phocaeenses Massiliae conditores tenuerunt etiam Agatham, et Rhodanusiam, quam magnus fluvius Rhodanus praeterfluit.*

Caput Solis obversum, prae quo aquila.)(MA. *Flos balaustium.* AR. III. (Pellerin.)

Typus totus Rhodius est, at literae MA. Massiliam respiciunt. Ingeniose ergo conjecit Pellerinius, Rhodenses utriusque faciei typo veteres suos conditores Rhodios, literis MA. novos dominos Massilienses spectasse. Addit praeterea Pellerinius, numum hunc in hodierna Provincia repertum, quo magis verisimile est, cimelium hoc Rhodo insulae non deberi.

Dixi in numis Rhodae Hispaniae Tarraconensis, numos huic tribui solitos cum epigraphe *ΡΟΔΗΤΩΝ* forte tutius huic Galliae Rhodae tribuendos, quod viderint eruditi.

AR. RRRR.

RVSCINO.

Jam fere interiit, sed comitatui *Roussillon* nomen dedit. A Romanis deducta colonia.

COL. RVS. LEG. VI. *Duae aquilae legionariae*, in numi Augusti.

Plures sunt coloniae a RVS. incipientes, quas enumerat Vaillantius, sed Ruscinonem Galliae praefert eam potissimum ob causam, quia numus, quem edidit, in Ruscinonis agro repertus est.

Æ. RRR.

SEGVSIA.

SEGVSIA. *Caput Palladis prominente retro hasta.*)(*Hercules, ut videtur, nudus stans d. pateram, et praeterea clavam*

g) Cap. XI. h) Rec. T. II. p. 341.

scripto juxta ARVS., *juxta figura pallio tota obtecta basi insistit.* AR. III. (Pellerin.)

Alius similis, sed in antica scriptum: SECVSIANVS. (Bouteroue.)

Variant sententiae utriusque auctoris, cui populo similes sint numi tribuendi. Bouterovius Segusianos respexit, in quibus situm Lugdunum. At Pellerinius conjecit, esse urbis sitae in Alpibus Cottiis, dictae *Segusio, Segusium, Secusia,* nunc *Suze* Pedemontii Italiae. Res plane incerta, ut et typus partis aversae, et ipsum vocabulum ARVS, quod variis modis explicare quidem tentavit Bouterovius, sed sic, ut horum nullus satisfaciat. Conjecturas magis infirmas levesque vide in dissertatione anonymi in Mem. Trevolt. Novemb. 1706. pag. 1979., tum et in Miscellaneis observ. crit. nov. T. IV. p. 218., ubi conjicitur, Herculem dictum ARVS, tracto nomine ab Arausiensibus Galliae populo.

AR. RRR.

VIENNA.

Allobrogum caput. Colonia teste Plinio.

IMP. CAESAR. DIVI. F. — DIVI. IVLI. *Capita nuda occipite opposito J. Caesaris, et Augusti.*)(C. I. V. *Navis.* Æ. I.

Valentiae Hispaniae hos numos largiti sunt Harduinus et Vaillantius legendo nimirum: C*olonia* I*ulia* V*alentia.* Sed evicit Panelius, quem et Pellerinius sequitur, (Mel. I. p. 246.) legendum esse: C*olonia* I*ulia* V*ienna.* Etenim his numis simillimi sunt tam inscriptione, quam typis numi vicinae Copiae, seu Lugduni, et capita sic opposita in Gallicarum tantum urbium numis usitata fuere, ut Copiae, Nemausi, et nunc hujus Viennae. Sed quod caput est, etiam dubitavit Florezius, utrum numi similes Valentiam Hispaniae pertineant, quia non in Hispania reperiuntur, sed ex Gallia inferri solent, teste vero Pellerinio inveniuntur in agro Lugdunensi, ejusque vicinia.

Dubitantis more olim huic coloniae numum tribuendum putavi, ut et in hunc usque diem dubito:

A. C. I. V. *Caput M. Antonii.*)(Q. PAQVIVS. RVF. LEG. *Figura togata in sella curuli sedens.* Æ. III.

Literae partis adversae sic legendae visae: A*ntonius* C*olonia* I*ulia* V*ienna.* Vide, quae ad hunc numum observavi in meis Numis vet. pag. 3., et quae dicemus in Familia Pacuvia, vel Paquia. Abbati Sestino hi numi pertinere ad Apros Thraciae coloniam videntur. (Lettere p. 138.) Argumenta, quae adfert, ejus sunt generis, ut mirer profecto, si ipsi auctori fidem fecere.

Æ. RR.

* * *

De numis aureis inscriptis: VIENNA. DE. OFFICINA. LAVRENTI agemus in numis Mauricii Aug.

VOLCAE ARECOMICI.

Populus circa Rhodanum, cujus caput Nemausus.

Caput imberbe laureatum.)(VOL. *Equus currens.* AR. III. (Hunter.)

VOLCAE. *Caput muliebre.*)(AREC. *Figura togata stans, juxta palmae ramus* Æ. IV. (Caes. Bouteroue.)

Protome muliebris, juxta AR *in monogrammate.*)(VOLC. *Aquila expansis alis d. pede palmae ramo insistens, s. pede*

lauream stringens. Æ. (Pembrock Part. III. tab. 19. n. 1.)

Ex his numus prior, ut Gallicus certe est, sic utrum Volcarum Arecomicorum sit, minus certum, nam et contigui fuere Volcae Tectosages. At numus alter diserte ARE*Comicos* eloquitur. Idem reor praestare etiam numum III. per monogramma AR. Nam non adsentior auctori musei Pembrockiani, qui in verbo VOLC. Romanam gentem Volcatiam vidit.

AR. Æ. RR.

GALLIA LVGDVNENSIS.

ABALLO.

Pellerinio hodiernum *Avalon* Burgundiae dicitur, cui sequentem numum tribuit.

Caput juvenile.)(ABALLO. *Mulus gradiens.* Æ. III.

Æ. RRRR.

ANDEGAVI.

Hodie *Angers.* Hujus populi argenteos et aeneos edidere Bouterovius et Pellerinius inscriptos ANDEC. In alio musei Caesarei legitur: ANDECAV. Typi sunt: *Equus currens,* vel *Eques.*

AR. Æ. RR.

AVLERCI EBVROVICES.

Hodiernum *Evreux* Normandiae.

AVLERCO. *Equus currens.*)(EBVROVI. *Aper currens.* In alio: EBVROVICES. *Figura in lentis boum bigis.* Æ. III. (Bouteroue.) In Pellerinianis scribitur: AVLIRCO. EBVR.

Cum Aulerci trifariam divisi essent, in *Eburovices, Cenomanos,* et *Diablintes,* adjectum EBVROVICES dubium tollit. Scriptum AVLIRCO consentit cum Ptolemaei *Αὐλιρκιοι.* Cum AVLERCO solum legitur, ceu in binis Pellerinianis, incerti sumus, ad quos tum Aulercos similes numi pertineant.

Eidem huic populo Pellerinius applicat numum cum epigraphe IBRVIX.

Æ. RR.

CABALLODVNVM.

Hodie *Chalon sur Saone.* Ex mente Bouterovii huc pertinet:

Caput juvenile diadematum.)(CABALLO. *Bos irruens.* AR. III.

AR. RRR.

CATALAVNVM.

Hodiernum *Chalon* Campaniae.

Ejus numi offerunt inscriptum CATAL. vel *CATAΛ.* typo *aquilae fulmini insistentis,* vel *leonis.* Æ. III. (Pellerin.)

Æ. RRR.

COPIA.

Vide *Lugdunum.*

EBVROVICES.

Vide supra *Aulerci.*

LAVDVNVM.

Nunc *Laon.* Harduinus pro numo vetere recitavit ex Sirmondo numum aureum inscriptum: LVGDVNO. CLOATO. Eundem recitant Bouterovius [i]), et le Blanc [k]), sed legunt: LAVDVNO. CLOA-

i) pag. 195. k) pag. 83.

TO, et esse numum medii aevi adfirmant, qui adeo nostri instituti non est.

LVGDVNVM, COPIA.

Urbs illustris ad Rhodani et Araris confluentem, dicta olim *Lugudunum*, deinde *Lugdunum*, V. C. 711. a. L. Munatio Planco ex S. C. deducta colonia, ut tradidere Dio [l]), et Seneca [m]). In hac urbe praefectos Romanos cudere monetam auream et argenteam, dixit Strabo [n]).

* * *

Lugduni nomine exstant quinarii inscripti LVGVDVNI, quos explicatos vide in numis Antonii IIIviri.

* * *

Copia. Lugduno fuisse nomen Copiae, testantur complura marmora, quae collegit Cellarius, in quibus ea urbs dicitur: *Colonia Copia Claudiana Augusta Lugdunum.* Quo motus Harduinus huc revocavit autonomos aeneos inscriptos COPIA [o]), sed quos nunc novimus pertinere Thurium Lucaniae. At sunt numi alii inscripti COPIA, quos verisimile est Lugduno Copiae tribuendos. Eccos:

IMP. CAESAR. DIVI. F. — DIVI. IVLI. *Capita nuda opposito occipite J. Caesaris, et Augusti.*)(COPIA. *Navis.* Æ. I.

Miris conjecturis hi numi campum aperuere. Vaillantius aut coloniae Valentiae Hispaniae tribuendos putavit, aut divisis literis nescio cui coloniae Pacensi. Alii Thurium Lucaniae, serius et *Copia* dictum, respexere. Variorum conjecturas late expensas a Schlegelio et Havercampo lege, si durare potes, in Impp. Morellii [p]). At Panelius consentiente Pellerinio [q]) similes numos inscriptos COPIA sic censet Lugduno tribuendos, ut numos C. I. V. Viennae Allobrogum et quidem ex iis omnino causis, quas supra in numis hujus Viennae commemoravi, quo sane judicio acquiescendum videtur.

De numis primorum Augustorum, in quorum aversa est ROM. ET. AVG., quos sunt qui signatos Lugduni putant, vide numos Augusti.

Revixit nomen *Lugduni* testibus numis Albini, inscriptis: GEN. LVG.

Æ. R.

REMI.

Hodie *Reims.*

REMOS. ATISIO. *Caput imberbe nudum.*)(*Leo.* Æ. III. (Pellerin.)

Capita tria imberbia jugata.)(REMO. *Figura in citis bigis.* Æ. III. (Mus. Caes. Hunter.)

Tria capita numi alterius varios habuerunt interpretes. Alii, ut docet Pellerinius [r]), crediderunt exhiberi principem, senatum, populum. Alii IIIviros, alii tres Gallias. Incerta omnia.

Æ. RR.

ROTOMAGVS.

Hodie *Rouen.*

RATVMACOS. *Eques,* vel *bigae.* Æ. III. (Pellerin.)

Æ. RRR.

l) L. XLVI. § 50. m) Epist. 91. n) L. IV. p. m. 292.
o) Num. pop. in *Lugdunum.* p) T. I. p. 73. et 352. q) Mél. I. p. 246. r) Rec. I. p. 26.

SEQVANI.

Populus Rhodano et Arari interceptus.

Caput virile imberbe nudum.)(SEQVANO. *Aper.* Æ. III. (Bouteroue, Pellerin Rec. III. p. 186.)

Æ. RRR.

GALLIA BELGICA.

AGRIPPINA.

Colonia in Ubiis sita, hodie quoque *Coloniae* nomine cognita, sic dicta ab Agrippina jun. in Ubiis nata.

Coloniae nomine (missis Golzii figmentis) signati numi huic oppido tribuuntur sequentes:

--- C. POSTVMVS. P. F. AVG. *Caput Postumi rediatum.*)(COL. CL. AGRIP. COS. IIII. *Mulier stans d. bilancem, s. cornucopiae.* (Haym Thes. Br. T. II. p. 391. Mediobarb. in Postumo.) Sed epigraphen numi similis sic enunciat Cl. Beauvais: C. C. A. A. id est: *Colonia Claudia Augusta Agrippinensis.* (Hist. abr. T. II. p. 51.)

Id genus numos signandos curavit Postumus Galliarum tyrannus nulla certa causa. Colonia haec dicitur *Claudia* a conditore Claudio V. C. 803., ut testatur Tacitus [s]).

Æ. RRRR.

EBVRONES.

Populus olim, ubi nunc ager Leodiensis. Ei tribui solent numi sequentes:

Caput Palladis galeatum alatum, adscripto: AMBIORIX. vel: TAMBIL.)(EBVRO. *Eques hastatus.* AR. III. (Bouteroue, Pellerin.)

De Ambiorige Eburonum regulo mox infra in regulis Gallicis agetur.

AR. RR.

MEDIOMATRICI.

Hodiernum *Metz.*

Protome Palladis.)(MEDIO. *Eques citato cursu.* Æ. III. (Pellerin.) In alio: MEDIOMA. *Pegasus.* (Harduin.)

Æ. RRR.

TORNACVM.

Nunc *Tournay* forte.

DVRNACOS. *vel* DVRNACVS. *Caput Palladis galeatum alatum.*)(DONNVS. *Eques hastatus.* AR. III. (Bouteroue.)

DVRNACOS. *Caput simile.*)(DVBNOREX. *Miles stans s. hastam, pro pedibus aper.* AR. III. (Bouteroue.)

DVBNOREX. *Caput muliebre.*)(DVBNOREX. *Miles stans utraque manu caput humanum tenet.* AR. III. (Bouteroue.) *In simili Pembrockiano legitur* DVBNOREIX. (Part. II. tab. 93. n. 4.)

Caput muliebre.)(DVBNOREX. *Miles gradiens aprum hasta defixum gestat.* AR. III. (Bouteroue.)

DVRNACOS. *Caput Palladis galeatum alatum.*)(AVSCRO. *Eques hastatus.* AR. III. (Mus. Caes. Bouteroue.)

Primus fuit Bouterovius, qui conjecerat, numos inscriptos DVRNACOS Tornacum pertinere, quem secuti sunt alii. Verum non satis constat, fueritne Tornacum vetus nomen hodierni *Tournay.* Quare certi nondum sumus, sitne *Dur-*

s) Ann. XII. 27.

nacos nomen oppidi, an reguli. Certi reguli videntur *Donnus, Dubnorex, Auscro.* Priorem *Donnum* Begerus eundum putavit, de quo Ovidius [t]): *progenies alti fortissima Dauni,* qui fuit Alpium Cottiarum rex, Straboni perperam dictus *Ideonnus* pro *Donnus*, ut comprobavit Bimardus ex epigrammate arcus Segusini in dissertatione, quae exstat in Thesauro Muratorii [u]). Quod si hic Donnus vere in his numis indicatur, valeat Tornacum Belgicae. Verum neque Begeri sententia tuta. Nam etsi vox DONNVS huic Alpium regulo competat, an et inscriptos numis similibus DVBNOREX et AVSCRO earum regulos statuemus? Difficile, in his tenebris aliquid adfirmare.

Pellerinius divisa voce DVBNOREX legit DVBNO REX, et Dubnonem *regem* facit [x]). Sed forte ea vox una tantum est perinde ac in similibus AMBIORIX, TOGIRIX etc. Saepius in numis Gallicis E. et I. permutata videmus. Sic vidimus supra AVLERCO et AVLIRCO, et in Pembrockiano vidimus scriptum DVBNOREIX. Ejusdem fere nominis fuit *Dumnorix* Aeduorum princeps apud Caesarem [y]).

De apro in his numis obvio egimus in prolegomenis ad hos Galliae numos. Typo militis bina capita gestantis putat Bouterovius indicari praeclarum regis in acie facinus, citatque Strabonem et Diodorum perhibentes, fuisse Gallis in more positum, capita hostium ex equorum collis suspendere.

AR. C.

VIRODVNVM.

Hodiernum *Verdun.*

VIRODV. *Caput Palladis galeatum alatum.*)(TVROCA. *Eques hastatus.* AR. III. (Mus. Caes. Bouteroue.)

AR. RR.

REGVLI vel MAGISTRATVS GALLICI.

Praeter urbium nomina his numis inscripta occurunt alia seu regum seu magistratuum. In uno ac forte altero *regis* nomen aperte additur, quo docemur, etiam inscriptos reliquos aliquo magistratu in civitatibus suis functos. Lubet varia haec nomina ordine alphabetico proponere, addito paucis, si quid animadvertendum videbitur. Nolim tamen adfirmare, omnia haec vocabula, quae subjecta leges, esse magistratuum, nam horum nonnulla forte urbem indicant, sed quod ignoramus.

ABVDOS, (Pellerin Rec. III. tab. 124. n. 13.)

AMBACTVS, (Pellerin Rec. I. tab. 3. n. 1.) Ea vox apud Caesarem *servum* vel *clientem* significat [z]). Sitne verbum Gallicum, an Latinum, disputant eruditi ad hunc Caesaris locum.

AMBIORIX, addito EBVRO, in numis Eburonum Belgicae. Caesar saepe in commentariis meminit Ambiorigis Eburonum reguli, hominis fraudulenti [a]). Opportune hoc loco agemus de terminatio-

---

t) De Pont. L. IV. el. 7. u) Tom. I. p. 74. x) Rec. I. p. 28.
y) B. G. L. I. c. 3. z) Bell. Gall. L. VI. c. 15. a) B. G. L. V.

ne virorum in RIX in his Galliae numis obvia. De hac ad eundem hunc Ambiorigis numum disserens Bouterovius ait, postremam literam *X* esse *χ* Graecum, non ξ Latinum, et quod sequitur, pronunciandum *Ambiorich; το* RICH in vetere Gallorum lingua significare *fortem* et *potentem*, quod confirmat testimonio Fortunati, qui verbum *Chilperich* interpretatur *adjutor fortis;* derivari autem ex Arabum RIK, quod his est *vis* et *robur*. Placet ad singula nonnihil observare. Quo pacto adserere possit, ultimam literam esse Graecum *χ*, non adsequor. Novi, in his Gallorum numis saepe literas Graecas Latinis permixtas, verum an verisimile, cum tot habeamus in his numis virorum appellationes in RIX exeuntes, ut in praesente catalogo videbimus, semper hoc loco literam Graecam Latinae suffectam? At demus, miro istud casu contigisse. An vero et in Caesaris Commentariis haec facta permutatio, in quibus toties *Ambiorix, Dumnorix, Orgetorix, Vercingetorix* etc. legitur? Quid vero diu immoramur, quando idem hic *Vercingetorix* ipsi Straboni Graece scribitur *Οὐεϱκιγγετωϱιξ*, quando sane, si postrema syllaba enuncianda fuisset *rich*, non *rix*, scribi debuisset *Οὐεϱκιγγετωϱιχ*. Adde alterum Gallum, qui in marmore Ancyrano dicitur *ΑΛΒΙΟΡΙΞ* [b]). Et vero ex casibus obliquis *Ambiorigis, Dumnorigis* etc. quibus utitur Caesar, necessario fluit rectus *Ambiorix, Dumnorix*, ut ex *legis, gregis* rectus *lex, grex,* nullo vero modo *Ambiorich*, vel *Dumnorich*. Quod si vere barbara quaedam virorum vocabula in *rich* exivere, tum illa Romani in *ricus* produxerunt. Sic ex *Athalarich* enatum *Athalaricus*, ex *Theodorich* vel *Dietrich Theodoricus* testibus numis. Alterum, quod ait Bouterovius, *το* RICH in lingua Gallorum veterum significare *fortem* et *potentem*, solido quodam argumento cuperem confirmatum, cujus generis certe non est testimonium Fortunati de voce *Chilperich;* haec enim Gallorum veterum non est, sed Francorum ex Germania advenarum, qua in regione late sumpta prognata sunt nota illa verba in *rich* desinentia, ut *Dietrich, Genserich, Henrich, Friedrich, Ulrich,* etc. At ex mente meliorum nostrorum grammaticorum syllaba in *ich* desinens nota est terminationis masculinae. (Frisch in voce *Diet.* Adelung in voce *Rich.*) Cum vero viderem, Bouterovium ad Arabicum *Rik* provocare, intellexi denique, virum eruditum omne hoc ratiocinium Bocharti ingenio, quod et ipse subinde profitetur [c]), debere, qui omnem hanc doctrinam, quam Bouterovius de praetenso hoc Gallorum RICH commemorat, praecepit [d]).

ANDOBRA, (Catal. d'Ennery p. 119).

AREMACIOS, (Pellerin Rec. III. tab. 124. n. 2.)

ARTOIA, (Pellerin Rec. I. tab. 5. n. 12.)

ATEPILOS,)(TOVTOBOCIO. Numum hunc olim edidi ex museo M. Ducis, quo loco ex auctoribus nomina Gallorum adfinia, *Atepomarus, Ateporix* citavi. (Num. vet. p. 4.) De *Toutobogio* agetur infra.

b) Montfaucon Pal. Graec. p. 157. c) Infra pag. 156. d) In Canaan cap. 42.

ATEVLA, *Protome juvenilis alata.*)(VLATOS. *Equus stans, infra pentagonum.* AR. obvii.

Post Mediobarbi oraculum passim numi similes Attilae Hunnorum regi tribui sunt soliti. At non occultavit Begerus scrupulos, Ateulam hunc hominem esse Gallum potius, quam Attilam conjiciens, nihil tamen ultra progressus [e]). Nostra hac aetate jam non dubitamus, similes numos esse Gallicos, quod metallo, volumine, fabrica, typo Gallicis sunt simillimi, nihilque iis cum rege Hunno negotii. ATEVLA vero esse nomen Gallicum, comprobat lapis prope Nancejum effossus, in quo occurrit ATEVLA. SOLLI. F. [f]). Sententiam hanc confirmat etiam vox aversae VLATOS, qua indicari hominem Gallum docet marmor, quod post Gruterum adcuratius edidit Sponius [g]), repertum apud Lugdunum, in quo proditur nomen C. VLATTI. MELEAGRI. IIIIIIVIR*i* AVG. *Coloniae Claudiae Copiae Augustae Lugduni.* En tibi Attilam iterum praedonem ex Galliis iterum exactum.

ATISIO. in numo Remorum supra citato.

AVSCRO. in numis dubiis Tornaci Belgicae.

AVDOS. (Pellerin Rec. I. tab. 6. n. 24.)

BIRACOS. (Pembrock. Part. II. tab. 94.)

BOOVIKA. quo nomine latere Taciti *Boadicam,* famosam sub Nerone Britannorum reginam conjicit Bouterovius. (pag. 67.)

BRIGIOS. (Catal. d. Ennery p. 120.)

CALEDV.)(SENODON. (Mus. Caes. Pellerin Rec. I. tab. VI. n. 41.)

CAMBOTR. (Mus. Caes.)

CANTOPIX. in numis Turonum Aquitanicae, nisi forte est pro SANTORIX.

CARMANOS. Vide infra COMMIOS.

CIAMILO. (Pellerin Rec. I. tab. V. n. 14.)

COIOS. Vide infra in *Orcitirix.*

COLIMA. (Pellerin Rec. I. tab. VI. n. 25.)

COMMIOS. Nomen istud exstat in numo: CARMANOS. *Protome imberbis galeata.*)(COMMIOS. *in aliis* COMIOS. *Equus currens, infra folium triplex, et Θ.* AR. III. Commius, vel Comius a J. Caesare Atrebatum rex constitutus, additis etiam Morinis civitate immuni esse jussa, atque istud propter magna ejus in bellis Gallicis et Britannicis merita, quae testimonia vide apud Begerum multum in hoc numo versatum [h]). Vocis CARMANOS significatio ambigua.

CONTOVTOS. (Pellerin Rec. I. tab. VI. n. 26.)

CORILISSOC. (Pellerin Rec. I. tab. VI. n. 28.)

CRICIRV. (Ibid. n. 32.)

CVN. CVNO. CVNOBILIN. (Pembrock Part. II. tab. 94.)

DALETVONVS. Exstat numus: REX. *ΔALETVΩNVS. Caput leonis.*)(SO-

---

e) Thes. Br. T. I. p. 313. f) Reines. Inscr. Cl. II. n. 37. g) Misc. p. 170. h) Thes. Br. T. I. p. 305.

TIOGA. *Leo gradiens.* AR. III. Pellerinius, qui praeclarum hunc numum edidit, (Rec. I. p. 32.) hoc nomine latere putat *Adcantuannum* varie in codicibus scriptum, et *Sotiatum* Aquitaniae principem, quem a Crasso victum perhibet Caesar [i]), et nomine SOTIOGA eosdem hos *Sotiates* intelligendos.

DIAOVLOS. Conjicit Pellerinius, hoc nomine forte significari *Diablintes*, dictos Ptolemaeo *Διαυλιται*, qui fuere pars Aulercorum. (Rec. III. p. 182.)

DOCI. in numis Santonum Aquitaniae, sed scriptum Q. DOCI. (Bouteroue p. 59.)

DONNVS. Vide supra in numis Tornaci Belgicae.

DVBNOREX. Vide numos Tornaci Belgicae.

DVRAT.)(IVLIO. (Mus. Caes.) Lege conjecturas Pellerinii de inscriptis his vocabulis. (Rec. III. p. 179.)

EPENOS. *Caput juvenile.*)(*ΕΠΗΝΟC. Eques.* (Catal. d' Ennery p. 120.)

GAINOC. sed scriptum *ΓΑΙΝΟC.* (Pellerin Rec. I. tab. VI. n. 38.)

GERMANVS, Vide INDVTIOMARVS.

ΓΙΧΤΙΛΟS. (Pellerin Rec. I. tab. V. n. 17. seq.)

IBRVIX, quod Pellerinius positum pro EBVROVIX conjectat. (Rec. I. p. 23.)

ILPOMILA. (Pellerin Rec. I. tab. VI. n. 46.)

INDVTIOMARVS. Numi sunt obvii: *Caput juvenile.*)(GERMANVS. INDVTIIIII. *Bos gradiens.* Æ. III. Bini Indutiomari a veteribus sunt proditi, unus Allobrogum dux a Cicerone [k]), alter Trevirorum princeps saepe Caesari libro V. memoratus. Posteriori huic praesentem numum tribuendum putat Begerus [l]) suadente istud voce INDVTI. sic ut additae lineolae videantur indicare IIIviros, et praecedens vocabulum GERMANVS Indutiomari genus e Germanis tractum. Vide de hoc numo conjecturas alias sane infirmas, primum Joberti, qui in postremo verbo *Indictionis* notam exhiberi, etsi conjecturae suae multum diffidens, censet [m]), deinde Bimardi, qui cum perperam legeret INDVTILLI, apud Illiberitanos Hispaniae hos signatos numos suspicatur [n]).

KRACCVS. (Pellerin Rec. I tab. VI. n. 31.)

LITA. LITAN. (Pellerin Rec. I. tab. V. n. 5. et Rec. III. tab. 124. n. 6.)

ΝΑΜΑΣΑΤ. (Bouteroue p. 56.)

NINNO. (Mus. Caes. Bouteroue.) Sitne operae pretium, ut, quod nemo jam credet, moneam, Begerum ex hoc NINNO Ninnium apud Marrucinos et Marsos illustrem exsculpere [o])?

ORCITIRIX. Nomen istud legitur in numis: *Caput imberbe diadematum, in nonnullis juxta scriptum* COIOS.)(ORCTIRIX. *vel* ORCITIRIX. *Equus currens.* AR. III. Bouterovius, qui numum similem edidit [p]), putat, hunc numi Orcitirigem esse eum ipsum, qui Caesari Orgetorix dicitur, auctorque fuit popularibus Helvetiis, ut in Gallia sibi sedes

---

i) B. G. L. III. c. 21. 22. k) pro Fontejo. l) Thes. Br. T. I. p. 309.
m) Sc. des méd. T. I. p. 163. n) Ibid. p. 460. o) Th. Br. T. I. p. 311. p) pag. 51.

quaererent, librariorum vero vitio literam I in E et O mutatam. Bouterovium secuti sunt alii, quos enumerat insignis vir eruditionis Gaspar Odericus in *Epistola de argenteo Orcitirigis numo*, neque tamen existimat, numos hos huic Caesaris Orgetorigi tuto tribui posse, tum quod hujus nomen aliter in numo scribitur, tum quod nominum adfinitas saepe in errorem inducit. Quae de addito altero nomine COIOS mira comminiscitur Bochatus [q]), lepide ab eodem Oderico refutata vide [r]).

OVIRICIV. (Pellerin Rec. III. tab. 124. n. 3.)

ROVECA. (Pellerin Rec I. tab. V. n. 11. et Rec. III. tab. 124. n. 8.)

SENODON.)(CALEDV. (Mus. Caes.)

TAMBIL. in numo Eburonum Belgicae.

TASC. TASCIO. (Pembrock P. II. tab. 94.)

TATINOS. (Catal. d' Ennery p. 120.)

TOGIRIX. (Bouteroue p. 62.)

TOVTOBOCIO.)(ATEPILOS. in numo, quem olim vulgavi. (Num. vet. p. 4.) Vox TOVTO in Gallicis nominibus nequaquam inaudita. Sic apud Gruterum ex marmore Arelatensi: Q. MELLIVS. TOVTONIS. F. [s]). Apud Muratorium ex marmore Aramontii Occitaniae: TOVTO. DIVICIAN. TILLI. F. [t]). Nomen non multum absimile habent *Teutobodiaci* populus Gallicus in Galatiam translatus teste Plinio, et *Teutobodus* Teutonum rex a C. Mario ad Aquas Sextias internecione victus, ut eum appellant Eutropius, et Orosius, at Floro idem dicitur Teutobochus [u]). In *bogius* exeunt etiam *Tolistobogii* Galli, hi item in Galatiam transgressi.

TRICCES. (Pellerin Rec. I. tab. IV. n. 35.)

TVROCA. in numo Viroduni Belgicae, quem vide.

VERGA. (Bouteroue p. 64.)

VLATOS. Vide supra in ATEVLA.

VLLVCCI. (Pellerin Rec. I. tab. VI. n. 45.)

* * *

Non commemoro hoc loco numos regum *Bitovii*, *Bitouci*, *Caeantoli*, *Psamytis*, quos descriptos vide in numis regum Galatiae, etsi fuere viri docti, qui eos Galliae propriae tribuerent. Fuere etiam, qui Gallicam mercem putarent tetradrachmos barbaros, inscriptos: ECCAIO. NEME. ADNA. aut similiter, inter quos fuit Hieronymus Zanettus [x]). Verum eos ad veterem Daciam, et vicinum tractum pertinere, alibi ostendam.

---

q) Hist. Suis. T. I. p. 584. r) L. c. p. 20. s) pag. 807. 11.
t) pag. 1503. 5. u) L. III. c. 3. x) de Num. ad vet Gall. pertinent.

BRITANNIA.

Hujus regionis numos veteres certos non tenemus, si eos demas, qui inclinante imperio R. ab iis, qui se Augustos in hac regione ferebant, signati sunt, sed qui ad hanc classem non pertinent. Et vero teste J. Caesare Britanni caruere pecunia, quam diu sui juris fuerunt. Sic enim ille [y]): *Utuntur aut aere, aut taleis ferreis ad certum pondus examinatis pro numo.* Fuere tamen viri eruditi, qui numos quosdam veteres pro Britannicis venditaverunt. En horum aliquos:

Pellerinius numum argenteum inscriptum KONOVO. putavit posse *Conovio* Britanniae oppido tribui, qui tamen formae omnino Gallicae est, nulla alia motus ratione, quam quod nullum hoc nomine oppidum in Gallia reperit, sed quae ratio infirma sane est, fatente istud ipso qui vulgaverat [z]).

Combius argenteum et aeneum musei Hunteriani, in quibus hinc *Eques decurrens*, inde: VER. nullo alio typo, *Verulamio* Britanniae tribuit. Habebit vir eruditus, ipse Britannus, ejus sententiae aptas causas, sed quas ignoro.

Haymius numum vulgavit: *Caput nudum.*)(CARIC. *Equus cum ductore.* (Thes. Br. T. I. p. m. 153.) Tam certum visum fuit erudito praeconi, numum hunc esse Caractaci, qui imperante Claudio gravem in Britannia seditionem concitavit, ut decerneret etiam, praeeunte hoc numo *Caractacum* Taciti in *Carictacum* corrigendum. At enim cum satis certum non sit, numum hunc vere esse Britannicum, vix permittent eruditi, aliquid in vetere lectione immutari.

---

y) Bell. Gall. L. V. c. 12. z) Rec. T. III. p. 187.

GERMANIA.

De hac regione spectatis numis idem esto judicium, quod de Britannia dedimus. Nulli certi, qui ad hanc classem redigi possent, neque verisimile est, ullos a barbara tum adhuc gente cusos. Subjiciam tamen examini paucos illos, quos Germanis tribui posse nonnulli credidere.

ABVDIACVM.

ABVDOS. argenteus formae Gallicae editus a Pellerinio, (Rec. T. III. p. 187.) quem Abudiaco in Vindelicis sito tribui posse censet, si modo constaret, eam gentem numos unquam signasse. Videtur verius in Gallia cusus.

AVGVSTA.

Vindelicorum oppidum, hodie *Augsburg.* Welserus, qui prolixe probat, strobilum, ut nostra aetate, ita et olim fuisse Augustanae urbis insigne, huic urbi tribuit numum, in quo mulier sedens, quae dextera strobilum tenet, quod judicium calculo quoque suo probavit Spanhemius [a]). At falli utrumque probant similes numi alii magis integri, quibus inscriptum IRIPPO, quae est Hispaniae urbs incerti situs. Alios binos aureos cum capite Augusti huc vocant antiquarii, (Vaillant Fam. p. 378. Havercamp. in Fam. Morellii p. 618. Spanheim l. c.) in quorum unius aversa strobilus, in alterius aversa epigraphe: COL. IVL. AVGVST. EX. S. D. cum nomine Ti. Gracchi, et typo coloni arantis. Verum satis esto, numos hos esse Goltzianos, neque ab alio quopiam conspectos. Omnes numos propter strobili typum, aut coloniae mentionem huic Augustae tributos vide in Impp. Morellii sub Augusto Tab. 38. num. 16. Tab. 50. n. 13. et 20. Tab. 51. n. 12. et 14. Sunt etiam numi Augusti, inscripti COL. IVL. AVG. typo coloni arantis, quos a nonnullis huic quoque urbi donari video, at esse certius Beryti Phoeniciae, in hac dicetur. Nullum igitur numum huic possumus Vindelicorum oppido certa fide largiri.

FELTRIA.

Rhaetiae oppidum. Perperam huic tribuendos aliqui putarunt numos inscriptos FELATRI, quos nunc esse Volaterrarum Etruriae satis constat.

NORICVM.

Numos, qui ad hanc regionem pertinent, et inscribuntur METallum NORi*cum* cum capite Hadriani, quaere in numis *metallorum* ad calcem numorum Trajani.

a) Tom. I. p. 308.

ITALIA.

Latissime accipimus Italiam, ut ea in superam, mediam, inferam dividitur. Supera numis fere caret, media, si monetam Romanam, asses, ejusque partes demas, egena potius, quam dives, infera abundat.

Antequam illustris hujus, lateque patentis regionis numos perlustramus, juvabit paucis inquirere, quae fuerit in Italiae urbibus rei monetariae lex, ex quo in Romanorum potestatem concessere. Hae principio liberae suique juris deinceps partim legibus suis victorum permissu uti perrexere, partim coloniarum aut municipiorum jura accepere. Illas ex vetere instituto continuasse ferire monetam, dubium non est. Sane ut aliis argumentis abstineam, numi Locrorum Epizephyriorum inscripti: *ΛΟΚΡΩΝ. ΡΩΜΗ. ΠΙΣΤΙΣ.* dominantem jam Romam testantur. Quamdiu istud illis juris permissum fuerit, difficile est decidere. Quoniam nullum habemus urbis Italicae numum imperatoris capite insignem, verisimile quidem est, urbibus liberis monetae jus jam ante per Italiam ademptum, quam resp. Romana ad unius imperium delaberetur, sed nequaquam certum, nam videbimus nobilissimas urbes, Athenas, et, quamdiu libera fuit, Tyrum nulli Augustorum dedicasse numos, etsi autonomos his imperantibus copiosos cudendos curassent. Quod ad colonias attinet, harum paucae fuerunt, quae ex eo tempore, quo deductae sunt, aes malleo subjecere. Harum certas habemus Paestum, Brundusium, Copiam, Valentiam, in quarum numis etsi non legatur nomen coloniae, tamen cum Latina in his omnibus sit epigraphe, urbes Graecae cum essent, certum est, signatos tum, cum eae ab adventitiis Latinis habitari coeperunt. De aetate, in quam se earum moneta porrexit, idem esto judicium, quod de moneta urbium liberarum; nam neque in harum numo vel unico imperatoris hactenus caput est conspectum.

Juris hujus Italicis urbibus vel negati vel abrogati non meminerunt veteres scriptores, licet tamen non obscure divinare. Video, Caesari Octaviano a Maecenate inter dominationis principia dictatum: *NVMISMATE*, *pondere*, *mensura peculiari urbs nulla utitor*, *sed nostris omnes* [b]). Datum istud consilium anno V. C. 725., cum dubius animi esset Caesar, utrum expediret retinere imperium, an remp. restituere. Consilium deinde in legem versum, diserte docent numi coloniarum complures, ut Patrarum, Corinthi, Hispaniae, Africae etc. in quibus legimus: *Indulgentiae Augusti moneta impetrata*, vel: *Permissu Divi Aug*. vel: *Permissu Dolabellae procos.* etc.

b) Dio LII. §. 30.

Cum quid indulgetur, vel permittitur, necesse est praeire legem, quae contrarium praecipit. Cur e re visum non fuerit, Italiae urbes ab hac lege eximere, ignoramus sane, et forte semper ignorabimus, perinde atque ignoramus, cur quod Romani indulsere orientis provinciis, non indulserint, aut certe mature ademerint occidenti. Nam dum oriens totus inde a Graecia propria Moesiaque usque in ultimam Mesopotamiam, Arabiam, Aegyptum diu suos ferire numos pergeret, Gallia, Sicilia, Cyrenaica, Africa vetus jam saltem sub Tiberio, Hispania sub Caligula malleum abjecere, una Babba Mauritaniae usque in Galbae aetatem durante. Sed haec alterius loci sunt. Reliqua ad singulas Italiae regiones observabimus.

ITALIA SVPERA.

Tractus hic numorum egenus, si tamen in eo unquam numi cusi fuere, quod continuo indagabimus. Istud jam indubitatum, omnes fere numos ejus urbibus a variis tributos aliorsum pertinere. En contractum horum catalogum.

ACERRAE in Transpadanis. Ei a Mazochio tributi numi sunt Acerrarum Campaniae.

CAELINA Venetorum. Numus, quem huic largitus est Haymius, Caelium Apuliae remeat.

CARISTVM Liguriae. Autonomi, in quibus Khellius legit *ΚΑΡΙΣΤΙΩΝ*, (Addendic. II. p. 90) nequaquam huc, ut conjecit vir praeclarus, sed Cnossum Cretae pertinent.

DERTONA Liguriae. Huic Harduinus tribuit numum Augusti inscriptum C. I. A. D., sed quem esse Dertosae Tarraconensis, in hac vidimus.

HADRIA Padum inter et Athesin, a qua mari Adriatico nomen secundum Strabonem et Plinium. Numum inscriptum HADR. ex museo M. Ducis huc vocat Holstenius, (Not. ad Steph. p. 9.) ad is est Hadrumeti Africae. Numi cum epigraphe HAT. sunt Hadriae Piceni.

PATAVIVM Venetorum. Ei Guarnaccius dedit numum: *Caput juvenile inter tres pisciculos.*)(PATV. (*literis peregrinis et retrogradis.*) *Eques galeatus.* (Orig. Ital. T. II. p. 248.) Hunc Lastanosa, Havercampus, Gorius Hispanicis accensuere, qualis etiam est.

Restant igitur ex omni numero *Acilium*, atque istud forte dubium, et, quae tamen ad hanc classem proprie non pertinent, *Ravenna* et *Ticinum.*

ACILIVM.

In Venetis.

Caput adversum barbatum nudum.)(*ΑΚΙΛΙΩΝ. Diota.* Æ. III. (Pellerin.)

Caput juvenile velatum laureatum.)(*AKI. Diota, ex qua pendent racemi.* Æ. III. (Pellerin, Hunter.)

Difficile impugnare Pellerinii judicium numis his hanc Venetorum urbem patriam adsignantis, cum geographia vetus aliam urbem non suppeditet, cui haec epigraphe posset competere. Miror tamen, in universa Gallia Cisalpina mediterraneam hanc

et obscuram urbeculam esse unicam, quae monetam aetate perantiqua signasset, nullumque ejus numum memorari ab Arigonio, Theupoli, Maffeio, Savorgnano, Musselio, aliisque, qui ipsi Veneti patriae suae antiqua monumenta solicite perscrutati sunt, eosque tam infelices, quibus se nunquam numus urbis intra fines suos sitae obtulisset.

Æ. RRR.

RAVENNA.

Ad mare Adriaticum. Numos vetustae hujus urbis nonnisi infimi aevi habemus, et sunt:

FELIX. RAVENNA. *Protome muliebris turrita.*)(*Aquila insistens fulmini, hinc et inde astrum, infra* X. Æ. III.

Eadem adversa.)(RV. *Victoria gradiens.* Æ. III.

Eadem adversa.)(DN. *monogramma incertum, omnia intra lauream.* Æ. III.

Eadem adversa.)(*Monogramma constans literis* RAVEN. Æ. III.

INVICTA. ROMA. *Protome muliebris galeata.*)(*Eadem aversa.* Æ. III.

Existimat Josephus Ant. Pintius, qui de numis Ravennatibus prolixam dissertationem scripsit, quae inserta est Philippi Argelati *Monetis Italiae* c), eos regibus Gothis, qui aliquamdiu Ravennae consedere, deberi. Pulsa deinde peregrina hac gente, et constituto exarchatu cognomine officinam monetariam in hac urbe durasse, signatosque numos cum imperatorum orientis titulis, quod testantur numi obvii Phocae, Heraclii, etc. in quorum imo legitur RAV. vel RAVEN. vel RAVENNA. Idem contendit, literas RV., quas exhibet numus ex citatis alter, Ravennam quoque notare, ut et literas RVPS. quas videre est in argenteis Honorii, Johannis, etc. nempe: R*a*V*ennae* P*ecunia* S*ignata.* At difficile omnino est evolvere monogramma numi III, cujus similia frequenter reperias in numis Justiniani. Plura de his qui volet, adeat laudatam dissertationem Pintii.

De numo inscripto: VERONA NPRITE COND. vide quae dicemus in moneta Diocletiani sub PROVIDENTIA. AVG.

Æ. R.

TICINVM.

In Insubribus ad fluvium cognominem, serius *Papia,* hodie *Pavia,* olim regum Gothorum sedes. Ejus nomen legitur in aeneo Baduillae regis, in cujus)(FELIX. TICINVS. *Protome capite turrito.* Illum Comes Mediobarbus ex museo suo recitat, eumque repertum sibi fuisse ad antiquitatis studia incitamento adfirmat d). Idem argenteus exstabat olim Vindobonae in museo de France, nunc Hunteriano.

AR. et Æ. RRRR.

---

c) Tom. III. p. 87 et Tom. IV. sub init. d) in numis Baduillae.

ITALIA MEDIA.

Hac complectimur Etruriam, Vmbriam, Picenum, Marrucinos, Latium late sumptum.

Numi plerumque sunt aenei. Argenteos suppeditant Falisci, Populonia, Alba Fucens. Fallitur ergo Olivierius, qui in sua ad Barthelemyum epistola haec scribit [e]): *Revera dempta M. Graecia nondum hactenus conspectus est argenteus numus cujuscunque alterius urbis Italicae, sive Vmbriae, sive Etruriae, sive nostri tractus, ut advertit etiam Passerius noster in sua de Etruscis Paestanorum numis dissertatione.*

Antequam tractus hujus monetam enumero, opportunum videtur, praefigere examen numorum gravis aeris, qui Italiae mediae populis proprii fuere.

** ** **
* * *

De numis urbium Italicarum ex aere gravi.

Numi ex aere gravi, qui in hoc tantum Italiae tractu, neque extra hunc alibi gentium simili modo flari consuevere, certam quandam, ac peculiarem monetae veteris classem constituunt. Fuit tempus, quo hae praeteritae aetatis reliquiae eruditis Italis, ad observanda quaecunque alia antiquitatis monumenta suapte pronis inflammatisque, negligendae videbantur, sive quia propter copiam viluere, sive quia materiam commentariis dignam visae non sunt praestare. Enimvero male cum iis perdiu fuisse actum, et fere in earum conjuratum perniciem, cum vix ex terrae sinu prolatae continuo furni cogerentur contumeliam experiri, viri graves pridem sunt conquesti, quos inter fuit Abbas Andreas Joannellius, quo teste discimus [f]), horum numorum vim magnam circa Perusiam repertam ineunte hoc saeculo ad formandam ingentem campanam fuisse Fulginei liquatam, id est, malo consilio additam linguam aeri, quod jam ex alto suspensum barbarum popularium factum per saecula promulgabit. Rectius de eorum usu judicavere viri aetatis nostrae a studiis nostris cogniti, quos inter Buonarrotius, Olivierius, Passerius, Guarnaccius, Arigonius, ac proxime Em. Cardinales Zelada et Borgia, qui insignem eorum numerum praeclara industria collectum museis suis intulere. Praeter eos, qui in variorum operibus sparsim editi fuere, justum eorum numerum iconismis expressum habes apud Arigonium, Passerium [g]), et in Em. Zeladae *Epistola de numis aliquot aereis uncialibus.*

Quae ad horum doctrinam numorum pertinent, apud citatos auctores copiose exposita reperies, etsi horum nonnulli suo abrepti ingenio conjecturas attulere, quas simplex sanumque judicium nunquam approbaverit, ipsa vero haec monumenta aut non dictant, aut palam aversantur. Nos satis praestitisse existimabimus, si hujus naturam monetae causasque, quantum ipsa de se credi sperarique jubet, exposuerimus, quo conatu sin minus satis-

---

e) pag. 23. f) Passeri Paralip. Dempst. p. 157. g) Paralip. in Dempst.

factum fuerit lectori, culpam velim ipsis his numis imputet, de se minus, quam vellemus, confessis.

Materiam in paucos, brevesque articulos dividemus, quorum I. examinabit pondus, II. formam, III. locum natalem, IV. typos, V. aetatem, VI. usum.

I. *Pondus.* Istud praecipue hujus classis monetam discernit, quia auctius esse in his solet, quam in aliarum regionum numis. Sunt in museo Em. Zeladae decusses, tripondii, dupondii, asses insignis ponderis, quos inter est numus unus, qui uncias omnino XXXVIII. hodiernae librae Romanae adpendit. Alios liberaliter ponderosos vide etiam in Chronico numario Passerii [h]). Ex iis, qui spinae typum habent, et a nonnullis in moneta putantur, sunt, qui pondere libras hodiernas V. aequent [i]). Insignis etiam sunt ponderis partes assium, ut semisses, trientes etc.

Nota decussis, seu decem assium est X, tripondii III, dupondii II, assis I, vel, ut in numis Adriae, L, nempe litera ἀρχαιοῦσα verbi *Libra,* semissis S, unciarum globi, ut in aenea moneta Romanorum.

Assem horum populorum successu temporis aeque deminutionem passum, atque assem Romanorum, ostendit adcuratius Passerius in Chronico suo numario [k]).

II. *Forma* in his variat, in aliis quadrilatera, in aliis ovi instar, rotunda in aliis.

Forma quadrilatera rarissima est. Hujus exemplum unum edidit Molinetus ex museo Genovevae [l]), alterum Passerius [m]), aliorum meminere Olivierius [n]). et Lanzius [o]). Omnes hos pretio superat is, quem servat museum Borgianum, inscriptum ROMANOM, cum alii hactenus reperti illiterati sint omnes, quemque pictum stiti in mea Sylloge I. Haec forma omnium antiquissima creditur eruditis, et existimat Lanzius [p]), Varronem, cum dixerat [q]), *quod asses librae pondo erant, qui acceperant majorem numorum, non in arca ponebant, sed in aliqua cella stipabant, id est, componebant, quo minus loci occuparent, a stipando stipem dicere coeperunt,* ipsos hos numos quadratos intellexisse, quia quadrilatera haec forma stipando magis est idonea, quam rotunda, ac simul globosa, cujus formae deinceps aes grave esse coepit.

Forma ovi, sed minus turgentis, non pauca exstant in museis exempla. Etiam hanc formam esse rotunda antiquiorem, dubitari nequit.

Forma rotunda in plerisque observatur, sed haud dubie recentioris est aetatis, Italis communem Graecorum morem imitantibus.

Omnes hos gravis aeris numos fusos fuisse, non modo oculorum judicio manifestum est, sed etiam, quia in tanti ponderis numos suam exserere vim malleus non potuisset, quo de argumento alibi copiosius disputavi. (Proleg. gener. cap. XI.)

III. *Locus natalis.* Vt certum est, Italiam mediam gravis hujus aeris esse tellu-

h) Paralip. Dempst. p. 193. i) Lanzi Saggio T. II. p. 128. k) Paralip. Dempst. p. 193.
l) Mus. Genov. p. 47. m) Paralip. Dempst. p. 160. n) Fond. di Pesaro p. 28.
o) T. II. p. 126. p) l. c. p. 40. q) de L. L. V. 16.

rem patriam, sic propius in plerisque locum natalem, qui eos fabricavit, aut ignoramus plane, aut nonnisi conjecturis, iisque plerumque infirmis, definimus. Certi sumus, si qui numi inscribuntur TVTERE, vel IKVVINI, etc. eos esse Tudertum, vel Iguvinorum Vmbriae. Verum cum aut omnis inscriptio abest, aut haec una tantum, vel duabus literis peragitur, neque aliae quaepiam causae idoneum criterium sufficiunt, desperatam puta omnem rationem natalis soli eruendi. Fuere hactenus eruditi non pauci, qui id genus numos, asses, semisses etc. illiteratos continuo in moneta Romana putavere, cum tamen istud neque causa inscriptionis, quae nulla est, neque causa typorum possent adfirmare. Etenim gravi aere usos non Romanos modo, sed alios etiam Italiae mediae populos, non solum urbis nomen haud raro his numis inscriptum, sed Livius quoque docet, qui pluribus locis gentes hujus tractus bello victas gravis aeris poena a Romanis multatas refert, quae testimonia collegit Passerius [r]). Romanos quidem numos, etiam cum inscriptione carent, non raro arguunt typi, cum constet Romanorum asses una parte habere caput Jani, altera navim, semisses caput Jovis et navim etc. quem varium modum dabimus in moneta Romanorum consulari; verum cum numus pro solitis his typis offert typos alios vagos, quales continuo producemus, quis eum potius Romanum, quam alterius urbis Italicae poterit praestare? Ergo praeter gravis aeris numos Romanos juvante inscriptione compertos hactenus habemus numos *Volaterranorum Hadrianorum, Tudertium, Iguvinorum*, reliquorum patria aut incerta est hucusque, aut penitus ignota.

IV. *Typi* in illiteratis aeris gravis numis maxime obvii sunt: *rota*, *equus ejusve caput*, *granum hordei*, *Pegasus*, *fulmen*, *delphinus*, *aper*, *vola manus*, *concha*, *astragalus*, quos indicasse satis esto, quia ipsi per se, ignota numorum ipsorum patria, nihil in commentarios offerunt. Typos literatorum, seu qui inscriptione patriam eloquuntur, in eorum moneta dabimus.

V. *Aetas*. Fuere auctores Itali, qui his gravis aeris numis, aut saltem magno eorum numero, remotiorem tribuere aetatem non dubitabant, quam ea a quocunque artis numismaticae egregie perito cuicunque numo veteri tributa fuit. Hos inter nominandus Guarnaccius, qui longa dissertatione comprobare nititur, eorum non paucos esse antiquitatis incredibilis, ultimae, et quae saeculis Servii Tullii regnum praecedat [s]). Non possum in praefixa operis mei brevitate omnia auctoris argumenta persequi atque refutare, neque, etiam si possem, esset animus, cum vix habiturum sperem, qui ejus velit judicio sese applicare. Et vero istud jam paucis, ac vere praestitum video a Cl. Lanzio, qui, posteaquam verisimile esse dixisset, libram Romanam ejusdem fuisse rationis cum libra Etruscorum, existimat, eorum aetatem numorum inter saeculum V. urbis conditae desinens, et duo vel tria retrorsum saecula constituendam, quin

r) Paralip. Dempst. p. 156.

s) Orig. Ital. T. II. L. VI. c. 4.

numos hujus classis rotundos, quia, ut dictum, aliis posteriores sunt habendi, non ultra IV. Romae saeculum retrorsum movendos, atque eos praecipue, qui literati sunt, cum literae serius inscribi coeperint. Alios quidem prae aliis longioris praeferre vetustatis notas, quo modo numi rectanguli, et qui sunt forma ovi, prae rotundis remotiora indicant ortus sui intervalla. Verum obsoletas has formas tam certa non praestare criteria, quae cogant in ultima eos tempora amoliri. Constat, apud Romanos assem hactenus libralem intra annos non multos ad unciam, quin et semunciam fuisse redactum. Cur ergo videatur incredibile, apud Etruscos, Vmbros etc. formam numorum externam non maximo annorum spatio potuisse immutari? At argumentum auctori validissimum, quod et mihi tale semper visum fuit, suppeditat horum numorum fabrica, et picturae modus. Neque enim spectatis his in numis unius ejusdemque urbis, v. g. Volaterrarum, tam amplum observatur discrimen, ut tam longe eorum natales distare credi debeat. Vide hanc causam apud auctorem ipsum copiosius disputatam [t]), tum etiam, quae hujus naturae alia dicemus in tractatu de numis consularibus [u]).

Hactenus, in quantum aevi porrigantur aeris gravis numi, quaesitum. Quando feriri hoc pondere desiverint, minus ardua videtur quaestio. Si verisimile est, quod visum Lanzio, mediae Italiae populos eadem cum Romanis libra usos, quod tamen certis argumentis probari nequit, verisimile erit etiam, quo tempore a Romanis a feriundo aere gravi discessum est, discessum etiam fuisse ab Etruscis, atque istud tanto magis verum, quia quo tempore assem Romani imminuerant, omnis jam hic tractus Romanis paruit, quorum ergo arbitrio aut monetae jus urbibus vicinis fuit ademptum, aut si permissum, verisimile etiam, eas ad modum Romanorum suam ferire monetam constituisse.

Vsus. Habueritne grave aes, de quo hactenus egimus, rationem monetae, dubitari generatim nequit, atque omnium minime de iis, qui pecuniae modos omnes offerunt, ut: formam rotundam, typos utrinque impressos, notas assis et partium, et saepe etiam ipsum urbis nomen, praeterquam quod factam quoque a Livio gravis aeris per omnem hunc tractum mentionem constat, ut § III. diximus. Tamen videtur posse dubitari, utrum omnia ea monumenta, quae, etsi characteres hos omnes non praeferant, ab eruditis in moneta haud dubie putantur, certa etiam moneta fuerint. Vt non ausim confidenter adserere, aes quadrilaterum habere pecuniae modum non potuisse, sic vereor, ut certo adfirmari possit, illud alteri usui, quam pecuniae servire non potuisse. Enimvero cum haec monumenta praeter formam monetae insolentem neque ponderis aut valoris notam ostentent, neque urbis mentionem dempto unico inscripto ROMANOM, non ex alia causa numos placuit dicere, quam quia numorum more utrinque typum impressum sistunt. Atque ut etiam his nolimus monetae rationem negare, an continuo in moneta putabimus

t) Saggio T. II. p. 39. seq. u) Cap. II. § 3.

alia figurae magis insolentis? cujusmodi sunt massae illae aeneae seu quadratae, seu cylindri forma, quae utrinque spinam impressam offerunt, quas Passerius monetae Italicae nomine vulgavit [x]). Sed haec dubitantis tantum more dicta sunto, cum, quem illa alium usum praestiterint, indicare non possim, etsi istud ignoratum non magnopere juvet eos, qui ea in monetae numero habent.

* * *

His de gravi aere praeceptis lector opportune conjunget ea, quae continuo in prolegomenis ad numos Etruriae, et serius in tractatu de numis consularibus capite II. § III. docebimus.

ETRVRIA.

Praepotentis olim populi numismata superant non maximo numero, eorum saltem, quibus urbis nomen inscribitur; nam credibile est, copiosos ex iis, qui asses, aut ejus partes insculptas habent, crassos et globosos, sed illiteratos, de quibus proxime egeram, non minus per urbes Etruriae, quam vicinarum regionum signatos, sed quos nulla conjectura discernas.

Aes, ut in universo hoc tractu, fere solum dominatur. Habet tamen argenteos copiosos, et prae aeneis magis parabiles Faleria, cujus causam in hac dabimus. Habet etiam argenteos Populonia, sed valde raros. Aureos et argenteos Cosis tributos aliorsum esse derivandos, in hujus urbis moneta indicabimus.

Epigraphe partim Etrusca est, partim Graeca. Graeca usae sunt solae Faleria, et Graviscae ob causas, quas in singularum numis proponemus, Etrusca reliquae, quanquam et hae numero paucae, saltem quae certos suos habeant numos, nimirum Volaterrae, et Populonia. De reliquis numis Etrusce inscriptis non aeque certum, utrum earum Etruriae urbium sint, quibus eos eruditorum conjecturae sunt largitae. Extra Etruriam literis Etruscis numos suos inscripsere Icuvium et Tuder Vmbriae oppida, et Larinum Frentanorum. Tam pauci cum exstent numi Etrusce inscripti, sic ut ex iis ne totum quidem alphabetum haberi possit, operae pretium non putavi, Etruscarum formam literarum proponere, quas multo liberalius suppeditant sarcophagi, paterae, tabulae signaque aenea. Numos aeri incisos habes in iconismis Arigonii, apud Passerium [y]), Guarnaccium [z]), et literarum formam exactam apud Cl. Lanzium [a]). Tamen infra post numos Campaniae literarum Etruscarum formam una cum Samniticis et Oscis, sed ex numis tantum dabimus.

Typi, quia nihil offerunt, quod eos privatim distinguat, aut Etruscorum mythologiam, ritus, historiam illustret, separatos commentarios non postulant. Typorum vero modi, quantum ad artis causas pertinent, nihil omnino conferunt ad

x) Paralip. Dempst. Tab. I. y) Paral. Dempst. z) Orig. Ital. Tom. II.
a) Saggio Tom. II. pag. 24. seq.

stabiliendum nativum illum, propriumque huic populo stilum, quo Etruscorum opera ab omnium aliarum gentium operibus distingui operose docuere omnes ii, qui in praeceptis artis veteris versati sunt. Numi urbium Graecarum, Faleriae, et Graviscarum, elegantiam Graecam proxime imitantur, numi aeris gravis rudioris sunt operis, reliqui mediocritate contenti sunt.

CAMARS.

Porsenae regia, serius *Clusium.*

KAM. *Aper currens, pone vir elatis manibus, tres globuli.*)(KAM. *Aper currens, tres globuli.* Æ. (Arigoni Num. urb. tab. 18. et num. Etrur. tab. 5.)

Camarti tribuendos hos numos docuit Passerius [b]), cujus judicium sequitur etiam Lanzius [c]), de hac urbe fusius disserens.

Æ. RRRR.

COSAE.

Vrbs maritima.

COZA. *Caput Palladis.*)(- - ZANO. *Caput equi frenatum.* Æ. III.

Caput Martis galeatum barbatum.)(COSA. *Caput equi frenatum.* Æ. III.

Vtrumque hunc numum rarissimum ab Em. Card. Borgia missis ectypis mecum communicatum ante annos aliquot publici juris feci [d]), tanto illustriore beneficio, quia hactenus hujus urbis numum certum videre non licuit. Dixeram ibi, numos hos esse ex eorum genere, quos cum iisdem utrinque typis partim aeneos habemus, partim argenteos inscriptos *ROMA. ROMANO. OMAΛOC.*, quos suadente fabrica dubitari nequit, non Romae, sed per Campaniae, et M. Graeciae urbes signatos. Ergo Cosani ad monetae tum obviae exemplar suos formavere numos addito tamen urbis suae nomine. Scripsere auctores *Cossa* et *Cosa,* tum et *Cosa* unitatis numero, et *Cosae,* quae exempla ibi citavi. Literae Z et S in his numis variant. Sic et in notis Treboniani numis scribitur aeque ARNASI. et ARNAZI.

* * *

Numos aureos, argenteosque inscriptos *ΚΟΣΩΝ.*, quos eruditi non pauci harum esse Cosarum credidere, verius a M. Junio Bruto fuisse signatos, in hujus numis comprobare conabimur.

Æ. RRRR.

FAESVLAE.

Beneficum haec urbs experta est Swintonum, qui sequentem ei numum largitus est [e]), utrum jure, ambigo. Certe eruditorum Italorum nullus ejus meminit.

FAI. (*retrograde.*) *Caput Herculis.*)(*Ancora, et* 4. *pisces.* Æ. II.

Fuere etiam, qui argenteos inscriptos Osce VISTLVS, aut similiter, huc vocarent, de quibus vide numos Paesti Lucaniae.

FALERIA.

Etiam Falisca, urbs Tiberi adsita. Populus dictus Falisci. Numis, etiam perantiquis, abundat.

Aquila leporem depascens.)(FA. (*retrograde.*) *Fulmen.* AR. I. (Hunter.) in alio: *Victoria gradiens.* (M. Duc.)

---

b) Observ. ad tab. Dempst. p. 178. c) Saggio T. II. p. 24. 53. d) Sylloge I. p. 81.
e) Transact. phil. T. LIV. p. 101.

Caput aquilae.)(*FA.* *Fulmen intra lauream.* AR. I. (Mus. Caes.)

Caput Jovis laur.)(*FA.* *Tripus imminente fulmine, superne ΓΡΑ.* AR. III. (Mus. Caes.)

Caput juvenile diadematum.)(*FA.* *Juppiter nudus gradiens d. fulmen intorquens, s. aquilam, in area HP. Σ.* Æ. III. (Pellerin Rec. I. tab. X.)

FAΛΕΙΩΝ. inscriptum diademati, quo Junonis caput redimitur.)(*Aquila stans intra coronam.* AR. I. (Pellerin l. c.)

FAΛΕΙΩΝ. inscriptum diademati, quo Apollinis caput redimitur.)(*Aquila stans.* AR. III. (Hunter.)

Caput Jovis laur.)(*FAΛΕΙΩΝ. intra lauream.* Æ. III. (Mus. Caes. Pellerin.)

Falisci, quod vicini Romanis fuere, facile ac mature cum his collisi sunt. V. C. 361. a Camillo obsessi, moti praeclaro virtutis exemplo, quod hic in paedagogum liberorum proditorem edidit, sese atque urbem sponte Camillo dediderunt [f]). Verisimile est, numos aliquos ex iis, quos citavi, ac praecipue eos, quos loco I. descripsi, quique fabricae antiquissimae sunt, hunc deditionis annum praecedere. At alii per typorum elegantiam, aliasque causas recentioris aevi partus haud dubie videntur. Ex quo apparet, urbi suis legibus vivere a Romanis permissum. Horum tamen nulli excedere annum V. C. 513. licebit; nam cum saepe excutere jugum tentassent, urbem hoc anno penitus everterunt Romani. Vide Pighium ad annum V. C. 512.

Numi ipsi per nitorem fabricae, typos, epigraphen nihil habent Etrusci, Graeca omnia. Praeclare his monumentis confirmantur ea, quae de hac urbe prodidere veteres. Graecorum fuisse coloniam, testantur Plinius: *Falisca Argis orta*, Stephanus: *Φαλισκος ἀποικος Ἀργειων*, Solinus conditam ab Haleso Argivo ait, quod factum Agamemnonis aetati admovet Ovidius [g]). Justinus Chalcidensium colonos dixit [h]). Morem quoque Argivorum in typorum cultu secuti sunt, nam ut hi vocem *ΑΡΓΕΙ.*, ita illi *το FAΛΕΙΩΝ* Junonis, aut Appollinis diademati inscripserunt.

Epigraphe ipsa tam lingua, quam literis plane Graeca est, quae causa fuerit, cur eam urbem Strabo *ἰδιογλωσσον*, *propria lingua utentem,* appellaverit, nimirum quod non Etrusca, sed Graeca lingua uteretur. Retinuit tamen vetus F pro recentiore *Φ*, quod nequaquam insolens, nam et in obviis numis argenteis communi Achaiae nomine signatis, neque iis admodum vetusti aevi legitur *FA.* pro *ΦΑ.* Qua scripturae lege praeclare confirmatur, quod refert Dionysius Halic. [i]), veteres Graecos nominibus a vocali incipientibus praefixisse digamma, et pro *Helena* dixisse *Felena*, pro *Helia Felia.* Ergo et ii, qui ab Haleso conditore dicendi fuere *Halisci*, dicuntur *Falisci*, docente id ipsum Servio quoque [k]).

Juppiter, Juno, Apollo praecipua Faliscorum numina. Jovis cultum uni numi testantur. Ejus vices, etiam cum caput

f) Liv. L. V. c. 27. g) Amor. L. III. Eleg. XIII. v. 31. h) L. XX. c. 1.
i) L. I. p. 16. k) ad Aen. VII. v. 695.

abest, supplet fulmen, vel aquila, quae in nonnullis stationis impatiens, serpentis vel leporis venatui vacat capto ab Agrigentinorum et Locrensium aquila exemplo. At cultum Junonis ab Haleso Argis huc advectum copiose describit Ovidius elegia integra [l]), quam ob causam eos *Junonicolas* idem appellat, et *coloniam Junoniam* Frontinus [m]). Apollinis honores per tripodem testatur numus III. De Faliscis Hirpis, qui instituto quotannis ad Soracten montem Apollinis sacrificio super ardentes carbones innoxie ingressi sunt, multa dixere veteres, quorum testimonia collegi in meis Numis vet. pag. 9.

Magistratum haud dubie notant verborum principia in nonnullis occurentia: *AM. ΓPA. EΓ.* etc.

Cum hactenus fere unanimi antiquariorum sententia numi hi Faliscis tribuerentur, fuit Sestinus, qui eos inde avellere tentaret, obtentu, ex Peloponnesi eos vicinia adferri solere. Viderint istud antiquarii Romani Faliscis vicini. Addit conjecturam magis audacem, signatos eos videri ab oppidanis portus Phalerei, quod vix uni persuaserit [n]). Cl. Dutens eos Aleiae, nescio cui, tribuit, idque obiter, quin causam adderet [o]).

AR. R. Æ. RR.

GRAVISCAE.

Vrbs maritima.

Caput Jovis laur., pone tres globuli.)(*ΓPA. Duae aquilae fulmini insistentes, in area tres globuli, et in nonnullis KPH. vel ΘEOΛ.* Æ. III. (Pellerin, Mus. Caes.)

Caput Jovis, cui lunula imminet.)(*ΓPA. Idem typus, in area duo globuli, et lunula.* Æ. III. (Arigoni.)

Numos hos signatos esse oportuit usque ad annum V. C. 573., ad quem sic Livius [p]): *Colonia Graviscae eo anno deducta est in agrum Etruscum de Tarquiniensibus quondam captum.* Additi globuli certam urbem Italicam faciunt, etsi originis fuisse Graecae epigraphe Graeca dubitare non sinat.

Magistratus in *KPH.* et *ΘEOΛ.* latet, quod et ipsum Graeci ritus est, nam in numis pure Etruscis magistratus non observatur.

De insculptis lunulis vide, quae diximus in prolegomenis ad numos Etruscos.

Quoniam Cl. Lanzio unicus tantum numus Arigonianus compertus fuerat, suspicatur leviter, eum esse posse Agrigenti Siciliae, cujus numi similem habent typum, et adfinem epigraphen [q]). Verum inde ab Arigonio plures alii comperti sunt Graviscae numi cum certa epigraphe *ΓPA.*

Æ. RR.

ILVA.

Insula Etruriae adjacens. Ei Lanzius tribui posse conjicit numos typo ancorae, et cum literis, ex quibus nonnulla, sed infirma admodum conjectura nomen Ilvae confici posse videatur [r]).

LVNA.

Vrbs et portus ad mare Tyrrhenum, et fines Ligurum.

Caput barbatum, pone X, *et duo globuli.*)(LVNA. (*scriptura Etrusca et retro-*

---

l) l. c. m) de Colon. n) Lettere T. II. p. 10. o) Explic. de quelq. Méd. p. 187.
p) L. XL. c. 29. q) Saggio T. II. p. 68. r) Saggio T. II. p. 26. 70.

grada.) *Arundo, ut videtur, aliquid rotae quadripartitae simile, et 4 globuli.* Æ. II. (Guarnacci Orig. It. T. II. tab. 12. Passeri Paralip. Dempst. tab. 5.)

Ex utriusque auctoris iconismis satis apparet, numum citatum esse unum eundemque, non unum ab altero diversum. Cumque praeterea aevi injurias sit expertus, et offerat notam X, uni fere Populoniae propriam, jam pridem orta suspicio, pro LVNA legendum PVPLVNA, numumque esse Populoniae, de qua paullo infra.

PEITHESA.

Vrbs prorsus ignota, cujus tamen nomen Etrusce scriptum exstat in numo, cujus meminit Lanzius. (Sagg. T. II. p. 27.)

Caput Mercurii)(PEITHESA. (*scriptura Etrusca et retrograda.*) *Noctua.*

Cl. Sestinus legendum ait VEITHESA, enarratisque suis, aliorumque conjecturis existimat denique, numum esse posse Vejentum [s]).

PERVSIA.

Tiberi adsita. Ei perperam numum tribuit Maffejus, quem esse Acerrae Campaniae, in hujus moneta docebimus.

POPVLONIA.

Vrbs maritima, olim illustris, sed jam Strabonis aetate fere solitudo fuit. Ejus numi pauci cogniti fuere, donec novem varios museo magni Ducis illatos promulgaveram prolixis commentariis illustratos. (Num. vet. p. 10.)

Larva ejecta lingua, infra X.)(PVPLANA (*retrograde et literis Etruscis.*) *Luna intra cujus cornua tridens, infra* X. AR. II.

Larva similis, infra XX.)(*Sine epigraphe. Duo caducei contrario situ.* AR. II. (Hunter.) In aliis: *aversa prorsus inanis sine ulla aut inscriptione, aut typo.* AR. II. (Mus. M. Ducis, et Com. Vitzai.)

Larva similis.)(*Sine epigraphe. Sex globuli.* Æ. II.

Caput muliebre adversum leonis exuviis tectum pedibus infra mentum colligatis.)(*Sine epigraphe. Clava.* AR. II. (Mus. M. Ducis, et Com. Vitzai.)

Caput Vulcani, pone X.)(PVPLVNA. (*retrograde et literis Etruscis.*) *Malleus, forceps,* 4. *globuli.* Æ. II.

Caput Mercurii, pone 2. *globuli, et luna cum astro.*)(*Eadem epigraphe. Duo caducei situ contrario, in medio* X. Æ. II.

Caput Palladis.)(*Eadem epigraphe. Noctua, pone luna, et bina astra.* Æ. II.

Spectatâ epigraphe notandum PVPLANA numi I., cum in aliis omnibus constanter legatur PVPLVNA. Spectatis typis observanda larva, sive os Gorgoneum, quo forte συμβολικως notatur lunâ cum adlusione ad urbis nomen Pup LVNA. Numus IV. forte sistit Omphalen cum Herculis cultu, notam Lydiae reginam, insertam numis, quia Tyrrheni genus suum ad Lydos retulere. Duae lineolae transversae, instar X, quae forte astrum indicant, plerumque in area sunt adstitutae, et fere criterium numorum Populoniae constituunt. Vide haec omnia latius exposita in citato meo opere.

AR. RRR. Æ. RR.

TELAMON.

Ad Tyrrhenum cum portu.

s) Lettera IV. p. 51.

Caput Jani inter 4. globulos.)(TLA. (*literis Etruscis et retrograde.*) *Prora navis.* Æ.

Acquiescendum judicio eruditorum Italorum, Olivierii [t]), Passerii [u]), Lanzii [x]), numum hunc, aliosque similes huic Telamoni adjudicantium. Typum etiam navis hanc inquiunt juvare sententiam; nam teste Diodoro urbs nomen abstulit a Telamone Argonauta.

Æ. RRR.

VETVLONIA.

Olim inter principes XII. Etruriae urbes, sed hodie de vero ejus situ disceptatur. Vide Lanzium [y]).

Rota.)(VETL. - - - *Ancora.*

Hunc, aliosque multo adhuc magis ambiguos huic Etruriae urbi tribui video, quos collegit Lanzius [z]).

VOLATERRAE.

Inter illustriores Etruriae urbes, et quae inter omnes alias pristinae magnificentiae plurima hodieque ostentat vestigia.

Caput Jani geminum, jam barbato utroque vultu, jam utroque nudo, jam barbato uno, altero nudo.)(FELATHRI. (*literis Etruscis, et retrograde.*) *Typi varii.*

Sunt dupondia, asses, quadrantes, trientes, sextantes, unciae, et exstant copiosi apud Arigonium in tabulis numismata Etruriae complexis, in numis gravis aeris nuper Em. Card. Zeladae jussu editis, alibique.

Non una fuit eruditorum sententia, quorsum numos sic inscriptos destinandos putarent. Frölichius aliquando Feltriam Venetorum respexit, sic tamen, ut etiam in Velitras Volscorum inclinaret animus [a]). Velitras easdem maluit et Gorius [b]), et Scipio Maffejus [c]), demum has Etruriae Volaterras Passerius [d]), et Guarnaccius [e]), quae sententia novum patronum nacta est Em. Zeladam [f]), denique et Cl. Lanzium, post alios testantem quoque, id genus numos magno numero apud hanc urbem reperiri, quod quidem argumentum unum sufficiat, ad eos Volaterris vindicandos.

Ad explicandum varium Jani in his numis cultum utitur Lanzius dictatis Servii [g]): *Ipse* (Janus) *faciendis foederibus praeest. Namque postquam Romulus et T. Tatius in foedera convenerunt, Jano simulacrum duplicis frontis effectum est, quasi ad imaginem duorum populorum.* Addit Lanzius [h]), non tantum foederatos hoc typo notari, sed et populos duos unitos, et in iisdem moenibus habitantes, et quidem testibus numis Syracusarum, Rhegii, Panormi. Jam capita haec esse muliebria, et adumbrari tum duas civitates foederatas. Jam caput unum esse barbatum, imberbe alterum, et tum notari populum novicium cum vetere conjunctum. Jam caput utrumque eandem praeferre aetatem, et tum ejus adlusionis nullam haberi rationem. Haec vir eruditus ingeniose, an etiam vere ex mente veterum, magnopere dubitem. An enim verisimile

---

t) Fond. di Pes. p. 41. u) Observ. ad Dempst. p. 181. x) Sagg. T. II. p. 28. 82.
y) T. II. p. 106. z) T. II. p. 30. a) Not. elem. p. 85. b) Mus. Etr. T. I. p. 427.
c) Osserv. let. T. IV. p. 35. d) ad tab. Dempst. p. 174. et 180. e) Orig. Ital. tab. XX.
f) de num. uncial. in praef. p. 13. g) ad Aen. XII. v. 198. h) Sagg. T. II. p. 97.

est, Volaterranos capite hoc gemino ter variando ter varium voluisse indicare foedus, vel unionem? In ipsis Romanorum numis habemus Janum jam barbatum totum, jam totum imberbem. Variis etiam modis conjuncta videas capita in numis Athenarum, Tenedi, aliisque, in numis Romanis gentis Rubriae. Generatim auctores cum veteres, tum moderni diversos nobis attulere explicatus sive capitis Jani, sive capitum Jani more junctorum, sic ut nondum satis certi simus, quid veteribus mira hac capitum unione semper fuerit intellectum. Sed nolo esse longior in causa, quae prolixius, quam institutum meum patitur, examen postulat.

Typi in his numis: delphinus, clava, luna, aut obvium habent, aut incertum explicatum.

Æ. C.

Numi Etrusci incertarum urbium.

Supersunt multi hujus classis numi, quos certae urbi tribuere nequeas, sive quia inscriptione carent, sive quia hanc unica tantum litera absolvit. Horum magnum numerum aeri incisum offerunt auctores hactenus laudati, quos inspexisse satis est. Neque enim observatu quid dignum offerunt, argumenti suapte jejuni, et nonnisi conjecturarum capacis, quarum nonnullas videre potes apud Lanzium [i]. Ex omni numero binos tantum excerpere lubet:

Caput Mauri nudum.)(*Litera varians Etrusca. Elephas appenso ad collum tintinnabulo.* Æ. III.

Caput Herculis leonis exuviis tectum.)(*Litera varians Etrusca. Canis, dictus vulgo Pomerannus, currens.* Æ. III.

Vtrumque istud genus reperiri frequenter in Etruria, et Vmbria, testantur eruditi Itali, sed qui et ipsi in definiendo eorum loco natali dissentiunt. Vide Guarnaccium [k], et Lanzium [l]. Fuere, qui Punicos eos crederent, sed quorum judicium ipse locus, qui eos e tenebris profert, redarguit.

V M B R I A.

Vmbri teste Plinio gens antiquissima Italiae, sed successu temporis variarum colluvione gentium permixti fuere. Gallos Senonas superiorem Vmbriae partem insedisse, historia docet; urbes alias fundasse, aut occupasse partim vicinos Etruscos, partim Graecos, ex numis eruimus utraque lingua inscriptis.

* * *

Numos argenteos pervetustos cum epigraphe VM non esse Vmbrorum, sed Sybaris Lucaniae, dicetur infra in numis Sybaris.

ARIMINVM.

Mari Adriatico adsitum.

Caput barbatum pileo conico tectum.)(

---

i) Sagg. T. II. p. 114. k) Orig. Ital. T. II. p. 219. l) Sagg. T. II. p. 115.

ARIM. ARIMI. ARIMNO. *Vir galeatus gradiens d. hastile, s. scuto longiore fere obtectus, ex quo aliud hastile promicat.* Æ. III. (Mus. Caes.)

De his Arimini numis copiosius olim disputaveram [m]). Caput anticae, quod Khellio esse Vlyssis visum fuit, esse potius Vulcani existimo in moneta Italica non infrequentis. Figuram partis aversae aut militem Gallum puto, aut Martem Gallorum militum more indutum, quos praegrandibus clypeis fuisse armatos perhibuere veteres, quorum testimonia ibi laudavi. Existimat Lanzius, hos numos signatos, ex quo colonia a Romanis deducta est, quod factum V. C. 485 [n]). Judicium istud improbandum non videtur, cum plures Italiae urbes, ex quo coloniae deductae fuere, numos signaverint. In pluribus Italicis museis vidi numos similes inscriptos ARIMNO.

Quos alios ab his diversos Golzius Arimino tribuit, esse numos Arcadum, in horum moneta videbimus.

Æ. RR.

FANVM.

Prope Pisaurum, dictum *Fanum Fortunae,* serius *Colonia Fanestris,* hodie *Fano.*

Exstant numi: *Caput Jovis.*)(*Equus saliens.* Eorum similes duos edidit Arigonius, sed quod mirere, in horum uno legit FANA, qui adeo hujus esse urbis creditus est, in alio AVFA. Ejus generis unum, sed inscriptum *FA. ΠΥΡ.* Pellerinius Faliscis, sed dubitantis more, tribuit [o]). Hactenus ergo certis hujus oppidi autonomis caremus.

Coloniae etiam numi a liberalibus antiquariis huc derivati sunt. Ita Harduinus numum Philippi Aug., inscriptum: MVN. FANE. AEL. huc vocavit, at Spanhemius ad municipium Aelium Fanestre in Hispania [p]), quem secuti sunt Patinus, et Mediobarbus bis, in numis Macrini, et Philippi patris. Numos hos esse coloniae Coelae Chersonnesi Thraciae, in hac docebimus.

IGVVIVM.

Vrbs mediterranea, passim a veteribus dicta *Iguvium,* vel *Icuvium,* oppidani *Iguvini, Iguvinates.* In tabula Iguvina IV. legitur saepius literis Etruscis IKVVINA. Hodie *Gubbio*, a celebratis tabulis aeneis Etrusce inscriptis apud hanc urbem repertis illustre nomen nacta.

IKVVINI (*literis Etruscis et retrograde.*) Typi: *Astrum solis instar rotae,*)(*Luna crescens, addita assis nota.*

Tres hujus generis gravis aeris numos Passerius, Iguvinus ipse, edidit, pictosque stitit, et huic urbi rite addixit [q]). Operis sunt perquam rudis. Cl. Lanzius exempla spuria circumferri testatur [r]).

Æ. RRR.

PISAVRVM.

Maritima in Gallis Senonibus, nunc *Pesaro.* Eruditus Hannibal Olivierius, qui de hujus origine urbis librum singularem scripsit, eam fundatam a Siculis conjicit. Quidquid erit, numi habitatam a Graecis, saltem quo tempore signati sunt, adfirmant.

Caput Herculis barbatum laureatum

m) Num. vet. p. 3. n) Saggio T. II. p. 645. o) Suppl. III. p. 98. p) Tom. II. p. 607. q) Paralip. Dempst. tab. IV. r) Saggio T. II. p. 647.

juxta assis nota.)(*ΠIS.* (*retrograde.*) *Cerberus, infra assis nota.* Ex aere gravi.

ΠIS. (*retrograde.*) *Caput barbatum diadematum, pone* 4. *globuli.*)(*ΠIS.* (*retrograde.*) *Vas imminente supra botro, juxta* 4. *globuli.* Ex aere gravi.

Assem hunc et trientem mole insignes edidit laudatus Olivierius [s]), etsi numos ipse non vidit, sed ectypa ex schedis Gorii sibi missa profiteatur. Eos deinde restituit Guarnaccius [t]).

* * *

Caput Herculis hedera coronatum)(*ΠΙΣΑΥΡΙΩΝ.* *Cerberus gradiens.* Æ. II. (Goltzius.)

Huic similem, sed fusum, et vitiata inscriptione sese possidere testatur Olivierius [u]), ejusque fidem juvat numus sequens:

Caput adversum juvenile galeatum.)(-- *ΣΑΥΡ*-- *Cerberus gradiens.* Æ. III. (Pellerin.)

Postremi hi numi invicte arguunt, Pisauri incolas fuisse patria Graecos. Hi utrum aetate praecedant numos gravis aeris, quos praemisimus, quaeri potest. Si literae *ΠIS.* numorum praecedentium capti essent ex antiquissimo alphabeto Graeco, dubium non foret, hos ipsos aetate quoque anteire. At enim cum hae literae spectata forma non minus sese alphabeto Etrusco, et veteri Latino adcommodent, neque hactenus numos gravis aeris Graece inscriptos viderimus, praeterea secundum aliarum Italiae urbium exemplum magis verisimile sit, Pisauri incolas ex Graecis factos Italos, quam vicissim, dubitari nequit, Graecos hos numos antiquitate praestare.

* * *

Alium junxit Goltzius inscriptum quoque *ΠΙΣΑΥΡΙΩΝ* typo juvenis delphino vecti et Pegasi marini, cujus fidem jure quidem impugnat Olivierius, at minus recte propterea, quod argenteus est, ex quo metallo negat in hac Italiae parte signatam monetam. Contrarium docuimus in prolegomenis ad numos Italiae mediae. Hic numus si vere exstitit, est Tarenti.

Æ. RRRR.

TVDER.

Mediterranea ad Tiberim, hodie *Todi.*

Epigraphe: TV. vel TVTERE. (retrograde et literis Etruscis.) Singulare est in horum uno E lunatum, eo modo, quo est E Graecum sequioris aevi [x]).

Typi admodum varii, quos inutile est describere, cum ad philologiam vix aliquid conferant, et videri possint apud auctores saepe laudatos, qui Etrusca vulgavere.

Hi Tudertium numi sunt semisses, trientes, quadrantes, unciales, quos inter multi gravis aeris, cumque sint tanto numero, quantus praecipue ex iconismis Arigonii potest colligi, mirum profecto, tamdiu eos vagatos, donec patrio solo restituerentur. Horum unum Begerus Ilio Mysiae tribuit [y]), cujus sententiam peram miratur Lanzius secutum magnum Pellerinium [z]), qui loco indicato Begeri judicium non adprobat, sed refutat, et de Tudertium numis recte judicat. Hodie

s) della Fond. di Pes. p. 25. t) Orig. Ital. tab. XV. u) l. c. p. 24.
x) Arigoni Num. Etrusc. tab. XII. y) Thes. Br. T. III. p. 57. z) Saggio T. II. p. 32.

intellecta rite inscriptione Etrusca certum est, numos sic inscriptos hujus esse urbis. Teste Lanzio [a]) professus est Passerius in suis ad Dempsterum Paralipomenis, fuisse sè primum, qui veram horum numorum patriam reperisset. Qua ejus operis pagina istud adserat Passerius, ignoro. Istud certum, Pellerinio jam quatuor ante annis, antequam Passerii opus lucem vidisset, numos hos Tudertes fuisse cognitos. Arigonius numum hujus urbis inscriptum VT. relegavit Vthinam Africae oppidum [b]), quem Frölichius altero errore esse Vticae, vel Tarraconis maluit [c]).

* * *

Caput Jovis.)(TVTERE, *ut supra. Aquila.* AR.

Vnicum hunc hujus urbis argenteum citat Cl. Amadutius [d]). Cimelio tam singulari quae sit habenda fides, ignoro. Negligit illud Lanzius, qui omnes monetae Etruscae causas adcurate investigavit. Viderint eruditi Itali.

Æ. C.

AGER PICENVS.

ANCONA.

Ad Adriaticum, portus hodieque inclytus. A Syracusanis Dionysii tyrannidem fugientibus condita teste Strabone, unde et *Dorica* dicta Juvenali [e]).

Caput muliebre laureatum.)(*ΑΓΚΩΝ. Manus cum cubito tenens palmae ramum.* Æ. III. (Mus. Caes. Pellerin.)

Similem his, sed argenteum, et anepigraphum pridem edidit Goltzius, qui certe confictus non est, quod inventi serius numi testantur, nisi forte is, quod et alias fecisse est compertus, aes in argentum mutavit. Neque obest, abesse epigraphen, cum urbs ipso symbolo satis notetur frequente ejus in numis veterum exemplo. Typus adludit ad urbis nomen ἀγκων, *cubitus*, nam et a cubiti forma nomen traxit, ut refert Mela: *illa in angusto duorum promontoriorum ex diverso coeuntium inflexu cubiti imagine sedens, ideo a Grajis dicta ANCON.* Secundum quem Plinius: *Ancona adposita promontorio Cumero in ipso flectentis se orae CVBITO.* Caput muliebre laureatum haud dubie est Veneris, quae teste Catullo [f]) ibi praecipuos honores nacta est:

Quaeque Anconam, Cnidumque arundinosam
Colis, quaeque Amathunta, quaeque Golgos.

AR. Golzianus, Æ. RRR.

HADRIA.

Versus Adriaticum, ex qua urbe fuere majores Hadriani Augusti. Cum altera sit praeterea Hadria in Gallia Cisalpina Padum inter, et Athesin sita, quaesitum, utrius sint numi Hadriae nomine inscripti, quos dabimus. Gorius [g]), et Passerius [h]) difficultatem dissimulant. Scipio

a) Saggio T. II. p. 29. b) Num. urb. tab. XXIII. c) Not. elem. p. 121.
d) In Passerii pict. Etr. in vasc. T. III. p. LXXVIII. e) Sat. IV. 40. f) Carm. 36.
g) Mus. Etr. T. II. p. 428. h) Paralip. Dempst. p. 177.

Maffejus non dubitat, eos Hadriae Piceni tribuendos [i]), cui omnino adhaerendum puto, nam testatus est Abbas Chaupy, se plures numos similes ad eam, quae in Piceno est, reperisse. Eidem etiam sententiae accessit Lanzius [k]). Denique satis certum non est, Galliae Cisalpinae urbes suam unquam habuisse monetam, ut dixi in prolegomenis ad numos Italiae superae.

Epigraphe HAT. rarius HATRI. nonnunquam et retrograde. Scriptum olim *Hatria* pro *Hadria*, ut et *Tuter* pro *Tuder*. Sic et Plinius Hadriam Cisalpinae scripsit *Atriam* [l]).

Typi frequentiores, et magis notandi:

Caput adversum diadematum prolixe barbatum, juxta in nonnullis L *antiquae formae.*)(*Canis, vel lupus jacens.* (Mus. Caes. alibi.)

Sunt hi numi ex aere gravi, et insignis molis. Typi ratio omnino incerta. Caput anticae a quibusdam Sileni creditur, et L esse *ἀϱχαιουσαν* verbi *Libra*.

Caput muliebre comatum insertum conchae.)(*Pegasus, et* 5. *globuli.* (Card. Zelada, Mus. Caes.)

Et miri hujus typi causa ignota.

Typi reliqui: *Calceus.*)(*Gallus.* — *Caput Apollinis.*)(*Diota.* — In aliis: *Pisces, ancora* etc.

Omnes hi numi sunt ex aere gravi, et multam antiquitatem eloquuntur.

* * *

Injurius huic urbi fuit Wachterus, qui numos sic inscriptos Adranum Siciliae propter canem decumbentem trajecit [m]), nam idem typus, ut aliis causis abstineam, etiam in Tudertis numis habetur. Longius a scopo aberravit Havercampus, inscriptione HAT. indicari Romanam gentem *Atriam*, vel *Hateriam* existimans [n]). At Mazzochius errore contrario ad Hadriam nostram adegit numos cum epigraphe *ATPETC*, ut ipse legit, quem refutabimus in numis Corcyrae, quorsum hi numi pertinent, praecipue cum auctoritate sua alios in errorem induxerit.

Æ. RR.

V E S T I N I.

Huic populo Cl. Lanzius tribuit numos prope vicinum Asculum Piceni repertos, siquidem satis validam hanc putabimus conjecturam [o]).

Caput Palladis.)(VES. MI. *Luna cum astro.* AR.

Caput vituli.)(VES. *Idem typus.* Sextans aeris gravis.

M A R R V C I N I.

TEATE.

Regionis princeps, quam scriptores *Teate*, numi *Tiate* appellant.

Caput Palladis, juxta globuli vario numero.)(TIATI. *Noctua stans, aut insistens capitello ordinis Corinthii, in area*

i) Osserv. let. T. V. p. 381. k) Saggio T. II. p. 641. l) L. III. p. 173.
m) Archaeol. num. p. 147. n) in Parut. p. 787. o) Saggio T. II. p. 603.

iterum globuli vario numero. Æ. I. II. III. (Mus. Caes. Arigoni.)

Caput Herculis.)(TIATI. *Leo gradiens, superne clava, infra* 4. *globuli.* Æ. II. (Mus. Caes.)

Æ. R.

LATIVM.

Late sumptum intelligo, complectendo una Marsos, Volscos, Aequos.

ROMA.

Hujus monetam hic non attingimus, quae alteram universi operis classem efficit.

ALBA.

Exstant numi a variis editi:

Caput Palladis.)(ALBA. *Aquila fulmini insistens.* AR. III. (Pellerin, Pembrock Part. II. tab. 2.)

Caput Mercurii.)(ALBA. *Pegasus.* In alio: *Gryphus currens.* AR. III. Priorem edidit Cl. Dutens, (Explic. de quelq. méd. p. 49.) posteriorem vidi Romae in museo Abbatis Chaupy.

Conspirant auctores citati, hos numos ex pluribus hoc nomine urbibus tribuendos illi Albae, quae in Marsis lacui Fucino adsita, et inde Alba ad Fucinum, et Fucentia dicta fuit. Teste Livio colonia deducta est V. C. 451 [p]).

AR. RRR.

ATINA.

Huic Volscorum urbi perperam a Frölichio [q]) tribuitur numus in museo Theupoli descriptus ADINOD., qui est Larini in Frentanis, ut in his dicetur. Numus *ATINAIΩN* apud Arigonium male lectus pro *AITNAIΩN* populo Siculo, quem errorem recoxit Magnanus [r]). Neque huc videtur referendus aeneus inscriptus ATINOS, quod viri potius nomen est, quam urbis, ambigente ipso ejus praecone Pellerinio [s]).

ANTIVM.

In Volscis. Numi aenei ANTI. Goltziani sunt.

ANXVR.

Volscorum lingua, quae et Terracina, quo nomine etiamnum gaudet. Huic urbi Goltzius numos tribuit nulli alteri conspectos: *AXYR.* typo *Jovis Anxur.*, Alius huc refertur a Begero [t]): *Caput Palladis.*)(AƧVR. *Gallus stans,* quem ex eodem citat quoque Spanhemius [u]). Vterque miratur in secundo elemento insolitam formam *του* X. At fallitur uterque, nam numus hic Aquini est, de quo mox, et apparet, numum Begerianum minus fuisse integrum, et secundum elementum aliud non esse, quam Q solitum. De Jove Axure vide denarios Vibii Pansae.

AQVINVM.

In Volscis.

Caput Palladis.)(AQVINO. *Gallus stans, superne astrum.* Æ. III.

Est in museo Caesareo, ejusque similem pridem edidit Maffejus [x]). Ab hoc numi Suessae, Teani, Calium, Venafri, Campaniae urbium sola epigraphe SVE-

p) L. X. sub init. q) Not. elem. p. 71. r) Lucan. num. p. XIII. s) Rec. I. p. 69.
t) Thes. Br. T. I. p. 357. u) T. I. p. 96. x) Osserv. let. T. V. p. 383.

SANO. TIANO. CALENO. differunt. De terminatione in NO agemus post numos Campaniae.

Rationem sociati cum Pallade galli adfert Pausanias. Nam cum videret, gallum Minervae cassidi in ejus simulacro insidere, istud factum adfirmat, quod haec avis omnium sit pugnacissima [y]).

Æ. RRR.

CLITERNVM.

In Aequis. Male lectum a Frölichio *ΚΛΙΤΕΡΝ.* in numo, in quo Cumarum, et Literni nomina junguntur [z]). Vide infra Cumas Campaniae.

MINTVRNAE.

SINVESSA.

Volscorum urbes. Numi MINTVRN. *ΣΙΝΥΕΣΣΑΝΩ.* soli Goltzio cogniti fuere.

AVRVNCI.

Vetus in ultimo Latio Italiae populus. Numum edidit abbas Sestinus sibi ex Apulia adlatum: *Caput equi cum freno.*)(*ΑΥΡΥΝΚΩΝ, ut videtur. Hordei spica.* Æ. III. (Lettere T. II. p. 3.) Cum ipse auctor epigraphen in dubium vocet, possumus ab explicando singulari hoc numo, et hactenus a nemine conspecto abstinere.

SAMNIVM.

Hujus regionis vires ac potentiam diu experta Roma. Ejus etiam opes depraedicant scriptores veteres, sed non confirmant numi, quorum paucos habemus superstites.

AESERNIA.

VOLKANOM. *Caput Vulcani, retro forceps.*)(AISERNINO. *Juppiter fulminans in citis quadrigis volante altius Victoria.* Æ. III. (Mus. Caes.)

Pellerinius in suo simili legit: *VOΛKANON*, et *ΑΙΣΕΡΝΙΝΟ.*, magis utrumque Graece. Verum in numis musei Caesarei prior inscriptio obtinet, quam et in museis Italicis me observare memini. Cl. Ignarra numum memorat ex museo ducis Nojae, inscriptum: *ΑΙΣΕΡΝΙΝΩΝ.*, sed numi imago, quam ibi sistit, habet perinde ac alii AISERNIN. [a]). Auctor musei Theupoli invitatus voce *VOLKANΩΝ*, ut ipse legit, vitiato haud dubie urbis in aversa nomine, similem numum tribuit Volcis, Etruriae, an Lucaniae, non addit. Ejus fallace indicio deceptus Frölichius Vulcaniam insulam respexit [b]). Numum similem Marcello, cui cognomen *Aesernino*, tribuit Patinus [c]).

De voce VOLKANOM insolentius in OM exeunte, agemus post numos Campaniae.

* * *

AISERNIN — *Caput Palladis, retro clava.*)(*Aquila serpentem unguibus stringens.* Æ. III. (Mus. Caes.)

Numus hic ab obviis Aeserniae differt. A Pallade non aliena clava propter facta heroica, et hanc manu gestat in pluribus veterum monumentis.

---

y) Eliac. II. p. 518. z) Not. elem. p. 93. a) de Pal. Neap. p. 250.
b) Not. elem. p. 120. c) Num. fam. p. 311.

* * *

Caput Apollinis laureatum.)(AISERNIN. *Bos cum facie humana coronatur a supervolante Victoria.* Æ. III. (Ignarra l. c.)

Æ. R.

ALLIFAE.

De numis dubiis, quos aliqui huic Samnii urbi tribuerunt, vide, quae ad Alaesam Siciliae monebimus.

BENEVENTVM.

BENVENTOD. *Caput Apollinis laureatum.*)(*ΠΡΟΠΟΜ. Equus currens, supra quem pentagonum.* Æ. III. (Paoli rudera Paesti tab. LVII. n. 26. 27.)

Iconismus hujus numi ab auctore propositus urbis nomen scribit BENVENTOO., sed quod corrigere non dubitavi in BENVENTOD, cum quod testatus mihi est Abbas Chaupy, se binos vidisse hujus urbis numos, forte hos ipsos, cum posteriore hac epigraphe, tum quod terminatio in OO citra exemplum est, at in OD ex vicini Larini LADINOD cognita. Signati sunt hi numi, ex quo oppidum jam Romanis paruit. Nam ante horum imperium dictum *Maleventum.* Livius [d]): *Maleventum, cui nunc urbi Beneventum nomen est.* Et Plinius [e]): *Beneventum, auspicatius mutato nomine, quae quondam appellata Maleventum.* Testibus Solino et Stephano urbs eundem habuit conditorem, quem Arpi Apuliae, nempe Diomedem. Et vero Beneventi cum his Arpis et Salapia nexum praeclare stabiliunt harum numi urbium; nam omnium trium partes aversae equum currentem exhibent addito praeterea magistratus nomine. Atqui et in Beneventi numis *το ΠΡΟΠΟΜ* (forte *ΠΡΟΡΟΜ*) non dubito esse magistratus nomen, de quo vide, quae infra in numis Suessae Campaniae dicentur.

* * *

Harduinus ex museo Genovevae recitat numum: COL. BENEVEN. sine anticae mentione, de cujus probitate, aut vera lectione dubitare fas sit. Paucae Italiae continentis coloniae numos cuderunt, atque etiam in iis, qui exstant, nunquam praefixum COL. observatur. Alios numos inscriptos BEN. PRAE. non huc, sed Celsam Tarraconensis pertinere, monitum in hujus urbis numis.

Æ. RRRR.

MVRGANTIA.

Vrbs Samnii teste Livio, sed incerti situs.

ΜΥΡΓΑΝ†ΙΑ. *Caput Apollinis laureatum.*)(*Bos cum capite humano, superne fulmen.* Æ. II. (Pellerin. Suppl. III. p. 95.)

Epigraphe literas Graecas Etruscis aut Oscis permixtas offert. Atque haec praecipua causa est, cur numus tribuendus sit hujus tractus urbi, nostrae adeo Murgantiae, non Murgantio Siciliae. Numus idem est etiam in museo Card. Borgia teste Lanzio [f]).

Æ. RRRR.

PENTRI.

Samnii, aliquoties memorati Livio.

Numum inscriptum retrograde, et literis Etruscis — *ΕΝΤΛΕΙ,* in quo hinc *caput Mercurii,* inde *Pegasus,* quem Khellius aliquando vulgaverat [g]), his Pentris

d) L. IX. c. 27. e) L. III. § 16. f) Saggio T. II. p. 601. g) Adpendic. II. tab. IV.

tribui posse conjicit Lanzius[h]), verum lis pendet a litera hujus vocabuli prima, quae in hoc numo desideratur. Vide, quae praeterea de hoc numo infra in numis incertis Campaniae dicentur.

NVMI SAMNITICI.

Numos Samniticos primus a numis consularibus discrevit, eosque binis eruditis sane, ac classicis dissertationibus illustravit Abbas Olivierius Pisaurensis[i]). Multum etiam in his explicandis versatus est Cl. Swintonus Anglus, sed varia fortuna, ut patebit[k]).

Sunt hi omnes argentei, denarii Romani forma et pondere, operis sat elegantis, quos omnes cum ex Olivierio, tum aliis collectos hic ob oculos sisto:

1.) ᐯITVꟽ. > *Caput muliebre galeatum.*)(ꟽIꟽI8ꓯꓭ *Miles stans juxta bovem procumbentem d. hastam, s. parazonium, in area ꓯ.* (Olivieri.) *Alius, sed in area* B *inversum.* (Mus. Caes.)

2.) ꓦI ᐯƎTꓯ Ɔ *Caput mliebre laureatum cum inauri et monili.*)(*Typus aversae similis, in imo literae variantes* ꓠ 8 > B I ꟽ H Ψ Я Ꮖ (Minervinus de monte Vulture tab. IV. Pellerin. Suppl. II. tab. I. Mus. Caes.)

3.) *Alius, sed scriptum Osce et retrograde* VITELIVD. (Swinton Philos. Trans. T. LI. p. 853. seq.)

4.) *Adversa, ut numero* 2.)(ᗡꟽIꟷƆꓦᐯ. Iꟽ *Idem typus.*

Swintonus in hoc denario fieri mentionem familiae Luponiae olim credidit. (l. c. T. LVIII. p. 253.) Serius cum adcuratius eum edidisset, epigraphen dedit, qualem proposuimus, sanxitque, esse gentis Luviae. (l. c. T. LXIII. p. 22.)

5.) ᗡVTꓯᗡ8 ꟽƎ. ᐯꓯTVꟽ. *Caput muliebre galeatum.*)(IПNNП. > *Vir genuflexus porcam sustinet, quam duo milites hastati bacillo contingunt.* (Olivieri.)

6.) *Eadem epigraphe. Caput muliebre hedera coronatum.*)(*Eadem epigraphe. Bos animal dubiae formae cornu feriens.* (Pembrock Part. II. tab. 87.) *Eundem hunc numum restituit Cl. Dutens, cui dubium illud animal luculentus est crocodilus.* (Explic. de quelq. méd. p. 222.)

7.) ᐯꓯTVꟽ *Caput muliebre galeatum alatum*)(- - > IПNNП. >. *Dioscuri in diversum equitantes.* (Olivieri.)

8.) ꓦI ᐯƎTꓯƆ *Caput muliebre galeatum, pone* X.)(>. ꓯIПNNП. >. *Vir genuflexus porcam sustinet, quam milites duo hinc, duo inde stantes bacillo contingunt.* (Swinton T. LII. pag. 28., sed qui totus in suo Veturio defixus, ut dicetur, epigraphen partis anticae legit FITEEIV.)

Cum his conjungo sequentes:

9.) *Caput muliebre laureatum.*)(*Vir genuflexus porcam tenet, quam adstantes*

---

h) Saggio T. II. p. 602. i) Saggi di Cort. T. II. p. 49. et T. IV. p. 133.
k) Philos. Transact. Vol. LI. p. 853. — Vol. LII. p. 28. — Vol. LVIII. p. 253. — Vol. LIX p. 432. — Vol. LXIII. p. 22.

octo milites bacillis contingunt, infra PAX., *in alio* IIII. (Olivieri.)

10.) *Caput muliebre laureatum, juxta* X.)(ITALIA. *Mulier armis insidens d. hastam, coronatur a Victoria retro stante, in area* C. (Pellerin. Suppl. III. tab. 3.) *In similis alterius area* E *inversum.* (Swinton l. c. T. LIX. pag. 440.)

11.) ITALIA. *Caput simile.*)(*Typus ut num.* 9., *sed in imo* C. (Pellerin l. c. Mus. Caes.)

Numos hos esse Samniticos demptis tribus postremis, quos ob argumenti concordiam addere placuit, facile probamus.

I. Hi numi Romani non sunt, quod vel ex una literarum forma satis apparet. Sunt tamen signati in Italia, nam eaedem literae adfines saltem sunt Romanis, et comparent frequenter in numis urbium Samnii, Campaniae, et vicinarum regionum. Oscae passim dicuntur, de quarum natura agemus infra post numos Campaniae.

II. Constat, populos, qui hac aut simili literarum forma usi sunt, Etruscos, Samnites, Campanos, fuisse eos ipsos, qui praeter alios pertinax cum Romanis bellum ad civitatis jus extorquendum gessere, dictum *Marsicum*, seu *sociale*, foedus autem ab his populis initum vocabatur *Italicum,* quod Italiae reliquae populi unitis viribus adversus Latium conspirassent. Ab his, et durante hoc bello hos esse percussos numos, sequentia evincent.

III. Memoratur in horum aliquibus *C. Papius Mutilus imperator.* At narrant quoque historici veteres, quorum testimonia collecta vide apud Olivierium [l]), Samnites sibi in hoc bello C. Papium Mutilum (aliis Mutilium) imperatorem praefecisse, quae quidem potissima causa est, cur Samnitici vocentur hi numi. Brutulum Papium Samnitum ducem memorat quoque Livius [m]). Papii Mutili senatoris sub Tiberio meminit Tacitus [n]), qui et consul fuit, et auctor legis Papiae Poppaeae. In numis binis, quos descripsimus, nimirum 7. et 8., Papii nomen sequitur litera > haud dubie posita pro *Caji,* id est: *filius.*

IV. Conspirant quoque typi, praecipue is, quo porcam vir tenet, quam adstantes alii contingunt, qui notus fuit feriundi foederis ritus, et quo designatur id ipsum foedus, quo variae Italiae nationes ad extorquendum jus civitatis adversum Romanos conspiravere. Vide etiam numos gentis Veturiae, qui eundem foederis ritum sistunt. Imaginem in his numis propositam eximie juvant verba Ciceronis [o]): *In eo foedere, quod factum est quondam cum Samnitibus, quidam adolescens nobilis porcam sustinuit jussu imperatoris.*

Spectatis inscriptionibus in hac numorum classe praeter literarum formam huic tractui peculiarem notandus C. Papius Mutilus. Vocatur is *Embratur,* cui in Latinorum lingua respondet *Imperator.* Revera supremus Samnitum dux Livio plerumque dicitur *Imperator,* quae loca congessit Olivierius [p]). Alter dux vacatur

---

l) Saggi T. II. p. 57. m) L. VIII. c. 39. n) Ann. II. 32. o) de Invent. L. II. c. 30.
p) T. II. p. 60.

Viteliu, quod quidem nomen non legitur inter foederatorum duces, quos recensent Appianus et Vellejus. Videtur ergo serius suffectus. Certe gens Vitellia, ex qua prognatus erat Vitellius Aug., ex Sabinis Romam antiquitus profecta est, cum subinde quidam Vitelliorum belli Samnitici tempore praesidio Roma in Apuliam misso deinceps subsiderent Nuceriae, et longo post intervallo repeterent urbem, ut refert Suetonius [q]). Olivierius in numo suo simili legit P. ITEEIV., qua scriptura visus illi est indicari *Insteius* Capito Marsorum dux in eodem bello [r]). Swintonus in suo, quem dedimus loco III., vidit VITEEIVD, atque adeo *Veturium* sibi finxit. Sed apparet, Olivierii numum non fuisse integrum; Swintoni vero numus testante ejus iconismo diserte habet VITELIVD, sed auctor sua sponte pro L fecit E. Sunt ergo omnes unius ejusdemque Vitellii.

Vocabulum *Safinim* numi I. eruditos admodum exercuit. Olivierius illud nimis acute a Graeco σαφεω, vel σαφηνιζω, *manifesto*, aut etiam, si superis placet, a σαττω, *conculco*, deducit [s]). Stomachamur in viro gravi conjecturas usque adeo inanes. Sed urget etymologistas omnes commune quoddam fatum. Aliquot annis serius aliam inivit viam, eaque voce putavit indicari Samnitum urbem, in qua numus cusus, et forte *Saepinum* saepius Livio laudatum [t]). Mox pagina sequente non repugnare ait, notari virum aliquem illustrem ex gente *Safinia*. Addit ibidem conjecturam Passerii, *Safinim* esse posse nomen magistratus suadente id verbo Hebraico easdem fere radicales continente שפטים, quod *judices* significat, et unde derivantur Carthaginiensium Suffetes. Swintonus legit SAFINI. M. et explicat: SAFINI. M*arci*, id est: *filius*, neque dubitat, Safinium hunc fuisse eo in bello ducem, perinde ac Papium in denariis aliis. Sententiam suam confirmat denario gentis Serviliae, quem ex Olivierio sumsit inscripto SERVEILIM, quod iterum explicat: SERVEILI*us* M*arci*, id est: filius [u]). At enim male vir eruditus causam suam fulcit numo Olivierii vitiato; nam in numis aliis, iisque integris legitur C. SERVEILI. M. F. Accedit, quod in numis illaesis nullum punctum literas I et M vocis SAFINIM separet. Verisimilior multo sententia Maffeji, existimantis [x]), *Safinim* idem esse, quod Latinis *Sabini*, notari tamen reipsa Samnites, qui, ut teste Strabone origine Sabini fuere, appellantur a Graecis Σαυνιται, a Latinis *Samnites*, vel *Sabelli*. Suffragatur etiam typus in his numis ipsis. Stat figura galeata seminuda d. hastam tenens, s. parazonium, s. pede globum vel galeam calcans, juxta bos procumbens. Olivierius primum hac figura exhiberi putavit ipsum Mutilum, cujus nomen in numi antica legitur, et tauro jacente prostratos Romanos [y]). Mutavit serius mentem [z]). Nam cum videret, in numis suis taurum jacentem a figura stante calcari, et catenis illigari, putabat, eo typo indicari coloniam quandam Romanam (est autem bos coloniae typus) a

q) in Vitell. c. 1. r) Saggi T. II. p. 65. s) Saggi T. II. p. 67. t) Saggi T. IV. p. 145.
u) T. LIX. p. 434. x) Osserv. let. T. V. p. 341. y) T. II. p. 66. z) T. IV. p. 141.

Samnitibus rebellibus subjugatam. Sed enim fallit haec conjectura. Nam figura illa non bovem calcat, sed globum, vel galeam, et quod catenam putabat, solitum lorum est ex parazonio pendens, ut videre est in numo integriore Pellerinii[a]), et alio musei Caesarei. Praeclare hic typus conspirat cum verbis Strabonis, narrantis[b]), Sabinos, a quibus stirpem traxere Samnites, oborta sterilitate monitos, ut prolem suam diis dicarent. Obtemperasse eos, eoque anno editos filios Marti consecrasse, cumque virilem aetatem attigissent, DVCE TAVRO ad coloniam foris condendam eos dimisisse; procubuisse tum taurum in Opicorum regione, quo facto illos his pulsis ea loca insedisse, TAVRVM*que* MARTI, qui ducem ipsis id animal misit, ex oraculi jussu sacrificasse. Probabile igitur est, inquit Strabo, eos diminutive *Sabellos* a majoribus suis vocatos. Ex his igitur verbis Bianconus[c]), et Pellerinius[d]) numi typum recte explicant, Martemque in figura stante, et in tauro dictum Sabinorum ducem humi procumbentem, et ad sacrificium paratum vident, cui id unum addo, tanto potius videri Martem, quod seminudus fingitur manifesto divinitatis indicio. Addit Pellerinius, literam B, quae infra taurum signata est, esse *ἀρχαιουσαν* urbis *Boviani*, in qua putat flatum numum, sed quae opinio certe fallit, quia, ut ex sociis numis vidimus, hae literae admodum variant.

Caput muliebre galeatum alatum numi VII., perinde ac in denariis Romanis. Opportune hoc loco arguit Olivierius[e]), caput illud non esse deae Romae, quod passim adserunt antiquarii; nam juratos Romanorum hostes verisimile non est voluisse Romae imagine uti. Vt istud, de quo in familiarum numis uberius agemus, facile dederim, ita verum tamen videtur, hos populos servilem in morem Romanorum monetam imitatos, quod ex forma, pondere, signo denarii X, typo ex Servilii numis capto, de quo mox, satis apparet. Atqui etiam imitatos regimen Romanorum politicum constat eligendo binos consules, binasque definiendo provincias consulares, ut testatur Diodorus[f]).

Caput laureatum in his numis quo minus pro Apolline haberi possit, vetant monile et inauris. Pellerinius esse caput Bellonae conjectat, sed argumentis abstinet[g]).

Dioscuri in numo VI. equites. Huic numo spectatis utriusque partis typis ad omnes apices simillimi sunt numi gentis Serviliae, nisi quod, ut in illorum antica est MVTIL, in his ROMA, ut in illorum aversa C. PAAPI., sic in horum aversa C. SERVEILI. M. F. Quae ratio sit tantae concordiae typorum in numis Romanorum, et eorum hostium Samnitum, mihi incompertum. Quam Olivierius offert, plane infirma est.

Postremi duo numi inscribuntur ITALIA literis pure Latinis. Quare eos non quidem Samniticos dici velim, cum literis Samniticis non inscribantur, videntur tamen pertinere ad foedus Italicum, I.

a) Suppl. II. tab. I. n. 2. b) L. V. c) de Ant. lit. Hebr. et Graec. p. 62.
d) Suppl. II. p. 11. e) T. IV. p. 134. f) L. XXXVII. Ecl. 1. g) Suppl. II. p. 9.

propter caput muliebre laureatum, quod etiam in certis Samniticis saepe occurrit, II. propter typum foederis, III. accedente praecipue voce ITALIA, quae numis Romanis, in quibus plerumque ROMA legitur, opponi videtur. Fallitur tamen Pellerinius, negans, Romanos unquam numis suis inscripsisse vocem ITALIA [h]). Non meminit, cum haec scriberet, numorum gentis Muciae. Octo figurae, quorum quatuor hinc, quatuor inde porcam contingunt, forte nobis exhibent octo illos foederatorum duces, quorum nomina proponit Vellejus [i]). Litera C, quae utriusque numi aream insidet, secundum Pellerinium [k]) indicat Corfinium in Pelignis, ejus belli praecipuam sedem. Modo multo insolentiore Swintonus literam E, quae est in simili suo, quem citavimus, explicat, sed quem referre piget. Planissima explicatio, esse variantem alphabeti literam, cujusmodi obviae sunt non modo in numis Romanorum consularibus, sed etiam Samniticis, ut in numis loci I. et II. vidimus.

Typus aversae in numo VI. inusitatus sane: Taurus crocodilum toto corpore premens, et cornu fodicans. Nisi me omnia fallunt, certa allegoria est ejus temporis causas involvens, et possunt typo tauri intelligi Samnites, superbi victores sive Romanorum, sive alterius urbis, quaecunque subacto altero animali notari queat. Simili fere modo serius comperi, insolentem hunc typum explicari a Cl. Swintono [l]).

FRENTANI.

LARINVM.

In hujus numis epigraphe est: LADINOD, quae obvia; at Romae in museo Abbatis Chaupy vidi LADINOM. Literarum insolentium ignoratio fecit, ut hi numi longo tempore vagarentur. Auctor musei Theupoli urbem quamdam ADINO omnibus ignotam exsculpsit [m]). Eundem Frölichius Atinae Volscorum adjudicavit [n]). Arigonius his numis titulum praefixit GADINOD. Bouterovius esse *Latinorum* numum putavit [o]). At Khellius erudite ostendit esse Larinatium, primamque literam L, quae in aliquibus numis hujus urbis instar C formatur [p]). Ratio inscriptionis Etruscae ex Catone petenda, qui Larinates ex Liburnis et Etruscis advenas facit [q]).

Numi sunt quincunces, trientes, quadrantes, sextantes, omnes ponderis deminuti.

Typi:

Caput Herculis.)(*Centaurus citato cursu.* (Mus. Caes.)

Caput muliebre velatum, redimitum spicis.)(*Delphinus.* (Mus. Caes.)

Caput Palladis.)(*Eques galeatus cum hasta et clypeo citato cursu.* (Pembrock. P. II. tab. 18. Theup. l. c.)

---

h) Suppl. III. p. 79. i) L. II. § 16. k) l. c. l) l. c. T. LI. p. 863. m) pag. 1244. n) Not. elem. p. 71. o) Rech. cur. p. 90. p) Adpendic. II. p. 100. q) de Origin.

Bos cum facie humana.)(*Bos similis.* (Ignara de Pal. Neap. p. 257.)

* * *

Eidem Larino Arigonius perperam tribuit numum cum epigraphe *ΛΑΡΙ.*, qui est Larissae Thessaliae. Alii item numos inscriptos IDNO, quos recensebimus in numis incertis Campaniae, et forte huc pertinebit numus IƎ◁TИƎ - - quem eodem loco dabimus.

Æ. RR.

CAMPANIA.

Hujus urbes regionis numis abundant, suntque inter hos multi fabricae perelegantis proficua illis vicinae Magnae Graeciae arte.

In his animadversione praecipue digna sunt epigraphe Osca, nomen urbis saepe in NO, variaque vocabula in OM desinentia, et typus frequens tauri cum capite humano, de quibus omnibus ex instituto infra post enarratos Campaniae numos dissertationibus tribus agemus.

Numi CAMPANORVM nomine.

Caput Palladis galeatum.)(*KAMΠANO. (retrograde.) Taurus cum facie humana, infra avicula, et* M. AR. II.

Numum hunc primus edidi ex museo M. Ducis [r]), similem deinde Magnanus [s]), tertium vidi Romae in museo P. Antonii Benedetti. Huic adendus alter fere geminus:

Caput Palladis galeatum.)(*KAΠΠΑΝΟ. Taurus cum facie humana, infra avicula et* N. AR. II.

Hunc nonnisi inscriptione diversum edidit Pellerinius [t]), ejusque similem ait a Panelio ex museo le Bret vulgatum. At eo virum eruditum falli existimo, quod literam N solitariam cum nomine urbis conjungit, legitque *KAΠΠΑΝΟΝ.* Haec litera sic solitarie est posita, ut in priore numo Mediceo litera M., quae adeo separatum sensum facit. Cl. Ignarra in argenteo his simillimo legit *ΑΡΠΑΝΟΣ*, ac propterea Arpis Apuliae tribuit [u]). At Pellerinius erroris lectionem suspicatur, numumque perinde ac priores esse Campanorum censet [x]), quod viderint praeclari Neapolitani.

Habemus ergo in his numis scriptum *KAMΠΑΝΟ* et *KAΠΠΑΝΟ.* Credibile tamen est, his vocabulis non universos Campaniae cives, sed Capuam indicari, cujus gentile Latinorum sermone et aevo superiore fuit *Campanus*, non *Capuanus,* ut latius in hujus numi explicatu disserui [y]). Et apparet ex numo Pelleriniano, valuisse etiam gentile *Cappanus.* Capuae numos, sed posteriores, et inscriptos Osce, infra recensebimus.

r) Num. vet. p. 18. s) Misc. numism. T. III. tab. 19. t) Additions p. 18. u) de Pal. Neap. p. 250. x) l. c. y) l. c.

* * *

ΚΑΜΠΑΝΩΝ legitur in numis Entellae Siciliae, quam vide.

AR. RRR.

ACERRAE.

Mazochius, qui primus numos cum Acerrarum inscriptione prodidit [z]), alios Acerris Galliae Transpadanae, alios Acerris Campaniae largitus est. Non satisfaciunt rationes ejus criterii, ac cum vix exstent certi ejus Galliae numi, dubium non est, numos omnes hoc nomine praeditos huic Campaniae urbi vindicandos. Ignobiles Acerras Vatrias Vmbriae aspernamur.

Caput Jovis laur., pone 4. *globuli.*)(VΩƎЯИ *Juppiter in citis quadrigis Victoria habenas moderante, infra* 4. *globuli.* Æ. I. (Mus. Caes.)

Caput idem, pone 2. *globuli.*)(*Eadem epigraphe. Duae figurae stantes pallio post tergum defluo, quarum singulae d. bacillum, s. porcam simul attinent, in area* 2. *globuli.* Æ. II. (Mus. Caes.)

Caput idem, pone globulus.)(*Eadem epigraphe. Victoria coronans tropaeum, in area globulus.* Æ. III. (Arigon. Miscell. tab. XIV.)

In omnibus hujus urbis numis, quos viderim, reperio epigraphen distinctam VΩƎЯИ, quod sane monendum contra Mazochium, qui in suis legit V<ƎꓘИ, cui adeo secundum elementum non est Я sed ꓘ. Epigraphe, qualem ego proposui, non modo luculenta est in binis integerrimis musei Caesarei, verum etiam eadem ipsa proponitur in numo Arigoniano, qui cetera Mazochiano simillimus est, quemque tertio loco descripsi. Docet epigraphe, hanc urbem Oscorum lingua dictam fuisse *Acerum*, ut et, quae Graecis et Latinis dicebatur Nuceria, Oscis erat *Nufcrinum.*

Alterius numi pars aversa ritum sacrum exhibet, quo Feciales duo foedus ineunt secundum Virgilium [a]):

Post iidem inter se posito certamine reges
Armati Jovis ante aras, paterasque tenentes
Stabant et caesa jungebant foedera porca.

Idem typus frequens est in numis Samniticis, de quibus supra, et in denario gentis Veturiae. In simili numo, haud dubie per aetatem attrito, cum legeret Vaillantius M. SERV., eum Serviliae gentis numis intulit, inter quos est numero 12.

Etiam in tertii numi explicatu manifeste peccatum. Nam cum Maffejus in suo tantum legeret postremas literas VΩƎ - - [b]) eum serius Perusiam referre non dubitavit [c]).

Æ. RR.

ATELLA.

A qua urbe fabulae Oscae nomen habuere. Aeneus *ΑΤΕΛΛΑΝΩΝ* solum Goltzium auctorem habet. Alter *ΑΤΑΛΙΝΩΝ.* apud Arigonium magis suspectus est, et, ut ex typo apparet, legendum *ΚΑΤΑΝΑΙΩΝ.*

CALATIA.

Binae fuere in Campania Calatiae.

---

z) Saggi di Cort. T. III. p. 1. a) Aen. VIII. v. 639. b) Veron. ill. P. III. p. 259.
c) Osserv. let. T. V. p. 307.

Ad alterutram pertinet numus a Mazochio descriptus: (Tab. Heracl. p. 534.)

Caput Jovis.)(ITN✓NX *Bigae.* Æ.

Cl. Ignarra meminit numi hujus urbis ex museo ducis Nojae, in quo epigraphe *KAAA.* et *bos cum facie humana.* Plura non addit[d]).

Æ. RRRR.

CALES.

Epigraphe in omnibus: CALENO. Apud Begerum est *CALENΩ*, sed de quo dubitem. Et fuit urbis gentile *Calenus.*

Caput Palladis.)(CALENO. *Victoria in bigis.* AV. (Pellerin. Rec. I. p. 44.) AR. (Pembrock, Mus. Caes.)

A metallo pretium huic numo accedit, ex quo nullus hujus urbis alius conspectus.

Caput Apollinis.)(CALENO. *Taurus cum facie humana, superne Victoria, lyra, astrum etc. infra variae literae* Æ. III.

Caput Palladis.)(CALENO. *Gallus stans, retro astrum.* Æ. III.

Aenei citati sunt obvii. De typo galli vide, quae in Aquino Latii diximus.

AV. RRRR. AR. RR. Æ. C.

CAPVA.

Vrbs olim praepotens, et Campaniae facile princeps.

Numi inscripti *KAΠΥΑΝΩΝ* a solo Goltzio citati haud dubie conficti sunt, ut etiam is, quem Harduinus ex Mediceo citat cum epigraphe *KAΠΥΑC.* Id certum, eum ibi hodie non exstare. Certi Capuae numi inscriptionem Oscam offerunt, quos primus, quod sciam, Mazochius huc pertinere docuit[e]), cum antea a Goltzio et Begero insulae Co tribuerentur. Tamen verisimile est, in hac urbe cusos argenteos *KAMΠANO*, et *KAΠΠANO*, ut dixi supra in Campania. Plerosque Capuae numos depictos aut descriptos vide apud Mazochium[f]), in Catalogo musei Caesarei, et Arigonio.

Epigraphe Osca est: ΠNX. ⊐ΠNX. ⴺΠNX.

Typi nobiliores:

Caput Jovis.)(*Diana in citis bigis,* vel: *Aquila insistens fulmini,* vel: *Victoria coronans tropaeum.* Æ.

Caput Dianae.)(*Vir equo decurrens,* vel: *Aper currens.* Æ.

Jovis et Dianae cultum frequenter sistunt Capuae numi. Et vero in Tifatis monte urbi imminente, praecipua fuit ejus religio teste Vellejo[g]): *post victoriam, qua descendens montem Tifata cum C. Norbano concurrerat Sulla, grates Dianae, cujus numini regio illa sacrata est, solvit etc.* Idem mons in marmore, quod edidit Mazochius[h]), dicitur *Dianae Tifatenae.* In hoc secundos honores fuisse Jovis, confirmat tabula Peutingeriana, quae hoc loco scribit hinc: *ad Dianam,* inde: *Jovis Tifatinus.*

Numi reliqui varia deorum capita, et in aversa typos iis proprios continent.

Globuli, nempe unciarum notae, plerumque utramque superficiem insident, et saepe astrorum modo formati sunt, ut in numis Caelii, et Barii Apuliae.

---

d) de Pal. Neap. p. 251. e) Saggi di Cort. T. III. pag. 1. f) l. c. g) L. II. c. 25.
h) in mutil. Camp. amphith. tit. p. 46.

* * *

Combius numum insignis fabricae inscriptum *KAPY.* huc refert. Verum si talis revera est epigraphe, mallem eum tribuere Carystiis Euboeae.

Æ. C.

CASILINVM.

Non attinebat meminisse hujus urbis, cujus numus aureus in solo Goltzii thesauro profertur, nisi Harduinus testaretur, illum sibi visum [i]), inscripto: COS. CASILIN., cum capite Caesaris dictatoris, et mentione Ti. Gracchi quaestoris. Qualiscunque Harduini auctoritas tanta mihi non est, ut mihi hoc loco diffidere non putem permissum.

CVMAE.

Vrbs vetusta a Chalcidensibus Euboeae condita, et quidem teste Strabone sociis Cumaeis Aeolidis, a quibus nova colonia nomen traxit. Vrbis famam auxit Sibylla carminibus suis celebris.

Ejus numorum insignem antiquitatem epigraphe et fabrica testantur. Metallum in omnibus mihi notis argentum dempto numo concordiae, de quo infra.

Caput muliebre diadematum.)(*KVME.* (*bustrophedon.*) *Concha, superne ramus.* AR. II. (Pembrock P. II. tab. 80.)

Numum hunc ex omnibus, quos novi, antiquissimum puto.

Caput virile corona oleagina redimitum cum cauda acuta et porrecta.)(*KY. Figura humana humero alato, instar Tritonis in piscem desinens.* AR. I. (Minervino del monte Volt. tab. V.)

Caput muliebre.)(*KVMAION.* (*scriptura solita, vel retrograda.*) *Concha, superne ovis, serpens, pagurus, caput barbatum, granum hordei etc. in uno Musei Caesarei additur* K. AR. II. (Mus. Caes.)

Cancer marinus adversus.)(*KVMAION. Typus, ut in praecedente.* AR. II. (Mus. Caes.)

Plerisque visum, capite muliebri in his numis effictam famigeratam Sibyllam Cumarum civem. Verius opinor sisti Parthenopen Sirenen, ut fusius probare adnitar in sequente Neapoli. Conchae, cancri, Tritonis explicatus ambiguus, nisi forte haec urbem maritimam notant, et quod teste Plinio Campaniae ora conchis abundat. Additum K in numo altero explendum forte *Καμπανίας*, ut distinguatur ab altera cognomine Aeolidis.

AR. R.

Concordia Cumas inter et Liternum.

MVHDƎT⅃ƎMVK *Caput Apollinis laur.*)(*Taurus cum capite humano volante supra Victoria.* Æ. III. (Pellerin, Mus. Caes.)

Memorantur in hoc numo conjunctae duae urbes *Cumae* et *Liternum* Osce inscriptae, haud dubie ad indicandam concordiam. Revera Liternum Cumis vicinum erat. Si Hancarvilium audimus, hic numus signatus est sub ipsa tempora Trojana, quem alibi late refutavi [k]), et de quo separatim agam infra post enarratos Campaniae numos. Cimelium istud praeclare confirmat, quod de Cumis refert Vellejus [l]): *Cumanos Osca mutavit vicinia,*

---

i) Num. illustr. k) Num. vet. p. 26. l) L. I. c. 4.

persuadet etiam, scribendum esse *Liternum*, non *Linternum*, quod hactenus dubium visum.

Æ. RRR.

HERCVLANEVM.

Vrbs fato suo cognita. Huic Gorius largitur numum: *Caput nudum, pone caduceus.*)(ΛVΖΙΚΗ *Eques pileatus citato cursu d. ramum.* Æ.[m]). Cum Gorio sentiunt Marcellus Venuti[n]), Guarnaccius[o]), Amadutius[p]). Forte minus aberravero, si esse unum ex barbaris Hispanicis adseram, quorum est simillimus spectata fabrica et typis.

LITERNVM.

Nulla re magis, quam voluntario Africani senioris secessu et morte conspicua. Numum concordiae cum Cumis vide paullo altius in *Cumis.*

NEAPOLIS.

Vetere nomine *Parthenope* a sepulta hic Sirene ejusdem nominis[q]). Conditam fuisse a Chalcidensibus, qui Cumis consedere, testantur Vellejus, Plinius, Livius, Marcianus Heracleota, quorum testimonia vide apud Cellarium. Numis prae omnibus Campaniae urbibus abundat.

Epigraphe: ΝΕΟΠΟΛΙΤΩΝ ex lege ordinaria, at non raro idem urbis gentile in recto, et unitatis numero: ΝΕΟΠΟΛΙΤΗΣ, perinde ac ΚΑΥΛΩΝΙΑΤΑΣ, ΚΡΟΤΩΝΙΑΤΑΣ, et similia. Singularem epigraphen habet sequens:

Caput muliebre adversum diadematum passis crinibus.)(ΝΕΟΓΟΛΙΤΑΣ. (*bustrophedon.*) *Taurus cum capite humano.* AR. II.

Numum hunc ex museo Caesareo olim edidi[r]). Is reliquos omnes hujus urbis numos antiquitate praestat. Mirum praeterea in colonia Chalcidica nomen urbis Dorice in ΤΑΣ exiens, cum illud in reliquis omnibus in ΤΗΣ desinat.

Caput muliebre diadematum, rarius inter tres quatuorve pisciculos, retro elephas, botrus, tridens, signum Palladis etc. infra ΑΡΤ. ΕΥΞ. ΤΑΡ. *etc. aut plenius* ΔΙΟΦΑΝΟΥΣ. *etc.*)(ΝΕΟΠΟΛΙΤΩΝ. *vel* ΝΕΟΠΟΛΙΤΗΣ. *Taurus cum facie humana coronatur a supervolante Victoria, infra* ΙΣ. ΕΠΙ. ΟΥΙΛ. ΣΩ. etc. AR. II.

Numi hi sunt obvii, et operis elegantissimi. Caput anticae Begerus, aliique esse Dianae confidenter adseruere, quo istud jure, enimvero ignoro. Cultus capitis ac diadema Dianam certe non probant, et absunt pharetra et arcus ejus certa attributa, quibus tamen illam in aeneis ejusdem urbis structam videmus. Quod in nonnullis infra scriptum reperiatur ΑΡΤ., istud nequaquam ΑΡΤεμιδα probat, nam pro hoc in aliis legitur ΕΥΞ. ΤΑΡ. etc. ut diximus, totum vero ΑΡΤΕΜΙΣ infra simile caput scriptum nonnisi in numis Goltzianis reperio, quorum similem si quis alter idoneus auctor vere exstare professus fuerit, nequaquam pergam negare Dianam. Quare omissa Goltzii auctoritate licitum mihi puto alium tentare hujus capitis explicatum. Esse illud

---

m) Symb. lit. T. I. p. 11. n) Descriz. delle prime scop. d'Ercolano p. 24.
o) Orig. Ital. T. II. p. 221. p) in Passerii vasc. Etr. T. III. p. LXXXVI.
q) Plinius. Strabo. r) Sylloge I. p. 1.

Sirenis Parthenopes, mihi plane persuadeo. Sirenes quidem inferne deformes, in volucrum nempe crura desinentes, finxit antiquitas, ac talis revera fingitur in numo Petronii Turpiliani, at non negavit formam superne decoram, quae virginem deceat, ut sane Parthenope a *virginea voce* nomen abstulit [s]). Hanc Parthenopen non ignobile monetae argumentum suffecisse, non tam eo colligi potest, quod teste Strabone ejus Neapoli monumentum ostendebatur, quam quod urbs ipsa ab hac Sirene vetus suum nomen traxit, ut diserte testantur Virgilius, Plinius, aliique, et quae causa fuit, cur Petronio Arbitro diceretur *Sirenum domus* [t]). Praeclare huc servit, quod ex Timaeo refert Tzetzes [u]): Diotimum Atheniensium navarchum Neapolin appulsum ex oraculi monitu sacrificasse Parthenope, et in ejus honorem celebrasse cursum lampadum, quod certamen deinceps annuum magis promoverunt Neapolitae, ut eodem Lycophronis loco videre est. An ergo Parthenope non fuit dignus numorum typus, quando urbs ei ipsi suam debuit appellationem, ejus sepulcro gloriabatur, et insuper annuos ei ludos peregit, quamque praeterea Lycophron οἰωνον θεαν, *volucrem deam*, templo, libationibus, boum sacrificiis in hoc tractu honoratam refert [x])? At cur potissimum credam esse Sirenis caput, movet me concordia numorum Terinae Bruttiae. In his caput muliebre adeo omni cultu simile est illi, quod Neapolitani exhibent, ut dubitari non possit, utrumque ad idem, aut certe adfine argumentum referendum esse. At constat etiam, apud Terinam alterius Sirenis Ligeae sepulcrum fuisse, quam mari haustam, et huc delatam nautae in litore sepelivere, ut docent Lycophron [y]), Solinus [z]), et Stephanus [a]). Quis igitur ambigat, cum utriusque urbis capita ad omnem apicem conspirent, utramque veteres suas heroidas numis inseruisse?

Non repugnabo, si quis volet eandem Parthenopen ad ipsos etiam Cumaeos et Nolanos extendere, in quorum moneta simile caput muliebre diadematum habetur, etsi norim, plerosque in Cumarum numis Sibyllam videre. Certum est ex Lycophrone [b]), Parthenopen ex Sicilia ejectam benigne fuisse acceptam ab iis, qui Glanin seu Clanium fluvium adcolebant, inter quos fuere et Cumaei, et templo sacrificiisque cultam, et ipse commentator Tzetzes ad hunc versum subjicit: Γλανις, Ποταμος Ιταλιας και Κυμης, *Glanis fluvius Italiae et Cumarum.* Quin et diserte memorat Philargyrius [c]), Cumaeos sacra Parthenopes magna religione suscepisse. Verisimile igitur, feminae hujus cultum apud Cumas ortum, propagatum deinde in harum coloniam Neapolin, et haud dubie etiam Nolam, quae secundum plerosque consanguinea cum Cumis fuit. Atque horum deinde exemplo Terina eodem fuerit typo usa, sed quo Sirenen suam Ligeam significarent.

De tauro partis aversae, qui obvius est in Neapolitanorum moneta, agetur

s) Tzetz. ad Lycophr. v. 722. t) Sat. c. 5. u) ad Lycophr. v. 732. x) v. 718. seq. y) v. 726. seq. z) Cap. 8. a) sub *Terina.* b) v. 717. c) ad Virg. Georg. IV. 561.

post numos Campaniae dissertatione singulari.

* * *

Haec de argenteis, neque minore numero supersunt aenei, at nullo insigniore typo.

Caput Apollinis.)(*ΝΕΟΠΟΛΙΤΩΝ. Taurus cum facie humana, vel totus, vel dimidius.* In aliis: *Lyra inclinata, et cortina.* Æ. III.

Caput Apollinis.)(*ΡΩΜΑΙΩΝ. Bos dimidius cum facie humana, cui insertum astrum.* Æ. III. (Pellerin. Suppl. II. p. 23.)

De numo hoc absque dubio Neapolitano vide, quae disseram in moneta Romanorum consulari Sect. I. cap. VI. § 3. Sane numus hic a praecedente nonnisi inscriptione differt.

* * *

Caput Dianae cum pharetra et arcu.)(*Cornucopiae.* Æ. III.

* * *

Magistratus in Neapolis numis raro totus scriptus, saepe tantum primoribus literis indicatur. Quid literae fere in singulis per aream sparsae notent, incertum. AR. et Æ. C.

NOLA.

A prima Hannibalis clade et Augusti morte nobilis. Chalcidicam urbi originem tribuunt Justinus [d]), et Silius [e]). Alii aliam adstruunt.

Caput muliebre diadematum.)(*ΝΩΛΑΙΩΝ. Taurus cum facie humana volante supra Victoria.* AR. III. (Mus. Caes.)

Numi hi tam fabrica, quam typo Neapolitanis omnino sunt similes, ex quo utriusque urbis viciniam et concordiam intelligimus. Alioqui utrique urbi unum idemque fuisse genus in Neapoli diximus, quo loco et adserere tentavimus, capite anticae exhiberi Parthenopen Sirenem.

ΝΟΛΑΙΩΝ. Caput Apollinis.)(*Idem aversae typus.* Æ. III. (Pembrock.)

Etiam hic numus ex genio monetae Neapolitanae. Sed dubium injicit epigraphe *ΝΟΛΑΙΩΝ.* pro *ΝΩΛΑΙΩΝ.* Graeci scripsere *ΝΩΛΑ*, et produxit primam syllabam Silius [f]), et Virgilius teste Gellio [g]), cum primum scripsit: *vicina Vesevo Nola jugo*, sed ob aquam a Nolanis ruri suo negatam pro *Nola* reposuit *ora.*

AR. RRR. Æ. RRRR.

NVCERIA.

A veteribus tam Graecis, quam Latinis dicebatur *Alfaterna,* quo a tribus aliis, quae adhuc per Italiam memorantur, distingueretur, quod discrimen insertum etiam numis. Sunt hi inscripti cum Graece, tum Osce.

Inscripti Graece:

Caput Apollinis.)(*ΝΟΥΚΡΙΝΩΝ. Equus stans, infra quem pentagonum.* Æ. III. (Mus. Caes.)

Caput virile imberbe, infra ΚΡΑ.)(*ΝΟΥΚΡΙ - - Fulmen.* Æ. III. (Mus. Caes.)

Caput juvenile diadematum.)(*ΝΟΥΚΡΙΝ. ΓΑΥΡΟΥ. Aquila stans.* Æ. III. (Mus. Caes. Pellerin.)

Praeclarus hic numus urbis situm ad montem Gaurum eloquitur. Et urbem, et montem conjungit quoque Silius [h]):

---

d) L. XX. c. I. e) L. XII. v. 161. f) l. c. g) L. VII. c. 20. h) L. VIII. 533.

Illic Nuceria, et Gaurus navalibus aptus.

Æ. R.

Inscripti Osce multo illustriores:

ꟷVИ<ƎTR8R✓R ꟷVИI<ꓘƎVИ *Caput juvenile diadematum cum cornu arietino.*)(*Dioscurorum unus nudus stans d. equum freno retinet, s. hastam, in imo:* ꟼƎИZИOꟼ AR. II. (Mus. M. Ducis.)

ꟷVИ<TꟼV/ꟼ✓ꟼ ꟷVИ·I<ꓘVИ (*literis punctatis ceu in Syriacis.*) *Caput idem.*)(*Eadem aversa, sed sine epigraphe.* AR. II. (Ibid.)

ꟷVИ--ƎR✓R ꟷVꓘ<IƎVИ (*sic, omisso nempe* И, *et scripto* ꓘ<I pro I<ꓘ) *Caput idem.*)(*Eadem aversa.* AR. II. (Mus. Neumann.)

Illustres hos numos ex ipsis archetypis descripsi. In hos prolixe olim sum commentatus[i]) citatis iis, qui numos similes jam viderunt, et explicuerunt. Sensus inscriptionis Oscae est: *Nufcrinum Alafaternum.* Sic et Nola dicitur NVFLA in epigrammate Osco [k]).

Fuere, qui caput anticae Alexandrum Macedonem putarent. Verum cum minus verisimile videretur, exteri regis caput monetae Italicae illatum, probare in citato opere conatus sum, esse effigiem Bacchi, cujus attributa propria sunt cornua et diadema. Brevitatis causa commemorandis argumentis abstineo, quae inde peti possunt. Cl. Dutens in numo simili caput *Mamerci* Siciliae tyranni vidit[l]). Verum literae praetensae MAM., quibus maxime nititur, sunt exesis reliquis residuae ex voce *Alafaternum*, ut hos numos contendenti facile patebit.

* * *

Caput Apollinis laurea cinctum.)(ꟷVИ--TRƎR✓R ꟷVИI<ꓘƎVИ *Canis terrae inhians.* Æ. III. (Pellerin, Mus. Caes.)

ꟷVИIOꓘƎVИ *Caput incertum.*)(ꟼVИIƆꓶƆ *Dioscuri equites.* Æ. (Mus. Etr. tab. 197.)

De harum valore literarum, et forma agam post numos Campaniae.

AR. et Æ. RRR.

Mazzolenus in commentariis in numos max. mod. musei Pisani pag. 60. numum cum capite M. Aurelii inscriptum: *NOΥKHPHNΩN* huic Nuceriae tribuit. Miror, virum eruditum, cum nos de numismatico hoc prodigio edoceret, non fuisse praefatum, quod maxime oportuerat, numum non modo esse fidei certae, verum etiam integerrimum, et epigraphen luculentam. Nobis sane nihil constat de numo cum Augusti capite, praesertim Aurelii aetate, in Italia continente signato, et adhaeremus praeterea ad inscriptionem manifesto falsam *NOΥKHPHNΩN*, quae secundum veterum testimonia esse debet *NOΥKPINΩN*, vel *NOΥKEPINΩN.* Non dubitem adfirmare, legendum esse *ΘΥΑΤΕΙΡΗΝΩΝ.* Thyatira Lydiae copiosos max. mod. numos signavit.

PVTEOLI.

Horum numi *ΠΥΤΕΟΛΙΤΩΝ* uni Goltzio visi.

i) Num. vet. p. 22. k) Lanzi Saggio T. II. p. 612. l) Explic p. 1.

STABIAE.

Huic urbi sequentem numum tribuendum puto:

Caput juvenile laur.)(*ΣΤΑ. Taurus dimidius cum facie humana.* AR.

Eum edidit Princeps Turris Muciae, et Segestae Siciliae tribuit [m]). Judicium istud verum esse nequit, nisi statuatur praeterea, exesas vetustate literas priores *ΕΓΕ.* Verum cum adserat, literas *ΣΤΑ.* esse nitidissimas, vix credibile est, non superesse saltem aliqua extritae scripturae rudera. Ad haec nullum ipse alium Segestae numum typo semibovis potuit proferre, unde apparet, eum in hujus urbis moneta cubile nunquam nactum. Verisimile igitur, numum Stabiis Campaniae restituendum, in cujus regionis numis hic typus obvius.

* * *

Non tamen aeque induci possum ut credam, huc pertinere numum inscriptum *ΣΤΑΟΨΙ,* quem vulgavit Pellerinius [n]), etsi neque ipse huic conjecturae multum tribuat. Cum adserat, sibi id genus numos Neapoli adlatos, malebam, similem alium musei Caesarei inter incertos M. Graeciae collocare.

* * *

De numo Getae STA. BOV., quem aliqui debili conjectura huc revocant, agam in moneta Getae commatis peregrini. —

AR. RRRR.

SVESSA.

Dicta *Auruncorum,* nam altera Volscorum *Pometiae* cognomen habuit, cui alteri Harduinus numos Suessae nomine inscriptos censuit tribuendos; verum typi et fabrica, qui sunt ex genio urbium Campaniae, priorem malunt.

Caput Apollinis, retro triquetra, vel ala.)(SVESANO. *Vir nudus eques s. ramum pendentibus taeniis, d. alium equum ducit.* AR. II. (Mus. Caes.)

Caput Apollinis.)(SVESANO. *Taurus cum facie humana volante supra Victoria.* AR. III. (Mus. Caes.)

Prior propter additam triquetram, extra Siciliam rarius cognitam, insignis, de quo vide infra prolegomena ad numos Siculos.

* * *

Caput Palladis, pone clava.)(SVESANO. *Gallus stans, retro astrum.* Æ. III. (Mus. Caes.)

Idem utrinque typus est in numis Aquini, et Teani, si clavam demas. Eum explicui in moneta Aquini. Clavae causam attuli in numis Aeserniae Samnii.

* * *

ΠΡΟΡΟΜ. et *ΠΡΟΡΟVΜ.* (Mus. Caes.) *ΠΙΚΕΟVΜ.* (Pellerin.) *ΑΡΒΟVΜ.* (Pembrock P. II. tab. 28.) *ΑΛΟΣΤΑΣ.* (Hunter.) *Caput Mercurii.*)(SVESANO. *Hercules leonem suffocans.* Æ. III.

Peregrina haec vocabula esse Osca, et nomina ipsius Mercurii, verisimile videri posset ex numis Aeserniae, in quibus perinde juxta Vulcani caput scriptum VOLKANOM legitur. Et vero deorum nomina non fuisse semper ex communi Graecorum more enunciata, sed valuisse saepe appellationes domesticas, videbi-

m) Sicil. num. tab. LXII. n. 10. n) Rec. I. p. 71.

mus ex numis Thyatirae Lydiae, et Hierapolis Phrygiae, in quibus Diana *ΒΟΡΕΙΤΗΝΗ*, et Sol *ΛΑΙΡΒΗΝΟC* appellantur. Similia peregrinitatis exempla suppeditant monumenta Etrusca; nam in his Bacchus dicitur TINIA, Mercurius PVRMI [o]), Juppiter TINA, Vulcanus SETHLNM [p]). Atque his ego motus causis olim conjeceram, haec nomina revera esse Mercurii illi a Suessanis indita. At occurrebat serius, sitne verisimile, uni eidemque deo ab una eademque urbe eodem tempore tam varias, tamque dissonas appellationes fuisse datas? Denique sententiam mutare coegerunt numorum Beneventi iconismi nunquam mihi antea conspecti, in quorum aversa circum equum currentem scriptam reperi adfinem vocem *ΠROΠOM* forte ex numis male exceptam, et secundum numos Suessanos rectius scribendam *ΠROROM.* Vocabulum istud in Beneventi moneta indicare magistratum, ac praeterea, quoniam equum ambit, nullo pacto ad Mercurium pertinere, dubitari nequit. Quare facile adducor ut credam, *το* *ΠROROM* in Suessae quoque numis esse nomen magistratus, et quod sequitur, etiam *ΠIKEOVM* et *ARBOVM*, atque istud tanto pronius, quoniam ex vetere nostra lege vocabula, quae in iisdem numis variant, magistratus nomina sunt putanda.

* * *

Memorabile est, vocem SVESA videri incusam in aversa aenei Neapolitani obvii, in quo hinc caput Apollinis, inde bos cum facie humana [q]).

AR. RR. Æ. R.

TEANVM.

Appellatum *Sidicinum*, nam fuit alterum *Appulum*, sed numi ad Sidicinum pertinent suadentibus typis, et ipsa, ut videbimus, Sidicinorum mentione.

Numi exstant inscripti Latine, et Osce.

Inscripti Latine.

Caput Palladis.)(TIANO. *Gallus stans, retro astrum.* Æ. III.

Vide, quae de hoc typo ad similem Aquini Latii numum advertimus.

Æ. R.

Inscripti Osce.

Caput Herculis juvenis leonis exuviis tectum.)(ЯVHN⊣T vel: - - HNET *Victoria in citis trigis.* AR. II. (Mus. Vitzai, Dutens Explic. p. 22.)

Numus eximii laboris a me olim editus [r]). Observandum in eo elementum secundum, quod unum in solita urbis epigraphe variat. Similis editus est in museo Pembrock [s]), sed ibi Punicus putatur.

ЯVHNΛT *Caput Apollinis.*)(*Taurus cum facie humana a volante Victoria coronatur.* Æ. III. (Pellerin, Mus. Caes.)

Alius similis, sed infra taurum: — VHNNT. (Mazochi Saggi di Cort. T. III. p. 1.)

Diximus variare solam literam secundam. In tertio numo habemus certum A, in numo loci I. certum E, et in altero ejusdem loci elementum ⊣ habere valorem

o) Mus. Etr. T. I. p. XIII. p) Ibid. tab. CXX. q) Ignarra de Pal. Neap. p. 259.
r) Num. vet. p. 21. s) Part. II. tab. 88.

του I, docebo aliis exemplis infra in animadversionibus ad literas Oscas, et addicit inscriptio Latina TIANO. At dubium omnino est elementum *Λ* in numo secundo.

Numum secundo similem editum jam video in iconismis Gessneri tab. XLVII. n. 33. ex museo Pfau, at cum auctori nondum satis essent cognitae literae Oscae, pro ЯVHИΛT legit *ΣΥΝΝΑΤ.*, numumque cum moneta Neapolitana miscuit. Venia detur huic aetati, cui nondum tam liberalis rei numismaticae lux adfulsit. Verum an credibile, viro praestantissimo Ignarrae, tam copiose erudito, atque in ipso antiquitatis Oscae umbilico constituto sic potuisse illudi, ut in ejus unius numi explicatu ter gravissime offenderet? ac I. et ipse Neapolitanum esse numum adsereret, cujus similem pridem Pellerinius, ac multo ante Mazochius Teano tribuerunt, II. caput, quod in hoc et similibus aliis Neapolis numis comparet, nequaquam esse Apollinis, cujus revera est, sed Antinoi, et praetensam Gessneri vocem *ΣΥΝΝΑΤ.* in *ΣΥΝΝΑΟΥ* mutandam, quia Antinous in pluribus veterum monumentis *Συνναος* dicitur, III. inde patere, Neapolitanos adhuc sub Hadriano suam habuisse officinam monetalem [t]), quod esset phaenomenon numismaticum ex maxime mirabilibus unum.

* * *

ЯVHИIT *Caput Apollinis laur.*)(*ΣΙΔΙΚΙΝ. Bos cum facie humana, superne lyra.* Æ. III. (Ignarra de Pal. Neap. p. 267. ex museo ducis Nojae.)

Res omnino mira numus bilinguis nulla urgente causa. Nam cum urbs scribitur Osce, cur alieno idiomate exaranda fuit regio *Sidicinorum*, in qua urbs sita? Augetur dubium, quod in numo simili apud Hunterum exaratum lego *ΣΙΚΙΚΙΝ.*, et quidem literis distortis. Quod si vere in his numis legitur *ΣΙΔΙΚΙΝ.*, praeclare confirmantur verba Strabonis [u]): *Teanum Sidicinum ipso cognomento ostendit se ad Sidicinos pertinere, qui sunt Osci, gens Campanorum superstes.* En in hoc numo et mentionem Sidicinorum, et quia hi Osci, epigraphen Oscam.

AR. RRR. Æ. RR.

VENAFRVM.

Vulturno fluvio adsita.

Caput Palladis.)(FEINAF. *Gallus, pone astrum.* Æ. III. (Mus. Hunter.)

Hunc numum commode huc refert Combius, nam et literae sese nomini urbis non gravate adcommodant, et numus ipse ejus est naturae, cujus, ut vidimus, sunt copiosi alii per eam viciniam urbium numi.

Æ. RRRR.

INCERTI CAMPANIAE.

Caput Apollinis laur.)(IDNO. *Bos cum facie humana.* Æ. III. (Ignarra Pal. Neap. p. 256.) In alio: IDN⊗. (Mus. Princ. Waldeck.) In alio cum elegante vernice viridi: IDNOIƎ (Mus. Caes. et editus in mea Sylloge I. p. 2.)

Cl. Ignarra primus, quod norim, similium numorum praeco, in suo, aliis-

t) de Pal. Neap. p. 260. u) L. V. p. m. 362.

que, quos se vidisse profitetur, legit IDNO, quam vocem resolvit in *Irinus*, ut adeo urbs dicta sit *Iria*, vel *Irium*. Verum cum agitur, ubi gentium sita, nihil adferre potest praeter conjecturas, quae eo denique recidunt, ut verisimile putet, quoniam ejusdem prorsus fabricae sunt cum Larinatium Frentanorum numis, in iisdem eam Frentanis stetisse. (l. c.) Ego quid de his statuendum sit, plane me ignorare profiteor, et credo, novam difficultatem objici inscriptione numi postremi, quem nuper museo Caesareo intuli. Quidquid erit, numus absque dubio Campaniae cuipiam urbi debetur, nam caput Apollinis eodem omnino cultu est in numis Neapolis, et semibos perpetuus in hujus urbium moneta typus. Adverte, in his numis elementum O tribus variis modis exaratum, primum ut O more solito, deinde ut ⊗, qua forma fingitur Θ in quodam Athenarum numo, hoc quidem non admodum vetusto, sed et in vetustissimo marmore Deliaco [x]), et in marmore Herodis Attici, denique ut ⊙, qui mos in Graecia M. vetus, nam sic fictum O video in antiquissimo numo Crotonis.

* * *

Caput Mercurii.)(ꟾƎᐊTꟽƎ - - *Pegasus saliens, infra quem tripus.* Æ. III. (Khell Adpendic. II. tab. IV.)

Vocabuli hujus numo inscripti initium ambiguum. Vtrum, quod videri possit, Frentanis sit tribuendus, numus aliquando magis integer docebit. Fuit, qui hunc numum Pentris Samnii tribuendum putaret, ut in his diximus.

DISSERTATIO I.

De literis Etruscis, Samniticis, Oscis.

Nequaquam in hoc actu nostras esse partes putamus, de harum origine linguarum, literarum genesi, quantum ex his captum ex alieno, additum de proprio ac nativo, quantum variis temporibus immutatum, et quid illud, et quando, aut quarum accessione coloniarum, et quae sunt hujus naturae alia, disputare. Satis istud, ac sine dubio plus quam satis, discussum ab eruditorum agmine justis voluminibus, ex quibus, quae sobrie, adcurate, ac quadam veri specie dictata sunt, sic grato animo accipimus, ut jure etiam nostro stomachemur, quae plurima verbose, inconsulto, violenter, saepe nulla legentium, quibus haec scribuntur, verecundia obtruduntur, sive ut ex antiquitatis honore aliquid patriae gloriae accederet, sive ut ex veterum scriptis, sed secum ipsis plerumque discordibus, aliquid repertum singulare et inauditum videretur. Quod unum certo adfirmari potest, et veterum etiam testimoniis, atque ipsa experientia comprobatur, est, linguam populorum, qui Italiam mediam vetustissimo aevo incoluere, a Graecorum lingua

x) Montfauc. Palaeogr. p. 121. 122.

huc varia aetate commigrantium non modo fuisse supplementis auctam, sed multum etiam propter frequens cum his commercium vitiatam, atque idem evenisse linguae Graecorum huc profectorum, propter eandem causam sive auctae, sive corruptae. Alphabetum in has oras ex Graecia invectum quis negaverit? An vero mirabimur, post tantum aevi, quod consistere eodem nequit, mutatam literarum et formam, et potentiam, et numerum, quando ipsos etiam Graecos domi multa in his innovasse constat? Tamen non sic a forma literarum Graecarum est discessum, ut non pleraeque aut eosdem ductus, aut saltem adfines retinerent, vix aliquae plane discreparent saltem ab antiquissima literarum Graecarum forma, paucis additis alphabeto Graeco ignotis. Plus adfinitatis inter ipsa horum populorum alphabeta, ut propter viciniam, observatur, Etruscarum forma literarum, ut communis fert opinio, propter Etruscorum veterem potentiam per vicinas servientesque regiones propagata. Tamen Latinos alphabetum, ut illud a Graecis antiquitus acceperant, integrum illaesumque conservasse, argumento est oraculum Plinii ipsis etiam vetustissimis Graecorum monumentis confirmatum, adserentis, veteres Graecas literas fuisse easdem paene, quae nunc Latinae [y]).

In praesentia de Etruscorum, Samnitum, Oscorum literis cum agere instituimus, excludimus monumenta alia omnia, quae harum gentium vocabula literasque continent, solumque consideramus elementa, quae numi hactenus cogniti offerunt, et quidem certae fidei, quos vel ipse ante oculos habui, aut testes idonei descripsere. Neque dubitavi conjungere trium variarum gentium numos, quoniam varia aetate inter se permixtae suam quoque secum linguam, et literarum formam in parte communicavere, quo de argumento latius olim egi [z]).

Quae urbes numos suos Etrusce inscripserint, diximus in prolegomenis ad numos Etruriae. Alphabetum Samniticum ab Osco non differt, neque distinxissemus hoc loco inter literas Samniticas et Oscas, nisi numi Samnitici certam classem ab omnibus nunc antiquariis receptam efficerent. Etruscorum et Samnitum res ex historia, ac praecipue Romana, abunde cognitae. De Oscis haec Strabo [a]): *post hos* (Ausones) *Osci, qui ipsi quoque Campaniae partem obtinuere.* Habuisse hos propriam linguam Romanis in fabulas volupem, in vulgus notum. Oscorum alphabetum ex celebri marmore Abellano collectum habes apud Passerium [b]).

Osce numos inscripserunt Campaniae urbes Acerrae, Calatia, Capua, Cumae cum Literno, Nuceria, Teanum, extra Campaniam Acherontia Apuliae. Habemus praeterea nonnullas Campaniae urbes in moneta sua bilingues. Praeter linguam Oscam Graeca usae sunt Capua, Cumae, Nuceria inscripto *ΚΑΜΠΑΝΟ, ΚΥΜΑΙΟΝ, ΝΟΥΚΡΙΝΩΝ*. Teanum in aliis numis habet TEANVR scriptum Osce, in aliis TIANO scriptum literis Latinis. Quaeritur, sintne numi Osci antiquiores

---

y) L. VII. § 58. z) Num. vet. p. 25. a) L. V. p. 355. b) Pict. Etrusc. in Vasc. T. III. p. LI.

Graecis, an contra? Hancarvillius numos Cumaeorum, aliarumque vicinarum urbium Osce, sive Etrusce inscriptos, signatos adserit multo ante, quam lingua Graeca in Campaniam esset invecta. Ex quo effici, inquit, numos notos, qui Cumarum et Literni nomina literis Etruscis conjungunt, monumenta esse potentiae Etruscorum, et cusos eo tempore, quo hi in Campanos dominabantur, et probare, utramque urbem exstitisse, antequam Euboeenses in Italiam appellerent. Haec vir eruditus [c]). Euboeensium in hanc oram commigratio in tempora Trojana incidit, ut ipse ex Vellejo conficit. Sed enim multis conflictabitur difficultatibus, si probare instíterit, quod probandum erat maxime, ea jam aetate monetae usum fuisse, atque etiam cum hoc probaverit, urgebit difficultas alia aeque gravis, sitne credibile, potuisse ad nostram usque aetatem durare aevi tam remoti monumenta. Denique ipsa numorum fabrica, quae in numis Graecis Capuae et Cumarum remotissimum aevum sapit, numis Oscis, ac praecipue Nuceriae et Teani per summam elegantiam Alexandri M. aevo dignam multo recentius palam testantibus, abunde docet, a lingua Graeca in Oscam deflexum, sive indigenae Osci urbes Graecas sibi paullatim subjecere, sive quod veteres coloni Graeci per longum cum Oscis usum patrios mores ac linguam dedidicere, quod de Cumanis diserte tradit Vellejus [d]): *Cumanos Osca mutavit vicinia.* Quem locum si adcuratius expendisset vir summe doctus Ignarra, nequaquam docuisset [e]), numos inscriptos *8IΣTVVIΣ* esse antiquiores numis nomine Posidoniae notatis, nam utrosque numos vario tempore apud hanc urbem signatos statuit, sic ut ea urbs, cum illam adhuc tenerent Tyrrheni, diceretur *Pistuvium*, deinde his a Sybaritis exactis Graece *Posidonia.* Eos appello, qui ex longo usu de numorum varia antiquitate confidentius possunt arbitrari, ausurine sint argenteos hos numulos sive Etrusce, sive Osce inscriptos numis illis antiquissimis incusis, et nomine *ΠΟΜ.* id est: *Posidoniae,* insignibus praeferre? Guarnaccius, qui generatim quoque numos Etruscos Oscosque praestare Graecis aetate sanxit, comparato numo Herculanei inscripto Etrusce HRCVL cum Graecis ejusdem urbis inscriptis *ΗΡΑΚΛΗΙΩΝ*, illum his multo esse antiquiorem adseruit [f]). Vt mittam, hunc suum numum Etruscum verisimilius non esse Herculanei, ut ad hanc Campaniae urbem proxime monuimus, istud certum, numos Graecos, quos laudat, inscriptos *ΗΡΑΚΛΗΙΩΝ*, ab omnibus insignioris notae antiquariis tribui Heracleae Lucaniae, saltem a nemine Herculaneo Campaniae. Nemo velim miretur, a viris his eruditis tanta nunciari rei numismaticae Etruscae prodigia, cum iidem adserere non dubitaverint, a lingua Etrusca formatam primum Graecam, deinde et Latinam, artes omnes ab Etruria in Graeciam illatas, et quae sunt hujus generis portenta alia fidem superantia, quam po-

c) Antiquit. de M. Hamilton T. I. p. 47. d) L. I. c. 4. e) de Pal. Neap. p. 264.
f) Orig. Ital. T. II. p. 225.

pularium suorum libidinem et conatus irritos erudite ac graviter perstrinxit Lanzius, quo nemo sanius incorruptiusque de Italorum veterum monumentis judicavit[g]). Angustioribus ergo finibus similium chronologia numorum est circumscribenda. De aetate numorum Etrusce inscriptorum jam egi in commentario de numis aeris gravis Italiae mediae numis praefixo, tum praecipue in prolegomenis ad numos Etruriae. Numos Osce inscriptos facile intra saeculum VI. et VII. urbis conditae concludemus cum propter summam in multis artis perfectionem, tum quia ex historia constat, numos Osce inscriptos, quos Samniticos appellamus, non ante annum V. C. 663., quo bellum sociale coepit, feriri potuisse.

His parce pro instituto meo praelibatis en tibi alphabetum tantum ex numis triplicis hujus classis haustum.

A.

𐌀 in Etruscis et Samniticis.

ᴎ in Samniticis et Oscis.

ꟻ in Oscis Nuceriae.

B.

B ordinarium, sed retrogradum in Samniticis. Forte et huc pertinet], quod in F recensebo; nam cum B ejusdem sit organi cum F et V consono, facile cum his potuit permutari.

C.

> in Samniticis. In aliis pro hoc video adhibitum K.

D.

Elementum hoc non reperi. Pro hoc Etruscos elemento T in numis et gemmis usos video. Sic scripsere TVTERE, TVTE, ATRESTHE, pro *Tuder*, *Tydeus*, *Adrastus*.

E.

E ordinarium in Etruscis et Oscis.

Ǝ in Volaterranis Etruriae.

϶ in Tudertibus Etruriae.

F et V consonum.

] ꟻ ⊖ 8 V Ǝ

Priores quinque forma admodum diversas eandem habuisse potentiam, ex Nuceriae Alfaternae numis collegimus, in quibus promiscue eo loco ponuntur, quo sonus του F vel V exigitur. Priores duae in Capuae quoque numis promiscue ultimam literam faciunt. Sunt hae literae digamma Aeolicum, natae ex *Vau* Phoenicum seu Hebraeorum.

Litera prior observatur quoque in numis Vetuloniae, et Iguvii, tum in inscriptione Graeca tabulae Heracleensis[h]). Altera in numis et marmoribus antiquissimis Graecis, ut vulgo notum, pro *Φ* posita. De hujus literae fortuna retentae a Latinis, a Graecis ejectae, usurpatae tamen ad numerum senarium indicandum, vide, quae erudite disputat Mazochius[i]).

Tertiam profero ex numo Nuceriae, quae non magnopere a quarta differt cognita ex numis Samniticis inscriptis *Safinim*, aliisque, qui *Vistlus* inscribuntur, et nunc Posidoniae passim tribuuntur, ut in hac dicemus.

Quinta ad formam *Sin* Phoenicii proxime accedit. In numo Nuceriae valorem του F habet, sed habere etiam potentiam V vocalis, infra in V videbimus. Litera

g) Saggio T. II. p. 31. seq. et alibi passim. h) Mazochi p. 128. i) l. c.

non absimilis in notis numis aureis varii ponderis, et inscriptis ROMA ponitur juxta caput galeatum barbatum, et est nota arithmetica, valens L, seu quinquaginta, quos producemus in tractatu de numis consularibus. In gemmis Etruscis, in quibus scriptum Achillis nomen, valet CH, seu X Graecorum.

G.

T pro *Γ* in numo Murgantiae Samnii.

H.

B in numo, quem inter Samniticos loco II. descripsi. In marmore Abellano habet potentiam *τον* H. (Passeri Pict. Etrusc. in Vasc. T. III. p. LI.)

I.

I ordinarium in Samniticis, Etruscis, Oscis.

⊣ in numo Teani positum esse pro I, diximus in hujus numis.

⊢ in numis Samniticis pro I quoque positum. Etiam in monumentis Etruscis adhibitum pro I, patet ex tabula marmorea, quam post Passerium edidit Correvonius [k]). In numis, aliisque monumentis Lucaniae est nota aspiratae.

·| in numis Nuceriae.

K.

K ordinarium in Etruscis et Oscis.

Я alias R retrogradum; at in numis Oscis Acerrarum Campaniae certum K.

L.

⅃ in omnium trium gentium numis. In nonnullis Samniticis fingitur ut V.

M.

ИI in Samniticis et Oscis.

N.

И in singularum trium numis.

O.

O solitum in Oscis.

⊙ vel ⊗ in numis incertis Campaniae. O prioris modi est etiam in numis Cauloniatarum et Crotoniatarum.

P.

Π in Samniticis, et Oscis Capuae.

ㄱ in Etruscis Populoniae et Peithesae.

R.

ᗡ in Oscis et Samniticis.

Δ ◁ in Etruscis Volaterrarum et Tudertis, item Oscis.

S.

Ƨ in Samniticis.

T.

T ordinarium in Samniticis, et Oscis.

+ in Etruscis et Murgantii Samnii.

V vocale.

Jam Gorius inter Etruscorum V vocale et consonum distinxit [l]), idque confirmant numi Nuceriae, in quibus videmus eo loco, quo vocale V requiritur, semper poni V, et quo consonum, constanter literam aliquam ex iis, quas sub F dedimus.

V ordinarium in Etruscis et Samniticis.

Ʌ in voce *Viteliu* numi Samnitici litera postrema.

k) Lett. sur la decouv. d'Hercul. T. I. p. 174.

l) Difesa dell' alfab. Tosc. p. 149.

Literae incertae potentiae.

Δ positum pro A vel I, in Samnitico Teani, ut in hujus moneta vidimus.

Ψ ⌶ in numis, quos inter Samniticos loco II. dedi. Priorem literam repererunt eruditi inter Etruscas quoque. Sed et Lanzius de ejus valore dubitat [m]). Eadem comparet etiam in numis, qui *Vistlus* Osce inscribuntur, quos vide in Paesto Lucaniae, ubi videtur habere potentiam *του Φ*.

DISSERTATIO II.

De terminatione in OM. NO. R.

Aliquot anni elapsi sunt, ex quo istud mihi argumentum tractandum sumpsi occasione singularis numi quadrilateri inscripti ROMANOM, cujus picturam reverendissimus Stephanus Borgia, nunc S. R. E. Cardinalis, humanissime mecum communicavit [n]). Argumentum istud cum ex hoc opere abesse non possit, necessarium visum, illud restitutum huc transferre, inventis paucis, quae aut adderem, aut omitterem, aut corrigerem.

* * *

Plura habemus exempla vocabulorum in OM exeuntium, in cujus insolentis terminationis naturam utrum hactenus eruditorum quispiam contentiore studio inquisiverit, ignoro, etsi digna fuit causa, et prae sexcentis aliis dignior profecto, in quam inquireretur. Interea non ego is sum, qui sperem, in hujus causae examine vadum me reperturum, quod ipse aliis audeam praescribere.

Nomina in OM desinentia hactenus comperta partim sunt *ἐϑνικα*, seu *gentilia*, partim propria deorum, aut hominum.

Gentilia in OM.

ROMANOM in citato monumento Card. Borgia.

LADINOM in numo Larinatium Frentanorum, quem vide in horum moneta.

ΛΟΥΚΑΝΟΜ in numis Lucanorum. (Mus. Caes.)

ΡΗΓΙΝΟΜ in numo Rhegii Bruttiorum praecone Scipione Maffejo. (Osserv. lett. T. V. p. 391.) At in simili Begeriano, legitur *ΡΗΓΙΝΟΣ*, ut saepe alias in Rhegii numis.

VELESTROM, Velitrarum in Volscis, in tabula aenea Em. Cardinalis Borgia.

Falsa sunt:

ΜΑΚΕΔΟΝΟΜ in numis Arigonii, (Num. urb. tab. XIV.) sed cujus et ectypa et inscriptiones persaepe fallunt.

ΟΣΣΙΩΜ in numo, quem Paciaudus propter hanc ipsam epigraphen Ossam Macedoniae refert. (Animadv. phil. p. 75.) Alibi docui, legendum verius *ΣΙΩΜΟΣ*, et esse nomen magistratus. (Num. vet. p. 157.)

---

m) Saggio T. I. p. 218. n) Sylloge I. p. 90.

ΤΥΛΙΣΙΟΜ, in numo, quem edidit Liebeus, (Goth. num. p. 202.) at in similibus musei Caesarei, Medicei, Pellerinii perpetuum *ΤΥΛΙΣΙΟΝ*, sic ut videri possit aut vitio numi deceptus Liebei oculus, aut a lege aberrasse incautus monetarius. Est Tylissi Cretae contra Liebeum, ut late probavi olim. (Num. vet. l. c.)

Propria deorum, aut hominum in OM.

VOLKANOM scriptum juxta caput Vulcani, in numis Aesernii Samnii.

ALIXENTROM (literis Etruscis et retrograde.) *Alexander* Paris, in patera Etrusca. (Lanzi Saggio T. II. p. 219.)

PROROM. PROROVM. *ΠΙΚΕΟVΜ.* ARBOVM. scripta juxta caput Mercurii in numis Suessae Campaniae. (Mus. Caes. Pellerin, Pembrock.)

PROPOM scriptum supra equum currentem, in numo Beneventi Samnii.

In numo priore *το* VOLKANOM indicare ipsum Vulcanum, juxta cujus caput scribitur, suapte patet. At patet etiam, vocabula PROROM etc. ad Mercurium non pertinere, etsi hujus capiti adstituuntur, quia non sibi constant, sed nimio variant. In numo simili musei Hunteriani ejusdem dei capiti adscribitur verbum Graecum *ΛΛΟΣΤΑΣ.* Ex quo apparet, has voces aliud significare, et haud dubie magistratuum esse appellationes. Multo evidentius vox PROPOM, nisi forte et hic legendum PROROM, ad deum referri nequit, quia supra equum scribitur.

Ex universo horum vocabulorum catalogo apparet, terminationem in OM valuisse tantum per Samnium, Campaniam, et his sive in ortum, sive occasum adjacentes provincias. Ea urbibus proprie Graecis, et ab advenarum colluvie immunibus ignota, ac jure quidem, nam elemento *M* lingua Graeca postremum in dictione locum negavit. Enimvero invitis Musis Graecis Liebeus et Paciaudus, hic ut suum *ΟΣΣΙΩΜ*, ille *ΤΥΛΙΣΙΟΜ* tuerentur, ad lapides veteres confugiunt, quorum testimonio Graeci mutato *N* in *M* dixere *ΤΗΜΠΟΛΙΝ*, *ΤΩΜΠΡΑΓΜΑΤΩΝ.* Non occurrebat viris eruditis propius exemplum ex numis ipsis, et quidem Seleuciae Syriae, in quibus legitur *ΕΜ ΠΙΕΡΙΑΙ* pro *ΕΝ ΠΙΕΡΙΑΙ.* Miror, potuisse utrumque virum praestantem argumento, non dicam infirmo, sed ab hac causa penitus alieno inniti. Inter *ΤΗΜ ΠΟΛΙΝ* et *ΤΥΛΙΣΙΟΜ* dispar est ratio. Illic *N* in *M* mutatur propter sequens *Π*, quo modo et dixere Graeci *ἐμ* — *βαινω*, *ἐμ* — *πορος*, *ἐμ* — *φασις*, *ἐμ* — *ψυχω*, pro *ἐν* — *βαινω* etc. Commemorare oportuerat exempla, in quibus litera *N* sui penitus juris, ut in *ΤΥΛΙΣΙΟΜ*, nullo ex vicinia contagio in *M* abiret, sed qualia in omni antiquitate non reperiant. Vt adeo litera *M* necdum mendacii sit convicta, cum de se apud Ausonium jactat [o]):

Vocibus in Grajis nunquam ultima conspicior M.

Reperto natali solo, quod vocum exitum in *OM* parturivit, inquirendum etiam foret, a qua is lingua, aut dialecto, quae per eum tractum valuere, sit derivandus. At vero arbitrium istud plenum esse periculorum, facile intelliget, qui novit, in

o) Carm. 348.

nulla alia ora magis dissonas fuisse linguas, jam primum indigenis, qui mediterranea tenuere, in varias dialectos, inter quas Osca illustrior, divisis, ora maritima, quam secundum omnia tria maria Graecorum fere coloni insedere, Graece loquente, utrisque sensim per mutuum ex vicino commercium, quod linguae nativum fuerat, corrumpentibus. Accessere exterorum populorum invasiones, Etruscorum primum, deinde Romanorum, quorum utrique relictis ibi praesidiis, aut deductis coloniis linguam suam invexere, ex qua adeo linguarum commixtione necesse fuit singularum quoque corruptelam consequi. Quod cum certissimum sit, cumque praeterea interierint monumenta, quae nos possent naturam variarum per hunc tractum dialectorum edocere, necesse est etiam, virum quemvis cordatum ad explicandas earum causas timide accedere, veritum, ne, quod Latino, Graecove fonte cadere videtur, ex indigenarum lingua, sed nobis ignota, petendum sit. Novi multorum virorum, praestantium sane atque eruditorum facilitatem atque institutum, qui quascunque voces ignotas, aut earum flexiones ex alterius linguae sibi cognitae legibus amant explicare, qui, ut binis exemplis utar, tabulas Icuvinas Etruscas ex lingua Latina, aut Graeca, aut si superis placet, Celtica, marmora aut numos Phoenicios, Punicos, Numidicos, Hispanienses ex Hebraica confidenter interpretantur, parum soliciti, ut, quantum indigenarum linguae tribuendum sit, anquirerent. At novi etiam, aliquorum, quibus istud propositum fuit, sic cecidisse operam, ut pleraque per jocum scripta videri possent, nisi ex eorum lucubrationibus, quam largiter iis sudatum, vigilatumque fuerit, eluceret.

Equidem si horum exemplo vellem terminationem in OM ex lingua Latina ducere, non deesset speciosus ejus tentandi modus. Dixere Latini passim *virum, numum, modium, divum,* pro *virorum, numorum, modiorum, divorum.* O veteribus Latinis saepe pro V usurpatum, sic: *poblicom, divos*, pro *publicum*, *divus* etc. ergo et dicere poterant *virom* pro *virum*, ut revera Ennius dixit: *pro divom fidem!* et analoge ROMANOM, *ΛΟΥΚΑΝΟΜ*, etc. pro *Romanorum*, *Lucanorum* etc. quae adeo in numis exarata essent eodem sensu, quo Graecorum *ΤΑΡΑΝΤΙΝΩΝ* etc. aut in Romanorum coloniis v. g. *TYRIORVM.* Heic si sisterem, neque ultra inquirerem, possem rem confectam putare. At vero cum hac lege quo pacto conciliabis vocem VOLKANOM? quae sane pro *Volkanorum* posita esse nequit, cum indicet ipsum Vulcanum, propter cujus caput scribitur. Leviter conjicit Lanzius, *το* VOLKANOM esse epithetum, idque uniendum cum inscriptione alterius faciei AISERNINO, unde formaretur *Aiserninom Volcanom* [p]). Verum cum mirae hujus unionis nulla omnino causa appareat, malumus hoc viri praestantis judicium levem conjecturam, quod et ipse profitetur, putare. Neque vero etiam huic legi ex lingua Latina petitae sese adcommodant omnia urbium nomina. Sic in hac

p) Saggio P. II. p. 601.

sententia τo LARINOM esset pro LARINORVM, at gentile Larini non est *Larinus*, sed *Larinas*, *Larinatis*, *Larinatium*. Ex quo jam satis patet, causam vocabulorum in OM desinentium ex idiomatis Latini praeceptis repeti non posse.

At fuit in eodem hoc tractu alia adhuc terminatio, et magis priore usitata, nempe in NO, cujus naturam cum ad idem argumentum pertineat, necesse video curatius expendi. En numorum quoque hac lege inscriptorum catalogum:

AISERNINO, Aesernia Samnii.
AQVINO, Aquinum Latii.
ARIMNO, Ariminum Vmbriae.
CALENO, Calles Campaniae.
COZANO, Cosa Etruriae.
IDNO, urbs incerta Campaniae.
ΚΑΜΠΑΝΟ, Campani.
ΜΕΣΣΑΝΟ, Messana Siciliae.
ΠΑΙΣΤΑΝΟ, Paestum Lucaniae.
RECINO, Rhegium Bruttiorum.
ROMANO.
SVESANO, Suessa Campaniae.
TIANO, Teanum Campaniae.

Plerosque antiquarios, cum inscriptionis ROMANO in copiosis numis obviae causam redderent, hoc video concordes, quod vocem ROMANO positam pro ROMANO*rum* credidere, tum vero etiam, quod id genus numos omnes propter artis vere Graecae elegantiam signatos in Campania et Sicilia censuere. Lubet dividere sententiam, nam quod ad alteram ejus judicii partem attinet, libenter mihi cum viris eruditis convenit, at non adridet prior. Video enim rursum, quod supra improbaveram, flexionem in NO, quae haud dubie Osca, aut certe ex lingua indigenarum ejus plagae fuit, ex Latinorum grammatica explicari. Enimvero si ROMANO positum est pro ROMANO*rum*, ex analogiae regula sequetur etiam, positum CALENO pro CALENO*rum*, *ΠΑΙΣΤΑΝΟ* pro *ΠΑΙΣΤΑΝΟrum* etc. qui quidem modus non repugnaret, cum revera gentile Callium fuerit *Calenus*, Paesti *Paestanus* etc. Verum si is in his et similibus aliis addicit, at manifesto repugnat in aliis; nam tum AQVINO erit pro AQVINO*rum*, ARIMNO pro ARIMNO*rum*, contra certum Latinorum usum, quibus gentile Aquini non fuit *Aquinus*, sed *Aquinas*, Arimni non *Ariminus*, sed *Ariminensis*, unde *Aquinatium* et *Ariminensium* duceretur. Non repugnarem viris praestantibus, si inter tot varios, ac tam variarum urbium numos vel unus existeret, qui plenum ROMANORVM, CALENORVM etc. aut saltem ROMANOR. CALENOR. etc. exhiberet. Neque enim verisimile, urbes tot tamque dissitas velut lata lege, quam vel fingere absurdum foret, sic conspirasse, ut aut nunquam vocem integram monetae inscriberent, aut cum brevitatis causa contrahere eam luberet, postremo eam semper penultimae syllabae elemento O finirent. Novi, huic quoque difficultati provisum a Passerio advocato suppetias LARINOR in numis Larini, quod quid aliud, inquit, quam LARINOR*um* significare potest? At enim ut dixeram, in Latinorum lingua Larini gentile non fuit *Larinus*, sed *Larinas*; scribendum ergo foret *Larinatium*, aut adjectum istud R paragogicum est potius in hoc tractu usitatum, ut dicetur infra. Ex mente Cl. Dutens Angli vox ROMANO

sic ponitur, ut subintelligatur *populo* [q]). Esto. Haec igitur formula erit votiva, qua Campani Siculive monetam suam observantiae causa Romanis dedicaverint. Sin istud, ergo dici debebit, Suessanos, Calenos etc. numos suos SVESANO, CALENO *populo*, id est: sibi ipsis dedicasse.

Omissis ergo his eruditorum sententiis adducor, ut credam, voces similes aliud non esse, quam urbium gentilia, sed flexa in O pro natura linguae huic tractui familiaris, quiscunque is casus, seu rectus seu obliquus statuatur. Et quid vetat esse rectum, quando in eadem ora habemus inscriptos numis rectos *ΝΕΟΠΟΛΙΤΗΣ, ΚΑΤΛΩΝΙΑΤΑΣ*, *ΚΡΟΤΩΝΙΑΤΑΣ*, et CALENO aeque rectus esse potest, atque *leno*, *caupo* etc. vicinae linguae Romanae? Domesticam hanc in O terminationem comprobat numus Metaponti inscriptus METABO. Teste Stephano et Eustathio (ad Dionys. v. 368.) *τον Μεταποντον οἱ βαρβαροι Μεταβον ἐλεγον, Metapontum barbari Metabon dixere,* nempe Metabum Privernatem Metaponti conditorem, de quo Virgilius [r]). Ergo indigenae nomen urbis METABON captum a nomine conditoris secundum dialectum sibi propriam flexere in O, scripto, ut habet numus, METABO.

Atque ut, unde aberravit, revertatur oratio, quod de terminatione in NO dixeram, simile existimo et de altera in OM posse praedicari, nimirum esse idiotismum linguae barbarae ejus tractus, et ex hujus genio forte exire casum rectum, sic ut ROMANOM aliud non sit, quam *Romanus*, VOLKANOM idem, quod *Vulcanus* etc. et reipsa ROMANOM idem sit, quod ROMANO, cui deinde per paragogen adjicitur litera M. Etenim video, ejus plagae urbes alias exire in E, ut TVTERE, alias in I, ut IKVVINI, TIATI, alias in V, ut AKERV, atque harum nonnullis per similem paragogen in fine adjectam literam aliam, sic R in LARINOR, *Larini*, BENVENTOR, *Beneventi*, TEANVR, *Teani*, AKVRVNNIAR, *Acherontiae*, eodem modo, quo Latini vetusti verbis in vocalem exeuntibus adjecere D, ut POPLICOD, PREIVATOD, MACESTRATOD, pro *publico, privato, magistratu* etc. cujus generis exempla habes affatim in S. C. de Bacchanalibus, in columna rostrata, atque etiam apud Plautum. Alibi arbitrarium fuisse, utrum in fine aliquid adjiciatur, an non, utrum litera haec, an illa, docent VITELIV et VITELIVR in numis Samniticis, et in aliis Larini numis LARINOR, in aliis LARINOM. Eadem peste adflatos fuisse Lucanos, satis probat verbum *ΛΟΥΚΑΝΟΜ*, quod non modo barbare exit, sed et barbare incipit; nam probe Graece nunquam dictum est *Λουκανια*, sed *Λευκανια*. Quin et Tarentinis, prosapiae vere Graecae, viciniam fuisse fatalem, docent nomina barbara eorum monetae inscripta, ceu *VNVANIΩ. ΑΡΕΦΩΜ.* etc. Vocem in IM desinentem in Samnitum SAFINIM vidimus.

Ex his, quae disputavi, patet, me utramque terminationem in NO et OM ab Romanorum lingua alienam agnoscere.

---

q) Explic. de quelq. méd. p. 54. r) Aen. XI. 540.

Videmus enim, eas illatas numis, quos aut per inscripta urbium nomina esse peregrinos constat, aut quos, etsi inscriptum ROMANO praeferant, jam ipsi eruditi passim Campaniae aut Siciliae monetam agnoscunt, ut dicetur in tractatu de numis consularibus. Contra in numis, quos per pondus, typos, ponderis aut valoris notas absque dubio Romani esse commatis agnoscimus, quales sunt pervetusti asses, eorumque partes, tum denarii, quinarii, sestertii, nunquam sive ROMANO, sive ROMANOM, sed semper inscriptum ROMA reperimus. Neque vero similes vocabulorum flexiones in vetustis aliis linguae Latinae monumentis sese offerunt. Exstat quidem vox ROMANOM in columna rostrata, sed in accusandi casu unitatis numero, positumque pro ROMANVM ex indicata supra lege, cujus adeo modi esse nequit *το* ROMANOM numo quadrilatero Borgiano inscriptum, et quod sequitur, est, nequaquam illud a me in monumentis operis Romani haberi, sed confectum a vicina gente Romanis obnoxia, et inscripto Romanorum nomine ex *αὐτοχθονων* dialecto, eodem tenore, quo istud a vicinis aliis gentibus inscripto ROMANO factum dixi; atque in uno etiam, quem edidit Pellerinius s), plane Graece *ΡΩΜΑΙΩΝ*, etsi hunc causa typorum utriusque partis certe Neapoli Campaniae cusum constet.

Terminationes *ΜΕΣΣΑΝΟ* et *ΡΕ-CINO* proprie huc non pertinent, quia sunt urbium plane Graecarum Rhegii et Messanae, de quibus agemus in singularum moneta.

DISSERTATIO III.

De tauro cum facie humana.

Hujus formae monstrum late dominatum non est, in sola enim fere Campania et Sicilia adhaesit, nisi velis addere Acarnaniam, quae Acheloum eodem cultu proposuit. Tamen vel in exiguo hoc tractu ejus fuit conspicuum imperium palam istud docentibus utriusque regionis urbibus, quarum multae ejus imagine monetam suam insignivere, et in Campania quidem Campania ipsa, verius Capua, tum Calatia, Calles, Cumae et Liternum, Neapolis, Nola, Stabiae, Suessa, Teanum, quibus adde Aesernium, et Murgantiam Samnii, Larinum Frentanorum, Laium, Posidoniam, et Sybarin Lucaniae, et Hyrium situs minus certi, in Sicilia Agyrium, Aluntium, Catana, Entella, Gelas, Himera, Megara, Selinus, Tauromenium, et forte Syracusae, si numo Parutiano fides. Sed plurimum huic monstro devotae fuere Neapolis et Gelas. Inter haec cui non mirum videatur, hujus belluae, quam in his civitatibus fuisse illustrem tot praeconio numorum tenemus, nullam a veteribus seu historicis, seu mythologis, seu poetis fieri

s) Suppl. II. p. 23.

mentionem, qui tamen nobis Hippocentauros, Minotauros, Tritonas, Gigantes, Sphinges, Pegasos, Chimaeras, aliaque plurima formarum prodigia describere non neglexere. Ergo cum ab his nihil esset subsidii, suas ipsi vires ad solvendum hoc aenigma experti sunt antiquarii.

Qui primi veteres numos explicare aggressi sunt, Minotaurum confidenter dixere invitis scriptoribus omnibus et monumentis certis. Ex horum testimonio Minotaurus sic fuit naturae geminae, ut caput haberet tauri, cetera hominis. Ex his Diodorus [t]) *τουτον δε φασι διφυη γεγονεναι, και τα μεν ἀνωτερα μερη του σωματος ἀχρι των ὠμων ἐχειν ταυρου, τα δε λοιπα ἀνθρωπου, hunc vero* (Minotaurum) *naturae ajunt geminae fuisse, superiores quidem corporis partes ad usque humeros habuisse tauri, reliqua hominis.* Paucis Apollodorus [u]): *οὑτος εἰχε ταυρου προσωπον, τα δε λοιπα ἀνδρος, habuit hic faciem tauri, cetera viri.* His adde Tzetzem [x]), Hyginum [y]), Palaephatum [z]). Praeclare cum scriptoribus conspirant monumenta, nam in his quoque Minotaurus ex bove in hominem desinens fingitur in elegante gemma musei Caesarei [a]), in numis Athenarum [b]), in Picturis Herculan. [c]), in vase fictili apud Winkelmannum [d]), quibus in monumentis videre est ipsius Thesei cum Minotauro pugnam. Adde ejusdem argumenti gemmam, quam ex museo regis Galliarum edidit Mariettus [e]), et urnam marmoream Gorii [f]), sed in quibus eruditi auctores exhiberi Herculem cum Acheloo luctantem perperam adseruere, cum sit eadem Thesei et Minotauri fabula. Nimirum qui Theseus est, habitus illis Hercules propter additas leonis exuvias, et clavam. Sed enim Theseum voluisse Herculis esse per omnia imitatorem, tradit Plutarchus [g]), et Aristides [h]), et cum omni Herculis cultu proponitur in numis Commodi et Caracallae apud Nicaeam signatis scripto juxta ipso Thesei nomine [i]). Observo, non raro ab antiquariis luctam Thesei cum Minotauro ad alteram Herculis cum Acheloo inique fuisse translatam. Praeter exempla mox allata dedit alterum Josephus Allegranza in explicatione operis vetusti musivi, in quo fingitur elegans symplegma viri nudi cum figura altera nuda, eaque tota humana, dempto capite, quod tauri est. Juxta ex loco editiore puellae sex eventum pugnae spectant attonitae, humi ossa corporum humanorum sparsa jacent. Hanc vir eruditus imaginem ad Herculis cum Acheloo certamen refert [k]). Verum in hac omnes causae Thesei cum Minotauro pugnam eloquuntur, ac primum ipsa figura semibovis, qui, ut modo disputamus, certa est Minotauri effigies, deinde chorus puellarum, scilicet Atticarum, in Minotauri, quod inter omnes constat, coenam destinatus, denique ossa

---

t) L. IV. c. 77. u) L. III. § 8. x) in Cassandr. v. 653. y) Fab. 40.
z) de Incredib. c. 2. a) Choix de pierr. grav. tab. XXXII. b) Pellerin. Rec. I. tab. 22.
c) Tom. I. tab. 5. d) Mon. ined. tav. 100. e) Tom II. tab. 76. f) Mus. Etr. T. II. p. 214.
g) in Thes. h) T. I. p. 486. i) Vaillant. k) Opusculi erud. p. 232.

per humum sparsa, nimirum ferales proximarum epularum reliquiae, quae quidem omnia utrum eadem evidentia fabulae Acheloi applicari possint, magnopere dubitem. Denique ne de Minotauri forma dubitari possit, consulatur numus insignis Pellerinii [l]), in cujus parte una fingitur Minotaurus talis, qualem diximus, in altera ejus carcer labyrinthus. Ex quibus tot argumentis apparet, quae sit fides habenda gemmae, quae exhibet clausum in labyrintho Minotaurum superne hominem, inferne bovem, quam ex museo Strozziano edidit Gorius [m]). Ergo biformis quadrupes in his, de quibus agimus numis Minotaurus non est, et suapte collabuntur omnia, quae de coloniis e Creta in Siciliam Campaniamque traductis, et nescio, quae alia operosius, quam verius commentati sunt eruditi. Non fugit hic numorum, et scriptorum dissensus Spanhemium [n]) et Begerum [o]), tamen ausi non sunt jugum excutere, in quod eos inveterata opinio adegit. Interest igitur inter bovem capite humano, et hominem capite bovino, discrimen etiam inter utrumque suppeditante, si Aeliano fides [p]), Empedocle his versibus:

Πολλα μεν ἀμφιπροσωπα και ἀμφιςερνα
φυεσθαι,
Βουγενη ἀνδροπρωρα, τα δ᾽ ἐμπαλιν ἐξα-
νατελλειν
Ανδροφυη βουκρανα, κ. τ. λ.

Multa quidem animalia nasci duplici
vultu et pectore,
Alia bobus prognata capite humano,
alia rursum gigni
Satu humano cum capite bovis, etc.

Ad prius genus pertinet monstrum, de quo nunc disputamus, ad alterum Minotaurus.

Fuit tamen vetus alia sententia, quae hanc tauri imaginem esse symbolicam sanxit, et adludere ad agriculturae studium, cujus typus bos semper habitus. In hac sententia fuere Carrera [q]), Pighius [r]), Harduinus [s]), quanquam ne non et hoc loco varius intelligeretur, ei quoque Minotaurus placuit [t]), eamque nuper iterum amplexi sunt Wachterus [u]) ac proxime eruditi Galli la Chau et le Blond [x]).

Sunt et sententiae recentiores, quarum una est Mazochii, qui Neptunum hac in numis semitauri imagine indicari credidit [y]), vix tamen aliquo, quod sciam, eruditorum adsensu. Neque magis probata fuit sententia eruditi Ignarrae, qui cum videret, eodem, quo in numis praesentibus, modo Acheloum in numis urbium Acarnaniae fingi, adserere non dubitavit, a veteribus omnes omnium terrarum fluvios dictos fuisse Acheloos, Acheloos adeo esse ipsos etiam Campaniae et Siciliae fluvios, numosque Acheloi hujus imagine insignes jure dicendos Acheloicos [z]).

Aliam decennio post constituit Cl.

l) Rec. III. tab. 98. m) Mus. Flor. T. II. tab. 35. n) Tom. I. p. 284. o) Thes. Br. T. I. p. 349.
p) de Nat. anim. L. XVI. c. 29. q) Monum. hist. Catan. r) Annal. T. I. p. 423.
s) Plin. T. I. p. 162. t) Num. illustr. in *Gela* et *Neap.* u) Archaeol. num. p. 95.
x) Pierr. grav. du Duc. d' Orl. T. I. p. 123. y) Tab. Heracl. p. 512. z) de Pal. Neap. p. 232.

Martorellus in opere: *delle antiche Colonie venute in Napoli* [a]), qui monstrum illud in superos retulit, dum adseruit, eo indicari Liberum patrem, seu Bacchum, quem Hebonis nomine a Neapolitanis Campaniae cultum testatur Macrobius [b]), quanquam videam, istud ipsum jam pridem sensisse Matthaeum Aegyptium [c]).

Eodem anno postremam in Batavis parturivit Cl. Petrus Burmannus, *non dubito,* inquit, *cornuta ejusmodi capita potius referenda esse ad fluvios urbibus illis, ad quas numi spectant, vicinos* [d]). Haec vir eruditus conjecturae tantum modo proposuit, neque argumentis stabilire perrexit. Tamen haec lecta ita adrisere nobilissimo ac eruditissimo principi Turris Muciae, ut, qui antea in Minotauro cum aliis acquievit, postea mutata mente nonnisi fluvios mallet, eamque sententiam primum in opere, quod *Siciliae inscriptiones* appellavit, prolegomenorum pagina XXVI., ac subinde in omnibus suis lucubrationibus sic confirmare niteretur, ut ea velut ejus propria haberi possit. Ac quoniam video jam nunc plurimos ob ejus viri auctoritatem idem sentire, et adsunt argumenta non levia, quae ab hac me opinione avellunt, necesse est ante omnia, commemorari rationes, quae viro eximio hanc mentem injecere.

Ait I. a veteribus, ac praecipue Siculis divinum fluviis honorem impensum. II. Certum etiam, taurina eos forma saepe expressos, cujus testes citat Aelianum, Strabonem, aliosque. III. Veteres humana facie uno aut duobus adjectis cornibus pingere fluvios esse solitos. Ejus in numis Siculis exempla esse obvia. IV. Omne denique dubium submovere taurum cum facie humana in Ambraciae et Acarnaniae urbium numis, qui cum in his certus sit Achelous, sequi, cum eadem imago in aliarum urbium numis occurrit, ea indicari fluvium juxta currentem. Haec auctor illustris probabilia sane et erudita. At enim sententiam ab hac diversam multo existimo praestabiliorem, quae utrum recta sit, an aberret, ex binis, quas subjicio, sectionibus metiri licebit.

SECTIO I.

Verisimile est, bovem cum facie humana in numis Campaniae et Siciliae non esse symbolum fluvii.

Veteres ergo, ait eruditus princeps, tauri forma fluvios finxerunt. Vere istud secundum auctores. Ait Strabo [e]): *Acheloum forma tauro similem dici, ut et alios fluvios ob strepitus et flexus alveorum, qui cornua dicuntur.* Apertius Cornutus [f]): *τουτου δ' ἑνεκεν και τους ποταμους κερασφορους και ταυρωπας ἀναπλαττουσιν, ὡσανει βιαιον*

a) Tom. I. p. 229. b) L. I. c. 18. c) S. C. de Bacch. p. 232. d) D'orville Sic. p. 390. e) L. X. f) de Nat. deor. c. 22.

τι της φορας αὐτων και μυκητικον ἐχουσης, *propterea et fluvios cornutos et taurino vultu fingunt, nimirum quod violento cursu feruntur, et instar mugientium sonum edunt.* Festus [g]): *Taurorum specie simulacra fluminum, id est, cum cornibus, quod sunt atrocia, ut tauri.* Boum etiam figura fictos fluvios tradit Aelianus saepe in hac disputatione citandus. Mitto poetas, qui fluvios passim *tauriformes,* aut similiter dixere. Haec scriptores. Verum non conspirant cum his monumenta. Romani specie viri decumbentis et urna nixi finxerunt fluvios omnes, Tiberim, Danubium, Rhenum, Savum, Colapim, Nilum, Euphratem, Tigrim etc. Eodem exemplo omnis Graecia Europaea, et pleraeque Asiae minoris regiones. At Siculi specie viri plerumque juvenis, Cilices et Syri forma pueri ex aqua emergentis. Aegyptii Nilum typo aquilae. Lectum tauri typum ad indicandum flumen, saltem aperte et absque conjecturarum adminiculo, nullum, quod norim, monumentum docet, si Acheloum demas, sed cujus sic formandi certam aliquam fuisse rationem infra trademus.

At nolo tot auctores gravissimos aut ignaros eorum, quae scripsere, aut mendaces existimari. Paucissima enim veterum monumenta ad nos pervenere, et forte non raro, si in horum aliquo taurum propositum videmus, hoc ipso animali, sed quod nos ignoramus, fluvius ab artifice intentus fuit, aut forte, cum ars veterum suas quoque habuerit periodos, cessavit taurus fluvii symbolo servire ea aetate, ex qua nobis pleraque eorum artefacta supersunt. Sed enim quocunque demum modo per varias Graeciae provincias flumina fingi consuevere, istud certum videtur, hunc morem apud Siculos vix obtinuisse. Aelianus, cum libri II. toto capite XXXIII. Var. hist. disseruisset, placuisse aliis civitatibus humana forma vestire fluvios, aliis bovina, Siciliae fluvios omnes, quos nominat, Anapum, Cyanen, Porpacem, Crinisum, Telmissum, Acragantem hominis habitu effictos adserit. Et praeclare quidem cum hoc ejus testimonio conspirant numi Siculi, qui fluvios omnes, quos esse revera fluvios adscripta nomina Amenani, Hypsae, Crysae etc. abunde testantur, homines faciunt, hoc uno discrimine, quod tenue cornu unum aut duo ex fronte promittunt, ad indicandam nempe secundum veterum placita fluvii naturam. An vero credibile, cum tot habeamus Sicularum urbium numos semitauri imagine insignes, ex quo sequeretur, si modo is fluvium indicat, hunc morem passim in Sicilia fuisse receptum, an, inquam, credibile, istud dissimulatum Aeliano eo loco, quo variarum civitatum in fingendis fluviis institutum, atque inter has etiam Sicularum, ex proposito commemorat? An is, qui Porpacis et Telmissi formam descripsit, quos propter ignobilitatem nemo alius vel nominandos quidem putavit, tacuisset, Himeram fluvium Siciliae maximum tauri forma ab

g) in *Taurorum.*

Himerensibus proponi solitum, si verum esset, quod ait eruditus princeps, id revera ab hoc populo factitatum?

Fugit virum insignem testimonium veteris scholiastae Pindari, quod eximie comprobare videri possit, revera in Sicilia fluvios tauri imagine adumbratos. En ejus verba [h]): *τον δε του Φαλαριδος ταυρον οἱ Ακραγαντινοι κατεποντωσαν, ὡς φησι Τιμαιος· τον γαρ ἐν τῃ πολει δεικνυμενον μη εἰναι του Φαλαριδος, καθαπερ ἡ πολλη ἐχει δοξα, ἀλλ᾽ εἰκων ἐςι Γελωνος του ποταμου. Phalaridis vero taurum Agrigentini in mare praecipitem egerunt, ut ait Timaeus. Is enim, qui in urbe ostenditur, Phalaridis non est, ut vulgi fert opinio, sed est imago Gelonis fluvii.* Non moror manifestum sophistae sphalma in voce *Γελωνος*. *Gelonem* Siciliae fluvium non novi, at *Gelam*. Deinde quid Gelae effigies ad Agrigentinos, qui suum habuere fluvium Acragantem? nisi forte Gelois per vim ablata Agrigenti inter manubias stetisse dicatur. Denique quo pacto Graeculus hic citare potuit Timaeum adserentem, ab Agrigentinis taurum Phalaridis in mare praecipitatum, cum teste ipso Polybio idem Timaeus palam sit inficiatus, ejusmodi taurum unquam Agrigenti exstitisse [i])? At praestabit auctoritatem auctoritati opponere. Narrat Cicero [k]), inter alia a Poenis Carthaginem translata, post a P. Scipione veteribus dominis Agrigentinis restituta fuisse *illum nobilem taurum, quem crudelissimus omnium tyrannorum Phalaris habuisse dicitur, quo vivos supplicii causa demittere homines, et subjicere flammam solebat. Quem taurum Scipio cum redderet Agrigentinis, dixisse dicitur, aequum esse, illos cogitare, utrum esset Siculis utilius, suisne servire, an populo R. obtemperare, cum idem monumentum et domesticae crudelitatis, et nostrae mansuetudinis haberent.* Quo jam loco putabimus testimonium Graeculi cum gravissimo Scipionis et Ciceronis testimonio comparatum? An illustres hi IIviri *vulgi opinionem* sunt secuti, dum ille publice civibus monumentum istud nomine tauri Phalaridis restituit, hic eundem redditum publice depraedicat? An vero etiam, quod sophistae ex Timaeo constitit, non perinde ex eodem constare utrique potuit, fuisse hunc taurum fluvii imaginem? Quanquam etsi fluvium reipsa demus, tamen vel eo ipso, quod Phalaridis taurus a multis est habitus, sequitur, hominis illi caput praefixum non fuisse, nam ex tyranni instituto ustulatis non humano more ejulandum, sed mugiendum fuit. At in praesente examine istud non minus quaeritur, fuerintne in Sicilia fluvii imagine hominis in taurum abeuntis formati.

At sunt validiora argumenta alia huic systemati plane adversantia. Offerunt numi Siculi octo fluviorum nomina, Acragantem numi Agrigentinorum, Amenanum Catanensium, Arethusam Syracusanorum, Asinen Naxiorum, Chrysam Assorinorum, Gelam Geloorum, Hipparin Camarinaeorum, Hypsam Selinuntiorum inscripta, et semper juxta fluvii effigiem seu viri, seu feminae. Ergo si biformia haec monstra fluvii Siculis sunt habita,

h) Pyth. A. v. 185. i) de Virt. et vit. L. XII. sub fin. k) in Verr. L. IV. c. 33.

cur non et his fluviorum nomina sunt addita, quando istud in illis factum videmus? Victas continuo manus nobilissimo adversario dabo, si vel unicum adscripti praetenso huic fluvio nominis dederit exemplum, modo, quod in primis postulo, ambiguum non sit. Nam quae ille exempla adfert, *ΓΕΛΑΣ* et *ΣΕΛΙΝΟΕΣ*, non recto stant talo; nam haec non fluviorum modo, sed et urbium, quas alluunt, sunt nomina, quas etiam haud dubie indicant. Si aliquando pro ambiguis his nominibus, quae duplicem sensum patiuntur, adstituta tauro nomina Amenani, Hypsae, Hipparis ad unos fluvios pertinentia legero, non morabor, quin pedibus in eruditi principis sententiam eam.

Ex eadem doctrina fluunt et alia nullo pacto verisimilia. Agyrinenses, Catanenses, Geloos, Selinuntios fluviis suis hominis tribuisse formam, numi ipsi palam docent. At earundem civitatum numi etiam bimembre illud animal ostentant. Ergo si hoc fluvii est symbolum, sequitur, unam eandemque civitatem fluvio suo jam hominis jam tauri personam tribuisse. Quid quod ipse illustris princeps in praeclara sua Sicilia numismatica tab. XXXIII. non paucos numos exhibet, in quorum adversa: *ΓΕΛΑΣ. Caput juvenile cornutum.*)(*Bos cum facie humana.* Adde simile exemplum in numis Agyrii. Capite anticae exhiberi Gelam fluvium, neque ipse dubitat. At eo docente etiam pars aversa fluvium sistit, ergo idem numus unum eundemque Gelam vario cultu, ac tantopere diverso sistit? Vtrum haec probabilia, arbitretur lector. Denique si fluvius hoc animal est, cur is, quod in numis Neapolitanis perpetuum, a supervolante Victoria coronatur? Neminem coronat Victoria, nisi in certamine victorem, et sic recte finxit Myro buculam a Victoria coronatam, quod Juppiter bucula, ut explicat Tatianus [l]), ex rapta Europa adulterii praemium abstulit. At quae Sebetho parta victoria? An, ut olim Xanthus pro Troja, hic pro Neapoli sua restagnavit? Non repugno, posse fluvii imaginem coronari, sed displicet, istud officii a Victoria peragi. Ex mente eruditi Ignarrae hoc typo indicatur, Campanos ubertate soli ceteros Acheloios collegas antecellere [m]).

Tandem ad postremam rationem, quam princeps T. M. omnium validissimam ait, progrediamur, Acheloum scilicet, qui in Acarnaniae et vicini tractus numis eodem modo pingitur, et fluvius est, nempe facie hominis, corpore tauri. Non credo, argumentum sic a viro erudito instrui: animal istud in numis Acarnanum indicat fluvium, ergo, quotiescunque in aliarum urbium numis est conspicuum, fluvium item indicabit. Ex eadem enim lege sic quoque arguere licebit: Aegyptii typo aquilae indicabant Nilum, ergo eadem aquila in numis Romanis vel Antiochenis indicabit Tiberim vel Orontem. Clava, et exuviae leonis Herculem, galea alata Mercurium arguunt, ergo cum capita sic instructa videbis, semper in his Herculem vel Mercurium agnosce, nun-

---

l) Orat. c. 54. m) de Pal. Neap. p. 245.

quam Theseum, aut Perseum. Quin cum Juppiter taurus Europae raptor eodem, quo Achelous, ritu in nonnullis monumentis fingatur, ut sequente sectione ostendam, audacter decernito, Europam a fluvio raptam. Istud ne ipse quidem eruditus princeps volet. Ex quo confiteatur necesse est, unam eandemque imaginem saepe rebus maxime diversis competere. Cur vero Acheloum fingere bimembrem placuerit, ratio expedita. Ejus enim in fabulis magnum nomen. Ex harum doctrina cum constaret, ei ab Hercule rivali cornu taurinum per vim effractum, taurus sane fingendus erat. At cum idem agere inter homines soleret, et ipsas Deianirae nuptias ambiret, saltem caput humanum tauri trunco addere oportuit. Bellum enimvero mihi procum, qui amores suos regiae virgini admugiret, aut, cum articulata voce careret, ceu olim Io, pede pulveri inscriberet. Haec causa cum ad alios aeque fluvios non valuerit, mirum non est, Acheloum hac forma fuisse propositum, aliis fluviis aliam formam tributam. Eadem de causa Lysippe Teuthrantis mater Dianae aureum aprum cum facie humana dedicavit, quo intelligeretur, esse imaginem ejus apri Dianae sacri, qui olim Teuthrantem sibi in venatu insidiantem, ne se vita spoliaret, humana voce compellavit [n]).


SECTIO II.

Verisimile est, bovem cum facie humana in numis Campaniae et Siciliae esse Bacchum.

Si res veterum testimoniis agenda est, eadem opera, qua princeps T. M. fluvios in tauros vertit, Bacchum taurum faciam. Idem enim dictus est *ταυρομορφος*, *ταυροκεφαλος*, *ταυρωπος*, *ταυροκερως*, ut copiose videre est apud Gyraldum [o]), et Spanhemium [p]). Taurum etiam vocat Lycophron [q]), et tauri cornu in numo Boeotico apud Pellerinium manifesto Bacchi capiti, quod barbatum insuper est, additur [r]). At praecipuum causae patronum advoco Plutarchum, cujus binas sententias plenius lubet commemorare. Interrogat primum [s]): *δια τι τον Διονυσον αἱ των Ηλειων γυναικες ὑμνουσαι παρακαλουσι βοεῳ ποδι παραγινεσθαι προς αὐτας; ἐχει δ' οὑτως ὁ ὑμνος: Ἐλθειν ἡρω Διονυσε ἁλιον ἐς ναον ἁγνον συν Χαριτεσσιν ἐς ναον τῳ βοεῳ ποδι θυων, εἰτα δις ἐπᾳδουσιν: Αξιε Ταυρε· ποτερον ὁτι και βουγενη προσαγορευουσιν και ταυρον ἐνιοι τον θεον; κ. τ. λ.* *quare Eleorum mulieres Bacchum in hymnis hortantur, ut ad se bubulo pede accedat? Hymnus vero talis est: Veni heros Bacche maritimum ad templum sanctum cum Gratiis ad templum bubulo pede ruens; postea bis accinunt: digne taure! an quod deum hunc bovigenam et taurum*


n) Plut. de flum. in Caico. o) Synt. p. 280. p) T. I. p. 392. q) in Alex. v. 209.
r) Rec. I. tab. XXIV. n. 8. s) Quaest. Graec. p. 299.


I
IV
ΣΕΛΙΝΟΕΣ
III
II


Numi Goltziani.
Numi veri.
ΑΓΕΣΣΙΩΝ
Æ ε
I
ΚΡΟΤΟΝ
Æ 1
Æ δ
II
ΕΥ
Æ 2
ΜΕ
ΚΑΡΑΛΙ
Æ γ
III
ΚΥ
ΔΙΟΝΥΣΙΟΣ
Æ 3
Æ δ
ΒΑΣΙΛΕΩΣ
ΔΙΟΝΥΣΙΟΥ
IV
Æ 1
ΔΙΟΝΥΣΙΟΥ
Æ ε
V
Æ 1
Æ γ
ΔΙΟΝΥΣΙΟΥ
VI
Æ 3
ROMANO


Numi Goltziani.
Numi veri.
ΚΡΗΤΑΙΩΝ
I
ΚΥΡΙΕΩΝ
ΟΥ ΥΣ
II
ΚΟΛΧΩΝ
ΔΩΡΟΘΕΟΣ
III
ΕΠΙΚΟΥΡΟΣ
ΣΕΦΥΡΙΩΝ
IV
ΠΟΣΕΙ
ΠΟΣΕΙΔΩΝΑΤΑΝ
V
ΙΜΕΡΑΙΩΝ
VI

Palaeographia Graecorum ex numis.



appellant aliqui? etc. Et alibi in eandem sententiam [t]): *διο και ταυρομορφον Διονυσον ποιουσιν ἀγαλματα πολλοι των Ἑλληνων· αἱ δε Ἡλειων γυναικες και παρακαλουσιν εὐχομεναι, ποδι βοειῳ τον θεον ἐλθειν προς αὐτας. qua de causa et multi Graecorum Bacchi simulacra taurina forma fingunt; Eleorum vero mulieres deum evocant precantes, veniret ad se pede bubulo.* Insignia sunt haec ad praesentem quaestionem testimonia; confirmant enim, Bacchum non modo taurum appellatum, (*ἀξιε ταυρε*) sed etiam, ne forte tantum propter adstituta capiti cornua appellatus fuisse taurus dicatur, reliquo corpore fuisse taurum (*ποδι βοειῳ*). Et vero, quod hoc argumentum praeclare illustrat, videor mihi videre in eximio Gelae numo, quem primus edidit Burmannus [u]), deinde bis restituit princeps T. M. [v]) ipsam mulierem, qualem describit Plutarchus, Baccho cum bubulo pede incedenti accinentem, eique sertum offerentem. Quod ut magis feriat subjectum oculis, e re visum, numum ipsum coram proponere in adjecta tabula III. num. 1.

Haec opinor satis commode Bacchum designant. At cur caput humanum tauro additur? Nimirum eadem de causa, ob quam et tauro Jovi, dum in Europae raptu occupatur, additum videmus hominis caput in binis gemmis veteribus eadem tabula III. num. 2 et 3 expressis, una Musei Florentini [y]), altera apud Gravellium [z]), quarum taurus adeo ad omnem apicem similis est Campano huic Siculoque tauro, ut unum ab altero non discernas, et verisimile aliquando propter certum hunc Jovem videretur, eundem etiam sub Campaniae et Siciliae tauro latere, quod tenuiter etiam suspicabatur Comes Caylus [a]), si probabile esset, tot illustribus urbibus summi dei sui cultum a causa parum decora, nempe puellae raptu, quaesitum, cum tot honesti alii tituli suppeterent. Iis ergo, qui hoc cultu Jovem Bacchumque finxerunt, aliud propositum non fuisse videtur, quam ut adjecto hominis capite, parte corporis praecipua, in qua mens ac consilium resident, palam facerent, in hoc animali, quod secus simplex taurus fuisset habendum, deum inesse, quo modo et Agathodaemona non serpentem simplicem finxerunt veteres, sed humanum etiam caput junxerunt, quod postea imitatus est Alexander pseudomantis, ut divinum esse serpentem suum attonito ad spectaculum populo persuaderet, ut est apud Lucianum, et dicetur in numis Abonoticheos Paphlagoniae. Eodem credo consilio Aeschylus finxit Io biformem, cum narrat, perculsos fuisse mortales videntes rem insolitam [b]):

Βοτον ἐσορωντες δυσχερες μιξομβροτον,
Ταν μεν βοος,
Ταν δ' αὐ γυναικος· τερας δ' ἐθαμβουν.
Pecudem intuentes intractabilem mortali sexu mixtam,
Partem quidem vaccae,

t) de Is. et Osir. p. 364. E. u) D'Orville Sicula tab. X. n. 4. x) Aggiunt. tab. III. n. 23. et Sicil. numism. tab. XXXII. n. 1. y) Tom. I. tab. 57. n. 2. z) Rec. des pierr. grav. T. II. n. 45. a) Rec. d'Ant. T. IV. p. 164. b) Supplic. v. 576.

Partem vero mulieris; prodigium vero stupebant.

Sed et numus alius, qui est in museo Caesareo, causam meam eximie juvat, quem sistimus in eadem tabula III. n. 4. Signatus is est a Selinuntiis Siciliae. Havercampus et princeps T. M. mulierem sedentem propter serpentem, quem dextera stringit, Salutem dixere. At multo tutius typum ex decantata apud veteres fabula explicabimus, qua docente Juppiter sub tauri specie Cererem inivit, unde nata Proserpina, aliis dicta Pherephatta, quam deinde filiam suam adultam cum deperiret quoque, draconis adsumpta forma cum ea congressus tauriformem filium genuit, propter quod factum diditus senarius: *Ταυρος δρακοντος, και δρακων ταυρου πατηρ.* In quibus enarrandis sordibus habemus unanimos Clementem Alex.[c]), Eusebium[d]), Arnobium[e]), Nonnum Panopolitem[f]). Atqui Athenagoras, qui idem refert[g]), tauriformem hunc partum diserte Bacchum appellat. Secundum igitur haec enarrata an possumus dubitare, in parte una proponi Jovis cum Proserpina commercium, in altera taurum Bacchum ab his editum, ac propterea cum parentibus in eodem numo conjunctum? quod quidem tanto licebit fidentius opinari, cum numus sit in Sicilia cusus, qua in insula Cereris Proserpinaeque frequens per omnia passim monumenta fuit mentio. At vero non in uno hoc numo absurdae, quam recitavi, fabulae argumentum video contineri. Exstant in museo Caesareo et alibi quadrantes, in quorum aversa est taurus currens reptante infra dracone, in imo ROMA, quem typum difficile erit aliter, quam secundum citatum senarium explicare.

Bacchum propter vini abundantiam et excellentiam, qua praecipue Campania circa Gaurum montem claruit, magnis fuisse adfectum honoribus, non verisimile modo est, sed Sophoclis etiam docemur testimonio, qui sic de Baccho canit[h]): *κλυταν ὁς ἀμφεπεις Ιταλιαν· inclytam qui tueris Italiam*, cui subjicit vetus scholiastes: *δια το πολυαμπελον της χωρας, ob vini in hac regione largos proventus.* Quare cum manifestum deum in hoc animali habeamus, atque ut dixi, verisimilem Bacchum, nequaquam alienum, coronam ei a Victoria offerri, sive adlusum ad veteres de Titanibus et Indis victorias, sive quod civitates ejus numini suas de hostibus victorias acceptas tulerunt. Atque in hac sententia facile explicantur numi antiquissimi tetradrachmi Catanensium, in quorum una parte exhibetur bos hic geminae formae, in altera Victoria gradiens, et unum vel bina diademata soluta praegestans. Nimirum juncto simul utriusque faciei typo habemus Victoriam Baccho diadema offerentem, cujus eum fuisse repertorem olim abunde ex veteribus comprobavi[i]).

Ex dictis patet, mihi nequaquam pugnandum cum iis, qui taurum hunc deum Hebonem, ut diximus, statuunt,

c) Protrept. p. 14. edit. Oxon. d) Praepar. Ev. e) advers. gent. L. V. f) Dionys. L. V. sub fin. et L. VI. v. 157. g) Legat. p. 71. edit. Oxon. h) Antigone v. 1130. i) Num. vet. p. 22.

in qua sententia inde a Matthaeo Aegyptio video esse plerosque eruditos Neapolitanos. Nam idem Hebo teste Macrobio, qui ejus solus meminit, alius non est, quam Bacchus diverso nomine, nempe quem propter nominum varietatem jure *πολυώνυμον* vocat Sophocles [k]). Atque ut videmus ex numis, hoc duplicis naturae animal per plures Campaniae urbes propagatum, sic et Hebonem in aliis etiam ejusdem regionis urbibus observatum intelligimus. Vnam quidem Neapolin memorat Macrobius, sed marmor, quod memorat Matthaeus Aegyptius [l]), addit Calatiam aliam Campaniae urbem:

ΗΒΩΝΙ. ΕΠΙΦΑΝΕΣΤΑΤΩΙ. ΘΕΩΙ.
ΤΑΓΜΑ. ΚΑΙ. ΛΕΩΣ. ΚΑΛΑΤΙΝΟΣ.

nisi forte illud huic sententiae officit, quod, ut ex verbis Macrobii colligitur, Hebon hic nequaquam tauri, sed viri barbati ac senilis formam habuit.

Neque repugnabo magnopere viris praestantibus, qui ut principio dixi, in hoc typo agriculturae symbolum vident. Sed neque tum Bacchum inficiabitur, qui teste Plutarcho a multis aratri et sationis inventor fuisse creditus est [m]). Secundum Diodorum credebatur Bacchus ductis sub jugum bobus princeps sementem fecisse, unde, inquit, cornuta ipsi facies [n]). Teste Arriano [o]) primus Liber perhibetur boves aratro junxisse, et plerosque Indorum ex erronibus aratores fecisse. Quid si biformi hoc typo indicetur concordia Cereris et Bacchi, qui sunt principes agriculturae dii, quae maxime frumento et vino gignendo constat, sic ut capite hominis cornuto indicetur Bacchus, quem fuisse cornutum novimus, tauro animal, Cereri, quod arationi servit, gratissimum, atque adeo ipsa Ceres? ob quam eandem causam eos etiam conjunxit Virgilius in opere, in quo agriculturae praecepta dictat [p]):

Vos o clarissima mundi
Lumina, labentem coelo quae ducitis annum,
Liber, et alma Ceres.

Adde Pindarum, qui Bacchum vocat *χαλκοκροτου παρεδρον Δαματερος*, *aeristrepae assessorem Cereris* [q]), ad quae verba scholiastes: *παρεδρον Δημητρος ειπεν τον Διονυσον, ἐπειδη τη ξηρῳ τροφη, ῄ ἀνακειται τη Δημητρι, παρεπεται ἡ του οἰνου χρησις*, *assessorem Cereris dixit Bacchum, quia aridum victum, qui ad Cererem pertinet, comitatur vini usus.* Propius ad Campaniam, quae de utroque hoc numine praedicat Florus [r]): *Omnium non modo Italia, sed toto orbe terrarum pulcherrima Campaniae plaga est. Nihil mollius coelo; denique bis floribus vernat, nihil uberius solo. Ideo LIBERI CERERISQVE certamen dicitur.* Eodem modo Sphingis quoque duplex natura certam recondit allegoriam. Etenim Aegyptii, si fides Synesio [s]), *in sacrarum aedium vestibulis Sphin-*

k) l. c. l) S. C. de Bacch. p. 33. m) Quaest. Graec. p. 299. n) L. IV. c. 4. o) Hist. Ind. c. 7. p) Georg. I. 5. q) Isthm. Z. v. 3. r) L. I. c. 16. s) de Regno p. 7. et de Provid. p. 101.

gis effigiem collocant, arcanum utriusque virtutis conjungendae symbolum, quae qua parte bestia est, robur, qua vero parte homo est, prudentiam significat.

Et vero non repugnabo illis, qui simili modo volent haec *θηρια συνθετα και αλλοκοτα* explicare. Nam, ut ajebam, mihi in hac disputatione istud unum maxime fuit propositum, ut negarem, hoc typo fluvios veteribus intellectos.

P I C E N T I N I.

Numus *ΠΙΚΕΝΤΙΕΩΝ.* apud unum Goltzium.

A P V L I A.

ACHERONTIA.

ЯNIHHVЯVKN *Caput Palladis.*)(*Miles stans d. pateram, s. clypeum cum hasta.* Æ. II.

Insignem hunc musei Borgiani numum olim edidi [t]). Vrbes hoc nomine binae a veteribus proditae; prior mediterranea in Apulia prope Venusiam, altera in Bruttiorum agro ad fluvium Acherontem Alexandro Epiri regi fatalem [u]). Vtri faverit Goltzius edito numo suo *AXEPONTAN*, non constat. Noster una cum simili alio repertus est in vicinia Acherontiae Apulae, quae causa est, cur huic potius prae altera Bruttiorum sit tribuendus. Accedit, numum Osce inscriptum magis Samnio et Campaniae admovendum videri. Ait quidem Festus [x]): *Bilingues Brutates Ennius dixit, quod Bruttii et Osce et Graece loqui soliti sint,* tamen numus Bruttius Osce inscriptus hactenus repertus non est.

Æ. RRRR.

ARPI.

Vrbs antiquae famae, ut dicetur.

Caput Palladis.)(*ΑΡΠΑ. Tres spicae.* AR. III. (Pellerin.)

Epigraphe in reliquis: *ΑΡΠΑΝΟΥ.* vel: *ΑΡΠΑΝΩΝ.*

Typi in his: *Aper,* vel *Equus,* vel *Bos currentes.*

Arpi a Diomede conditi teste Plinio, et Virgilio [y]). De urbis nomine haec post Strabonem et Plinium Servius [z]): *Diomedes in Apulia condidit civitatem, quam patriae suae nomine appellavit, et ARGOS HIPPION dixit, quod nomen postea vetustate corruptum est, et factum, ut civitas ARGYRIPA diceretur, quod rursus corruptum ARPOS fecit.* Ergo equus in his numis adludit ad vetus urbis nomen HIPPION. Aper vero, qui Calydonius est, refertur ad Aetolicam conditoris Diomedis originem, nam ejus pater Tydeus Aetolorum rex fuit, ac propterea Diomedem quoque Theocritus vocat *Καλυ-*

t) Sylloge I. in Parergis. u) Plin. L. III. § 10. x) in *Bilingues.* y) L. XI. v. 242.
z) ad Aen. XI. 246.

δονιον ἄνδρα [a]). Est autem aper obvius in Aetoliae moneta typus.

Magistratus *ΔΑΞΟΥ. ΠΥΛΛΟΥ. ΠΟΥΛΛΙ.* obvii in his numis.

* * *

Paruta numum cum typo his Arpis proprio propter praetensam epigraphen *ΙΠΠΑΡ.* Hippari Siciliae fluvio tribuit. Eundem princeps Turris Muciae Hipparino Dionysii senioris filio maluit largiri [b]). Male lectam epigraphen non modo arguit typus apri, sed et literae *ΔΑ - - -* quae sunt residuae magistratus *ΔΑΞΟΥ* in Arporum numis obvii. Atque ut demus revera legi *ΙΠΠΑΡ.*, tamen hic numus ad hos Arpos pertineret, nam hi, ut dixi, vetere nomine vocabantur *ΙΠΠιον ΑΡγος.* Vide de his plura in meis Numis vet. p. 29.

De numo *ΑΡΠΑΝΟΣ* vide, quae moneo in numis *Campanorum* nomine signatis.

AV. ap. Goltz. tantum AR. RRRR. Æ. R.

BARIVM.

Caput Jovis, retro unum vel duo astra. Raro *caput Palladis,* ut est apud Magnan. (Misc. num. T. III.))(*ΒΑΡΙΝΩΝ. Cupido navi insistens sagittam mittit.* Æ. III.

Astra in his numis obtinent vicem globulorum, ceu in numis Capuae. Typi ratio incerta.

Æ. RR.

CAELIVM.

Caput Palladis, vel Jovis.)(*ΚΑΙΛΙΝΩΝ, rarius ΚΑΙΛΕΙΝΩΝ. Tropaeum,* vel: *Victoria gradiens coronam, et tropaeum super humero gestat,* vel: *Pallas gradiens d. hastam, s. clypeum praetendit,* vel *fulmen.* Æ. II. III. (Mus. Caes. Magnan.)

Globuli unus vel duo in parte antica, et plerumque in aversa totidem astra, nimirum pro ipsis globulis posita.

Æ. R.

CANVSIVM.

Ejus numum editum reperio in Miscellaneis Magnani. (Tom. IV. tab. 18.)

Caput virile nudum.)(*ΚΑΝΥΣΙΝΩ. Miles equo citato vectus d. hastam.* Æ. III.

Nolo fidem abrogare numo, nam adfirmavit Abbas Cap. Martin Chaupy, vidisse se aeneos binos typo equi et inscriptione *ΚΑΝΥΣΙΝΩΝ.*

Æ. RRRR.

HYRIVM.

Neque nominis ratio, neque situs satis expeditus, nam et *Hyriam* alii et *Vriam* appellant, et Calabriae etiam a nonnullis accensetur, de quo vide Cellarium. Numi, quos citabo, sunt perantiqui, qui si huc pertinent, necesse est, urbem aliquando florentem in pejus prolapsam, quia exigua deinceps ejus fit mentio.

Caput Palladis, in cujus galea noctua, vel: *Caput muliebre adversum passis crinibus, diademate fastigiato.*)(*ΥΡΙΝΑ. ΥΡΙΝΑΙ. ΥΔΙΝΑ. ΥDΙΝΑ. scriptura solita, vel retrograda,* in aliis: *ΥΡΙΑΝΟΣ.* (Pembrock. Hunter.) in alio: *ΥΡΙΕΤΕΣ.* (Hunter.) *Taurus cum facie humana.* AR. II.

Hodieque dubii haerent antiquarii, cui urbi hi sint numi tribuendi. Erant, qui sive propter taurum biformem, sive

a) Idyll. XVII. 54. b) Correz. p. 40. et Sicil. num. tab. 100.

propter Oscum Rho sedem illis in Campania quaesivere. Verum urbs cum adfini nomine in ea regione non reperitur, et Rho hujus formae non solum in alphabeto Osco, sed et antiquissimo Graeco habetur. Interim donec certius quid occurrat, in hoc Apuliae Hyrio acquiescimus.

* * *

Caput Palladis.)(*ΥΡΙΑΤΙΝΩΝ. Gubernaculum, et delphinus.* Æ. III.

Numum hunc undequaque integerrimum vidi ipse Nemausi in museo celeberrimi, et omnigena eruditione praestantissimi Seguier. Eundem editum video apud Arigonium, sed scripto mendose *ΙΡΙΑΤΙΝΩΝ* c). Hyrias plures enumerat Stephanus, neque tamen alteri, quam huic Apulae aptius judico hos numos posse permitti, quamquam ab *Υριον* vel *Υρια* insolens sane sit gentile *Υριατινος*.

AR. R. Æ. RRRR.

LVCERIA.

Vetus Dauniorum urbs teste Strabone. A Romanis deducta colonia V. C. 440. d) a quo tempore ex urbe Graeca facta Latina numos Latinos exemplo Brundusii, Paesti, Valentiae etc. signavit.

Epigraphe: LOVCERI. rarius LVCERI.

Typi: *Caput Herculis.*)(*Ejus arma.* — *Caput Palladis.*)(*Rota.* — *Caput Apollinis.*)(*Calvaria bovis.* — *Caput Neptuni.*)(*Delphinus, tridens.* — *Caput muliebre laureatum velatum.*)(*Concha.*

Numos collectos vide in Miscellaneis Magnani.

Globuli plerumque areae inhaerent. Æ. R.

RYBASTINI.

Caput Palladis.)(*ΡΥΒΑΣΤΕΙΝΩΝ. Noctua ramo insistens.* Æ. III. (Pellerin Rec. I. p. 72.)

Rubustinos in Apulia recensent Plinius e), et Frontinus f), ad quod existimo hunc numum pertinere, solo elemento A pro V dubium movente; verum satis constat, quam inique saepe Romani Graecarum urbium nomina Latine reddiderint. Sic *Βρεντεσιον* dixere *Brundusium*, *Πυξους Buxentum etc.* Praeplacet igitur hoc judicium prae altero Pellerinii, qui malebat numum hunc tribuere *Bastae* Calabriae; at quem tum sensum dabimus praefixae syllabae *ΡΥ*? etsi et hanc explicet Pellerinius, sed modo prorsus singulari g).

* * *

Caput Palladis.)(*ΡΥ. vel: ΣΙ. ΡΥ. Spica.* AR. III. (Mus. Neumann.)

Lyra.)(*ΡΥ. Caput bovis cum infulis.* AR. III. (Ibid.)

Vtrum vere hi numi huc sint vocandi, adfirmare non ausim. Istud certum, adlatos esse ex regno Neapolitano.

* * *

ΓΡΟϹϹΟϹ. *Caput Jovis.*)(*ΡΥ. Mulier stans d. pateram, s. cornucopiae.* Æ. III. (Hunter.)

Eodem forte pertinet hic numus. Eum Combius Rhypas Achaiae amandavit.

Æ. RRR.

SALAPIA.

Teste Strabone Argyripensium, sive

c) Num. urb. tab. XI. n. 12. d) Diodor. Sic. L. XIX. c. 72. e) L. III. p. 168. f) de Colon. g) l. c.

Arporum navale, quem nexum numi quoque comprobant.

ΔΑΞΟΥ. Equus gradiens.)(- - *ΔΠΙ-ΝΟ - Delphinus.* Æ. III. (Magnan. Misc.)

Caput Apollinis.)(*ΣΑΛΠΙΝΩΝ. Equus currens, supra astrum, vel tridens.* Æ. III. (Pellerin.)

ΣΑΛΠΙΝΩΝ. Caput juvenile laur.)(*ΠΥΛΛΟΥ. Aquila stans, pone astrum.* Æ. III. (Hunter.)

ΣΑΛΠΙΝΩΝ. Caput Jovis.)(*ΠΥΛ-ΛΟΥ.* in aliis: *ΠΛΩΤΙΟΥ. Aper vel equus currens.* Æ. III. (Pellerin, Magnan, Mus. Caes.)

Habemus in his numis jam *Salpiam*, tam *Salapiam*, et utroque modo appellatam testantur veteres, ut videri potest apud Cellarium, et in meis Numis vet. pag. 28.

Typos equi et apri, item magistratus *ΠΥΛΛΟΥ* et *ΔΑΞΟΥ* jam vidimus in numis Arporum, unde petenda explicatio, et, quod ajebam, hac utriusque urbis numorum concordia probatur nexus inter Arpos, et eorum navale Salapiam.

Æ. RR.

SIPONTVM.

Hujus urbis numum possidere sibi primum visus est Pellerinius [h]), at serius agnovit errorem, docuitque restituendum Hipponio Bruttiorum [i]).

CALABRIA.

BRVNDVSIVM.

Portus notissimus, et ex hoc in Graeciam trajectus.

Graecos *ΒΡΕΝΔΗΣΙΝΩΝ* solus Goltzius vidit.

Colonia deducta est V. C. 510 teste Vellejo [k]), et Livio [l]), atque ex eo tempore dubium non est signatos numos, qui supersunt.

Caput Neptuni laur., quod in plerisque coronat Victoria poné advolans, retro tridens.)(BRVN. *Vir nudus delphino vectus d. Victoriolam, s. lyram, per utramque aream partes assis.* Æ. varii moduli.

Mirus hic partis aversae eques cum lyram constanter manu praetendat, certus videtur Arion Lesbius, cujus fabula abunde nota ex Herodoto [m]), Aeliano [n]), aliisque, atque is cultu fere simili pingitur in numis Methymnae, ex qua oriundus fuit. Nequaquam temere eum Brundusini monetae suae inseruere; nam teste Herodoto [o]) in hoc tractu substitit, cumque ex vicino Tarento Corinthum repetiturus solveret, nautae cupidi ejus vitae insidias struxerunt. Ex quo verisimile, creditum Brundusinis, ex suo portu profecto Arioni miraculum istud contigisse. Recte cum hoc facto Neptunus in parte antica jungitur, nam Arionem servati sui beneficium Neptuno acceptum tulisse, testatur hymnus in ejus dei honorem a se compositus, quemque totum servavit

h) Rec. I. p. 62. i) Suppl. III. p. VII. k) L. I. c. 14. l) Epit. L. XIX.
m) L. I. c. 23. n) Nat. anim. L. XII. c 45 o) c.

Aelianus [p]), qui incipit: Υψιςε θεων ποντιε, Χρυσοτριαινε Ποσειδον κ. τ. λ.

Magistratus: L. CORN. vel: C. AP. vel: M. BIT. vel: Q. FVL. etc. quos vide in Magnani Miscellaneis. Sunt haec certa Romanorum nomina, et certe IIvirorum, qualia in numis quoque Paestanis passim occurrunt, ex quo efficitur, signatos hos numos a tempore deductae coloniae.

Assium partes solitis signis indicatae constanter in illis occurrunt.

Æ. C.

BVTVNTVM.

Hanc urbem dissimulavit Cellarius, etsi Plinius in hoc tractu *Butuntinenses*, et Frontinus *Botontinum agrum* memorent; in itinerario Hierosolymitano: *Botontones*, (pag. 609.) Peutingeriana: *Butuntos.*

ΒΥΤΟΝΤΙΝΩΝ. Vir nudus delphino vectus d. diotam, s. clavam.)(*Concha.* Æ. III.

Numum hunc olim ex museo Caesareo vulgavi [q]), et similem jam indicavit Mazochius [r]), nisi quod pro concha sit pagurus. En iterum virum super delphino equitem, ut mox in Brundusio vidimus, ac tertium in Tarento videbimus. Eum esse Tarantem heroem, typumque ex Tarentinorum moneta translatum, dubitare non sinit numus Tarenti simillimus, quem in hujus numis intuebimur. Aequales typos suaserit vicinia, et forte Butontum colonos habuit Tarentinos.

Caput Palladis.)(*ΒΥΤΟΝΤΙΝΩΝ Spica.* Æ. III. (Pellerin Lettres p. 19.)

Numum hunc pridem ex museo Gottifredi citavit Holstenius [s]). Produxit etiam Haymius [t]), sed cum in eo legeret *ΒΥΤΡΟΤΙΩΝ*, urbem quandam Butrotum omnibus geographis incompertam in extremo Bruttiorum angulo finxit. Cujus adeo lectio ex Pelleriniano corrigenda.

Æ. RRR.

HYDRVNTVM.

Nunc *Otranto.* Aeneum *ΥΔΡΟΝΤΙΝΩΝ* solus Goltzius vulgavit. Pellerinius in indice autonomorum *Hydruntum* asterisco notat [u]), quod signum est, ejus numum in museo suo existere. Sed consultus a Neumanno eruditus Parisinus respondit, epigraphen numi Pelleriniani esse extritam. Consultus etiam Wackerus testatus est, in suo revera legi *ΥΔΡΟΝ*- - - Mihi hujus urbis numum videre non contigit, nec ab alio praeter Goltzium vulgatum reperi.

LEVCA.

Caput muliebre nudum.)(*ΛΕΥΚ. Noctua oleae ramo insistens.* AR. III. (Hunter.)

Scite Combius numum hunc Leucae, vel Leucis Calabriae tribuit. Sane typus aversae totus est Tarentinus, et ex versu Lucani [x]):

Antiquusque Taras, secretaque litora *LEVCAE*, apparet, Leucam fuisse Tarento vicinam.

AR. RRRR.

---

p) L. c. q) Num. vet. p. 30. r) Tab. Heracl. p. 37. s) in Ital. ant. Cluv. p. 282.
t) Tom. II. p. m. 123. u) Rec. T. III. x) L. V. 376.

LVPIA.

Vide in *numis Lucaniae in genere.*

SALENTINI.

Praeter argenteum *ΣΑΛΑΝΤΙΝΩΝ* ab uno Goltzio prolatum exstant et aenei: *Caput Palladis.*)(*ΣΑΛΑΝΤΙΝΩΝ.* (A *et* N *colligatis*) *Noctua diotae insistens.* Æ. II.

Numum hunc vulgavit Pellerinius [y], sed monitus a Khellio, legendum verius *ΚΑΛΑΚΤΙΝΩΝ*, retractavit, quod ante constituerat, numumque esse Calactes Siciliae professus est [z]). At testatur Sestinius, se numum Pelleriniano simillimum, eumque integerrimum Byzantii in museo privato vidisse, utrumque adeo haud dubie esse Salentinorum. Sin istud, mira profecto videri debet perfecta concordia inter monetam Salentinorum, et Calactinorum.

Æ. RRRR.

TARENTVM.

Vrbs maritima, opibus, potentia, magnificentia inter praecipuas liberarum Graeciae urbium, cujus testes ipsi numi, qui ingente numero exstant, fabrica in plerisque mirabili, neque in argento modo, sed et auro, aeneis rarissimis.

Numi antiquissimi:

ΖΑЯΑΤ. *Vir nudus velut uni pedi insidens d. elata plectrum, s. lyram, in area literis minutissimis ΠΤΟ.*)(*Sine epigraphe. Idem typus, sed incusus.* AR. I. (Pellerin Suppl. IV. p. 25.)

Est hic antiquissimus omnium Tarenti numorum hactenus cognitorum persuadente istud non modo forma literarum, sed etiam quod incusus est, quem modum esse certum indicem remotissimi aevi, in Lucania monebimus. In typi explicatu adhaesit Pellerinius. Propter violentum corporis habitum actorem scenicum, vel pantomimum leviter conjicit, quod hominum genus in urbe deliciis corrupta magno fuisse in pretio constat. Sed enim quis credat, *γελωτοποιον* in monetae publicae thema fuisse lectum? Tarentinorum mores pessime fuisse corruptos, nemo ignorat, at nondum ea aetate, quam numus praefert, qui minimum tertio post urbem conditam saeculo malleo fuerit subditus. Sane Strabo inductam morum licentiam inferioribus temporibus tribuit [a]). Si gestus histrionico adfinis histrionem etiam probat, nihil vetat, quo minus Nemesin, Crimisum, Minotaurum, qui in numis Camarinae, Segestae, Cnossi eodem poplitis violenter flexi gestu proponuntur, histriones faciamus. Alibi diximus, corporis motus violentiores in numis Graecis remotissimae esse vetustatis indicium. Ergo haec numi figura nisi Apollo est, erit forte Arion musicus, quem Tarenti commoratum in Brundusii moneta ex Herodoto docuimus.

Sunt adhuc alii argentei cum eadem vetere scriptura typo *Tarantis delphino insidentis.* (Pellerin l. c. in meis Num. vet. p. 32. *Pegasi.* (Mus. Caes.) Alios vide apud Hunterum et Magnanum.

Numi recentioris aevi.

ΤΑΡΑΣ. *Vir nudus delphino vectus d. diotam, vel tridentem, arcum, galeam,*

y) Rec. III. p. 178. z) Suppl. I. p. 50. a) L. VI. p. m. 429.

tripodem etc. gestans, per aream varia alia attributa, et literae.)(*Eques nudus coronam, vel clypeum, hastam etc. gestans, in area nomina magistratus.* AR. II.

Istud numorum genus copia, et varietate, quam minuta signa, manente semper utrinque typo principe, efficiunt, infinitum est, et ingentes Tarentinorum opes plus omnibus veterum testimoniis comprobant. Varia ab eruditis ad hos numos disputata cum spectatis typis, tum inscriptione *ΤΑΡΑΣ*.

Fuere, qui censerent, juvenem delphino insidentem esse heroem Phalanthum. Hic Phalanthus domo Spartanus, et ex Partheniarum numero, sic dictorum, quod non ex legitimo matrimonio nati essent, cum se suumque collegium illiberali loco apud suos haberi videret, inito cum his consilio relicta patria in Japygiam delatus Tarentum pulsis veteribus incolis occupavit. Haec prolixe Strabo [b]). Factum istud in prodigium auxit Pausanias, cum refert, Phalanthum antequam in Italiam perveniret, navi in Crissaeo mari fracta ad litus delphino evectum [c]). Testimonium istud viris eruditis satis idoneum visum, cur hac imagine sisti Phalanthum crederent. Verum graviorem Pausania auctorem puto Aristotelem ipsis numis coaevum, qui teste Polluce [d]) haec tradit in libro *περι της Ταραντινων πολιτειας*: *Tarentinis esse numum, ἐφ' οὑ ἐντετυπωσθαι Ταραντα τον Ποσειδωνος δελφινι ἐποχουμενον, in quo signatus Taras Neptuni F. delphino vectus.* Aristotelis testimonium praeclare confirmat aureus musei Caesarei, in cujus aversa juxta similem juvenem delphino portatum legitur *ΤΑΡΑΣ*, quod nomen pertinere ad ipsum vectorem, eo arguitur, quod in parte antica jam exstat nomen populi *ΤΑΡΑΝΤΙΝΩΝ*. Tarantem hunc fuisse filium Neptuni, et Nymphae indigenae, tradit Pausanias [e]), et Aristoteles loco supra citato, a quo et urbs condita est, et nomen abstulit. Servius conditam a Tarante, a Phalantho auctam refert [f]).

Ceterum falsum, quod opinati sunt aliqui, voce *ΤΑΡΑΣ* semper indicari Tarentem conditorem, cum eadem saepe scripta sit propter signum, aut caput Apollinis, Herculis, aut alterius numinis. Ea fere semper urbis nomen notat, quae constanter a Graecis dicitur *ΤΑΡΑΣ*, atque ut habemus in numis *ΑΚΡΑΓΑΣ* et *ΑΚΡΑΓΑΝΤΙΝΩΝ*, sic et *ΤΑΡΑΣ* et *ΤΑΡΑΝΤΙΝΩΝ*.

Agendum adhuc esset de attributis mire variis, quae Taras manu praefert, quibus aliquando conjeceram indicari ludos a Tarentinis in variorum deorum honorem immoderate celebratos [g]). Equitem partis aversae ut demus esse Phalanthum, non tamen ideo, quod, ut existimat Begerus, clypeum gerit, cui insculptus delphinus, nam variant haec clypeorum ornamenta. Potest etiam eques hic indicare Tarentinorum rei equestris studium a veteribus insigniter celebratum, sic ut teste Stephano *ταραντινιζειν*

b) L. VI. p. m. 426. c) L. X. p. 831. d) L. VI. p. 280. e) L. X. p. 823. f) ad Georg. IV. 126. g) Num. vet. p. 33.

significaret, armatum et ad pugnas aptum equitatum facere [h]), cum quo consentit et Eustathius [i]), et Aelianus [k]). Quare cum legimus apud Livium [l]), Antiochum M. in praelio ad Magnesiam habuisse equites Tarentinos, aut apud Diodorum [m]), Tarentinos equites cum Antigono contra Eumenem dimicasse, aut apud Polybium [n]), fuisse eos in utroque exercitu cum Philopoemenis, tum Machanidae Spartani, intelligendus est equitatus Tarentinorum disciplina imbutus. Erant vero docente eodem Livio Tarentini equites, *binos secum trahentes equos* [o]). Secundum haec explicanda sunt verba Ciceronis, majori criticorum parti non intellecta: *Quae de Tarentinis in militia laboravi etc.* [p]). Propter Tarantem Neptuni F. et urbis conditorem dixit Horatius: *Neptunoque sacri custode Tarenti* [q]), et propter Phalanthum Spartanum, qui, ut diximus, coloniam huc advexit, dictum Ovidio *Lacedaemonium Tarentum* [r]). Virgilius ex vetere Laconiae nomine urbem vocavit Oebaliae turres altas [s]). Jure ergo negavit Polybius, dubitari posse, esse Tarentinos Spartanorum colonos, et cum his cognatione junctos [t]).

* * *

Caput muliebre perelegans.)(ΤΑΡΑΝΤΙΝΩΝ. *Neptunus sedens s. tridentem, adstat puellus utraque manu elata deo adblandiens.* AV.

Illustre hoc cimelium, et omnibus artis illecebris conspicuum edidi ex museo M. Ducis [u]). Dixeram ibi, adstantem puellum esse Tarantem Neptuni F., de quo mox egimus.

* * *

Caput Herculis imberbe leonis exuviis tectum.)(*ΤΑΡΑΝΤΙΝΩΝ. Figura nuda in citis bigis d. flagellum.* AV. (Pellerin Lettre I. tab. 2.)

Caput idem.)(*Sine epigraphe. Mulier nuda in citis bigis s. tridentem, in area ΚΛΗ.* AV. (Pembrok P. I. tab. IV.)

Numus praecedens etiam sequentis patriam enunciat. Mulier cum tridente haud dubia est Amphitrite Neptuni uxor, cui deo Tarentum sacrum. Hercules partis anticae confirmat verba Virgilii, qui Tarentum *Herculeum* appellat [x]).

* * *

ΤΑΡΑΝΤΙΝΩΝ. *Caput Palladis.*)(*Figura nuda delphinorum bigis vecta, infra* ΝΙΚ. AV. IV. (Beger T. I. p. 327.)

Marinum iterum numen, ceu in numo praecedente, in hac aversa exhiberi puto. Begerus propter adscriptum ΝΙΚ. aliquid ad Victoriam pertinens auguratur, sed hae literae certum sunt magistratus initium.

* * *

ΤΑΡΑΣ. *Vir nudus delphino vectus d. sagittam, s. arcum, in area* ⊦ΗΡ.)(*Vir nudus eques s. clypeum cum hasta, d. hastam intorquet.* AR. II. (Mus. Caes.)

---

h) in Ταρας. i) ad Dionys. v. 376. k) Tactic. cap. 45. l) L. XXXVII. c. 40.
m) L. XIX. c. 20. et infra. n) Hist. IX. c. 10. 11. o) L. XXXV. c. 28.
p) ad Attic. L. V. ep. 19. q) L. I. Od. 28. v. 29. r) Met. XV. 50. s) Georg. IV. 152.
t) L. VIII. c. 28. u) Num. vet. p. 30. x) Aen. III. 551.

Caput Palladis galeatum.)(*ΤΑΡΑΝΤΙΝΩΝ. Hercules leonem suffocans.* AR. III. (Mus. M. Ducis.)

Notandus in utroque numo Tarenti cum Heraclea Lucaniae nexus, quam constat fuisse Tarenti coloniam. Hujus numi, ut infra docebimus, constanter ⊢HP. inscribuntur, et perpetuus in his typus Pallas et Hercules leonem opprimens. Vide quae plura de his numis olim monui [y]).

* * *

Caput Palladis galeatum.)(*ΤΑΡΑΝΤΙΝΩΝ. Noctua expansis alis fulmini insistens, in area ΣΩ.* AR. III. (Mus. Caes.)

Caput Palladis galeatum.)(*Sine epigraphe. Noctua stans expansis alis, in area ΣΩ.* AV. (Pellerin Rec. I. tab. XXII. n. 2.) AR. (Mus. Caes.)

Caput Palladis galeatum.)(*ΥΝΥΑΝΙΩ. Noctua expansis alis fulmini insistens, in area ΣΩ.* AR. III. (Mus. Caes.)

Caput barbatum redimitum diademate, cui hedera intexitur.)(*ΥΝΙΑΝΙΩ. Noctua expansis alis fulmini insistens, in area ΣΩ.* AR. II. (Mus. Caes.)

Caput Palladis galeatum.)(*ΤΑΡ. ΑΘΗ. in alio: ΝΕΥΜΗΝΙΟΣ. ΠΟΛΥ. in alio: ΟΛΥΜΠΙΣ. in alio: ⊢ΗΡΑΚΛΗΤΟΣ. vel ΑΡΙΣΤΟΚΡΑΤΗΣ. Noctua oleae ramo insistens.* AR. III. (Pellerin Rec. I. tab. IX. Beger Th. Br. T. I. p. 444. Hunter tab. 29. et 56. Mus. Caes.)

Ex his primus insignis, quod adjecto urbis nomine patriam profitetur, quo fit, ut trium proxime sequentium, qui hanc mentionem dissimulant, patriam certo teneamus; quem si prae oculis habuisset Pellerinius, nequaquam numum aureum, quem secundo loco descripsi, Athenas avocasset. Juvatur judicium istud etiam literis ΣΩ., quae ut aream numi I., ita et trium proximorum occupant. Quis fuerit Tarentum inter ac Athenas nexus, quem non tam communis Palladis ac noctuae typus, quam adscripta in numorum postremorum uno nomina *ΤΑΡ. ΑΘΗ.* aperte indicant, dicere non habeo.

ΥΝΥΑΝΙΩ. ΝΕΥΜΗΝΙΟΣ. ΠΟΛΥ. ΟΛΥΜΠΙΣ. certa sunt magistratuum nomina, etsi horum primum non videatur pure Graecum, de quo difficile arbitrari. Perperam igitur Begerus [z]), et Nonnius [a]) numos similes inscriptos *ΟΛΥΜΠΙΣ*, vel *ΟΛΥΜΠΙΑΣ* Olympiae Elidis adscripserunt. Olympis viri nomen notum ex marmore Gualtheri: *ΟΛΥΜΠΙΣ. ΥΠΕΡΒΟΛΟΥ* [b]).

Caput barbatum numi IV. certum est Bacchi Indici, quod praeclare confirmant numi Naxi Siciliae, in quibus videre est caput simillimum non modo spectato cultu, sed et lineamentis. At constat, hanc Siciliae urbem cumprimis fuisse Baccho devotam.

* * *

Concha.)(T. *inter tres globulos.* AR. VI. (Hunter.)

T. *inter tres globulos.*)(T. *inter tres globulos.* AR. VI. (Hunter, Mus. Caes.)

Sunt numuli minimae molis paullo plus duobus granis Anglicis adpendentes.

y) Numi vet. p. 32. z) l. c. a) Goltz. T. III. p. 45. b) Haverc. in Parut. p. 170.

* * *

TAPAN. *Vir nudus delphino vectus d. diotam, s. cornucopiae.*)(*Concha.* Æ. III. (Mus. Caes. Magnan Misc. T. III. tab. 50. 51.)

Hos solos novi aeneos Tarenti numos. Vicinum Butuntum numos cum simili utrinque typo percussit.

* * *

Magistratus frequens mentio. Aliquos in numis cum typo Attico jam vidimus. In aliis *ΛΥΚΙΝΟΣ. ΑΡΙΣΤΩΝ. ΑΡΙΣΤΟΚΡΑΤΗΣ. ΑΡΕΦΩΜ. ΘΥΑΡΕΩΝ.* etc. In plerisque magistratuum vocabula sunt decurtata.

* * *

Deducta colonia V. C. 632. teste Velleio c) ferire deinceps monetam desivit.

* * *

De numo aeneo, in quo eruditi videre sibi visi sunt caput Archytae Tarentini, vide, quae in numis Romanis gentis Proculeiae docebo.

AV. RR. AR. C. Æ. RRR.

VXENTVM.

Hodie *Ogento*, est Ptolemaei *Οὔξεντον.* In Peutingeriana scribitur *Vhintum*, sed observo, saepe in hac poni h pro z, sic: *Cyhico*, *Ahoton*, pro *Cyzico*, *Azoton*. Scriptum igitur *Vhintum* pro *Vzintum*, et hoc pro *Vxintum*, quoniam inferiore aevo vix aliquod fuit discrimen inter *Z* et *Ξ* Graecorum. Huic urbi recte tribuuntur numi:

Caput Palladis, pone S.)(ΟΞΑΝ. *Hercules stans d. clavam, s. cornucopiae, in area* S *et ramus.* Æ. III. (Mus. Caes. Pellerin Suppl. III. p. 96.)

Caput Jani geminum imberbe.)(ΟΞΑΝ. *Hercules d. clavam, s. cornucopiae Victoriam desuper volantem suspicit.* Æ. II. (Mus. Caes.)

Patet ex his numis, urbem Graecis dictam *Oxantum*, pro quo serius dictum *Vxentum*, quo modo Graecum *ΟΡΣΑΝΤΙΝΩΝ* fuit Latinorum Vrsentum Lucaniae, de qua infra.

Æ. RRR.

LVCANIA.

Vrbes vetustate, potentia, et numorum cum copia, tum artificio praestantes complectitur, quanquam Lucani ipsi, Graecis *Λευκανοι*, quatenus indigenae essent et mediterranei, et non adventitii Graeci, qui litora fere tantum insedere, ignobiles essent ac barbari, sic ut eos Isocrates eodem loco, quo Triballos putaret. (Orat. de Pace.)

* * *

Opportune hoc loco agemus de numis *incusis*, quos unius Magnae Graeciae urbes, at majore numero Lucania, protulere. En earum catalogum: in Calabria *Tarentum*, in Lucania: *Buxentum*, *Metapontum*, *Posidonia*, *Siris*, *Sybaris*, in Bruttiis *Caulon*, *Croton.* Cum dico numos *incusos*, nequaquam intelligo eos, qui

---

c) L. I. c. 15.

tales sunt per monetariorum festinationem, dum metallum numo jam signato impositum ab hujus parte convexa eandem imaginem, sed concavam mallei ictu accepit, quales copiosos in omni metallo, ac praecipue gentium R. numos habemus; verum eos, qui tales evaserunt ex certa lege monetaria uni huic tractui propria. Secundum hoc ergo institutum videmus in numis Caulonis, Posidoniae, Sybaris una parte stantem Jovem, Neptunum, taurum, altera parte eadem signa, sed labore concavo. Sunt tamen in his ipsis numis, etsi fere omnes tenuissimae sint laminae, manifesta indicia duplicis matricis; nam in numo Metaponti, quem infra citabimus, hinc comparet spica exstans, inde caput bovis incusum, in numo Crotonis hinc tripus exstans, inde aquila incusa, in numis Posidoniae incusis reliquis omnibus saepe tridens, palliumque Neptuni operis exstantis, in omnibus vero his epigraphes literae semper prominent. Manifestum igitur, ad formandos hos numos adhibitam matricem duplicem, quarum una tota concava efficit partem numi convexam, altera majore sui parte convexa nonnullis partibus concavis effecit aversam numi concavam nonnullis tamen partibus convexis. Quae ratio hanc monetae legem, quam aliarum gentium nulla imitata est, suaserit, incertum. Istud indubitatum, numos similes inter antiquissimos esse putandos, quod persuadent cum signa ipsa veterem adhuc rigorem spirantia, tum literarum forma pervetusta. Vide, quae plura de his eximie scripsit Cel. Barthelemyus in praeclaro suo Tentamine palaeographiae veteris [d]).

Numi LVCANIAE in genere.

Caput Martis galeatum barbatum.)(*ΛΟΥΚΑΝΟΜ. Pallas propere gradiens et respiciens utraque manu clypeum objicit hasta ad humeros inclinata.* Æ. II. (Mus. Caes.)

Caput Cereris spicis coronatum, in alio: *Caput Victoriae.*)(*ΛΟΥΚΑΝΟΜ. Juppiter nudus gradiens d. fulmen intentat, s. hastam.* Æ. III. (Mus. Caes. Pellerin, Magnan Lucan. num. tab. 4.)

Caput Jovis laur.)(*ΛΥΚΙΑΝΩΝ. Aquila stans expansis alis et respectans, in area coleopteron.* Æ. II. (Mus. Caes.)

Caput Herculis leonis exuviis tectum.)(*ΛΥΚΙΑΝΩΝ. Pallas propere gradiens et respiciens utraque manu clypeum praetendit hasta ad humerum inclinata.* Æ. II. (Mus. Caes.)

Quae de his numis Lucano populo tribuendis olim dissserueram [e]), hoc loco restituenda videntur.

Typi hi omnes ad minimos usque apices, et numorum ipsa fabrica adeo cum Bruttiorum moneta conspirant, ut horum monetam crederes, nisi aliud diceret epigraphe. Ergo istud saltem certum, eos a populo, qui Bruttiis contiguus fuit, certa ratione ac consilio signatos, quod idem quoque de Mamertinis Siciliae, quorum numi Bruttiis item sunt

d) Mem. B. L. T. XXIV. p. 44. e) Sylloge I. p. 4.

simillimi, probabile est. Priores duos numos ad Lucanos Bruttiis conterminos pertinere, epigraphe *ΛΟΥΚΑΝΟΜ* satis quidem indicat, sed apparet etiam, signatos illos tum, quando Graecorum lingua per liberalius cum Latinis commercium vitium facere coepit, nam probe Graece nunquam dictum est *Λουκανια*, sed *Λευκανια*, ut etiam nunquam probe *Λουκιος*, sed *Λευκιος*.

Plus difficultatis offerunt numi duo posteriores inscripti *ΛΥΚΙΑΝΩΝ*. Horum unum Frölichius, credo propter nominis adfinitatem, Lycio Thessaliae tribuit f), quae sententia valere nequit propter causas adlatas. Pellerinius a Bruttiis signatos mavult, quorum pars sede in Lucania fixa sese ad aliorum discrimen *Λυκιανους*, tanquam *Bruttios Lucanos*, dixissent g). Conjectura mera. Mazochius late probare adnititur, tribuendos esse *Lupiae* Calabriae, hodie *Lecce*, quam vetere aevo Graecis dictam *Λυκιον* autumat tantum, non probat h). Verum si Lupiam pertinent tanto intervallo a Bruttiis dissitam, qua is ratione tam perfectam horum numorum cum Bruttiis similitudinem explicabit? Quid si statuamus, quoniam certum est, ad hunc eos tractum pertinere, *Lycianos* hos alios non esse, quam ipsos Lucanos, atque ut iidem perversa orthographia in praecedentibus numis dicere se poterant *Λουκανους* pro *Λευκανους*, ita errore altero sese dixisse *Λυκιανους*, dictione hac sponte ex adoptato semel *Λουκανοι* Latinorum fluente, vetere inter *Υ* Graecorum, et V Latinorum concordia; nam quod Graeci *μυς*, *κυβος*, idem Latini dixere *mus*, *cubus*, *etc.* Sic Appianus quoque ex Latinorum Bruttiis fecit *Βρυττιοι* i), qui pure *Βρεττιοι* dicebantur, et in numis Cretae *Lupus* procos. scribitur Graece *ΛΥΠΟΣ*.

Æ. RR.

ATINVM.

Dictum Plinio, ad Tanagrum fl.

Caput Palladis, pone 4. *globuli.*)(*ΑΤΙΝΙΩ* (*retrograde*). *Noctua stans, in area vas, et* 4. *globuli.* Æ. III. (Hunter.)

Similes typos habet etiam numus, quem Rybastinis Apuliae tribuimus.

Æ. RRRR.

BVXENTVM, *seu* PYXVS.

De hac urbe sic Strabo: *post Palinurum* PYXVS (*Πυξους*) *promontorium, portus, et fluvius* - - *Condidit Micythus Messenes in Sicilia princeps.* Stephanus: *Πυξους* --- *ὁ οἰκητωρ Πυξουντιος.* Plinius: *Buxentum graece Pyxus.* Nimirum nomen traxerit *ἀπο της πυξου*, *a buxo*, ex quo Romanis dicta *Buxentum.* In *ἱϛοριων συναγωγῃ* Scaligeriana legitur: *Μικυθος δυναϛης Ρηγιου και Ζαγκλης πολιν ἐκτιζε Τευξουντα*, pro quo lege *Πυξουντα*, quod miror non observatum Scaligero.

ΓV+OEM *Bos opere exstante.*)(MOHZꟼZM *Bos incusus.* AR.

Illustrem hunc numum indicatum video a Winckelmanno k). Epigraphe Graeca vetustissima, quam perperam Etruscam idem statuit, resolvitur in literas *ΠΥΞΟΕΣ*. Est hoc vocabulum ipsum urbis

f) Not. elem. p. 97. g) Rec. I. p. 52. h) Tab. Heracl. p. 519. i) in Hannibal.
k) Hist. art. edit. Vindob. p. 138.

nomen pro *ΠΥΞΟΕΙΣ*, pro quo per crasin *ΠΥΞΟΥΣ, Πυξουντος*, uti *Σελινους*, contractum ex *Σελινοεις*, pro quo in numis *Σελινοες*, de quo vide plura in Selinuntis Siciliae moneta. Ex vocabuli hujus literis commemorandum elementum + pro *Ξ* positum, quod solo situ differt a X, quod in numis Naxi Siciliae passim pro *Ξ* usurpatur. Reliquae literae cognitae jam sunt ex numis Sybaris et Posidoniae, uti et eae, quae in aversa vocem *Siris* constituunt, qua de urbe infra.

Lubet in palaeographiae Graecae gratiam numi tam praestantis aetatem scrutari. Testibus Strabone et Stephano citatis Buxentum conditum est a Micytho, quem etsi servili conditione natum Anaxilaus Rhegii tyrannus moriens tutelae filiorum praefecit, quam eum sancte atque integre obivisse liberaliter collaudant Diodorus, Herodotus, Pausanias, Macrobius. Mortuus est Anaxilaus teste Diodoro [l]) V. C. 278., ex quo Micythus tutelam auspicatus est, conditumque idem Buxentum circa annum V. C. 283. refert [m]). Eodem Diodoro teste [n]) Micythus anno V. C. 287. tutela decessit, qui adeo anni utrinque sunt termini incunabulorum urbis, et ex quo efficitur, numum praesentem signari non potuisse ante annum V. C. 278.

Concordia cum Siri altera Lucaniae urbe, de qua infra. Hujus alterum exemplum habemus in numo Crotonis et Pandosiae, tum Lai et Posidoniae.

AR. RRRR.

COPIA.

Vide *Sybaris*.

GRVMENTVM.

Caput muliebre.)(*ΓΡΥ.* *Equus saliens.* Æ. III.

Numum hunc vidi Romae in museo Abbatis Chaupy. Non dubitabat vir eruditus isti eum Lucaniae urbi largiri, cum praeterea prope eam reperiri illum contigerit. In eadem sententia serius fuit etiam Cl. Combius, qui numum similem ex museo Hunteriano vulgavit.

Æ. RRRR.

HERACLEA.

Colonia Tarentinorum teste Livio, unde et Straboni dicitur *Heraclea Tarentinorum* [o]). Conditam a Tarentinis V. C. 321. refert Diodorus [p]), et quidem ex ruinis Siris, sed alii inter utramque distinguunt. Et sane utriusque urbis nexus ex numis ipsis non obscure apparet, quos descripsimus supra in Tarento.

Vt saepe molesti sunt numi nomine Heracleae insignes propter copiam urbium sic appellatarum, quarum unus Stephanus tres et vinginti nominat, ita Heracleae Lucanae numos commode distinxeris praefixa urbis nomini aspirata ⊦, quae hac forma soli huic tractui propria est, et frequenter in Tarenti quoque numis occurrit, et de qua fuse ac erudite agit Mazochius [q]), et egi ipse supra in Prolegomenis capite XVII. Sed observandum, quemadmodum numi omnes hac aspirata praediti haud dubie hujus sunt Heracleae, ita argui non posse, nonnullos, qui ea

l) L. XI. c. 48. m) L. XI. c. 50. n) L. XI. c. 66. o) L. VI. p. m. 429. p) L. XII. c. 36. q) Tab. Heracl. variis locis.

carent, ad eandem revocari nequire. Vt enim monetarii, ceu videbimus, variarunt in reliqua urbis inscriptione, ita hanc aspiratam poterant vel addere, vel omittere.

Epigraphe:

HE. in parvis argenteis, in quibus: *Caput Herculis imberbe.*)(*Leo currens.* Eos huic Heracleae tribuo, quia in Graecia M. reperiuntur; nam similes et Pellerinio [r]), et Neumanno et mihi nuper ex eo tractu adlati fuere. Sunt hi Heracleae antiquissimi, nam *το H* aspiratae vice fungitur, et *E* positum pro *H*.

Ͱ*H*. Ͱ*HPA*.

Ͱ*HPAKΛHIΩN*. plerumque.

Ͱ*HPAKΛEIΩN*. rarius. (Hunter.)

Ͱ*HPAKΛEΩN*. in numo, quem edidi. (Num. vet. p. 37.)

HPAKΛEΩTAN. quem eodem loco edidi, et huc vocavi propter similem fabricam, et caput Bacchi, cujus insignior apud hanc Heracleam cultus. Ab ea dialectus Dorica non aliena, nam oppidani per Tarentum *ἀνεκαθεν* fuere Lacones, et in toto eo tractu valuit Dorismus.

Typi: in antica plerumque: *Caput Palladis*, in aversa: *Hercules leonem suffocans*, qui typus obvius. In aliis: *Hercules stans cum armis suis*, vel *semetipsum coronans*, vel *ejus arma tantum* etc. — *Caput Palladis.*)(*Noctua oleae ramo insistens*, typus Atticus, cujus quoque similes sunt inter Tarentinos.

Pallas stans ad aram sacrificat.)(*Dioscuri stantes.* Æ. III. (Magnan. Miscell.) Dioscurorum cultus a majore patria Sparta petitus.

Magistratuum decurtata nomina: *+IΛΩ*. (Num. vet. p. 36.) *ΛOΛ*. etc.

* * *

AΘH. XAΛK. scriptum in numo cetera obvio juxta caput Palladis recte quidem *AΘHναν XAΛKιοικον* Spartanorum notabit, verum turbat numi praeco unus Goltzius.

AV. RRR. AR. C. Æ. RR.

L A V S.

Graecis *Λαος* oppidum et fluvius, qui Lucaniam ab occidente a Bruttiis diremit testibus Strabone et Plinio. Gentile Stephano est *Λαϊνος*, cum quo numi epigraphe ad amussim conspirat.

ΓΑΣ *Bos cum facie humana stans et respiciens.*)(NOM *Bos cum facie humana stans.* AR. I.

Eximium hunc numum, ac totum ex indole hujus tractus primus edidit Cl. Ignarra [s]), restituit Magnanus [t]). Ille utriusque partis epigraphen conjungendo, cujus exemplum etiam offert Abacaenum Siciliae, legit *ΛAINOΣ*, numumque huic Lao tribuit. Inique viri praestantis judicium sollicitat Magnanus, quoniam, ut ait, elementum primum *Γ* in vetustissimo Graecorum alphabeto nunquam potentiam *του Λ*, sed *Π* habet. Non meminit vir eruditus, in numis Cauloniae, quos idem edidit, literam *Λ* eodem modo formari, quorum similem etiam pictum stitit Barthelemyus [u]). Hoc praeterea numo docemur, bovem biformem etiam in Lucania pastum.

---

r) Suppl. III. p. 85. s) de Pal. Neap. t) Misc. IV. tab. 28. et Lucan. num.
u) B. L. T. XXIV. p. 30.

* * *

⌇ΛΛ. *Bos stans cum facie humana.*)(◇7 *Bos cum facie humana stans et respiciens.* AR. I. (Minervin. de monte Vulture tab. III.)

En tibi ejusdem Lai numum pervetustum alium a priore diversum. In antica legitur *ΛΛΙ*, in aversa *ΠΟ*, quibus dubium non est indicari concordiam *Laum* inter et *Posidoniam*. AR. RRRR.

METAPONTUM.

Vrbs longae antiquitatis; nam si oppidanis fides, condita est ab Epeo, cujus instrumenta, quibus Trojanum equum fabricatus est, in templo Minervae ostentabant teste Justino. Numorum eximie locuples est.

Numi antiquissimi:

META. (*scriptum literis perantiquis.*))(*Sine epigraphe. Spica incusa.* AR. II. (in meis Num. vet. p. 38. Mus. Caes.) In alterius aversa: *Caput bovis incusum.* AR. III. (Mus. Caes.)

Numi sic incusi et opus Lucanum, et remotum aevum indicant, ut dixi in prolegomenis ad numos Lucaniae.

* * *

Vir nudus stans d. clavam super humero.)(META. *Spica.* AR. I. (Magnan. Misc. T. III. tab. 26.)

Minotaurus stans d. quid simile paterae, s. arbutum.)(META. (retrograde.) *Spica.* AR. I. (Ibid.)

Vir nudus adversus stans d. oblongum ramum frondosum humi attinet, s. bacillum.)(META. *Spica.* AR. II. (Edidi ex Mus. Caes. in Sylloge I. p. 5.)

Omnes hi numi cum ab antiquitate, tum typis sunt illustres. In numo altero Minotaurum per caput bovinum, et reliquum corpus hominis quis inficiabitur? Monumenta vetera, quae famigeratum istud monstrum sistunt, copiosa citavi supra in dissertatione III. ad numos Campaniae. Atque idem hic Minotaurus ultro explicatum sufficit viri nudi in numo primo stantis cum clava, qui certus est Theseus monstri domitor. Utrumque igitur horum numorum thema est conjungendum, et sic conjunctum exhibetur in eximia gemma Musei Caes., quam edidit Stoschius[x]), ipse serius restitui[y]). Theseo perinde atque Herculi clavam pleraque veterum monumenta addunt. Ejus causa una, quod ex poetarum sententia heroes vetustissimi hoc praecipue armorum genere sunt usi, quo etiam usum Oriona eleganter describit Homerus[z]):

Τονδε μετ᾽, Ὠριωνα πελωριον εἰσενοησα
Θηρας ὁμου εἰλευντα κατ᾽ ἀσφοδελον λειμωνα,
Τους αὐτος κατεπεφνεν ἐν οἰοπολοισιν ὀρεσσι,
Χερσιν ἐχων ῥοπαλον παγχαλκεον, αἰεν ἀαγες.

Post hunc, Orionem ingentem vidi,
Feras simul venantem per floridum pratum,
Quas ipse occidit in desertis montibus,
Manibus habens clavam totam aeream, semper infractam.

Causa altera, eaque propior, quod Herculem Theseus imitari in omnibus voluit, ac propterea constanter etiam clava est usus, ut latius dixi in laudata dissertatio-

x) Pierr. grav. tab. LI. y) Choix de pierr. grav. tab. 32. z) Od. V. 571.

ne. Quae sit causa argumenti Cretensis in numo M. Graeciae, ignorare me profiteor. Cretenses ab expeditione Sicula, qua caesum Minoem regem suum ultum ibant, tempestate in Japygiam ejectos, et plures in hoc tractu urbes occupasse, aut condidisse, veterum plures docuere [a]).

Numi III. argumentum magis abstrusum. Quo loco numum hunc olim vulgaveram, verisimile dixi, eo exhiberi δενδροφοριαν, seu *ramorum gestationem*, ad veterum ritus sacros pertinentem [b]). Arbitretur lector.

Numi recentioris aevi.

Epigraphe:

METΑ. fere constanter, sed aliqui numi sic inscripti ad Mesembriam Thraciae pertinent, in quo peccatum a Goltzio, ut in hujus urbis numis dicetur.

ΜΕ. ΜΕΤΑΠ. ΜΕΤΑΠΟΝ. ΜΕΤΑΠΟΝΤΙΝ., rarius *ΜΕΤΑΠΟΝΤΙΝΩ.* (Hunter.) ΜΕΤΑΒΟ, de qua epigraphe infra.

Caput Cereris, vel: *Palladis galeatum alatum*, vel: *Martis barbatum*, vel: *virile cornutum jam barbatum, jam imberbe.*)(ΜΕΤΑ. *Spica, cujus culmo divergenti attributa varietatis mirae et jucundae insident, ut: clava, diota, caduceus, fulmen, aratrum, Pegasus, tripus, noctua, forceps, mus etc. et quod rarius, triquetra Sicula.* (Hunter.) AR. III.

Inter deorum capita observandum caput arietis cornu onustum, idque jam barbatum, jam imberbe. Eadem varietas habetur etiam in numis Cyrenaicis, in quibus censemus exhiberi Jovem Ammonem, ejusque filium Bacchum. Si nolimus in numis quoque Metapontinis admittere Libycum hunc Jovem, etsi satis constat ex Pausania [c]), eum ab Eleis quoque eximie observatum, ac praecipue Spartanis [d]), possumus capita haec utrolibet cultu putare Bacchi, quem barbatum habemus in numis Tarenti et Naxi, imberbem cornutum in numis Nuceriae Campaniae.

Spicae, qui typus Metaponto fere proprius, ratio ab agriculturae opibus petenda, quae tantae fuere, ut oppidani Strabone teste [e]) auream messem Delphis dedicarent, quod et factum a Myrhinaeis et Apolloniatis refert Plutarchus [f]).

* * *

ΝΙΚΑ. *Caput Victoriae diademate revinctum.*)(*ΜΕΤΑΠΟΝΤΙΝ. Spica, super cujus culmo malum Punicum.* AR. II. (Mus. Pr. Waldek.)

* * *

ΣΩΤΗΡΙΑ. Caput Cereris adversum spicis ornatum.)(ΜΕΤΑ. *Spica.* AR. II. (Mus. M. Ducis.)

Numum hunc olim edidi [g]), ac constitui, voce *ΣΩΤΗΡΙΑ* intelligi *Salutem*, atque sic dici ipsam Cererem ἀντονομαστικως ob soli ubertatem, quo sensu Maronitae quoque Bacchum in numis propter vini abundantiam dixere *ΣΩΤΗΡΑ.*

* * *

Caput juvenile diadematum, retro ΣΥ.

a) Herodot. L. VII. c. 170. Strabo L. VI. p. m. 427. Plutarch. Quaest. Graec. 35. b) Sylloge I. p. 5. c) L. V. c. 15. d) Lacon. c. 18. e) L. VI. p. m. 406. f) de Pyth. orac. p. 401. g) Num. vet. p. 38.

)(METABO. *Spica.* AR. II. (Magnan. Luc. num. tab. 37.)

Teste Stephano Metapontum conditum fuit *απο Μεταβου του Σισυφου του Αιολου*, *a Metabo Sisyphi F. Aeoli N.* Addit: *τον γαρ Μεταποντον οἱ βαρβαροι ΜΕΤΑΒΟΝ ἐλεγον*, *Metapontum enim barbari dixerunt ΜΕΤΑΒΟΝ*, et in hanc sententiam Eustathius [h]). Hujus Metabi jam meminit Virgilius [i]):

Priverno antiqua Metabus cum excederet urbe.

ad quem versum Servius: *Metabus fuit dux Graeci agminis, qui juxta Adriaticum mare Metapontum condidit.* Strabo ex Antiochi testimonio ipsam etiam urbem appellatam Metabum adserit [k]). Verisimile, ex indigenarum lingua et conditorem dictum Metabum et urbem, subinde idem nomen a Graecis in *Μεταποντον*, et *Μεταποντιον* detortum. Vide de hoc plura in Salmasii exercitationibus Plinianis. Habemus igitur in insigni hoc numo hinc caput ipsius Metabi cultu regio, inde urbis nomen METABO, sive, ut ait Stephanus, secundum barbarorum dialectum, sive sic ad conditoris memoriam expressum.

* * *

Mercurius nudus stans dextera super candelabro extensa, s. caduceum, in area ΕΥ. et circulus.)(*ΜΕ. ΟΒΟΛΟΣ. Spica.* Æ. II. (Mus. Caes.)

ΜΕ -- *Caput Cereris.*)(*ΟΒΟΛΟΣ. Spica.* Æ. (Motraye Voyage T. II. tab. 7. n. 40.)

Ex numo priore, eoque integerrimo corrigendum vitiosum musei Hunteriani numum, in quo Cl. Combius pro *ΟΒΟΛΟΣ* legit *ΘΕΟΔΟΣ.*, quemque propterea Theodosiae Chersonesi Tauricae tribuendum putavit, corrigendum etiam Goltzium perperam in simili numo legentem *ΝΙΣΑΙΩΝ*, lepidamque ejus explicationem a Cupero oblatam, jam olim latius disputavi [l]). Maximum numi pretium est inscriptum *ΟΒΟΛΟΣ* unico in numis Italicis valoris scriptura expressi exemplo. Numos, qui pondus aut valorem literis notatum offerunt, recitavi in Prolegomenis generalibus cap. IX.

* * *

Magistratus ΛΕΥΚΙΠΠΟΣ, aliique nominibus decurtatis *ΜΑΧ. ΑΘΑ.* etc.

AV. Goltziani. AR. C. Æ. R.

POSIDONIA, PAESTVM.

Prope Silarum fl. in litore Tyrrheno. A Doriensibus condita auctore Solino. Serius Sybaritae urbem missis eo colonis auxere [m]). De urbis appellatione Plinius: *oppidum Paestum, Graecis Posidonia,* et Strabo: *in Posidonium sinum, qui nunc Paestanus vocatur, et urbs Posidonia, Paestus, in medio sinu jacens.* Nomine Posidoniae Graecos, Paesti Latinos habemus numos, eosque tanta copia, ut teste Paschali Magnonio in solo museo Carafae Noiensium ducis LXX. fere numismata nomine Paesti, eaque varia numerentur, et fere totidem Posidoniae nomine [n]). At nuper Paulus Ant. Paoli in magnifico opere, in quo Paesti rudera exhibentur, numos quadringentis plures seu Posidoniae, seu Paesti, seu Vistluis nomine signatos vulgavit.

---

h) ad Dionys. V. 368. i) Aen. XI. 540. k) L. VI. p. m. 406. l) Sylloge I. p. 7.
m) Strabo, Scymnus Chius. n) de ver. Posid. orig. p. 24.

Quisquis operosis ac incredibilibus conjecturis delectatur, legat, quae de urbis origine et etymo prolixe meditatus est Mazochius [o]), quo in argumento laudatus Magnonius multo est versatus simplicius, ac propterea sanius.

Numi Posidoniae nomine.

ΠΟΜ. Π◇Μ. ΠΟΜΕ. ΠΟΜΙ. ΠΟΜΕ5. ΠΟΜΕ5◁Α. ΠΟΣΕΙ. ΠΟΣΕΙΔΩ. ΠΟΣΕΙΔΑΝ. ΠΟΣΕΙΔΩΝΕΑ. ΠΟΣΕΙΔΑΝΙΑ. In uno eodemque numo musei Caesarei legitur hinc *ΠΟΣΕΙΔΩΝ*, illinc *ΠΟΣΕΙΔΑΝ.*

M in his numis est sigma antiquissimae formae. *ΠΟΣΕΙΔΑ* et *ΠΟΣΕΙΔΑΝΙΑ* oppidanorum originem Doricam testantur. Istud jam ex Solino constabat. Sed et Suidas [p]): *το δε Ποσειδανειον δηλον ὁτι Δωριεων.*

Epigraphe jam moris nostri est, jam retrograda, et plerumque in utraque numi facie exarata.

Typi:

Neptunus gradiens pendente ex humeris palliolo s. extenta, d. tridentem intorquet.)(*Idem typus, sed incusus.* In alio: *Taurus stans vel gradiens.* In alio: *Bos cum facie humana.* (Ignarra de Pal. Neap. p. 264.) AR. I. II.

Neptunus, Graecis *Ποσειδων*, ad urbis nomen adludit. Taurus his numis insertus, vel quod Neptuni victima est secundum Maronem [q]): *Taurum Neptuno* etc., vel nexum cum Sybaritis supra statutum indicat, in quorum numis taurus obvius.

Exstant et aenei Posidoniae numi typo a prioribus non multum diverso.

* * *

Aureum unus edidit Goltzius cum epigraphe: *ΠΟΣΕΙΔΩΝΕΑΤΑΝ.* Eidem geminum argenteum protulit Bergerus, sed inscriptum *ΠΟΣΕΙΔΙΠΠΟΣ.* [r]), quem nunc satis constat esse Maroneae Thraciae, atque, ut satis apparet, Goltzianum quoque adficta epigraphe *ΠΟΣΕΙΔΩΝΕΑΤΑΝ.*

* * *

Concordiae cum *Lao* ejusdem Lucaniae numum perantiquum vide supra in ejusdem Lai moneta.

AV. Goltzianus. AR. R. Æ. RR.

Numi Paesti nomine.

De conversa urbis fortuna haec Aristoxenus apud Athenaeum [s]): *Posidoniatae ad Tyrrhenicum sinum positi, qui antea Graeci, in Tyrrhenorum aut Romanorum barbariem lapsi, mutata lingua et institutis reliquis, festo quodam die ex iis, qui sunt in Graecia celebres, exeunt, memoriamque renovant et priscorum nominum, et consuetudinum antiquarum ac legitimarum patriae, lacrimatique, et sortem suam mutuo conquesti discedunt.* Aristoxeni orationem eximie comprobant numi. Nam pro vetere Posidoniae nomine exsurgit novum Paesti, argento succedit aes, artificio insigni labor barbarus, amissum institutum patrium eloquuntur inscripta IIvirorum nomina. Veteres urbis opes testantur reliquiae substructionum, quae in nostram aetatem duravere, et ab

o) Tab. Heracl. p. 499. seq. p) in Ποσειδωνειον. q) Aen. III. v. 119.
r) Th. Br. T. I. p. 273. s) L. XIV. p. m. 632.

eruditis Anglis edita sunt in opere: *the ruins of Paestum,* cum tabulis aeneis XXIV. Londini 1768., et proxime in alio opere Latine et Italice scripto: *Paesti, quod Posidoniam etiam dixere, rudera. Romae* 1784. *auctore Paulo Antonio Paoli.*

Colonia deducta fuit V. C. 480. teste Velleio [t]), et ab eo tempore percussi numi Latinum Paesti nomen praeferentes.

Epigraphe:

PAE. PÆ. ΠAES. ΠAIS. PAIST. ΠAISTANO. In nonnullis legi *ΠΛISTANO*, adfirmat idem Cl. Paoli, ex quo arguit, oppidanos quoque *Plistios* dictos. Verum in his *Λ* aliud non est, quam *A* transversa linea multatum. Eodem teste in nonnullis legitur etiam PASTANO, et PIISTANO [u]).

Typi admodum varii. Praeter variorum Deorum capita comparent *aper, templum, prora navis, ancora, gubernaculum, delphinus, cornu copiae* etc. Insigniores sunt:

DEA. BONA. *Dea sedens cornu manibus tenet.*)(L. MARCI — FIAVI. IIVIR. PAE. *in medio* S. Æ. III. (Mus. Caes. Magnon. Orig. Paest.)

Deae Bonae cultum cum Romanis colonis huc migrasse numus hic docet. Cur ea cornu praeferat, mihi ignotum.

ΠAEST. Quatuor scuta instar Macedonicorum disposita, infra 4. *globuli.*)(*Cornu copiae.* Æ. III. (Magnan. Lucan. num. tab. 31.)

Scuta sic in orbem disposita in numis fere tantum Macedonicis observantur. Tamen etiam in moneta Philadelphiae Lydiae, et Callatiae Moesiae observantur.

Caput Neptuni. ΠAISTANO. Cupido delphino vectus d. coronam, s. tridentem. Æ. III. (Magnan. Lucan. num. tab. 29. Mus. Caes.)

Caput Neptuni, pone S.)(*ΠAIS. Tridens, in area* S. C. Æ. III.

Numum hunc vulgavi ex museo M. ducis [x]). Insignem facit additum S. C., quo indicari opinabar, Paestum ex S. C. deductam coloniam, ut revera Vellejus Paestum inter eas colonias enumerat, quae *jussu senatus* deductae sunt [y]). Ceterum cum numus hic unicus foret, qui S. C. adderet, lubens acquiesco judicio Neumanni opinantis, vitio numi oculis meis illusum, et quod S. C. videbatur, verius esse ornamentum tridentis, suadentibus istud numis similibus aliis magis integris.

* * *

Magistratus: IIviri, ut L. ARTV. C. COMIN. IIVIR. (Mus. Caes.) In nonnullis infra typum templi scriptum QVI., quo Mazochius existimat indicari templum QVI*rini* [z]). Hanc sententiam evertit numus Magnonii, in quo juxta caput virile nudum legitur QVIN. Pellerinius mavult esse literas ἀρχαιουσας IIviri [a]). Verisimilius videtur, notari QVIN*quennalis,* quo nomine saepe IIviri in numis Hispaniae compellantur. Cl. Paoli similis numi literas QVI. S. PAES. explicat: QVI*nquennalia* Sacra PAES*ti*, quo vereor, ut eruditorum adsensum auferat, quando solitarium illud S, certa in his numis

---

t) L. I. c. 14. u) l. c. tab. 49. x) Num. vet. p. 39. y) L. I. c. 14. z) Tab. Her. p. 513.
a) Suppl. II. p. 19.

semissis nota, aliam vocem constituere nequit.

* * *

Patroni: CN. COR. M. TVC. PATR. *intra coronam.* (Mus. Caes.) Verbum PATR. significare *patronos*, jam viderunt Pellerinius, et Magnonius [b]). Non repugnare, eosdem esse IIviros, et ejusdem coloniae patronos, probavi in meis Numis vet. p. 40. Patroni leguntur etiam in numis Gadium, et variarum Bithyniae urbium.

* * *

PONT. In numo Magnonii scriptum: FAD. PONT. Vir eruditus posteriorem vocem explet PONT*ifex.* Vt insolentius videri possit additum IIviro munus pontificium, confirmari tamen haec sententia posset numo Magnani, in quo praetenditur lectio: D. FAD. EPVL. [c]). Nam si Fadius sese *epulonem*, seu VIIvirum epulonum profiteri potuit, cur non et pontificem? Verum in hoc numo legendum L. PVL., non EPVL., probant numi similes musei Caesarei, et apud Magnonium. Videtur ergo FAD. PONT. indicare bina IIvirorum nomina, ut saepe alias in numis Paestanis.

* * *

DEM. In numo Magnonii legitur: D. FAD. L. PVL. DEM. Postrema vox an cognomen est? an potius DEM*archum* notat, quem magistratum fuisse apud Neapolin auctor est Spartianus [d])? Res minus certa, praecipue cum constet, IIviros coloniae Paestanae praefuisse.

* * *

Assis partes in omnibus Paesti numis notantur.

Æ. C.

Numos binos, in quorum antica juxta caput laureatum leguntur literae P. S. S. C., in aversa nomina IIvirorum, in Catalogo musei Caesarei Paesto tribuendos putavi. Observavi serius ex numis magis integris, certum in iis esse Tiberii caput. Quare cum certum non minus sit, Italiae urbes numos cum imperatorum capite nunquam signasse, a Paesto haud dubie sunt arcendi. Eos descriptos reperies in moneta Carthaginis Africae, in cujus eos parte habendos tenuis est conjectura.

* * *

Exstant numuli argentei IV. formae:

Caput juvenile adversum, nonnunquam passis crinibus.)(*Delphinus, granum hordei, acrostolium, concha,* aut pro his: *Taurus cum facie humana,* epigraphe vel moris nostri, vel retrograda: ϟIϟTVVϟ, 8IϟTVVϟ, 8IϟTVVIϟ, *ΨΙΣΤΕΛΙΛ*, VVTNIϟ. etc.

Numos hos Passerius [e]), Mazochius [f]), et Ignarra [g]) Paesto tribuerunt, in quorum sententiam nuper ivit etiam Paoli in opere aliquoties laudato, propterea quod ii copiosi inter rudera veteris Paesti reperiuntur. At Guarnaccius eos Faesulis Etruriae [h]), Magnonius in citata dissertatione Plistiae Campaniae largiti sunt. Singulorum argumenta ejusmodi sunt, ut negare adsensum citra pertinaciam liceat, et rectius cum iis actum iri existimo, si hactenus inter incertos seponantur. Ceterum esse

b) ll. cc. c) Luc. num. Tab. 27. n. 12. d) in Hadr. e) Gori Symb. lit. T. II.
f) Tab. Her. p. 530. g) de Pal. Neap. p. 262. h) Orig. Ital. T. II. p. 227.

Samniticos, vel Oscos, non patitur dubitare literarum forma, et consentit cum hoc judicio regio, in qua ii copiosius reperiuntur, nimirum Campania, ut diserte testatur Cl. Ignarra[i]), aliique. Atque ut concedam etiam, numos hos esse Paestanos, nunquam sane adducar, ut credam, esse eos antiquiores pervetustis iis incusis Posidoniae nomine insignibus, quam sententiam post alios nuper recoxit Cl. Paoli. Literae Oscae nullatenus sunt signum remotae antiquitatis, quod variis eruditis visum, sed praevalentium in urbibus Graecis Oscorum indigenarum, quo in argumento fui longior supra dissertatione I. Campaniae numis subjecta.

AR. R.

P Y X V S.

Vide *Buxentum.*

S I R I S.

Sita ad fluvium cognominem prope Heracleam, cujus postea fuit navale; nam urbs ipsa pridem exstitit a Trojanis, ut ferebant indigenae, condita teste Strabone.

Numum *argenteum* antiquissimae notae, in quo Siritis nomen, scriptum retrograde MOHƧꟼƧM *Sirinos* cum nomine Buxenti conjungitur, supra in Buxento vidimus. Sed et seorsim aenei editi exstant apud Pellerinium: (Suppl. III. p. 88.)

⊏ EI. *Caput Mercurii.*)(*Diota.* Æ. III.

ΛA. *Caput Mercurii.*)(*ΣEIRI.* *Aquila stans, in area corona.* Æ. III.

⊏ EIRIZ. *Prora navis.*)(KOT. *Diota.* Æ. III.

ΛA. numi alterius videtur notare *Lagariam,* quae urbs perquam vicina fuit Siriti aedificata ab Epeo equi Trojani architecto, ut tradit Strabo, Lycophron, ejusque enarrator Tzetzes[k]), nisi forte notat Laum ejusdem Lucaniae. Numum postremum propter typos utriusque partis, atque etiam literas aversae KO. forte aptius Corcyram revocaveris, quod patebit hujus insulae numos contendenti.

Æ. RRR.

SYBARIS, THVRIVM, COPIA.

Sybaris sita ad ostia fluvii cognominis in sinum Tarentinum exeuntis. Vrbis ingentem potentiam commemorant Strabo, Herodotus, Diodorus, sic ut in bellum adversum Crotoniatas trecenta suorum millia educeret. Sed enim luxu, qui in proverbium abiit, perdita, et Crotoniatas stolido bello adorta, ab his consilio Pythagorae, duce famigerato Milone victa et eversa est, ut haec enarrat Diodorus[l]), quod factum D. circiter annis ante Christum colligit Mazochius[m]), ex calculo Diodori V. C. 243.[n])

Nomine SYBARIS.

Numi antiquissimi:

VM. *Bos stans et respiciens.*)(*Sine epigraphe. Idem typus, sed incusus.* AR. I. II.

Numi similes pridem cogniti, sed cum nondum constaret, V esse vetus Graecorum *Υ*, et M vetus *Σ*, et lectionem praeterea retrogradam, diu in VM*brorum* moneta perperam sunt habiti. Nunc certi jam sumus, legendum *ΣΥ.*, eosque esse Sybariticos, quod ex sequentibus amplius patebit. Bos stans et respiciens perpetuus est ac proprius Sybaritarum typus, incertum qua de causa. Hi numi, ut et sequentes

i) l. c. k) V. 930. l) L. XII. c. 9. m) Tab. Her. p. 502. n) L. XI. c. 90. et L. XII. c. 10.

per fabricam tam remotum profitentur aevum, ut Sybaritarum adhuc re integra, nimirum saeculis V. ante Christum natum feriri facile potuerint. De numis id genus incusis egimus in Prolegomenis ad numos Lucaniae.

* * *

VM. *Bos stans et respiciens, cujus dorso insidet cicada.*)(*Sine epigraphe. Idem typus, sed incusus.* AR. I. (Mus. Caes.)

VM. *Bos stans et respiciens.*)(M *circum quatuor globuli.* AR. III. (Magnan, Mus. Caes.)

Numum priorem causa cicadae, super bovis dorso garrientis, quam in hactenus cognitis non observaveram, olim vulgavi [o]). Vtrum globuli numi alterius rationem ponderis habeant, decidi vix poterit.

* * *

MV. *Bos stans et respiciens.*)(MV. *Typus similis.* AR. I. (Dutens.)

Differt a praecedentibus scriptura non retrograda, sed moris nostri.

* * *

Epigraphe extrita. Bos cum capite humano et barbato stans et respiciens.)(*Sine epigraphe. Idem typus, sed incusus.* AR. II. (Mus. Caes.)

Hunc quoque numum, singularem plane, luce dignum putavi [p]). Eum ὡς ἐν παρόδῳ a Cl. Ignarra ex museo ducis Nojae indicatum video, qui et testatur, juxta scriptum legi solitum VM. [q]), tanto gratiore testimonio, quod certum me etiam reddit, hunc quoque numum esse Sybariticum, quod, exesa inscriptione, suspicabar tantum ex modo bovis respectantis, et typi in aversa repetiti, et introrsum hiantis. Habemus ergo in Sybaris quoque moneta biforme illud monstrum, sed Συβαριτικῶς propositum, nempe respicientis ritu.

* * *

VM. vel AΘVM. *Bos stans.*)(*Neptunus stans d. extensa, s. tridentem vibrat.* AR. III. (Hunter.)

Vt pars antica Sybarin, sic aversa Posidoniam respicit. Eodem modo Crotonem et Veliam commissas infra in Crotone videbimus.

Numi recentiores:

Caput Palladis galeatum laureatum.)(*ΣΥΒΑ. Bos stans et respiciens.* AR. IV. (Mus. Caes.)

Propter ea, quae disputabo, addo numum alium:

Caput Palladis.)(*ΘΟΥ. Bos stans, et respiciens.* AR. IV. (Mus. Caes.)

Hi numi eximii sunt laboris, et quantum ex fabrica et literis, quae novissimae sunt formae, potest conjici, non multum sane Alexandri M. aevo videntur vetustiores. At istud ipsum est, quod historiae in speciem repugnat. Ejus causa necesse est, ea, quae urbis excidium consecuta sunt, paucis attingere. Vrbem a Crotoniatis circa annum V. C. 243. eversam ex Diodoro docuimus. Prosequitur idem hic scriptor Siculus [r]): anno LVIII. postea quam haec contigere, Thessalum quendam collectis Sybaritarum reliquiis urbem instaurasse, cumque eam annis VI. tenuisset, rursum a Crotoniatis cum suis

o) Sylloge. I. p. 8. p) Sylloge I. p. 8. q) de Pal. Neap. p. 266. r) L. XI. c. 90.

pulsum. Idem repetit infra atque sic historiam retexit [s]): Sybaritas iterum exules impetratis ab Atheniensibus auxiliis, vocatisque in societatem ex universa Peloponneso colonis reversos in patriam ex oraculi monitu prope veterem Sybarin apud fontem, cui nomen *Thuriae,* novam urbem molitos, quam a fonte *Thurium* appellavere. Factum istud, ut diserte docet Dionysius Halicarnassensis [t]), anno V. C. 310., quo eodem anno teste Plinio [u]) Herodotus Thuriis historiam suam condere coepit, qui patria Halicarnassensis tamen Thurius dici consuevit, quod socium se deducendae Thurium coloniae adjunxisset, ut refert Strabo [x]). Ex Diodori calculo id factum biennio ante [y]). Verum non diu, prosequitur Diodorus, concordia inter Thurios constitit. Nam cum veteres Sybaritae colonos adscititios inferiores ducerent, hi inito consilio, nam numero superiores fuere, Sybaritas prope omnes internecione delent, et suo urbem arbitrio regere incipiunt permissa Charondae constituendae reip. cura. Idem paucis docet Aristoteles [z]).

In hac oratione, quod ad numos praesentes attinet, nihil aliud turbat, nisi quod Diodorus hunc civitatis dissensum, et veterum Sybaritarum exitium nimium tempori constitutae coloniae, seu anno V. C. 310. admovet. Quo enim, quaeso, tempore secundum hanc Dionysii historiam descriptum hic numum *ΣΥΒΑ* signatum statuemus? an ante primum Sybaritarum excidium D. ante Christum annis? at tam remotam aetatem diffitetur, ut dixi, ejus fabrica, et literarum forma. An paullo post restitutam circa annum V. C. 310. urbem? Verum huic adhuc aetati repugnat labor perelegans, caput Palladis multum exstans, ejusque nitoris, qualis illud in pulcherrimis Veliae, Metaponti etc. numis sistitur; praeterea characterum lex novissima, qui istud adhuc aevum in hoc praecipue tractu propalam inficiantur. Confer velim numum Buxenti et Siritis ejusdem Lucaniae urbium non multum dispari aetate, ut vidimus, percussum, et fabricam bovis incusi, tum literas *ΠΥΞΟΕΣ* antiquissimae rationis cum praesente Sybaris, ac tum aude tantae illum antiquitatis profiteri. Certum igitur vel ab hac ipsa causa, multis serius annis, quam istud dicere videtur Diodorus, alterum hoc Sybaritarum factum contigisse, et verisimiliter vergente ad finem saeculo IV. urbis conditae. Et vero auctori huic cetera praeclaro non satis fuisse veterem hujus urbis historiam cognitam, satis apparet ex his, quae copiose de Charonda Thuriorum legislatore eodem loco per insignem parachronismum refert, quem jam notarunt Wesselingus [a]), et Bentlejus [b]).

Si igitur numus hic ad alteram restitutae Sybaris epocham est revocandus, aliud etiam docet, quod ad urbis appellationem a novis colonis inductam pertinet. Strabo et Diodorus ab his novam aedificatam urbem prope veterem Sybarin adserunt, eamque a fonte Thuria ap-

s) L. XII. c. 10. t) in Lysia T. II. p. 82. u) L. XII. § 8. x) L. XIV. y) l. c.
z) de Rep. L. V. c. 3. a) p. 485. in nota. b) Epist. Phalar. p. 364.

pellatam Thurium, vel Thurios. Alii, ut Stephanus et Varro [c]) generatim: *Sybaris, postea Thurium, vel Thurium antea Sybaris.* Non negamus, novum istud nomen mox urbi inditum a fonte ab oraculo indicato, sed continuo abolitum vetus Sybaris negamus. Sane verisimile, Sybaritas, quos eodem loco Diodorus exclusis colonis adscititiis dominatum in nova colonia praeripuisse refert, per innatum in veterem patriam adfectum nequaquam passos continuo veterem urbis appellationem interire, et quod sequitur, perrexisse deinceps quoque Sybaris nomine ferire monetam, quod descriptus numus egregie docet. Quin cum duae essent in urbe factiones, una Sybaritarum, altera adventitiorum Graecorum, a vero non abhorret, illam Sybaris, hanc Thurii nomine feriundos numos curasse. Neque praetereunda animadversio alia, quam citati numi suppeditant. Constat, veterem in Sybaritarum numis typum fuisse bovem respicientem, solitum Thuriorum, bovem cornupetam. At in numo II. habemus nomen quidem Thuriorum, sed typum Sybariticum bovis respectantis, argumento satis evidente, numum hunc signatum, cum utraque gens adhuc cohabitaret, et concordiae causa, forte simulatae tantum, Thurini Sybaritarum typum adfectarent. Sed enim dubium non est, Sybaris nomen tum plane abolitum, quando Graeci Sybaritas, ut diximus, everterunt, horum odio in ipsam etiam Sybaris appellationem porrecto.

AR. R. AEneos vix credo exstare.

Nomine THVRII.

Originem urbis, causamque nominis Sybaris in Thurium mutati mox commemoravimus. Soli adeo numi recensendi supersunt.

Caput Palladis.)(*ΘΟΥΡΙΩΝ. Bos cornupeta.* AR. II. III.

Palladis galea in his numis, perinde ac Veliae, variis sigillis ornata comparet. In tribus musei Caesarei galeae inserta est Scylla jam utramque manum attollens, jam globum, jam remum, ceu in denariis Pompeji, manu elata jactans. Idem monstrum fuisse insertum galeae Flaminii adversus Hannibalem egressi narrat Silius Italicus [d]):

Scylla super, fracti contorquens pondera remi,
Instabat, saevosque canum pandebat hiatus.

Bos, qui in numis hujus urbis, cum adhuc Sybaris appellaretur, placidus stans respectabat, idem in numis fere omnibus recentioris fabricae Thurii nomine signatis toto nisu irruens fingitur. Credo, hac imagine adludi ad nomen urbis recens. Ejus me commonefecit scholiastes ad Sophoclis Ajacem mastig. v. 212. *Θουριος, ὁ ὁρμητικος. Θουριον δε οὐδετερως, πολις, ἡ και Συβαρις,* id est: *Θουριος, qui cum impetu fertur.* *Sed Θουριον in genere*

---

c) de R. R. d) Punic. V. 133.

neutro urbs, quae et Sybaris. Vnde et saepe legas apud Homerum, aliosque: *Θουριος Αρης*, *Θουριος Αιας*, nempe cum toto impetu in hostem ruebant, et talis fingitur Ajax in numis Locrorum, Mars saepe in numis cum Graecis, tum Latinis. Ex eadem etiam causa in numis gentis Thoriae bovem irruentem scalptum puto, nempe Dorice *Θοριος* idem quod *Θουριος*. Novum quid me eruisse putabam, sed diu postea, quam haec scripseram, vidi, simile quid docuisse eruditum Begerum [e]).

* * *

Caput Palladis.)(*ΘΟΥ. Bos stans et respiciens.* AR. IV. (Mus. Caes.)

Rarissimum hunc numum propter typum Sybariticum inter primos puto a Thuriis signatos. De eo multis jam egi supra inter numos Sybaris nomine notatos.

* * *

ΘΟΥΡΙΑ. Caput Cereris spicis coronatum.)(*ΙΣΤΙ - - Bos cornupeta.* Æ. III.

Numum descripsi, qualis sistitur a Magnano [f]). Teste Stephano urbs dicebatur *Θουριοι*, *Θουρια*, *Θουριον*, Livio etiam Thuriae.

* * *

Caput Apollinis.)(*ΘΟΥΡΙΩΝ. Lyra, et fulmen.* Æ. III. (Magnan.)

Disceptantibus Thuriis, quis deus urbis suae conditor sit habendus, consultus Apollo Delphicus semetipsum pro conditore obtulit [g]).

* * *

Magistratus ΜΟΛΟΣΣΟΣ. ΑΡΙΣΣΩΦΙ. ΗΡΑΚ. etc. (Mus. Caes.)

AV. unicus. (Magnan.) AR. C. Æ. RR.

Nomine COPIAE.

Stephanus [h]): *Thurii urbs Italiae, prius Sybaris, a fonte Thurio, postea vero COPIAE.* Explicatius Strabo [i]): *Thurii longo tempore fortuna usi secunda tandem a Lucanis in servitutem subacti sunt, Tarentinisque eos opprimentibus ad Romanos confugerunt. Hi Thuriis jam attritis colonos miserunt, et urbem COPIAS nuncupaverunt.* Deductam coloniam statuit Livius V. C. 561. [k]). Non diu durasse appellationem Copiae, ex scriptoribus Latinis omnibus discimus, quibus haec urbs constanter vetere Thurii nomine appellatur.

Caput Palladis, vel Herculis imberbe, retro 3. *vel* 4. *globuli.*)(COPIA. *Cornu copiae, in area decurtata IIvirorum nomina, ut:* L. C. C. *etc. et totidem globuli.* Æ. III.

Cornu copiae ad urbis nomen alludit, nam symbolum illud simpliciter et *copiam* fuisse dictum, eruo ex Lactantio [l]): *Nam simulacrum ejus* (Fortunae) *cum COPIA et gubernaculo fingunt.*

* * *

Numos aeneos inscriptos COPIA, qui hinc capita J. Caesaris et Augusti,

---

e) Th. Br. T. I. p. 332. f) Brut. num. tab. 104. g) Diodor. Sic. L. XII. c. 35. h) in *Θουριοι.* i) L. VI. k) L. XXXIV. 53. et L. XXXV. 9. l) Instit. L. III. c. 29.

inde navim exhibent, esse Lugduni Galliae, in hujus moneta dictum.

Æ. RR.

THVRIVM.

Vide supra in *Sybari.*

VELIA.

Ad mare Tyrrhenum et sinum cognominem, condita a Phocaeensibus Ioniae, quos Persae solum vertere coegerunt, ut videre est apud Herodotum [m]), et Strabonem [n]). Vtroque hoc teste, tum et Diogene Laertio [o]) a Phocaeensibus dicta *Υελη* recte secundum numos, serius *Ελεα*, Latinis promiscue *Velia* et *Elea,* unde Ciceronis Zeno Eleates [p]). Vrbis opes eloquuntur numi copiosi, et insignis operis.

Caput Palladis tectum galea varie ornata.)(*ΥΕΛΗΤΩΝ.* (*in uno Hunteriano, qui etiam est in Vitzaiano, legitur ΥΕΛΗΤΕΩΝ.*) *Leo gradiens, vel: leo cervum aut pagurum depascens.* AR. II. III.

Ingens horum numorum suppetit copia, in quibus typus princeps semper idem, at discrimen faciunt galea Palladis jam alata, jam grypho, Centauro, delphino ornata, aut attributa varia supra leonem posita, inter quae insigniora pentagonum, et triquetra Sicula, quin de aliquo cum Sicilia nexu constet, aut denique magistratuum, ut verisimile est, literae priores. Insignis etiam operis est leo, seu cum pacatus ingreditur, seu cum urgente fame vires suas in cervum exserit, plane secundum Homerum [q]):

Ωστε λεων ἐχαρη μεγαλῳ ἐπι σωματι κυρσας,
Ευρων ἠ ἐλαφον κεραον ἠ ἀγριον αιγα
Πειναων· μαλα γαρ τε κατεσϑιει,
Sicut leo gaudet, cum in magnum corpus incidit,
Nactus aut cervum cornutum, aut agrestem capram,
Esuriens; avide enim devorat.

quem locum eleganter suum fecit Maro [r]).

* * *

Caput juvenile tenui filo redimitum.)(*ΥΕΛΗ.* *Noctua oleae ramo insistens.* AR. III.

Similes etiam numi sunt aenei, in quorum antica varia sunt deorum capita. Huc etiam Sestinus refert binos Hunterianos cetera similes, in quorum uno omisso urbis nomine legitur retrograde *ΕΗΠΟ,* in altero *ΛΕΥΚΑ,* Combio illum Hipponio, hunc Leucadi tribuente. Sin istud, inscripta haec nomina magistratum indicabunt.

* * *

Magistratus: ΚΑΣΙΛΩΚΟΥ vel *ΦΙΛΙΣΤΙΩΝΟΣ* minutissimis literis inscripta galeae Palladis [s]). In aliis tantum nominum initia.

Concordiae cum Crotone illustrem numum vide in numis Crotonis Bruttiorum.

AV. Goltziani, AR. C. Æ. RR.

Numi VELIAE Latini.

Ad eandem urbem vocari solent numi, aenei omnes:

m) L. I. c. 167. n) L. VI. o) L. IX. § 28. p) Tusc. L. II. c. 22. q) L. II. v. 23.
r) Aen. XII. 723. s) Magnan Luc. num. tab. XIII. 8. Goltzius.

VE (*literis colligatis.*) *Caput juvenile laur.*)(*Bacchus sedens d. botrum, s. thyrsum.* Æ. I. (Pellerin, Mus. Caes.)

Caput Palladis, superne duo globuli.)(VE. (*literis colligatis.*) *Noctua oleae ramo insistens.* Æ. II. (Mus. Caes.) In aliis: *Duo delphini.* Æ. II. (Magnan.)

In aliis: *variorum numinum capita, tres lunae, et totidem astra, aquila, concha etc. adstituto semper monogrammate* VE, *et plerumque globulis.* Æ. I. II. III. (Mus. Caes. Magnan.)

Numos hos ad urbem quampiam Italicam pertinere, luculente comprobant globuli, cumque aptior alia non occurreret a literis VE incipiens, placuit referre Veliam. Et addicit huic judicio numus alter propter Palladis et noctuae ramo insistentis typum, qui frequens est quoque in numis Graece inscriptis. Civitatem Veliensibus datam tradit ipse Cicero [t]), a quo tempore lingua Latina Graecae in numis successit.

Æ. R.

VRSENTVM.

Vrsentinos in Lucaniae populis unus Plinius nominat. Numum apud Beneventum repertum jure huc duxit Pellerinius. (Suppl. II. p. 24. Lettres p. 20.)

Caput muliebre.)(*ΟΡΣΑΝΤΙΝΩΝ. Vir nudus stans d. pateram, s. arcum.* Æ. III.

Æ. RRRR.

B R V T T I I.

Populus in extremo Italiae angulo multas et praeclaras urbes complexus, quae ingente numero et rara elegantia numos dedere. Communi etiam totius gentis nomine signati, qua in urbe, incertum, qui propter copiam vilescerent, nisi propter insigne opus in pretio essent.

De concordia monetae Bruttiae cum numis Mamertinorum Siciliae, et Lucaniae nomine inscriptis in singulorum moneta agimus.

Lubet Bruttiorum numos magis illustres secundum triplex metallum describere.

Numi AVREI.

Caput Neptuni diadematum, pone tridens.)(*ΒΡΕΤΤΙΩΝ. Mulier velata hippocampo vecta, cujus caudae insistens Cupido sagittam retrorsum emittit.* AV. III. (Mus. Caes.)

Insigne propter argumenti leporem cimelium. Mulier equo marino seu vecta, seu rapta Amphitrite est, aut alia quaepiam ex mulierum catalogo, quae justo numere inamabilis dei marini cor laesere.

Caput Herculis juvenis diadematum, retro clava.)(*ΒΡΕΤΤΙΩΝ. Victoria gradiens d. fulmen, s. palmam, pro pedibus ara.* AV. III. (Mus. Caes.)

In numo priore vidimus Neptuno datum diadema, in hoc Herculi, raris in utroque attributis. Sed et illo redimitam Victoriam infra videbimus. Etiam tributum Victoriae fulmen insolentius; tamen et fulmen in Boeotorum numo usurpat. Numus est eximiae fabricae.

---

t) Orat. pro Balbo c. 21.

In aliis aureis est *Victoria in bigis.* (Magnan, Neumann.) Bayardus in simili inter Herculani rudera reperto legit *ΚΡΕΤΤΙΚΩΝ*, et nescio quam Balbi sui cum Cretensibus communionem somniat [u]). Lege et in hoc solitum *ΒΡΕΤΤΙΩΝ.*

* * *

Numi ARGENTEI, quos obiter describo.

Protome Victoriae alata.)(*Bacchus nudus stans seipsum coronans.* — *Caput Junonis velatum transverso sceptro.*)(*Neptunus stans d. pede capitello ordinis Ionici insistens, s. hastam.* — *Caput Palladis.*)(*Aquila.* — *Aream horum numorum minuta varia sigilla obtinent.*

Numos hos cumprimis commatis nitor commendat.

* * *

Numi AENEI, quos describere non attinet, quoniam in museis omnibus abundant. Memorari tamen volunt sequentes:

ΝΙΚΑ. Caput Victoriae diadematum.)(*ΒΡΕΤΤΙΩΝ. Juppiter nudus stans d. fulmen intorquet, s. hastam.* Æ. III. (Mus. Caes.)

Nomen Victoriae Graecum *ΝΙΚΑ*, Dorice pro *ΝΙΚΗ* his numis pretium conciliat.

* * *

Caput muliebre paguro obtectum.)(*ΒΡΕΤΤΙΩΝ. Pagurus.* Æ. II. III. (Mus. Caes.)

Pagurus insolens capitis muliebris cultus, quemque non facile femina probaverit. Winckelmanno hac imagine sisti Amphitriten visum. (*Monum. ant. p.* 52.)

* * *

Globuli partes assis in aeneis compluribus observantur.

* * *

Numum inscriptum Phoeniciis literis, quem perperam Bruttium contendit Pellerinius [x]), recensebimus in tractatu de numis Phoeniciis, inter numos Siculo-phoenicios, quem monetae Phoeniciae propriae subjectum dabimus.

AV. RR. AR. et Æ. C.

BVTROTVM.

Numum male huc adactum vide in Butunto Calabriae.

CARCINVM.

Numi *ΚΑΡΚΙΝΙΩΝ* apud unum Goltzium.

CAVLONIA.

Mare Ionium tangit. Condita ab Achaeis teste Strabone, unde petenda ratio dialecti Doricae in numis. Ejus originem urbis late expositam vide a Fröhlichio [y]).

Numi antiquissimi:

ΚΑΥΛ. ΚΑΥΛΟ. *scriptura vel retrograda, vel solita. Vir imberbis nudus gradiens d. elata quid ramo simile, s. extenta, cui nonnunquam parva figura insistit, adstantem cervum protegit.*)(*Idem typus, sed incusus.* AR. I.

Egregii sunt hi numi propter omnes longae vetustatis characteres. Literae horum numorum sunt antiquissimae Graecae, non, quales Mazochius, ejusque filii in pervetustis his Graeciae M. numis vident, Etruscae. De numis sic incusis vide quae diximus in Prolegomenis ad numos Lucaniae.

---

u) Catal. Hercul. p. 398. x) Suppl. III. p. 91. y) Animadv. in num. urbb.

* * *

Numi minus antiqui. Nam fabricae recentissimae nullum novi, cum in omnibus picturae quispiam rigor appareat vetustiori aevo proprius. Sed enim tempore bellantis cum Romanis Pyrrhi eversam a Campanis refert Pausanias [z]).

Epigraphe in his vel solita, vel retrograda: *ΚΑΥ. ΚΑΥΛ.* — *ΚΑΥΛΟΝϟΑΤΑΝ,* (Mus. Caes.) — *ΚΑVΛ⊙ΝϟΑΤΑΜ.* quem edidi ex museo Caesareo [a]). Magis obvii: *ΚΑΥΛΩΝΙΑΤΑΝ*, vel *ΚΑΥΛΩΝΙΑΤΑΣ*, utrumque Dorice, ut in numis Neapolis Campaniae, sed citra Dorismum: *ΝΕΟΠΟΛΙΤΩΝ*, et *ΝΕΟΠΟΛΙΤΗΣ*. Simili modo inscribuntur etiam sequentis Crotonis numi.

Typi in his: *Vir nudus imberbis eodem modo stans, d. forte fulmen vibrat, in*)(*Cervus vel cerva stans, juxta arbutum, vel ramus baccifer, vel aliud.* AR. II.

De typo hoc in Cauloniatarum moneta perpetuo aliqua sunt observanda. *Revocat hic numus,* inquit Harduinus [b]) *in memoriam locum regii vatis, Psalm.* 28. 9: Vox domini praeparantis cervos, *quem de tonitrui fragore accipi oportere interpretes admonent, cujus metu cervarum partum accelerari vates ait.* Commode istud, quia nonnisi parallelum quoddam est textus sacri et iconismi. Vltra progressus est Mazochius [c]). Nugas, ait, egerunt more suo Graeci, dum Cauloni olim *Aulonis* fuisse nomen edixerunt. Solenne enim fuisse Graecis, ut barbarica nomina, quae non intelligerent, nec possent sibi arrogare, pauxillum detorquerent, quantum satis esset, ut Graeci juris evaderent. Literae *ΚΑVΛ* scriptionis, inquit, sunt Tyrrhenae, et quia in numis antiquissimis hujus urbis nomen est tantum quadriliterum, certum etiam est, fuisse monosyllabum, neque productum in *Caulon*, vel *Caulonia*. Istud adeo Tyrrhenicum *ΚΑVΛ* totum est originis Hebraicae, ductum a קול *vox*, quod facile intelliges, si Hebraicum ו, nempe O magnum mutes in AV Tyrrhenicum, (capesis lector: si pauxillum detorqueas, quantum satis esset, ut Hebraici juris evaderet). Habuit ergo urbs Kaul conditores Phoenicios. Cumque constet praeterea, ethnicam theologiam totam, quanta est, ex Hebraica doctrina fluxisse, habes in his numis, composito urbis nomine cum Jove tonante et cervo, manifestum illud sacri vatis: *vox domini praeparantis cervos,* et quod sequitur, primi urbis conditores non fuere Achaei, quod jactant Graeci, sed Phoenicii. Hucusque Mazochii sententia, quam partim absurdam, partim aperte falsam, partim nulla probabili causa nixam facturusne operae pretium sim, si refutarem? Adeo viris valde eruditis idem videmus evenire, quod valde locupletibus, qui opes suas, quarum verum usum ignorant, temere disperdunt. Enimvero nulla me hominis auctoritas, nullus eruditionis apparatus, si consilium absit, ad adsensum impellat, qui cum Horatio

Quid verum atque decens, curo et rogo, et omnis in hoc sum.

Denique omnis haec de Jove cervas

z) L. VI. c. 3. a) Sylloge I. p. 8. b) Num. illustr. p. 81. c) Tab. Heracl. p. 527.

ad partum praeparante sententia, quae aliquibus usque adeo adridet, a pluribus causis graviter torquetur. Istud statuentibus cerva opus est, at numi fere semper cervum offerunt. Vnicum novi, qui nunc est in museo Caesareo, quemque olim edidit Frölichius [d]), qui manifestam cervam sistit. Non obstare, inquit Mazochius, quo minus horum numorum quadrupes cerva putanda sit, quod cornua, cervi maris argumento, sibi adposuit, causamque suam tuetur auctoritate Spanhemii [e]), multa de cervis feminis cornutis ex veterum testimoniis, et recentiorum observatis disserentis. At enim ex citato Frölichii numo satis apparet, Cauloniatis ordinarium utriusque in cervis sexus modum non fuisse ignotum; cur ergo, si cervam voluere, adpositis cornibus ambiguum facerent sexum? Edidi nuper ex museo Caes. binas gemmas, quarum utraque Telephi fabulam a cerva nutriti exponit [f]). Harum una sistit cervam, ut oportuit, inermem, altera gemino cornu horrentem. At monui etiam ibi, scalptores, privati monumenti architectos, et saepe rudes ejus ipsius argumenti, quod elaborandum sibi sumpsere, nullam habere auctoritatem. Causa alia, cur eruditi cervam in his numis videant, est defectus genitalium. At si istud tam certum est pro cerva argumentum, nihil obstat, quo minus fere omnes in veterum numis propositos equos equas faciamus, ne ipso quidem excepto Pegaso, in Syracusanorum moneta obvio. Ceterum non negavero, artifices veteres nonnunquam cervas cornutas stitisse poetarum secutos oracula, qui passim iis cornua addidere, perstricti propterea ab Aristotele, de quo eodem loco Spanhemius, ac propterea excusari posse scalptorem gemmae laudatae, quia Sophocles, Euripides, Pindarus, Anacreon, quos citat Aelianus [g]), frequenter cervas cornutas dedere. Verum in similibus monumentis ipsae peristases docent putandam cervam, quae reipsa cervi speciem praebet, cujus in praesentibus numis causam non habemus, atque eam certe nullam, quia regius vates dixit: *vox domini praeparantis cervos.* Neque vero etiam plane certum, in parte adversa horum numorum re vera fingi Jovem. Quod enim figura illa constanter imberbis fingitur, et illud, quod dextera intentat, ramo potius, aut flagello simile est, minime vero fulmen refert, utraque hercle haec causa Jovi non magnopere favet, et praestabit, compositum hunc typum referre inter eos, quorum sensum ignoramus, et in quorum explicanda historia, quod eruditis saepe accidisse satis compertum, plerumque oleum operamque perdimus. Equidem talem mihi velim antiquarium, qualem sibi contingere uxorem optavit Juvenalis, quae *nec historias sciat omnes, sed quaedam* ex numis *et non intelligat* [h]), et qui haud temere in feminarum jura involet, de quibus Theocritus [i]):

Παντα γυναικες ἰσαντι, και ὡς Ζευς ἠγαγεθ' Ἡρην.

AR. RR.

d) Animadv. in num. urb. e) Tom. I. p. 204. f) Choix de pierr. grav. tab 26. 27.
g) Nat. anim. L. VII. c. 39. h) Sat. VI. 449. i) Idyll. XV. 64.

CROTON.

Ad mare Ionium et Sagrae ostia, condita a Myscello ex Achaia profecto eodem tempore, quo ab Archia Syracusae, ex calculo Dionysii Halic. Olympiadis XVII. anno III.[k]). Vrbs insigniter nobilitata a coelo salubri, palaestrae studiis, quibus ante alios claruit Milo, schola Pythagorae, opibus et frequentia civium, atque ob has causas dicta Petronio urbs aliquando Italiae prima[l]). Sed tanta fortuna uno ad Sagram praelio concidit, CXX. milibus Crotoniatarum ab exigua manu Locrensium et Rheginorum victis. Veteres opes copiosi numi superstites testantur.

Numi antiquissimi:

ϙ Ϝ ⊙ in numo concordiae cum Pandosia, quem describam infra in *Pandosia.*

ϙ*PO*—И*OT* *βουςροφηδον.* (Mus. Caes.)

ϙ*PO.* ϙ*POT.* scriptura retrograda, vel nostri moris.

*O*Ϝϙ (Mus. Caes.)

KPO in his rarius.

In his epigraphe plerumque in eodem numo utrinque posita.

Ceteris hujus urbis numis antiquiores plerumque sunt ii, in quibus nomen urbis a ϙ incipit. Est hoc Phoenicium *Koph,* Graecis dictum *Koppa,* remotissimo aevo in usu per Graeciam, a *K* denique extrusum; valuit tamen deinceps ad indicandum numerum XC., de quo latius agam in doctrina epocharum. Sic nos terrae filii existimamus. At Mazochius, cui major divinae particula aurae obtigit, et qui nihil in urbium nominibus non Phoenicium vidit, id factum propterea contendit, quia vocabulum Croton ex Phoenicio *Karta,* quod *urbem* significat, ducitur[m]). Si in numos curatius inquisivisset, reperisset etiam scriptum *ΣVRAϙOΣION.*

Typi:

Tripus adstante plerumque ciconia, addita epigraphe, omnia opere exscalpto.)(*Similis tripus, sed introrsum scalptus; at exstantibus epigraphes literis.* AR. II.

De numis sic incusis vide dicta in Prolegomenis ad numos Lucaniae. Tripus ad Apollinis cultum pertinet, haud dubie Crotone impensius culti, quia Myscello Achaeo opportuna ad condendam urbem consilia suggessit[n]).

* * *

O Ϝ ϙ *Tripus.*)(*Aquila volans incusa.* AR. II. (Num. vet. p. 42. ex Mus. Caes.)

ϙ*PO. Tripus*)(ϙ *PO. Aquila insistens capitello ordinis Ionici.* (Mus. Caes.)

* * *

Numi recentiores:

KPO KPOTON., rarius *KPOTΩ.*

KPOTΩNIATAN, vel *KPOTΩNIATAΣ* Dorice, de qua ratione vide dicta in Neapoli Campaniae, et Caulonia. Dorismus a conditore Myscello Achaeo invectus est, de quo vide plura in meis Numis vet. p. 44.

* * *

Caput muliebre adversum elegante tutulo ornatum.)(*KPOTΩNIATAN. Hercules nudus leonis exuviis insidens d. scyphum, s. clavam, juxta ejus arma.* AR. II. (Mus. Caes.)

KPOTΩNIATAΣ. Caput Apollinis

k) L. II. p. 121. l) Sat. cap. 116. m) Tab. Heracl. p. 122. n) Strabo L. VI. p. m. 402.

laur.)(*Hercules infans strato insidens angues geminos elidit.* AR. II. (Mus. Caes.)

ΚΡΟΤΟΜΙΣ. Caput Apollinis laur.)(*Eadem aversa.* AR. (Mem. Trevoux in Majo 1710.)

Caput numi primi elegantius cultum certam nobis Junonem sistit, quae apud Lacinium Crotoni vicinum illustre habuit templum, et a loco *Lacinia* vocabatur. Ejus fani opes ac religionem late describit Livius[o]). Herculi quoque multum obstricti fuere Crotoniatae, ut copiose dicetur infra. Prior numus Herculem *bibacem* proponit, quo cultu teste Luciano[p]) pingebatur *ὁ παρα τῳ Φολῳ Ηρακλης*, *Hercules apud Pholum* Centaurum, et quo fuit celebris ille Hercules, opus Lysippi, pedis unius mensura, ab Alexandro M., Hannibale, Sulla, ac denique Vindice possessus, ac conviviis adhibitus, unde *Επιτραπεζιον* nomen abstulit, quem sic describit Statius[q]):

Sic mitis vultus, veluti de pectore gaudens
Hortetur mensas. Tenet haec marcentia fratris (Bacchi)
Pocula, adhuc saevae meminit manus altera caedis,
Sustinet occultum Nemeaeo tegmine saxum.

Idem argumentum habes apud Martialem[r]). Bibacis vero elogium jure sibi proprium fecit Hercules, si vera sunt, quae eum potando effecisse refert Athenaeus[s]); tam capace vero usum poculo, ut illo, cum opus esset, pro navigio uteretur, et longinquas terras adiret, narrat Macrobius[t]). Causam vero, cur Herculem bibacem proposuerint Crotoniatae, reperisse mihi videor apud Athenaeum narrantem[u]): Herculem, cum in Crotoniatarum agrum venisset, correptum siti in domo quadam propter viam sita quod biberet petiisse; at mulierem avaram pro vino aquam obtulisse. Quo facto jure indignatum deum vini dolium in saxum mutasse. Hercules in cunis nota fabula. Similem Herculis dracones elidentis typum dant etiam numi Ephesi et Rhodi.

De verbo *ΚΡΟΤΟΜΙΣ* numi III. vide mox infra in numo concordiae cum Velia.

* * *

Caput Junonis Laciniae, ut supra.)(*ΚΡΟ. Bellerophon cum Chimaera ex Pegaso dimicans.* AR. II. (Mus. Caes.)

ϘΡΟ. Tripus.)(ϙ *Pegasus volans* AR. III. (Hunter.)

Bellerophon et Pegasus typi Achaici, at ex Achaia fuit Myscellus Crotonis conditor teste Strabone[x]). Vide de his plura in meis Numis vet. p. 42., quo loco numum hunc edidi.

* * *

ΚΡΟΤΟΝ. Tripus; hinc vir geniculatus sagittam emittit adversus serpentem sese illinc erigentem.)(*OϟKIϟTAM. Vir nudus petrae insidens ante aram luculentam, d. lauri ramum, s. clavam, humi arcus et pharetra.* AR. fere I. (Mus. Pembrock P. II. tab. 16.)

ΚΡΟΤΩ. Cap. Palladis.)(*ΟΙΚΙΣΤΑΣ.*

o) L. XXIV. c. 3. p) in Sympos. vel Lapith. q) Silv. L. IV. carm. VI. r) L. IX. epig. 44. 45. s) L. X. p. m. 310. t) Saturn. L. V. c. 21. sub fin. u) L. X. p. 441. x) L. VIII. p. m. 593.

Hercules gradiens, et clava pro scipione utens, et exuvias leonis praetendens. AR. III. (Mus. Caes.)

Quae olim ad explicandos praeclaros hos numos attuleram [y]), non indigna videntur, quae huc ad verbum transferam.

Horum priorem edidit Goltzius [z]), verum deficiente in hoc, ut apparet, inscriptione *KPOTON*, adfinxit more suo, qualem voluit, placuitque in eo legere *ΑΓΕΣΣΙΩΝ*, quo oraculo evasit numus Agessi obscurae Thraciae urbis Stephano memoratae. Ejus similem reperi in museo M. ducis, sed extrito urbis nomine, quod liberaliter sistit citatus Pembrockianus, qui adeo nos veram horum patriam Crotonem edocet, et Goltzii figmentis valedicere jubet, a quibus ut eruditos securos praestarem, numum jam olim ex archetypo Florentino commentariis illustratum restituendum putavi. Vocem partis aversae *OΥK϶ATAM*, ut legendum putavi, tum inter ignotas, tractamque ex vetere indigenarum lingua credidi, et securus praeterivi, argumentum vero consultis solerter mythologis adeo certus eram pertinere ad Apollinem cum serpente Pythone pro tripode Delphico dimicantem, et deinde in Thessalia propter ejus draconis caedem expiatum, ut hactenus nihil a me planius feliciusque explicatum confidenter opinarer.

Quod fieri in nostris studiis consuevit, ut quae primum praeclare inventa et certissima putamus, infeliciter cecidisse cogamur confiteri, idem et mihi in ejus numi explicatu accidisse comperi, cum alterum numum integerrimum, nunc musaei Caesarei, Bruxellis conspexi, in quo juxta certum Herculem certa epigraphe *OIKIΣTAΣ*. Quo viso coepi continuo suspicari, an non praetensum *OΥKΣATAM* eandem possit praestare significationem, consultoque iterum ac solicite explorato archetypo Florentino, quod gypso expressum adhuc possideo, et cum imagine Pembrockiana collato facile veram lectionem, qualem proposueram, explicui, nempe *O϶K϶MTAM*. Nihil erat, quod amplius desiderarem. Novimus ex numis Posidoniae, Sybaris, Cauloniae, aliarumque hujus tractus urbium, secundum earum vetus alphabetum literam ϶ habere potentiam *τον* *I*, et literam *M* *τον* *Σ*. Substitue novicios characteres *I* et *Σ* veteribus ϶ et *M*, et habebis luculentum *OIKIΣTAΣ* numi alterius recentioris, positum Dorice pro *OIKIΣTHΣ*, *conditor*.

Hercules igitur dictus propalam Crotonis conditor, neque hunc inficiantur veterum testimonia, etsi nonnihil variantia. Diodorus haec refert [a]): Herculem bobus in Italiam trajectis, dum per maritima iter facit, Lacinium nonnullos boves suffurantem morte adfecisse, Crotonemque ex imprudentia forte caesum funere ac monumento splendido honestasse, et clarum subinde oppidum ex caesi nomine surrecturum accolis praedixisse. At secundum Ovidium [b]) Hercules ex Iberia cum bobus redux cum ad Lacinium pervenisset, aliquamdiu Crotonis usus hospitio adfirmavit discedens, multis post annis eo loco surrecturam urbem. At deus promissi me-

y) Sylloge I. p. 10. z) in Graecia tab. 28. a) L. IV. c. 25. b) Met. XV. fab. 1.

mor Myscellum Argivum secundum quietem monuit, ut relicta patria apud Aesarum flumen urbem fundaret, cujus is monitis morem gerens in Italiam transgressus propter tumulum, qui Crotonis ossa texerat, moenia statuit, indita novae urbi herois Crotonis appellatione. Jure igitur propterea Hercules urbis conditor dictus et in moneta publica proclamatus, atque eodem jure in ipsos numi typos deturbato, quem olim intruseram, Apolline succedit. Nimirum in prioris numi antica juxta tripodem, qui hoc loco aliud nihil, quam solitum Crotonis typum notat, fingitur hydram Lernaeam sagittis impetens, in aversa ipse ad aram sacrificans.

Posteriorem numum editum reperio, sed inique, propter manifestum ejus vitium, nimirum in principis Turris Muciae Sicilia, ubi Segestae Siciliae tribuitur [c]). Similis exstat etiam in museo Hunteriano, nisi quod in hoc pro *ΟΙΚΙΣΤΑΣ* legitur solitum *ΚΡΟΤΩΝΙΑΤΑΣ* [d]).

* * *

Concordia cum Velia Lucaniae.

ΚΡΟΤΩΜΙ. — (*sic*) *Caput Apollinis laur.*)(*ΥΕΛΗΚΩ.* (*sic*) *Leo cervum depascens.* AR. I. (Hunter tab. 22.)

Pars hujus numi adversa sic est Crotonis, et aversa sic Veliae Lucaniae, ut, etsi abessent *ΚΡΟΤΩ*-- et *ΥΕΛΗ*--, ex ipsis typis concordiam inter utrumque populum teneremus. Ceterum qui literas *ΜΙ* — ad *ΚΡΟΤΩ*, et *ΚΩ* ad *ΥΕΛΗ* additas expediverit, magnus hercle is mihi Apollo sit. Negligentiam, aut barbariem monetarii in numo, quem metallum, volumen, operis elegantia sic commendant, suspicari tanto minus licet, quod jam supra in numo simili verbum *ΚΡΟΤΟΜΙΣ* vidimus. Eodem modo sociatos in uno numo typos Sybaris et Posidoniae supra in Sybari dedimus.

Concordia cum Pandosia. Vide infra in hac.

* * *

Numum Milonis Crotoniatae, inscriptum MILO. CROTON. a Magnano editum [e]), et quod nollem, a Cl. Lanzio approbatum [f]) inter artis recentis figmenta habeo.

AV. RRRR. (in Museo M. ducis.) AR. C. Æ. RR.

HIPPONIVM, VALENTIA.

Ad sinum cognominem maris Tyrrheni, teste Strabone a Locrensibus conditum, sed nomen serius in *Vibo* detortum, de quo vide Cellarium. Deducta a Romanis colonia appellata *Valentia,* et habentur numi et *Hipponii,* et *Valentiae* nomine.

Nomine HIPPONII.

ΔΙΟΣ. Caput Jovis laur.)(*ΙΠΩΝΙΕΩΝ. Diota, in area caduceus et astrum.* Æ. III. (Mus. Caes.)

ΣΩΤΕΙΡΑ. Caput Palladis.)(*ΙΙΙΠΟΝΙΕΩΝ. Victoria stans.* Æ. II. (Pellerin.)

Caput Jovis.)(*ΕΙΠΟΝΙΕΩΝ. Diota, in area taeda.* Æ. III. (Mus. Caes.)

Numum similem Pellerinius perperam, ut diximus, tribuit Siponto Apuliae, et Musselius Iconio Lycaoniae [g]).

c) Tab. LXII. n. 5. d) Tab. XXII. n. 12. e) Brutt. numis. tab. 122. f) Saggio. P. II. p. 606. g) Num. pop. tab. X.

Caput Apollinis laur., in aliis diadematum.)(*ΙΠΩΝΙΕΩΝ. ΛΑΝΔΙΝΑ. Pallas galeata stans d. coronam. s. hastam.* Æ. III. (Magnan. Brut. num.)

ΛΑΝΔΙΝΑ. - - ΟC. Caput muliebre.)(*Sine epigraphe. Mulier sedens.* Æ. III. (Pellerin. Rec. I. p. 74.)

Pellerinius numos similes binos, sed in quibus urbis nomen, ut videtur, interiit, quo referret, non habuit [h]). Certum docente numo priore, esse Hipponii. Interim incertum sitne vocabulum *ΛΑΝΔΙΝΑ* cognomen Palladis, aut quid aliud significet.

Æ. RR.

Nomine VALENTIAE.

Teste Livio [i]) ex S. C. deducta colonia V. C. 561. coepit appellari *Vibo Valentia*, et perrexit signare numos, sed Latine, et ex novo nomine *Valentiae*. Cicero municipium dixit. (in Verr. L. V. §. 16.) Patinus hos ipsi Romae tribuit, quae teste Solino olim ab Evandro ipso dicta *Ρωμη*, sed a juventute Latina *Valentia* appellata est. Sed in hoc judicio nemo cordatus acquievit.

Argenteos nomine coloniae Valentiae cusos tanto magis mirum foret, cum Hipponii nomine percussos nonnisi aeneos habeamus. Sed et omnes, quos ex hoc metallo citari video, auctorem habent Goltzium, quorum similes exstant quidem, sed aenei.

Epigraphe constans: VALENTIA.

Typi:

Caput Jovis laur.)(*Fulmen alatum.*

Caput Veneris.)(*Duplex cornu copiae.*

Caput Palladis tectum galea sine alis.)(*Noctua.*

Caput Apollinis.)(*Lyra.*

Caput Herculis.)(*Duplex clava.*

Adduntur singulis assis, aut partium notae.

* * *

Numi inscripti VALENTIA, quorum typi vel minimum ab hic descriptis differunt, sunt coloniae Valentiae Hispaniae, ut in hujus numis diximus. Haec cum jam ex praeclaro Florezii opere cognita sint, mirum profecto, adhuc a Magnano, atque ipso etiam Pellerinio utriusque urbis numos adeo inique confusos. Exstant parvi argentei, qui per caput Veneris et duplex cornu copiae, addito nonnunquam Q, simillimi sunt aeneis, quos secundo loco citavi, nisi quod abest nomen VALENTIA. Eos alii ob hanc ipsam causam Valentiae tribuunt, alii ob caput Veneris J. Caesaris monetam putant. Vtut erit, magis est verisimile, esse Romae signatos.

Æ. C.

LOCRI.

Ad mare Ionium et promontorium Zephyrium, a quo *Epizephyrii* dicti sunt, ut distinguerentur a Locris Opuntiis, Epicnemidiis, Ozolis Graeciae propriae, quorum etiam coloni fuere, etsi, a quibus horum orti sint, varient sententiae, de quo vide, quae uberius disseremus in numis coloniarum Corinthi nomine insignibus. Locrorum civitatem optimis legibus fundatam dixit Plato [k]).

Cum plures populi nomine Locri fuerint, et singuli propriam suam habuerint

---

h) Rec. T. I. p. 74. i) L. XXXV. c. 40. k) in Timaeo.

monetam, difficile suam singulis citra erroris periculum adsignare. Certi Locrorum Italiae sunt:

Caput Jovis laur.)(*ΛΟΚΡΩΝ. Aquila leporem depascens.* AR. II. (Mus. Caes.)

ΛΟ. Aquila stans, juxta quam granum hordei.)(*Fulmen inter duos circulos.* AR. IV. (Mus. Caes.)

Numus prior haud dubie his Locris tribuendus propter typum aversae, quem vicinae Siciliae numi multi praeferunt. Alterum quoque propter Jovis attributa, quem Locri praecipuo cultu mactavere, huc vocandum jure censeo. Circuli duo videntur aut valorem, aut pondus indicare.

* * *

ΔΙΟΣ. Caput Jovis laur.)(*ΛΟΚΡΩΝ. Fulmen.* Æ. II. (Magnan.)

Huc referendus hic numus, quoniam amabant urbes Bruttiae deorum signis nomina adscribere. Eandem vocem *ΔΙΟΣ* in Hipponii numis vidimus, et mox infra videbimus nomen *ΖΕΥΣ*.

* * *

Caput Proserpinae spicis coronatum, retro spica.)(*ΛΟΚΡΩΝ. Pallas stans d. hastam, s. clypeum, in area astrum et cornucopiae.* Æ. III. (Mus. Caes.)

Celeberrimum apud hos Locrenses fuit Proserpinae templum, quod cum diriperet Pyrrhus Epirota, passus naufragium thesaurum restituit, cumque iterum bello Hannibalico a Pleminii Scipionis legati militibus diriperetur, magna Romanos incessit religio, crimenque solenni more expiarunt [l]).

Caput Palladis.)(*ΛΟΚΡΩΝ. Mulier sedens d. pateram, s. sceptrum, in area duo astra.* Æ. II. (Magnan., Theup.)

Ipse fabricae modus, quantum ex iconismo tralucet, numum his Locris adserit. Aversa videtur sistere viriginem *φιαλοφορον*, quam in Locrensium sacris praeire solitam tradit Polybius [m]).

* * *

Capita Dioscurorum jugata.)(*ΛΟΚΡΩΝ. Jupiter sedens d. aquilam, s. hastam, in area cornucopiae.* Æ. III. (Magnan., Theup.)

Juppiter sic sedens et similia Dioscurorum capita saepe comparent in numis vicini Rhegii. Sed et fuit certa communis hujus typi causa. Narrat Strabo [n]), Locros cum sociis Rheginis apud flumen Sagram eo loco, ubi Castorum arae stetere, famigeratam illam de Crotoniatis victoriam retulisse. Addunt Suidas, (in *Αληθεϛερα*) et ex Menandro, Sophrone, et Alexi Zenobius [o]), Locrenses ei bello intentos suppetias a Spartanis postulasse, at hos negatis auxiliis socios belli Castores illis dedisse, atque horum deinde opera Crotoniatas fuisse debellatos.

* * *

Caput Palladis, juxta 2. globuli.)(*ΛΟ. Cornucopiae intra coronam.* Æ. III. (Mus. Caes.)

Hunc numum huc pertinere per globulos liquet.

---

l) Liv. L. XXIX. c. 6. et 16. seq. m) Hist. L. XII. c. 4. n) L. VI. p. m. 400.
o) Proverb. Cent. II. §. 17.

* * *

Caput Jovis laureatum, infra monogramma NE.)(*ΛΟΚΡΟΝ. Mulier sedens, juxta quam scriptum ΡΩΜΗ, d. clypeo innixa coronatur a muliere adstante, juxta quam ΠΙΣΤΙΣ, in area monogramma* NE. AR. II. (Mus. Caes.)

Numos similes Harduinus, eumque secuti Spanhemius [p]) et Liebeus [q]) Locris Ozolis tribuunt nulla alia de causa, quam quod adstitutum monogramma NE. interpretati sunt *ΝΕωκορων*, quod epitheton Italiae urbibus non fuisse usitatum constat. Haec interpretatio a Goltzio potissimum fluxit, in cujus numo plenius legitur *ΝΕΩΚ* [r]). Verum hic numus aliis ignotus est; qui exstant, solum NE. offerunt, et quidem saepe utrinque, et semper monogrammate vinctum, quo magis neocoratus significatio laborat. Quare numi hi Epizephyriis tuto permittendi, praecipue cum et judice Pellerinio eorum fabrica plane sit ex ejus tractus ingenio [s]). Reperio etiam rationem verisimilem ac tempus, quo signati videntur. In bello Hannibalis Locrenses ad Poenos defecere, verum V. C. 549. a. P. Scipione cos. recepti relicto apud eos legato Pleminio. Hic tam crudeliter in Locrenses saeviit, ut hi cogerentur missis legatis Romanorum opem implorare, qui, praecipue ob causam spoliati Proserpinae templi tota Italia celeberrimi cumulate Locrensium desiderio satisfecere concessa iis libertate, et ut legibus suis uterentur. Haec late Livius [t]), et Diodorus [u]). Ab hoc igitur tempore cum ut gratiam referrent, tum ut quandam velut tesseram futurae deinceps fidei exhiberent, hi videntur cusi numi, in quibus *ΠΙΣΤΙΣ Fides* Romam dominam coronat. Operae pretium adducere insignem Plutarchi locum numisma istud egregie illustrantem. Perhibet is [x]), a Chalcidensibus T. Flaminino, quod ejus opera urbs sua servata esset, sua adhuc aetate honores paene divinos habitos, et cantari solitum carmen, cujus extrema pars fuit: *Πιςιν δε Ρωμαιων σεβομεν, ταν μεταλευκοταταν όρκοις φυλασσειν. Μελπετε κουραι ΖΗΝΑ μεγαν, ΡΩΜΑΝτε, Τιτον τε άμα, Ρωμαιων ΠΙΣΤΙΝ. Ιηϊε Παιαν, ὦ Τιτε σωτηρ. Fidem vero Romanorum veneramur, a nobis jurejurando obstrictis quam candidissimam servandam. Canite virgines JOVEM magnum et ROMAM, et una Titum, et Romanorum FIDEM. Io Paean, o Tite servator.* En tibi in hujus numi antica Jovem *ὁρκιον*, seu jurisjurandi praesidem, in aversa Romam, et quam huic Locrenses spondent, fidem.

Cum hoc jungendus alter:

ΖΕΥΣ. Caput Jovis laur.)(*ΛΟΚΡΩΝ. ΕΙΡΗΝΗ. Mulier seminuda saxo quadrato, cui insculptum bovis caput, insidens d. caduceum praetendit, s. eidem saxo innixa.* AR. II. (Catalogue raisonné p. 38.)

Numus, quod sciam, aliis ignotus, sed qui haud dubie idem cum praecedente argumentum continet, nimirum ut in illo sese *fidei* in hoc *paci* fore intentos praedicant.

* * *

Ad hos etiam Locros pertinere videntur numi *ΛΟΚΡΩΝ* typo hinc Palladis,

p) T. I. p. 143. q) Goth. num. p. 181. r) Graec. M. tab. 27. s) Rec. I. p. 50.
t) L. XXIX. c. 7. et 16. seq. u) de Virt. et Vit. T. II. p. 570. x) in Flaminino p. 378.

inde Pegasi. Sed de similibus numis ex proposito agetur in moneta Corinthi.

AV. in solo Goltzio. AR. et Æ. C.

LYCIANI.

Vide in *Lucania*, quorsum numos *ΛΥΚΙΑΝΩΝ* censeo referendos.

MAMERTIVM.

Numos, quos aliqui huic Bruttiorum urbi tribuunt, vide in moneta Mamertinorum Siciliae.

PANDOSIA.

Duplex fuit in eo tractu Pandosia, una nobilior ad Acherontem fluvium caede Alexandri Molossi cognita, quae a Strabone et Plinio, quibus sane adhaerendum videtur, Bruttiis accensetur, a nonnullis vero aliis in Lucania constituitur, quod in mediterraneis ambigui sunt Lucanorum et Bruttiorum fines. Altera prope Heracleam, celebris item a clade, quam Pyrrhus Epirota hanc inter et Heracleam a Romanis passus est, cujus Pandosiae meminere Plutarchus, et tabulae Heracleenses apud Mazochium. Ad priorem tanquam nobiliorem antiquarii vocavere numum inscriptum *ΠΑΝΔΩΣΙΕΩΝ*, at hic Goltzianus est, ejusque suspecta fides. Serius Pellerinius singularem numum edidit vetustissimi operis, et palaeographiae praeclare servientem: (Lettres p. 201.)

ΠΑΝΔΟ. *Bos stans et respiciens, ut in Sybaritarum numis.*)(ϘΡΟ *Tripus.* AR. I.

Binas is urbes continet, Pandosiam et Crotonem. Sed enim dubitat illustris auctor, utra in hoc Pandosia indicetur. At vero vix dubitem, tribuendum Bruttiae, non tam quod nobilior exstitit prae alia, quam quod Crotoni multo vicinior, sita in eodem Bruttiorum agro secundum verisimiliorem sententiam. Typus Sybariticus huic sententiae neque obest, neque prodest, nam quamcunque Pandosiam hujus numi matrem statuamus, poterat utraque communem cum Sybaritis typum habere.

AR. RRRR.

PETELIA.

Ad mare Ionium supra Crotonem, docente Marone a Philoctete condita.

Epigraphe constans: *ΠΕΤΗΛΙΝΩΝ.*

Typi: in antica: *Capita variorum deorum,* in aversa: *Juppiter fulgerator, Victoria, canis currens, tripus, clava etc.*

Globuli ponderis notae in aliquibus.

Æ. R.

RHEGIVM.

Ad fretum Siculum e regione Messanae. Vrbs vetusta aedificata a Chalcidensibus testi Strabone[y]), et Scymno Chio[z]). Tzetzes citato Callimacho a Jocasta Aeoli F. exstructam dixit[a]).

Numi antiquissimi: Ex his maxime memorandus sequens:

RECINON (*retrograde.*) *Lepus currens.*)(*Vir vectus in rheda lenta juncto unico equo, in imo folium.* AR. I. (Mus. com. Vitzai.)

Praeclarum hunc, et rarissimum numum eximie illustrat Julius Pollux, cum ait[b]): *tum et Anaxilas Rheginus, cum Sicilia ante, ut Aristoteles inquit, lepores non gigneret, hic invehens, nutriensque,*

---

y) L. VI. p. m. 396. z) Vers. 310. a) ad Lycophr. v. 45. b) L. V. c. XII. § 75.

simul rheda in Olympia vincens, Rheginorum monetae rhedam insculpsit, et leporem. Alibi idem ait [c]): Rheginos leporem in numis signare solitos. Cum hactenus hujus numi nullam viderem fieri mentionem praeterquam a Prospero Parisio [d]), unde eum scriptores alii mutuati sunt, et Mazochio, qui eum tantum obiter ex Joanne de Flore, auctore mihi ignoto, citat [e]), coepi dubitare, utrum praetensus hic numus vere existat, et non forte Pollux dixerit de Rheginis, quod dicendum fuerat de vicinis Messanensibus, in quorum numis vetustissimis obvius, et fere unicus typus est lepus, et rheda. At numus, quem coram descripsi, nuperrime in museum ill. comitis de Vitzai illatus, isque plane nitidus ac integer, Pollucem liberaliter absolvit.

* * *

1) *Caput leonis adversum.*)(*Quadratum incusum.* AR. I. (Hunter.)

2) *Caput leonis adversum.*)(RECION. *Caput vituli dextrorsum versum.* AR. II. (Mus. Caes.)

3) *Caput leonis adversum infra ramus lauri.*)(RECINO. (*retrograde.*) *Juppiter sedens d. hastam, omnia intra lauream.* AR. I. (Mazochi Tab. Her. p. 550.)

4) *Alius sed* RECINOƧ. AR. I. (Mus. Caes.)

5) *Alius, sed* RECINON. AR. III. (Mus. Caes.)

6) *Caput leonis adversum.*)(RECI. *intra lauream.* AR. III. (Panel ex le Bret. Trevoux Octob. 1737. Pellerin, sed apud quem aeneus dicitur, fors chalcographi errore.)

7) *Caput leonis adversum.*)(RE. *In utriusque literae medio circulus, in cujus centro globulus.* Æ. IV. (Mus. princ. Waldeck.)

Numi recentiores:

8) *PH. PHΓ. PHΓINON. PHΓINΩN.*

9) *PHΓINOΣ* in argenteo suo legit Begerus [f]), at in simili Maffejus *PHΓINOM* [g]). Praeplacet judicium Begeri, et tanto istud magis, quia nullum cum epigraphe *PHΓINOM* editum video apud Magnanum, qui magnum monetae Rheginae numerum prodidit.

* * *

Agendum primo de ipsius inscriptionis natura, de qua cum a nonnullis viris gravibus praepostere sit judicatum, necesse est restituere ea, quae olim in eadem causa prolixius sum commentatus [h]).

Cum refert Strabo [i]), Rhegium nomen accepisse ἀπο του ῥηγνυσθαι, *abrumpi*, auctore etiam Aeschylo, quem citat, abrupta nimirum terrae motu Sicilia a continente Italiae, nihil is sane dixit aliud, quam quod vulgo dictum fuit auctoribus cum Graecis, tum Latinis. At idem paullo infra alium etymologiae modum, quem auditu acceperat, in medium profert, nimirum, sic urbem appellatam videri a Samnitibus, propter splendorem, scilicet *Regium*, tanquam *Regiam*, βασιλειον; horum enim principes

c) L. IX. c. VI. § 84. d) Num. M. Graeciae tab. II. e) Tab. Heracl. p. 551.
f) Th. Br. T. I. p. 338. g) Osserv. let. T. V. p. 390. h) Sylloge I. p. 12. i) L. VI. p. m. 396.

Romanae civitatis fuisse participes, Latinoque plurimum sermone usos. Haec Strabo, cui, homini Pontico, et Latinarum rerum minus perito venia danda, si rumori parum firmo, et peregre advecto locum in commentariis suis indulsit, cui exiguam a se habitam fidem, argumento est, quod ipse ausus non est, istud adfirmare, sed aliis, verumne sit, an falsum, dijudicandum relinquit. Atque ut brevitatis causa argumentis aliis abstineam, quae memoratam hanc a Strabone sententiam evertunt, indubitatum est, exstare Rhegii numos multo ante signatos, quam praetensa haec Samnitum cum Romanis communio coepit.

Mazochius ita divisit Strabonis sententiam, ut concederet quidem, *Regium* habuisse nomen a *Regia*, tamen appellationem istam non inditam a Samnitibus, sed a primis urbis incolis ex oriente utique advectis, in quorum lingua RAC est *regnare*, et REC idem quod *rex*. Ait praeterea, literas, quibus Rhegii numi inscribuntur, esse Latinas, vel Oscas, (Graecas non agnoscit) percussos vero hos numos post octogesimum ante Christum annum promulgata lege Julia, qua civitas Romana cum Samnitibus, Lucanis, Bruttiis communicata fuit, ex quo scilicet sermo Latinus familiaris evasit Italicis urbibus. Lege haec omnia apud auctorem latius exposita[k]). Digna sane omnis haec oratio homine, cui omnia hujus universi vocabula, quae aut ultima Thule, aut summotissima in Austrum Taprobane fuderunt, orientali fonte cadere videbantur, et qui unis philologiae criticae studiis intentus neglexit eam partem, quam πρακτικὴν appellamus, seu quae in dijudicanda veterum monumentorum natura et externis causis versatur. Non est mihi animus, absurda omnia, quae toto hoc capite effudit Mazochius, refutare, in id unum intento, ut comprobem, literas monetae Rheginae non esse aut Latinas, aut Oscas, sed plane Graecas.

Jam primum certum est ex Strabone aliisque, quos principio adduxi, fuisse Rhegium coloniam Chalcidensium, et, quod sequitur, perinde urbem Graecam, quam aut Veliam, aut Cumas, perinde adeo Rheginos lingua patria Graeca usos, quam aut Eleatas, aut Cumaeos. At, inquit Mazochius, literae in Rhegii numis ejusdem sunt formae, cujus sunt Latinae. Quid tum? an ergo propterea Latinas faciemus? Quod si valebit, nihil obstat, quo minus aut Syracusanorum *SVRA*, aut Naxiorum *NAXION*, aut Gelensium *CELAΣ*, aut Messanae *MESSENION*, aut Himerensium *HIMERA*, aut Selinuntiorum *HVΨAΣ*, aut, si superis placet, literas, quae sunt in vetustissimis marmoribus Amyclaeis, vel Sigeo, Latinas vel Oscas compellemus, quod literae in his fere omnes Latinis sunt simillimae. Quis jam ignorat, Romanorum alphabetum esse vetustissimum Graecum, quod Pelasgicum appellamus, constanter retentum a Martia hac gente et veteris instituti tenace, Graecis interim innata novandi libidine literarum aut formam aut valorem immutantibus? Rectius ergo

k) Tab. Heracl. p. 550.

fecisset vir summe eruditus, si gravissima Plinii et Taciti testimonia his monumentis adcommodasset, quorum ille [l]): *Veteres Graecas literas fuisse easdem paene, quae nunc sunt Latinae, indicio erit Delphica tabula antiqui aeris etc.* hic [m]): *et formae literis Latinis, quae veterrimis Graecorum.* Legis ergo instar tenendum, quanto magis literae in numo aut marmore urbis Graecae ad formam literarum Romanarum accedunt, tanto esse eum numum aut marmor antiquius, inscriptum ante, quam haec Graecorum innovatio invalesceret. Atque secundum hanc legem certum etiam, antiquissimos esse numos Sicularum urbium, quos mox pacitavi, et antiquissimos ex eadem causa esse numos Rhegii inscriptos RECI. RECION. RECINO. RECINOƧ, nam, ut marmora taceam, R et S, quae Mazochio Latinae videntur, habemus in numis vetustissimis Syracusarum, et C pro Γ in numis Gelensium, Agrigentinorum, aliorumque extra Siciliam. Quod vero ait idem, hos Rheginorum numos nonnisi post octogesimum ante Christum annum percussos, satis testatur, virum summum majorem operam impendisse volvendis libris, quam dijudicandae numorum aetati. Certum enimvero, ut docebimus infra, exstare Rhegii numos quinto circiter ante Christum natum saeculo signatos, cum qua aetate quo pacto componemus aut legem Juliam, aut Bruttios civitate R. donatos, aut sermonem Latinum Rheginis familiarem, quibus tum adhuc Latini fere ignoti? Atque haec uberius placuit exponere, quod praeter Mazochium fuere eruditi alii insignis nominis, qui Rhegii numos Latine inscriptos credidere. Hos inter Pellerinius nomen RECI. numi sui Latinis literis scriptum putavit, eumque cusum tum, ex quo Rhegium colonia deducta est. Video etiam, Cl. Morisanum auctorem praeclari operis: *Inscriptiones Reginae dissertationibus illustratae, Neapoli* 1770. nonnullos agnoscere Rhegii numos Latine inscriptos.

Atque ut literas Rheginas esse Graecas, sed alphabeti vetustissimi docui, sic et vocabula ipsa esse plane Graeca, neutiquam Latina, ex ipsa terminatione patet. Habes in numo 2. scriptum RECION; an Latinum istud facies, quando totum Graecum est, nempe urbis nomen in recto, ut in aliarum urbium numis *ΤΑΡΑΣ*, *ΜΕΣΣΑΝΑ*, *ΗΙΜΕΡΑ*, ex quo recentior orthographia fecit *ΡΗΓΙΟΝ*? quo modo et Ovidius dicendo: *Rhegion ingreditur etc.* [n]) naturam vocabuli Graecam plane professus est. In numo 5. legitur RECINON, pro quo in numis recentioribus numeri 8. est *ΡΗΓΙΝΩΝ*. An vero unquam Latini vocabula sua flexere in *ON*? Est ergo Graecum solitum in gignendi casu a recto *Ρηγινος*, quod est certum ἐθνικον Rhegii. In numo 4. est RECINOS, pro quo in numo recentiore num. 9. est *ΡΗΓΙΝΟΣ*. nimirum idem Rhegii ἐθνικον in unitatis numero, ut habemus in aliarum numis *ΝΕΟΠΟΛΙΤΗΣ*, *ΚΑΤΑΝΙΑΤΑΣ*, *ΚΡΟΤΩΝΙΑΤΑΣ* etc. Denique in numo 3. est RECINO.

---

l) L. VII. § 58. m) Ann. XI. c. 14. n) Met. XIV. 48.

Esto, nomen istud revera sic legi, etsi in similibus aliis legatur RECINOS, tamen et RECINO Graecum est putandum, quia Graecum quoque est *ΜΕΣΣΑΝΟ* in numis Messanae, de qua terminatione vide numos hujus urbis Siculae. Si ergo literae in his Rhegii numis Graecae sunt, vox ipsa ex Graecae linguae legibus formata, ejus vero urbis conditores Graeci, multo etiam magis verisimile, nomen urbis ab etymo Graeco ducendum, et quidem ex plurimorum auctorum sententia, ut dixi, *ἀπο του ῥηγνυσθαι*, cujus rationis est etiam Strabonis *ῥηγμα*, id est: *ruptura*, oppidum Ciliciae ad ostia Cydni [o]), et ipsa etiam vox *ΡΗΓΜΑ* scripta juxta monticulum, ex quo aqua profluit, in numo Limyrae Lyciae [p]). Quod si verbum *Rhegium* est potius Latinum, aut secundum Mazochium orientale, sed ejusdem cum Latino significationis, mirabor sane, scriptores Romanos tam rerum suarum nescios etymon urbis ex alieno potius solo, quam suo petere voluisse, quos inter Trogus apud Justinum [q]): *Rhegium dicitur ideo, quia Graece abrupta hoc nomine pronunciantur.* Et Plinius [r]): *Ab hoc dehiscendi argumento Rhegium Graeci nomen dedere oppido in margine Italiae sito.* Sallustius, cum idem narrasset, addit: *Inde Rhegium nominatum* [s]). Cumque auctores alii fere omnes nomen urbis scripserint *Rhegium* cum aspirata, non *Regium,* certum est, illis vocabulum hoc Graecae originis creditum.

Ducto ergo a *rex* vel *regius* etymo ingeniose Mazochius similium numorum typos explicat. Vnam faciem occupat Juppiter. Cur istud? quia rex est hominumque, deumque. Alteram leonis caput, nimirum et hic rex quadrupedum. An et lepori, et vitulo, quem in pluribus Rhegii numis habemus, aliquas in hoc regno partes dederit, ignoro. In haec absurda aberrare virum eruditum necesse fuit, dum ad explicandas res planissimas, fastiditis, ubi poterat, Occidentis copiis velut alter Antonius, accinctus ope barbarica, variisque armis

ab Aurorae populis et litore rubro
Aegyptum, viresque Orientis, et ultima secum
Bactra vehit.

Ceterum ex numis scriptoribusque posse confici, multos ex pervetustis his Rhegii numis in quintum usque saeculum ante Christum natum porrigi, docebimus in moneta Messanae Siciliae. Ad haec non literarum solum forma, sed et picturae ratio remotam numis Rheginis vetustatem dictant.

* * *

Typi:

Caput leonis adversum perfrequens est in Rhegii moneta typus, cujus lecti causam vide infra in Messana.

Apollo ejusque attributa saepe in numis recentioris aevi recurrunt. Sed et vetus ejus fuit apud Rheginos religio; nam teste Varrone [t]) Orestes in Rhegii

o) L. XIV. p. m. 990. p) Pellerin Rec. III. p. 219. q) L. IV. c. 1. r) L. III. § 14.
s) Fragm. apud Isidorum. t) Fragm. L. X.

fluviis a matris nece purgatus Apollinis ibi templum aedificavit, et vetus inscriptio Rhegina, quam ex Morisano recitat Cl. Morcellus [u]), ait: IN. TEMPLO. APOLLINIS. MAIORIS. Praeterea ferebatur Rhegium colonia Delphis, et Apolline auspice deducta [x]).

Numi alii cultum Jovis, Dianae etc. sistunt. In aliquibus caput geminum juvenile jugatum ut Jani.

* * *

Globuli, unciarum notae, in nonnullis aeneis. Horum vices in compluribus subeunt lineolae II. III. IIII. ut in numis Catanae.

S C Y L A C E V M.

Numus *ΣΚΥΛΛΑΤΙΩΝ* apud solum Goltzium.

S I B E R E N E.

Numi vulgati a Prospero Parisio, quibus deinde tres alios, incertum quibus auctoribus, addidit Magnanus. Cum hujus urbis nemo geographorum meminerit, et verisimile sit, Stephani Siberenen esse eandem cum illa, quae saeculo inferiore dicta fuit *S. Severinae*, atque adeo vix unquam hujus nominis vetus urbs exstiterit, apparet, quam sit infirma horum numorum omnium fides.

T E M E S A.

Numi *ΤΕΜΕΣΕΩΝ* ex eodem et solo Prospero Parisio, fidei adeo dubiae.

T E R I N A.

Ad mare Tyrrhenum, a Crotoniatis condita, ab Hannibale eversa [y]).

Epigraphe: ΤΕ. ΤΕΡ. ΤΕΡΙ. ΤΕΡΙΝΑΙΟΝ. ΤΕΡΙΝΑΙΩΝ. in aliquibus abest omnis inscriptio.

Typi: *Caput muliebre diadematum, saepe intra lauream.*)(*Mulier amphorae insidens d. lauream, vel caduceum vel aviculam etc.* In aeneis nonnunquam *Pagurus.* (Mus. Caes.)

Capite anticae verisimile est exhiberi Ligeam, quae fuit una Sirenum, de quo vide, quae ad numos Neapolis Campaniae disputavi.

AR. RR. Æ. RRR.

V A L E N T I A.

Vide supra Hipponium.

Z E P H Y R I V M.

Numus *ΖΕΦΥΡΙΕΩΝ.* Goltzianus.

NVMI VRBIVM ITALIAE INCERTARVM.

O R R A.

Exstant numi, aenei omnes, inscripti ORRA addito in aliquibus *ΓΟR.* (Pellerin, Pembrock.) vel *ΓΟRΟ.* (Mus. Caes.) Typi: *Caput Herculis.*)(*Fulmen.* — *Caput juvenile laureatum,* vel *Caput Veneris.*)(*Cupido gradiens et lyra canens.* — *Caput juvenile laureatum.*)(*Aquila.* Adduntur globuli, ex quorum numero sunt quincunces, trientes, quadrantes, sextantes. Numi sunt apud Haymium, (T. II. p. m. 167.) Pellerinium, (Rec. III. p. 107.) Arigonium, et in Museo Caesareo.

Vt certum est, numos esse Italicos

u) de Stilo inscript. p. 152. x) Antig. Caryst. Hist. mirab. c. 1. y) Plin. Strabo.

docentibus istud adstitutis globulis, ita nemo hactenus verisimile quid attulit, cujus Italiae urbis possint numi videri. Conjectura Pellerinii, *Horreum* quoddam Siciliae opinantis [z]) vix memorari meretur. Magnanus *Orram*, Latinis *Vriam* Locris Epizephyriis inserit, et ab Idomeneo Deucalionis F. conditam narrat nullo vade citato [a]). Addit, quo id confirmet, secutus, ut opinor, Cl. Ignarram [b]), numum ex museo Nojano, in quo adjectam ait vocem *ΛΟΚΡΩΝ*. Si ipsam numi imaginem spectes, videbis, in aversa scriptum ORRA, in adversa *ΩΛ*, ex quo *ΛΟΚΡΩΝ* confici nequit, qui populus constanter literam O, non *Ω* usurpavit. Plus igitur lucis hi adhuc numi desiderant.

Eadem hora, qua primum paginae hujus experimentum ex typographeo emersit, perlata est ad me Neapoli dissertatio: *Illustrazione di un antico vaso trovato nelle ruine di Locri*, ab ejus humanissimo auctore Michaele Ardito mihi dono missa. In ejus fronte exstat imago numi, cujus Cl. Ignarra in suo de palaestra Neapolitana opere obiter tantum meminerat, estque talis:

Caput Palladis galeatum.)(*ΛΟΚΡΩΝ. Botrus, supra quem ΟΡΡΑ.* Æ. III. (Olim in museo ducis Nojae, nunc reg. Neap.)

Ex hac rarissimi hujus numi epigraphe saltem istud commode eruitur, Orram hactenus ambigui situs in Locrorum Epizephyriorum agro fuisse positam.

Æ.R R. *Horum unus apud Pellerin* AR. *dicitur chalcographi vitio, ut testatur Magnanus.* (l. c.)

* * *

Huic addi possunt numuli varii argentei IV. et V. formae typis *diotae*, *capitis equini*, *lunularum*, *facis ardentis etc.* quales complures olim spectandos dedi [c]), et de quibus istud tantum constat, intra magnae Graeciae fines reperiri. Epigraphe aut nulla, aut nimium parca omnem hactenus reperiundae eorum patriae viam occlusit.

---

z) l. c. a) Bruttia num. p. 9. b) de Pal. Neap. p. 253. c) Sylloge I. p. 16.

SICILIA.

PROLEGOMENA.

Omnium mediterranei insularum magnitudine, opibus, frugum abundantia, urbium et antiquitate et potentia, regum et tyrannorum claritate, rerum gestarum gloria facile princeps. Neque vero etiam, quod ad praesens institutum pertinet, ulla alia Graeci orbis regio aut tanta copia numos signavit, aut tanta elegantia, si Graeciam M. demas, quae in utraque laude cum Sicilia de principatu possit contendere. Quantam vero utilitatem philologiae studiis adferat moneta Sicula, abunde ex hoc tractatu licebit perspicere.

A figura dictam fuisse *Trinacriam*, conspirant Strabo [d]), Diodorus [e]), aliique, nimirum a tribus promontoriis, in quae procurrit, Peloro, Pachyno, Lilybaeo. Plinius [f]): *Ante omnes claritate Sicilia, Sicania Thucydidi dicta, Trinacria pluribus, aut triquetra a triangula specie*, unde et Horatius dixit *triquetra tellure* pro *Sicilia* [g]), quo modo et de Britannia Caesar [h]): *Insula natura triquetra.* Tria haec promontoria tribus cruribus inter se nexis solent indicari, quae uno vocabulo, more inter nos recepto, *triquetram* solemus appellare, estque triquetra sic dicta obvium, qua Sicilia indicatur, symbolum non modo in numis domesticis, sed Romanis etiam, ceu in denariis Marcelli et Lentuli. Trinis his cruribus saepe intertextas spicas videas ad notandum insulae fertilitatem. Plerumque in triquetrae medio alatum visitur Medusae caput, et aliquoties in numis Syracusanis ipsa etiam crura alis instructa comparent. Vtriusque phaenomeni causam idoneam nondum reperi, et libenter patiar me ab alio edoceri. Haec tamen triquetra non ita propria est Siciliae, ut non etiam aliarum urbium numis insideat, ut Veliae Lucaniae, Suessae Campaniae, ut teste numo Hunteriano Metaponti Lucaniae, quod quidem propter viciniam minus mirum, sed et Aspendi Pamphyliae, Selges Pisidiae, principum Olbensium Ciliciae, aliarumque ejus tractus urbium, quae in eodem symbolo concordia tanto magis mira videatur, quod urbium tanto intervallo dissitarum nullus cum Sicilia nexus appareat. Eadem triquetra exstat etiam in numis aeneis praefectorum classis M. Antonii IIIviri, quos tamen certum est extra Siciliam cusos.

Alter typus in numis Siculis frequens est bos cum facie humana, cujus explicatum praecepi in dissertatione Campaniae numis subjecta.

Obvius etiam typus in numis praecipue tetradrachmis bigae, trigae, quadri-

d) L. VI. e) L. V. c. 2. f) L. III. § 14. g) L. II. Sat. VI. v. 55. h) L. V. c. 13.

gae, Victoria, plerumque habenas moderante, aut advolante desuper, et aurigam, aut equum solum coronante. Qui in numos Siculos commentati sunt, eo ajunt indicari solennes Graecorum ludos, et relatas in his victorias. Verisimile istud videatur, praecipue cum, ut dixi, plerumque in his numis aurigam advolans Victoria coronet, quem honorem revera Olympionicis tributum novimus. Nam teste Thucydide [i]) Lichas Spartanus, cum videret, suas bigas palmam in Olympia abstulisse, ipse in stadium progressus aurigam coronavit. Ceterum cum typus hic compareat in numis plurium Siciliae urbium, et quidem antiquissimis, ac fere tetradrachmis tantum, videri possit usu potius consecratus, quam esse victoriae in ludis reportatae praeconium. Vix enim credam, Philistidem reginam, in cujus numis idem est typus, aliquod sibi ab his exercitiis decus quaesivisse.

Amabant Siculi in moneta sua proponere fluviorum suorum nomina et effigies Eorum octo sunt comperti, *Acragas* Agrigenti, *Amenanus* Catanae, *Arethusa* Syracusarum, *Asine* Naxi, *Chrysas* Assori, *Gelas* Gelae, *Hipparis* Camarinae, *Hypsas* Selinuntis. Eorum effigies sunt forma humana, ut ad singulas urbes videbimus, et copiose disseruimus in citata mox ad Campaniae numos dissertatione.

Numi Siculi antiquissimi ut cognitione styli delectant, qui apud hanc gentem viguit, antequam artes circum auream Alexandri M. aetatem perficerentur, ita palaeographiae pulcherrima et copiosa exempla suppeditant. Praecipua ex his sunt: *DANKLE, HIMERA, CELAΣ, MESSENION, NAXION, SVRAϘOSION, HVΨAΣ* etc. Varios hos Siculae in numis scripturae modos collectos vide in Principis Turris Mutiae inscriptionibus Siciliae et adjac. ins. Prolegom. pag. XXXV. De dialecto in numis Siculis mox separato articulo agam.

Ad metallum quod attinet, antiquissimi quique argentei sunt omnes, et vix est aeneus, qui aevi admodum remoti indicia praebeat. Serius signati aurei, cujus generis ut obvii sunt Syracusani, ita aliarum urbium rarissimi, puta, Agrigenti, Gelae, Tauromenii. Sunt tamen obvii aurei ex eorum genere, quos Punicos, et Panormi cusos credimus. Regum item aut tyrannorum aurei inde ab Agathocle parabiles, demptis Hieronymi, qui rarissimi.

Quando numi in Sicilia feriri desiverint, incertum. Habemus numos Agrigenti coloniae Latinos, et Segestae Graecos sub Augusto, et coloniae Panormi sub Tiberio signatos. Verisimile, adhuc sub Augusto urbibus Siciliae liberis jus monetarium ademptum, sub Tiberio etiam coloniis non Siciliae modo, sed et Africae veteris, de quo instituto alibi erit agendi locus.

Comperta numorum Siculorum praestantia multi fuere auctores, qui eos in vulgus edidere, aut commentariis illustravere. Jam ante duo saecula *Hubertus Goltzius* vulgavit numos Siculos. Post hunc *Philippus Paruta* Panormitanus divitem suum numorum patriorum syllabum conscripsit alteris curis Romae a *Leonardo*

i) L. 5. c. 50.

Augustino, Lugduni a *Marco Maiero* additis supplementis editum. Ei restituendo postremus manum admovit *Sigebertus Havercampus*, quo is in opere, praegrandis atque indigestae molis, ut pleraque sua numismatica, non modo vetera illa Goltzii, Invegis, Mirabellae, Maieri recoxit, sed prolixos etiam commentarios ex suo cornu, quod copiam semper, etsi raro bonam, fuderat, veteribus adjecit, qui, quo sint loco habendi, ne detrahere viri praeclari meritis unus videar, ex Petri Burmanni praefatione Dorvillii Siculis praefixa pag. XXXIII. poteris colligere. At eximia sunt supplementa, quae laudatus *Dorvillius* legit, et quae editis a se monumentis Siculis conjuncta sunt, a Petro Burmanno Secundo erudite ac magno judicio explicata. Nostra aetate de numis Siculis plurimum promeritus est *Gabriel Lancillotus Princeps Turris Mutiae*, qui non modo inde a pluribus annis quinque opusculis, quae *Aggiunte alla Sicilia numismatica di Paruta* appellavit, veterum in edendis numis Siculis sphalmata correxit, sed novas etiam accessiones additis, quas longus in patria usus docuerat, praeclaris animadversionibus nobiscum communicavit, ac postremo Siculos numos omnes hactenus cognitos tabulis CVII. complexus est in opere: *Siciliae populorum et urbium, regum quoque ac tyrannorum veteres numi Saracenorum epocham antecedentes. Panormi* 1781. Insignibus his principis indefessi conatibus si respondisset chalcographi adcuratio, qui saepe cum inscriptiones, tum typos propalam pervertit, et si in ipsis tabulis discreti fuissent numi, quorum ipse archetypa vidit, ab iis, qui sibi e Goltzio et Paruta, de quorum ipse fide non raro dubitat, fuere cogniti, nihil esset, quod ad Siciliae numismaticae perfectionem amplius possemus desiderare. Ex hoc opere numos, quos citabo, omnes excerpsi, ut adeo necesse non sit memorare musea, quod alias facere institui. Ab eo tempore auctor nobilissimus duo edidit supplementa auctariorum nomine, primum anno 1789, alterum anno 1791, sed nescio, quo fato contigit, ut horum alterum ad manus meas perveniret, at primo in hanc horam caream.

De dialecto et linguis in numis Siculis.

Dores, Iones, Chalcidenses transgressos in Siciliam, et extrusis indigenis barbaris fundasse urbes, historia docet. Fuere igitur tot in Sicilia dialecti, quot variae gentes, nempe Dorica, Ionica, Attica, nam Chalcidenses Atheniensibus fuere cognati. Haec ut vera fuerunt sub ipsa urbium fundatarum principia, ita alia subinde lex praecipue circum eam aetatem, qua plerique numi, quos superstites habemus, signati sunt. Nam cum maxima esset Dorum in insula potentia, qui Syracusas, Agrigentum, aliasque urbes omnibus copiis refertas tenuere, horum cupiditate vel dissensu gentibus aliis vel ejectis, vel servire coactis, vel secum permixtis, factum subinde, ut Dorum quoque lingua reliquas omnes paullatim absorberet. Nova quoque Dorum supplementa ex Graecia arcessita suppetias ve-

nere, ceu Messenii Dores, qui occupata Zancle alterius gentis suam continuo dialectum invexere. Sane Siculae urbes omnes Dorice numos suos inscripsere, ut: *ΜΕΣΣΑΝΙΩΝ. ΠΑΝΟΡΜΙΤΑΝ. ΑΡΧΑΓΕΤΑΣ. ΒΑΣΙΛΙΣΣΑΣ* etc. pro *ΜΕΣΣΗΝΙΩΝ. ΠΑΝΟΡΜΙΤΩΝ. ΑΡΧΗΓΕΤΗΣ. ΒΑΣΙΛΙΣΣΗΣ.* Missis vocabulis similibus aliis Dorismi jam cogniti juvat philologiae causa expendere alia Dorismi minus in vulgus noti.

ΒΑΣΙΛΕΟΣ, pro *ΒΑΣΙΛΕΩΣ*, constanter in numis Siculis, etiam illa aetate, qua *Ω* pridem invaluit. Est *ΒΑΣΙΛΕΟΣ* modus communis, retentus a Doribus et Aeolibus, nam et in marmore reperto apud Cymen Aeolidis est *ΑΡΧΙΕΡΕΟΣ. ΛΑΟΔΙΚΕΟΣ.* [k]), at *ΒΑΣΙΛΕΩΣ* Atticum est, atque in omnibus aliorum regum numis usurpatum.

ΣΥΡΑΚΟΣΙΩΝ. ΑΡΕΘΟΣΑ. pro *ΣΥΡΑΚΟΥΣΙΩΝ. ΑΡΕΘΟΥΣΑ.* *Συρακοσαι* dixit et Pindarus, (Pyth. *B.* v. 1.) et aliquoties Theocritus, et eadem Dorica libertate usus Virgilius tertiam corripuit in: *Prima Syracosio* etc. [l]), de quo sive archaismo, sive Dorismo uberius agam in numis Alexandri I. Macedoniae regis. Ex quo apparet, epigraphen *ΑΡΕΘΟΣΑ* nequaquam ortam ex vitio scribendi, ut visum Principi T. M. [m]).

ΑΓΑΘΟΚΛΕΙΟΣ. perfrequens in numis Agathoclis pro solito *ΑΓΑΘΟΚΛΕΟΣ.* Exempla Dorica vocalis *E* in diphthongum *EI* mutatae suppeditat Maittairius [n]). In numo uno, si recte istud promulgatur, Princeps T. M. vidit *ΑΓΑΘΟΚΛΕΟΥΣ.* [o]), quanquam apud Polybium habeamus quoque *Στρατοκλεους* [p]), et in numo Nicoclis Paphiorum regis *ΝΙΚΟΚΛΕΟΥΣ.*

DANKLE, propter primum elementum huc pertinet. Numos sic inscriptos pertinere Zanclen, quae subinde Messana dicta est, a nemine ambigitur. Notat Maittairius post tot alios linguae Graecae magistros [q]), Dores passim *Z* in *Δ* mutasse, et sic dixisse *δυογον* pro *ζυγον*, et *Δευς* pro *Ζευς*, ergo dixerunt etiam *Δανκλε* pro *Ζανκλε*. Verum quod maxime Dorismum hunc comprobat, est lapis a Fourmontio apud Amyclas Laconiae repertus, in quo Zeuxidamus notus Laconum rex scribitur *ΔΕΥΚΣΙΔΑΜΟΣ* [r]). Lacones Dorice locutos constat. Quicunque ergo tum, cum numi cum epigraphe DANKLE signati sunt, urbem tenuere, etsi origine Dores non fuerunt, certum est, ad receptum in insula Dorismum deflexisse, atque ex hujus lege *Δ* pro *Z* usurpasse, eodem modo, quo et Chaldaei literam *Zain* Hebraeorum in *Daleth* mutavere. Neque vero opus est continuo Dorismum arcessere, cum Plato generatim dixerit, veteres Graecos elemento *Δ* pro *Z* frequenter usus [s]). Sic et veteres Latini dixere *Medentius* pro *Mezentius* teste Prisciano [t]). Necesse non fuerat, doctrinae jam cognitae longius inhaerere, nisi viderem, viros primi in arte nostra subsellii in explicando hoc

k) Caylus Rec. d'Ant. T. II. p. 170. l) Eclog. VI. 1. m) Aggiunt. p. 138.
n) Graec. dial. p. m. 168. o) Tab. CI. n. 12. p) Exc. leg. LXVII. q) l. c. p. 141.
r) B. L. Hist. T. XVI. p. 101. s) in Cratylo p. m. 418. t) p. 552. ed. Putsch.

elemento graviter hallucinatos, etsi, quod postea adverti, similia his, quae modo docui, pridem praeceperit Montfauconius [u]). Opinabatur Frölichius, esse *Z* formae vetustissimae, et deinceps abolitum [x]). Cl. Dutens putabat positum *D*, quod nondum inductum esset *Z* [y]). Pellerinio ex Oscorum vel Etruscorum alphabeto captum videtur, idque tanto pronius, quoniam Zancle, ut in hujus urbis numis dicetur, incolas aliquando habuit ex Campania advectos, quam tenuere Osci et Etrusci, cumque litera *D* in horum alphabeto potentiam *του R* habuerit, sequi, urbem ab his dictam *Rancle* pro *Zancle* [z]). Hunc Pellerinii parachronismum refutabo infra, cum de urbis hujus numis agam. Forma hujus literae ad Latinum *D* accedens naturam Graecam non inficiatur, sed numum esse canae vetustatis suapte profitetur.

De variis Siculorum dialectis multa erudite congessit Princeps T. M. in saepe laudato opere: *Inscriptiones Siciliae Proleg. p. XVI. seq.*

Linguas, quibus numi Siculi loquuntur, habemus tres varias, Graecam, Punicam, Latinam, nimirum pro variis nationibus, quae in hac insula domicilium fixere, quae causa videtur, cur Apuleius Siculos *trilingues* dixerit [a]). Dominatur Graeca, de numis Punicis agemus in Panormo, Latina angustos habet fines, et cum hac res Siciliae numismatica defecit. Numi hujus insulae Arabici ad meum institutum non pertinent.

u) Palaeogr. p. 127. x) Not. elem. p. 24. y) Explic. de quelq. méd. p. 184.
z) Rec. III. p. 101. a) Metam. L. XI. p. m. 226.

S I C I L I A.

Caput muliebre velatum, et coronatum spicis.)(*ΣΙΚΕΛΙΩΤΑΝ.* *Victoria in citis quadrigis.* AR. m. m.

Numum hunc primus edidit Pellerinius, subinde similem alium Princeps T. M.[b]) Eo sunt singulares, quod communi nomine omnes totius insulae populos complectuntur. Vtriusque partis typus suspicari facit, eos Syracusis signatos, at quo consilio, incertum.

AR. RRRR.

ABACAENVM.

Ex uno fere Diodoro cognita, qui eam ad Septentriones prope Tyndaridem collocat.

Ejus numorum agmen ducat sequens:

Sine epigraphe. Scrofa.)(*Nullo plane typo.* AR. I. (Mus. princ. de Waldeck.)

Typus singularem hunc numum, ut ex sequentibus patebit, Abacaeno vindicat. Ad haec venisse eum ex Sicilia, certo constat. Rarum est videre numum cum aversa plane sterili, ut alibi diximus. Reliqui

Argentei sunt minimi moduli, et pertenues. In his

Epigraphe: haec admodum variat, *ΑΒΑ. ΑΒΑΚ.* aut *ΑΒΑΚΑΙΝ.* βουςροφηδὸν, aut in eodem numo scriptum utrinque *ΑΒΑΚ.* Istud singulare in compluribus, quod nominis pars altera in aversam trajicitur, sic ut in antica sit *ΑΒΑΚ.* in aversa *ΑΙΝΙ.* vel *ΑΙΝΟΝ.* Non observato hoc utriusque partis nexu Havercampus legendum putavit *Αινοντ.* nimirum aetatis vitio pro *ΣΕΛΙΝΟΝΤ.* et notari concordiam Abacaenum inter et Selinuntem[c]). Gravius peccavit Pellerinius, cum numum similem Abacaeno ademptum Aeno Thraciae tribuit, sic ut *ΑΒΑΚ.* esse nomen magistratus, *ΑΙΝΙ.* nomen urbis adsereret[d]).

Typi: Caput barbatum, in aliis nudum, vel laureatum.)(*Scrofa, adstituta nonnunquam sucula.*

Aenei:

Caput muliebre.)(*ΑΒΑΚΑΙΝΙΝΩΝ.* *Bos dimidius cornupeta.* Æ. III.

* * *

Maffejus numum inscriptum Punice Abacaeno nostro tribuit, de quo agemus in dissertatione Phoeniciae numis subjecta.

AR. R. Æ. RRR.

ABOLLA.

Vrbs obscura et a solo Stephano laudata.

Vnicus hactenus a Dorvillio editus: (in Siculis tab. XX.)

Taurus.)(ΑΒΟ. *Botrus.* Æ. III. At fatetur Princeps T. M., sibi similem in museis patriis non conspectum, et ipse in re incerta judicium differre maluit.

Æ. RRRR.

b) Aggiunt. p. 148. c) in Parut. p. 735. d) Lettres p. 187.

ACRAE.

Inter Syracusas et Pachynum, a Syracusanis conditae teste Thucydide.

Caput Cereris spicis coronatum.)(*AKPAIΩN. Ceres stans utraque manu facem gestat.* Æ. III.

Hunc numum jam vulgaverat Haymius [e]), sed cum in eo non adverteret colligatas literas *KP.*, legissetque adeo *AKAIΩN.*, eum tribuit Achaeis Syriae, quem errorem primus notavit Pellerinius [f]).

Æ. RR.

ADRANVS.

Ad Aetnae radices condita a Dionysio seniore, ut refert Diodorus. Vrbs famigerata cultu dei Adrani per omnem insulam celeberrimi, a quo ei et inditum nomen. Ejus religionem jam commendavit Plutarchus [g]). Copiosius Aelianus mille deo canes Molossis praestantiores fuisse sacros narrat, quorum ea fuit divina natura, ut bono animo in templum intrantes blande exciperent, nocte vero casu ebrios custodiae causa domum deducerent; at qui praedandi consilio essent ingressi, in frusta discerperent [h]). Idem paullo supra [i]) similes caninos honores Vulcano in Aetna monte habitos narravit.

Caput Apollinis.)(*AΔPANITAN. Lyra.* Æ. III.

Hos in museis patriis passim obvios ait Princeps T. M., apud nos vix reperiuntur.

Soli hi Adrani numi certi sunt. Tamen non pauci alii perperam huc fuere vocati.

I. Quos edidere Goltzius et Paruta: *AΔPANIΩN* typo aquilae et paguri, certe sunt Agrigentinorum teste ipso Principe T. M., cui similem alium in Siciliae museis videre non contigit.

II. Eos, in quorum antica legitur *AΔPANOY.*, tribuendos Mamertinis, in horum moneta docebimus.

III. Numos gravis aeris inscriptos *HAT.* propter typum canis jacentis huc retulit Wachterus [k]). Sed eos esse Hadriae Piceni, in hujus moneta probavi.

IV. Contulit et symbolam suam Patinus, qui numum Lucillae, in qua legerat: *AΔPANON. TYXH*, huc derivavit [l]). Non advertit vir eruditus, hac aetate numos in Sicilia signatos non amplius fuisse. Agnovit lapsum Havercampus, eumque, sed altero errore Adramnae Coelesyriae tribuit [m]). Est enim Adraae Arabiae, et ephigraphe sana *AΔPAHNΩN. TYXH.*, ut ad hujus numos dicetur.

Æ. RRR. extra Siciliam.

AETNAEI.

Ad montem cognominem. Hiero Catanae incolis ex urbe sua ejectis et deducta eo aliarum regionum multitudine locum eum *Aetnam* pro Catana, et semetipsum *Aetnaeum* dici voluit. At quarto decimo post anno mortuo Hierone veteres incolae urbem patriam per vim recuperaverunt ejectis novis inquilinis, qui subinde in vicinam urbem Ennesiam commigravere, quam *Aetnam* dixerunt.

---

e) T. II. p. m. 102. f) Rec. III. p. 98. g) in Timol. p. 241. h) Nat. anim. L. XI. c. 20. i) c. 3. k) Archaeol. p. 146. l) Num. Impp. p. 207. m) ad Parut. p. 724. et 726.

Haec Strabo[n]), Diodorus[o]), et Schol. Pind.[p])

Argenteum unicum reperit Princeps T. M.

Caput Sileni vel Fauni.)(*AITN.* *Caduceus formae insolentioris.* AR. IV.

Simillimi huic quoad utramque partem, et metallum et modulum sunt numi Catanae. Reliqua intra conjecturas stant.

In aeneis:

Caput Solis radiatum.)(*ΑΙΤΝΑΙΩΝ.* *Miles stans cum hasta et clypeo, in area tres globuli.* Æ. III.

Solis impensiorem cultum ipsa rei natura monticulis persuaserit. Teste Spartiano Hadrianus Aetnam conscendit, ut solis ortum videret arcus specie varium[q]). Simile Iuliano Apostatae fuit propositum, cum apud Seleuciam Syriae Casium montem ascenderet[r]). In milite partis aversae Havercampus ipsum Hieronem videt gratae memoriae causa ab Aetnaeis monetae illatum.

* * *

Caput Cereris.)(*ΑΙΤΝΑΙΩΝ.* *Cornucopiae.* Æ. III.

Agri Aetnensis ubertatem multum commendat Cicero in Verrina III.

AR. RRRR. Æ. R.

AGRIGENTVM.

Versus mare Pachynum inter ac Lilybeum ad Acragantis et Hypsae confluentem teste Polybio[s]). Ejus major patria Rhodus per Geloos[t]). Nomen traxit a fluvio Acragante, ut diserte Thucydides[u]). Graecis dicta *Ακραγας*, cives *Ακραγαντινοι*, Latinis detortum in *Agrigentum*, ut a *Ταρας*, *Ταραντινοι*, et *Tarentum.* Vrbis eximias opes et amplitudinem abunde descripsere veteres, et testantur rudera, quae videsis in Dorvillii Siculis[x]).

Pars ejus numorum per literarum formam, scripturae legem, et simpliciorem artis modum remotissimum aevum indicat.

Epigraphe antiquioris formae observatur in argenteis, quin et aureis, ut:

ΑΚΡΑ. *ΑΚΡΑC — ΑΝΤΟΣ.* posteriore parte *βουστροφηδον* scripta. Eodem modo *ΑΚΡΑΓ.—ΑΝΤΙΝΟΝ.* inscriptum tabellae quadrilaterae, ut in Syracusanis. *ΑΚΡΑΓΑΝΤΙ.* scriptum retrograde. In aureis magistratus Silanus exaratur *ΣΙΛΑ.—ΝΟΣ.* *βουστροφηδον.*

In utraque etiam numi superficie, sed rarius, et in iis tantum, qui antiquitate praestant, urbis nomen notatur. Sic in aureo hinc *ΑΚΡΑΓΑΝΤΟΣ.* inde *ΑΚΡΑΓΑΝ.*, in argenteo hinc *ΑΚΡΑΓΑ.* inde *ΑΚΡΑΓΑΝΤΙΝΟΝ.* Vide similia exempla infra in Messana.

Epigraphe recentioris formae.

ΑΚΡΑΓΑΣ. vel *ΑΚΡΑΓΑΝΤΟΣ.* Raro in aeneis aliter, quam *ΑΚΡΑΓΑΝΤΙΝΩΝ.* quae epigraphe in argenteis quoque, sed recentioribus occurrit.

Princeps T. M. tam in suis Additionibus[y]), quam in magno suo opere[z]) numos protulit cum epigraphe *ΑΓΡΑΓΑΝΤΙΝΟΝ.* et *ΑΓΡΑΓΑΣ.*, nempe secundo

---

n) L. VI. p. 412. o) L. XI. p. 441. et 461. p) ad Pyth. *A.* et Nem. *Θ.* q) in Hadr.
r) Ammian. L. XXII. s) Hist. L. IX. c. 21. t) Thucyd. L. VI. c. 4. u) l. c.
x) p. 88. seq. y) Tab. VII. n. 4. z) Tab. V. n. 1. Tab. VIII. n. 8.

elemento *Γ* pro *K*. Cum eruditus editor insolentem hunc modum dissimulet, etsi noverit, eum in tribus argenteis Parutae impugnari a Burmanno [a]), licebit chalcographi errorem suspicari. Alio loco refert [b]), in aliis sic esse divisam epigraphen, ut in antica legatur *AKPA.*, in aversa *ΓAΣ.* vel *ΓANTOΣ.* Verum haec exempla ab uno Paruta mutuatus videtur, nam ipse similem nusquam protulit, etsi hunc morem in Abacaeni moneta valuisse viderimus, atque etiam Lai Lucaniae.

Typi: Dominantur in Agrigentinorum moneta *pagurus*, et *aquila vel stans, vel piscem, leporem, serpentem, columbam discerpens*; nonnunquam *aquilae duae*. Fuere, qui speciosius quam verisimilius causam rimarentur, cur utrumque animal Agrigenti monetam invaserit. Pagurum suaserit maris vicinia. Infra hunc varia conspiciuntur sigilla plerumque cum mari nexa, ut: *monstrum muliebre marinum, Triton, equus marinus, pisces varii generis* etc.

* * *

Caput Jovis.)(*AKPAΓANTINΩN. Aquila.* AR. Æ.

Teste Polybio [c]) *erat Agrigenti aedes Jovis Atabyrii sicut apud Rhodios. Nam cum Rhodiorum colonia sit Agrigentum, jure merito hic deus eodem nomine colitur, atque apud Rhodios.* Mox infra: *Olympii quoque Jovis templum etsi cultus magnificentia non accessit, magnitudine tamen incepti nulli ex omnibus Graeciae operibus est secundum.* De stupenda mole columnarum vide quae praedicavit Diodorus [d]).

* * *

Caput virile barbatum laureatum, in aliis nudum.)(*AKPAΓANTINΩN. Serpens baculo obvolutus.* Æ. II. III.

AΣKΛAΠIIA. Caput Cereris.)(*AKPAΓANTINΩN. Vir togatus stans.* Æ. II. (Hunter.)

Capite anticae numi prioris sisti Empedoclem civem Agrigentinum, eumque arte medica et philosophia clarum censuere Burmannus [e]), et eum secutus Princeps T. M. [f]) Verum cum caput anticae omnia habeat Aesculapii, et constet ex Polybio [g]), stetisse Agrigenti ejus dei templum, et baculus aversae certum sit illius attributum, nequaquam adsequor, cur sequendum sit incertum, cum certum prae manibus habeamus. Eorum judicia planissime corrigit numus alter serius repertus, qui ipsa *AΣKΛAΠIIA*, sive ludos *Aesculapia* Agrigenti celebrata offert.

* * *

ΣIΛANOΣ. Duae aquilae leporem depascentes.)(*AKPAΓAN — TINON.* (*βουςροφηδον*). *Victoria in citis quadrigis.* AR. m. m.

Generosos equos Agrigenti educatos testis est Virgilius [h]):

Arduus inde Acragas ostentat maxima longe
Moenia, magnanimum quondam generator equorum.

Ad quos versus non pauca opportune commemorat Servius. Sed et Diodorus

a) Sic. Dorvill. p. 350. b) Aggiunte p. 205. c) Hist. L. IX. c. 22. d) L. XIII. c. 82.
e) Sic. Dorv. p. 353. f) Aggiunte p. 203. g) Hist. L. I. c. 18. h) Aen. III. 703.

Agrigentinorum in educandis equis studium praedicat, cum narrat, Exaenetum Agrigentinum in Olympicis victorem, comitatas in urbem esse bigas CCC. candidis omnes equis, et exstare apud eos magnifica sepulcra equis in certamine probatis statuta [i]). Theronem Agrigentinum in ludis Olympicis victorem binis odis celebravit Pindarus. (Olymp. *B. Γ.*)

* * *

ΑΚΡΑΓΑΝΤΙΝΩΝ. Caput juvenile diadematum, retro uvae racemus, sub collo K.)(*ΔΙΟΣ. ΣΩΤΗΡΟΣ. Aquila fulmini insistens.* Æ. III.

Abbas Sestinus, qui numum edidit [k]), in antica dixit exhiberi caput Theronis, noti Agrigentinorum principis. Istud vix esse probabile, in hujus numis dicetur. Neumannus in simili suo caput Bacchi agnovit. Esse imaginem fluvii Acragantis, conjicere facit numus sequens.

* * *

Fluvius Acragas.

ΑΚΡΑΓΑΣ. Caput juvenile diadematum.)(*Aquila capitulo ordinis Ionici insistens, juxta pagurus.* Æ. I.

Saepe per hunc tractum videbimus, et diximus in prolegomenis, placuisse Siculis, hominis effigiem fluviis suis largiri. Placuisse et istud Agrigentinis, vadem habemus Aelianum [l]). *Agrigentini, ait, fluvium, qui ejusdem est cum urbe nominis, speciosi pueri forma fingunt, eique hostias immolant. Iidem statuam ex ebore scalptam Delphis dedicaverunt inscripto fluvii nomine. Statua autem est pueri.* Ex quo, ut et ex aliis Siciliae urbium numis, in quibus simili saepe modo effictos habemus fluvios, verisimile fit, in hujus quoque numi antica proponi fluvium Acragantem. Vide de hoc etiam Havercampum [m]).

* * *

Pondus aut valor in Agrigentinorum moneta globulis enunciatus creditur, qui saepe hujus areae inserti comparent, nunquam tamen sex plures. Hactenus in aenea tantum moneta conspecti sunt; tamen numum argenteum antiquae formae reperit Princeps T. M. globulis quinque onustum, quem sistit in majoris operis tab. VI. n. 18. De his idem pauca delibat in Auctario II. p. 97.

* * *

Magistratus. Silanum vidimus in numis supra citatis. Alii etiam, sed minus integri, aut primis tantum literis per varios numos conspiciuntur.

AV. RRRR. AR. Æ. C.

COLONIA. Teste Cicerone T. Manlius praetor ex S. C. colonos de oppidis Siculorum Agrigentum deduxit [n]). Factum istud refert Pighius ad annum V. C. 546., sed pro T. Manlius, ut habent codices, restituit C. Mamilius.

Triquetra distributis per crura tribus spicis, in cujus medio Medusae caput.)(AGRIGENTVM. *intra coronam.* AR. (Princ. T. M. Sic. num. tab. VI. n. 19.) Æ. (Ibid. tab. X.)

Hos numos esse Agrigenti tandem coloniae, eo ipso, quod Latine inscribun-

---

i) L. XIII. c. 82. k) Lettere T. II. p. 4. l) Var. hist. L. II. c. 33. m) in Parut. p. 440.
n) in Verr. L. II. c. 50.

tur, comprobatur. Omissum coloniae vocabulum non officit, nam et coloniae Paesti numi tantum inscribuntur PAIS. Offerunt hi numi verum urbis nomen, ut illud Latinis ex Graeco depravare placuit, secundum quod et Plinius: *oppidum* Acragas, *quod* Agrigentum *nostri dixere.* An audiendus Havercampus, qui numos similes sub Siciliae regibus Suevis, vel Normannis cusos conjicit [o]?

* * *

AVGVSTO. P. P. AGRIGENTI. *Caput Augusti nudum.*)(L. CLODIO. RVFO. PROCOS. SALASSO. COMITIÆ. SEX. REO. IIV. *Sine typo, nisi quod in uno est signum incusum aratri, in alio ovis.* Æ. II.

Tres id genus similes primus vulgavit Princeps T. M., (Tab. X.) eosque omnes male adfectos, sic ut nonnisi omnes tres contendendo citatam epigraphen potuerit elicere. Augent ergo catalogum numorum, quos exiguo numero coloniae Siciliae signavere.

AR. et Æ. RRRR.

AGYRIVM.

Fere in insulae medio inter Symaethum et Chrysam fluvios, Diodori Siculi patria.

Epigraphe: *ΑΓΥΡΙ. ΑΓΥΡΙΝΑΙ. ΑΓΥΡΙΝΑΙΩΝ.*

ΕΠΙ. ΣΩΠΑΤΡΟΥ. Caput Jovis.)(*ΑΓΥΡΙΝΑΙΩΝ. Juvenis habitu succincto stans s. cornucopiae, d. extenta piscem vel cornu praefert et coronatur ab advolante Victoria, pedibus adsidente cane.* In alio *praeterea adstat cervus propter arborem.* Æ. III.

Typo aversae Havercampus, eumque secutus princeps T. M. censent exhiberi Iolaum, cujus pater Iphicles fuit frater uterinus Herculis ex matre Alcmena. Heroem hunc ab Agyrinensibus eximie fuisse cultum, prolixe refert Diodorus [p], cujus observantiae causa exstitit ipse Hercules, qui nepoti expeditionis socio fanum apud hanc urbem exstruxit constitutis annuis sacris. Reliquos superstitionis ritus et fabulas lege apud citatum Diodorum. Sed enim vestis succincta, canis, cervus, omnia, non heroem, sed numen aliquod venaticum arguunt, et forte, quem viri eruditi Iolaum putant, vera Diana est magna religione per totam insulam culta. In parvis numis, et plerumque adrosis difficile saepe est inter marem feminamque discrimen.

* * *

Caput nudum barbatum.)(*ΑΓΥΡΙΝΑΙ. Hercules nudus. d. clavam, s. hydram stringit.* Æ. III.

Si pictura, qualis exstat apud Parutam, et Principem T. M. respondet archetypo, caput anticae Herculis esse nequit, cui antiquitas multum diversa adfinxit lineamenta, et videtur verisimile, esse Iolai, quem ad praecedentem numum sum inficiatus. Istud ut opiner, facit numi pars aversa. Herculi cum hydra Lernaea luctanti Iolaum tulisse opem testatur Apollodorus [q], et Palaephatus [r], atque, si horum priori fides, tantum Io-

o) in Parut. p. 439. p) L. IV. c. 24. q) L. II. c. 4. § 2. r) de Incred. c. 39.

laus ad hujus belluae caedem contulit, ut Eurystheus hunc Herculis laborem duodecim aerumnis adnumerandum esse negaret, quoniam is aliena ope victor evasit. Commode igitur Agyrinenses cum Iolai capite Herculis cum hydra pugnam junxere, ex qua tam praeclarum Iolao suo decus partum.

* * *

Caput juvenile diadematum, cujus collo leonis exuviae obligantur.)(*ΑΓΥΡΙΝΑΙΩ. Canis, aut lupus rupicapram depascens.* Æ. I.

Herculis caput in Agyrinensium moneta saepius recurrit, ac jure istud; ille enim oblata sibi ab his velut jam deo sacrificia acceptavit, cum ea nunquam antea admisisset, utque civibus pro constituto sibi honore gratiam referret, lacum ante urbem IV. stadiorum ambitu effodit [s]).

* * *

ΑΓΥΡΙΝΑΙΩΝ. Caput juvenile turgente e fronte cornu.)(*ΠΑΛΑΓΚΑΙΟΣ. Bos dimidius cum facie humana.* Æ. III.

Caput simile.)(*ΑΓΥΡΙΝΑΙ. Equus lente gradiens.* Æ. III.

Et mos in Sicilia receptus suos in moneta fluvios signandi, et cornu e fronte promicans, quod fluviis passim tributum, dubitare non sinunt, in utriusque numi antica expressum flumen, sive Simaethus is sit, sive Chrysas, inter quos situm fuit Agyrium.

ΠΑΛΑΓΚΑΙΟΣ. (ut vocabulum hoc legitur in integerrimo musei Caesarei, at teste Principe T. M. in horum aliquibus legitur *ΠΑΛΑΡΚΑΙΟΣ.*) videtur Havercampo esse nomen fluvii, cujus caput in antica fingitur, cumque hujus nominis fluvius a veteribus non prodatur, censet, Simaethum ipsum ab Agyrinensibus hoc nomine appellatum. Mittamus exiles conjecturas, et *Palancaeum* statuamus magistratum, qualem supra Sopatrum vidimus.

Equo alterius numi verisimile est indicari equestria certamina, quae quotannis in Iolai memoriam peracta docet Diodorus [t]), ut olim monueram, cum numum hunc anecdotum ex museo M. Ducis promulgarem [u]).

Æ. R.

ALAESA.

Versus mare ad fluvium cognominem, fere in medio litore Pelorum inter et Lilybaeum. Ciceroni constanter dicitur *Halesa* sine diphthongo, ut et Diodoro *Ἄλεσα*. Verum numi et marmor Muratorii *ΑΛΑΙΣΑ* [x]). Hujus urbis historiam et monumenta singulari opere explicuit saepe nobis laudatus Princeps Turris Muciae.

Epigraphe constans: *ΑΛΑΙΣΑΣ.* In numis ejus certis, iisque copiosis perpetuo additur *ΑΡΧ.* vel pro his monogramma iisdem literis constans. Hujus explicatum suppeditat ipse Diodorus [y]). Nimirum Archonides Erbitanorum praefectus Alaesae ab se conditae *Archoni-*

s) Diodor. L. IV. c. 24. t) l. c. u) Num. vet. p. 46. x) p. 1022. 4.
y) L. XIV. c. 16.

dis de se cognomentum adjecit, cum Alaesae nomine alia jam per Siciliam oppida praedita fuissent.

Typi: Praeter Jovis cultum, quem ejus dei caput et in)(aquila manifestat, praecipuos ab Alaesinis honores Apollini ac Dianae habitos docent numi.

Caput Apollinis laureatum, jam barbatum, jam imberbe.)(*ΑΛΑΙΣΑΣ. ΑΡΧ. Apollo capite radiato jam barbatus, jam imberbis stans d. ramum, ut videtur, s. lyrae innixus.* In aliis: *Lyra tantum.* In aliis: *Miles galeatus stans d. hastam, s. parazonium.* Æ. III.

Caput Dianae.)(*ΑΛΑΙΣΑΣ. ΑΡΧ. Pharetra et arcus.* Æ. III.

Cultum Apollinis apud Alaesinos testatur etiam Diodorus, cum meminit sacrificiorum ab his in Apollinis templo peractorum [z]). Mirus sane videretur Apollo barbatus, nisi vetus superstitio, in qua nihil certa ratione factum, doceret, Hierapoli Syriae in templo deae Syriae propositum quoque fuisse barbatum, ut tradit Lucianus [a]).

Numi Alaesae dubii.

Caput Palladis, cujus galeae insertum astrum.)(*ΑΛΑΙΣΑΣ. Noctua, in area duo monogrammata.* Æ. II.

ΑΛΑΙΣΑΣ. Caput Dianae.)(*Diana nuda uno poplite flexo arcum tendit.* Æ. III.

Vtrumque numum Princeps T. M. ex Pellerinio hausit, qui eorum priorem edidit in suo *Rec. T. III. tab.* 108., alterum in *Supplem. IV. tab. II. p.* 32. Posteriore hoc loco dubitat vir eruditus, sitne uterque hic numus tribuendus Alaesae Archonidi. Revera in his neque literae ΑΡΧ. comparent, et sunt typo diverso ab iis, quos certi hujus Alaesae offerunt, cumque teste Dionysio [b]) plures per Siciliam exstiterint Alaesae, harum eos uni tribuendos conjicit, etsi incertum sit, cui. Pellerinii dubia diluere Princeps T. M. binis locis aggressus est [c]), at vereor, ut omnem dubitandi causam exemerit.

Memorandus adhuc alter ex eodem Pellerinio: (Rec. III. tab. 108.)

Caput juvenile laureatum inter pisciculos.)(*ΑΛΑΙΣΑΣ. Monstrum marinum muliebre, infra concha.* AR. IV.

Si numus hic vere est hujus urbis, en tibi Alaesae numum argenteum, cum hactenus cogniti omnes sint aenei. Verum vidi ipse Romae in museo Chaupy plurimos similes argenteos minimae molis cum iisdem typis, nomen tamen *ΑΛΑΙΣΑΣ*, etsi integerrimi essent, eruere non potui. Quin ipse Pellerinius serius praetensam hanc lectionem in dubium vocavit, negavitque diserte, numum hunc ad hanc Alaesam pertinere [d]), praecipue cum certior fieret, in nonnullis, qui Neapoli adservantur, legi *ΑΛΑΙΒΑΝΩΝ*, quo factum, ut ab ejus loci eruditis Allifis Samnii adjudicarentur. Durum istud Pellerinio visum, cum quod Graece sunt inscripti, tum quod typus maritimam urbem indicat. Quare sua-

z) L. XIV. c. 16. a) de dea Syria. b) l. c. c) Aggiunte p. 100. et Num. Sic. p. 12.
d) Suppl. IV. p. 33.

dente insuper fabrica Siculos esse opinatus est, et forte pertinere ad *Alabon* quandam, quo nomine Stephano urbs et fluvius memoratur in vicinia Hyblae, ut conjicitur, positi. At tenues hae sunt conjecturae, quas etiam locus ipse, quo reperiri solent hi numi, evertit; nam Abbas Chaupy fidem fecit, horum complures se reperisse circa Aesernium Samnii cum multis aliis inscriptis Osce *Vistluis*, de quibus egi in Posidonia Lucaniae. Quo testimonio recreantur ii, qui hos numos Allifis Samnii tribuunt. Tamen eos ad Alaesam nostram referendos iterato tuetur Princeps T. M. [e]) Istud si verum, qua, quaeso, ratione factum, ut nullum unquam ipse similem, quod ipse profitetur [f]), per omnia Siciliae musea deprehenderet, cum tamen circum Neapolin abundent? Sunt ergo certe Samnii aut vicini tractus, verum cujus sint urbis, expendant ii, qui collatis pluribus id genus numis de vera inscriptione sane poterunt judicare.

Numi inique Alaesae tributi.

Havercampus in restituto suo Paruta numos binos perperam huc revocat [g]), unum argenteum inscriptum *ΑΛ.*, in cujus)(est Pegasus, sed quem esse Syracusanum, et literas *ΑΛ.* notare Alyziam Acarnaniae, dicetur in numis coloniarum Corinthi. Alterum aeneum, in cujus una parte caput Jani, in)(Æ intra lauream, huc revocat, quia monogramma Æ in *ΑΛΕ.*, nempe urbis hujus literas *ἀρχαιουσας* resolvendas censet. Venia danda viro erudito, qui numos certos Alaesae nunquam viderat, in quibus non *ΑΛΕΣΑ*, sed *ΑΛΑΙΣΑ* scribitur. Ceterum numum hunc verisimilius esse Panormi, in hujus moneta disseram.

Æ. RR.

ALVNTIVM.

A priore Alaesa magis in septemtriones, Graecis *Ἀλοντιὸν*, et *Ἀλουντιον*, Latinis *Aluntium* et *Haluntium*.

Epigraphe: *ΑΛΟΝΤΙΝΩΝ.* rarius *ΑΛΟΝΤΙΝΟΝ.*

Typi: Capita Jovis, Herculis, Mercurii cum suis in aversa attributis.

Caput juvenile tectum galea, cujus apex versus frontem retortus in volucrem desinit.)(*ΑΛΟΝΤΙΝΩΝ. Bos cum facie humana. Is in nonnullis eructare aquam videtur.* Æ. III.

Caput anticae Principi T. M. Martis videtur. Forte verius est ejus herois, qui urbem condidit. Persei caput in numis urbium Macedoniae, ac praecipue postremi Philippi eodem cultu est. Typum bovis aquam vomentis explicare non tento.

Æ. RR.

AMESTRATVS.

Mediterranea prope Alaesam, Stephano *Αμηςρατος*, Ciceroni *Amestratus* [h]), alibi ejus cives *Amestratini* [i]). Nomen urbis saepe luxatum vide apud Cellarium. Numi numero pauci, et ante annos non multos beneficio Principis T. M. cogniti.

---

e) Aggiunte p. 100, et Num. Sic. p. 11. f) ll. cc. g) Tab. CXII. h) in Verr. L. III. c. 43. i) ibid. c. 39.

Caput Dianae.)(*ΑΜΗΣΤΡΑΤΙΝΩΝ. Apollo citharoedus stans.* Æ. II.

Caput juvenile.)(*ΑΜΗΣΤΡΑΤΙΝΩΝ. Eques citato cursu d. hastam, s. clypeum.* Æ. III.

Æ. RRRR.

APOLLONIA.

Fuisse in Sicilia Apolloniam constat, sed ambigitur de situ. Cum tot olim essent per Graeciam Apolloniae, et pleraeque suos habuerint numos, difficile est, certum in singulis criterium constituere. Quos hactenus huic Siciliae Apolloniae tributos video, aliorsum certe pertinent. Binos hoc loco commemorat Princeps T. M., in quibus *ΑΠΟΛΛΩΝΙΑΤΑΝ*, et typus metae intra coronam. Hos esse Apolloniae Illyrici et typus comprobat in eo tractu adsiduus, et quod id genus numos ibi frequenter reperiri constat. De numis cum epigraphe *ΑΠΟΛΛΩΝΟΣ*, non Apolloniae cuipiam, sed Tauromenio tribuendis vide infra in hac Siciliae urbe.

ASSORVS.

Fere in insulae medio Ennam inter et Agyrium ad flumen Chrysam.

ASSORV. *Caput Apollinis.*)(*CRYSAS. Vir nudus stans d. vas, s. cornucopiae.* Æ. II.

Caput Veneris.)(ASSORV. *Jugum boum.* Æ. III.

Epigraphe Latina Assori numos in Romanorum tempore differt, videturque, quo tempore signati sunt hi numi, fuisse jam colonia a Romanis deducta, quod et confirmant boves alterius numi, solitum coloniarum symbolum, ut jam advertit Havercampus.

Fluvius Chrysas, qui apud Assorum fluxit, in priore numo notatur. Ab auctoribus cum Graecis tum Latinis scribitur cum aspirata, nempe *Χρυσας*, in numo *CRYSAS*, ut tum scriptum fuit *pulcrum* pro *pulchrum.* Signum, quod in hoc fingitur, idem certe est, de quo Cicero [k]): *Chrysas est amnis, qui per Assorinorum agros fluit. Is apud illos habetur deus, et religione maxima colitur. Fanum ejus est in agro propter ipsam viam, qua Assoro itur Ennam. In eo Chrysae est simulacrum praeclare factum ex marmore.*

Æ. RR.

ATABYRIVM.

Nimis propere Paruta numum solo monogrammate AT. supra bovem cornupetam insignitum Atabyrio Siciliae tribuit. Fuisse in Sicilia montem Atabyrium, docet Stephanus, et Jovem Atabyrium Rhodo adventitium supra in Agrigento vidimus. Vrbis ejus nominis nulla apud veteres mentio. Praeterea monogramma illud aeque TA. legi potest, et collatis numis verisimile est, eos, siquidem Siculos demus, verius Syracusas aut Tauromenium pertinere, quod etiam visum Sestino [l]). Tamen malebat Cl. Combius veteri Parutae sententiae adhaerere, aliis Atabyrio tributis numis.

AVGVSTA.

Numum *ΑΓΟΥΣΤΑΝΩΝ* Spanhemius tribuit oppido Siculo, veteribus quidem dissimulato, sed cujus fidem facit superstes *Agostae* nomen [m]). Verum

k) in Verr. IV. c. 41. l) Lettere p. 48. m) Tom. I. p. 240.

hunc numum esse Augustae Ciliciae, in hac dicetur.

CALACTE.

Sita in medio fere litore, quod mari Tyrrheno objacet. Nomen traxit a καλη ἀκτη, *pulcrum litus*, ubi Ducetius Corintho profectus comitante sociorum agmine urbem statuit, ut refert Diodorus [n]).

Epigraphe: ΚΑΛΑΚΤΙΝΩΝ.

Typi: Caput Palladis.)(*Noctua diotae insistens. — Caput Apollinis.*)(*Lyra. — Caput Bacchi.*)(*Botrus. — Caput Mercurii.*)(*Caduceus. — Caput Herculis.*)(*Clava.*

Numos cum capite Palladis et noctua, quod hae symbola sunt coloniae Atheniensis, potius ad Calen Acten Euboeae referendos perperam censet Corsinus [o]).

Æ. RR.

CAMARINA.

Ad oram meridionalem et lacum cognominem sibi fatalem, per quam Hipparis amnis in mare exit. Vrbs ut inclytae olim famae, ita copiosos et pereleganntes numos dedit.

Numi antiquissimi.

Cycnus respiciens, in aliis praeterea lacerta.)(*Sine epigraphe. Quadratum informe incusum.* AR. III.

Vtrumque animal in aliis Camarinae numis obvium praesentes eidem urbi vindicat. Dubium tamen movit Cl. Sestinus, cum testatur, hos numulos frequenter ex Macedonia prodire [p]).

* * *

Mulier alata flexo uno genu.)(*Sine epigraphe. Clypei quaedam species.* AR. I. (Catal. raisonn. p. 57.)

Numus est aevi remotissimi. Auctor citati catalogi Gallice editi eum Melitae largitur. At mulierem simili cultu et gestu mox in certis Camarinae numis intuebimur. Quid imago partis aversae notet, incertum. Simile quid mulier alata manu tenere videtur in numo, quem sistit Princeps T. M. in Num. Sic. tab. XVIII. n. 5.

Numi recentiores, quamvis et inter hos sint aliqui aevi satis remoti. In his

Epigraphe: ΚΑΜΑ. ΚΑΜΑΡ. ΚΑΜΑΡΙΝΑ. ΚΑΜΑΡΙΝΑΙΟΝ. ΚΑΜΑΡΙΝΑΙΩΝ.

ΚΑΜΑΡΙΝΑΙΟΝ. Caput Herculis jam barbatum, jam imberbe.)(*Vir nudus, in aliis seminudus galeatus, in citis quadrigis, Victoria advolante et coronam offerente, in imo cycnus, vel binae diotae.* AR. I.

De Hercule, quod peculiari modo Camarinam tangeret, nihil tenemus. Ejus tamen dei cultus, qui insulam totam obivit, in ea passim receptus. Plerique numorum interpretes quadrigas partis aversae ad victorias in ludis obtentas referunt. Habemus Psaumidem Camarinaeum, quem in Olympicis victorem binis odis celebravit Pindarus [q]).

* * *

1.) *ΙΠΠΑΡΙΣ. (retrograde.) Caput juvenile turgente e fronte cornu inter duos pisciculos.*

ΚΑΜΑΡΙΝΑ. Mulier in consortio cum cycno velum capiti obducit. AR. I.

n) L. XII. c. 8. et 29. o) Fast. Att. T. II. p. 232. p) Lettere T. III. p. 145. q) Olymp. *Δ. Ε.*

2.) *Caput adversum turgentibus binis e fronte cornibus inter duos pisciculos, totam numi aream ambiunt unci. Eadem aversa; ac praeterea in imo similes unci.* AR. I.

3.) *ΚΑΜΑΡΙΝΑΙΟΝ. scriptura jam recta, jam retrograda. Pallas stans d. hastam, humi clypeus.*

Mulier alata gradiens comite cycno, omnia intra coronam. AR. III.

4.) *Mulier alata nuda, in alio seminuda, flexo uno poplite aliquid formae rotundae super utero tenere videtur.*

ΚΑΜΑΡ. Cycnus. AR. I. Numi duo fabricae pervetustae apud Pellerinium.

Quatuor hi numi insigni omnes sunt argumento.

Fluvius *Hipparis*, qui Camarinae moenia adluebat, in numis I. et II. proponitur, fictus more Siculo humana forma, adstitutis cornibus, quae passim fluminibns tribui sunt solita, ad indicandum impetum. Corona, qua in numo II. fluvii caput ambitur, constans uncis aut hamis, ejus fluctus ipsos indicat, ut ad similes uncos in alio Camarinae numo jam pridem recte advertit Havercampus [r]), quo modo et in Tarenti, Liparae, Pallensium numis agitati maris undae solent exprimi.

De muliere alata et cycno, qui plerumque in argentea Camarinae moneta argumento serviunt, variae fuere antiquariorum opiniones. Cum in nonnullis aliquantum detritis non satis apparerent alae, quae in aliis sunt luculentae, creditum, indicari hoc typo Jovis in cycnum mutati cum Leda commercium, ut censuit Burmannus [s]), et Princeps T. M. [t]) At cum mulierem luculente alatam viderunt, uno omnes ore Victoriam dixerunt, et argumentum ad relatas a Camarinaeis victorias, quarum apud historicos mentio, vocaverunt. Longissime ab his abit Havercampus, secundum quem Victoria indicat victorem in Olympicis Psaumidem, de quo supra, cycnus Pindarum dictum Horatio *Dircaeum cycnum*, qui Psaumidis laudes binis odis celebravit, quod quidem ingeniosum magis quam solidum recte professus est Burmannus [u]). Rotundum illud, quod ad numum IV. dixi a muliere utero attineri, Princeps T. M. pateram aut discum appellavit, neque ultra in singulare istud phaenomenon inquisivit [x]).

Alia ad explicandum hunc typum tentanda via videtur. Refert Hyginus, Jovem, cum Nemesis amore teneretur, cycni formam induisse, et praecepisse Veneri, ut adsimilata aquilae in se irrueret. Quo facto cycnum in Nemesis gremio salutem sibi quaesivisse, atque hoc dolo puellam nil tale in volucre suspicantem delusisse. At Nemesin exactis mensibus procreasse ovum, ex quo natam Helenam [y]). Nemesin alatam fuisse, nemo nescit, et vero sub hac imagine in Camarinae numis veram exhiberi Nemesin, plane persuadet numus Parutae [z]), in quo eadem stans dexteram ori admo-

r) in Parut. p. 786. s) Dorv. Sic. p. 433. t) Aggiunte p. 106. u) l. c. p. 432.
x) Aggiunte p. 212. y) Poet. astron. L. II. c. 8. z) Tab. CXXIII. n. 4.

vet, aut potius cubitum, quo reorum scelera metitur, ostentat, quo habitu passim in Smyrnae numis proponitur. Denique ne de Nemesi et cycni fabula dubitari possit, ipsa in numis loco IV. descriptis satis lepide uterum aperit, et conclusum intus ovum ostentat, quod aliis paterae vel disci praebere speciem visum est. Consule ipsas Pellerinii imagines [a]), et artificis mentem, etsi in opere nonnihil hiulco et rudi facile colliges.

In numo III. proponitur Pallas. Nempe haec sacrum lucum, et Athenaeum apud Camarinam habuit, et maximo ibi honore fuit adfecta, ut testatur Pindarus [b]), ejusque scholiastes.

* * *

Mulier alata nuda flexo uno poplite aliquid formae rotundae super utero tenet.

MAPAO. Cycnus stans, cujus dorso insistit aquila, quae cycnum rostro ferire videtur. In alio: *MAPA. Cycnus, supra quem apis.* AR. I. (Hunter. tab. 66.).

Figura medio corpore, cujus caput barbatum geminum ceu Jani, corpus ipsum geminis utrinque alis instructum, utraque manu ad pectus lata aliquid formae rotundae tenet, infra bos dimidius cum capite humano.

MAPA. Cycnus. In binis AR. I. (Hunter ibid.)

Numi hi insignes sane sunt propter omnia remotissimae antiquitatis indicia, et necdum aliunde cogniti. Esse Camarinae, etsi nonnihil abludat inscriptio, numi proxime praecedentes dubitare non patiuntur. Sed enim typi in numis altero loco descriptis sic variant, ut pro capite muliebri sit caput geminum barbatum, et alae item duplicatae, sic tamen, ut perinde atque in aliis numis rotundum illud, de quo mox egimus, manibus designet. Nemo non videt, singulari hoc typo aut allegoriam contineri, aut veterem fabulam, quae haud dubie eadem erit cum ea, quam de Nemesi praecepi, sed aliter tradita, nobisque plane ignota. Aquila cycnum rostro petens adludere non incommode videtur ad id, quod supra de Venere in aquilam mutata, et Jovis furto inserviente ex Hygino docui. Alae in his numis duplicantur et porriguntur, ut in numis Melitensibus. Advertendum etiam, bovem cum capite humano in nullo alio Camarinae numo exstare. An credere quis volet Hancarvillio adserenti, id genus numos tribuendos *Mardis,* qui et *Marli,* populo Scythico ex Sacarum genere? [c]).

* * *

KAMAPINAI. Caput Apollinis laureatum.)(*Gallus stans, hinc astrum, inde cicada.* Æ. III.

Apollini additur gallus, quia solis amicus ejus adventum praenunciat, ut jam docuit Plutarchus [d]). Etiam Pythagoras gallum Apollini sacrum dixit apud Jamblichum [e]).

* * *

Caput Palladis alatum. In aliis: *Persona virilis.*)(*KAMA. Noctua lacertam*

a) Rec. III. tab. CX. n. 33. 34. b) Olymp. E. v. 22. c) Recherches sur l'origine de la Grèce Tom. I. p. 137. seq. d) de Pyth. orac. p. 400. e) cap. 28.

ungue stringens, in imo unus pluresve globuli. Æ. III.

Palladis et noctuae consortium res in vulgus nota; quanquam cur noctua lacertam, obvium in Camarinae moneta animal, ungue stringat, minus exploratum, videturque istud ad factum aliquod aut religionem urbis nobis ignotam pertinere. Nihil certe hactenus probabile adlatum.

Persona virilis, quam in aliis, ut dixi, antica offert, sensum reconditum continet. Esse eam symbolum lunae, et quoniam astrum istud Arabice dicitur *Kamar*, hoc typo adludi ad nomen urbis, prolixe probare conatus sum in meis numis veteribus p. 14., quo brevitatis causa lectorem remitto. Si caput illud lunae imago est, facile cum hac noctuam componemus, quae perinde noctis amica est, quam gallus diei exorientis.

* * *

EY. Caput Cereris spicis coronatum.)(*ΜΑΡΙΝΑΙΩΝ. Pegasus volans.* AR. III. (Mus. Caes.)

Numum hunc hactenus ineditum depictum vide in mea Sylloge I. p. 17. Cereri in omnes Siciliae urbes jus. Pegasus propterea in eum illatus, quia Camarina a Syracusanis Corinthi colonis condita fuit teste Thucydide [f]).

* * *

Globuli ponderis nota in citatis aeneis.

* * *

Advertendum denique, binos numos aeneos, qui citantur in Dorvillianis tab. XIV. n. 6. 7., quique personam cum exerta lingua exhibent, Populoniae restituendos, ut in hujus urbis moneta dixi.

AR. et Æ. C.

CATANA.

In litore orientali Aetnae subjecta. Graecis *Κατανα*, et recte secundum numos, Latinis, atque ipsi etiam Tullio plerumque *Catina*. Eam condidere incolae Naxi insulae cum Chalcidensibus huc profecti. Vrbis opulentae copiosi exstant numi, sed horum non pauci peregrina offerunt argumenta, quorum explicatio solis conjecturis, iisque debilibus nititur.

Epigraphe: ΚΑ. ΚΑΤΑΝΑ. ΚΑΤΑΝΑΙ. ΚΑΤΑΝΕ. ΚΑΤΑΝΑΙΟΝ. ΚΑΤΑΝΑΙΩΝ. In insigni tetradrachmo, quem princeps Turris Muciae nuper in auctario II. edidit, legitur *ΚΑΤΑΝΑΙΟΣ*, vitio, ut idem existimat, monetarii, at enim modum hunc in numis Graecorum antiquissimis fuisse frequentem, monuimus in prolegomenis generalibus capite XVII. § 8.

Antiquioris formae.

ΚΑΤΑΝΕ. vel *ΚΑΤΑΝΑ.* vel *ΚΑΤΑΝΑΙΟΝ. Victoria gradiens d. solutum diadema gestat, in aliis aliud quoque sinistra.*)(*Bos facie humana variis per aream sigillis.* AR. I.

Omnium, quos editos video, Catanae numorum hi mihi videntur antiquissimi, seu epigraphen, seu fabricae modum spectes. In uno scriptum *ΚΑΤΑΝΕ.* pro *ΚΑΤΑΝΗ.* antequam elementum *Η* esset inductum. Victoria unum vel duo diademata praeferens difficilis est explicatus. Ait Princeps T. M., esse illa ejus modi, quo iis temporibus regum capita redimiri solebant [g]).

f) L. VI. c. 5. g) Aggiunte p. 58.

Verum justa quaestio, utrum ea aetate reges et tyranni diademate usi jam fuerint, de quo infra in Gelonis regis numis pluribus disputabo. Certius igitur refertur ad Bacchum diadematis repertorem, quem typo bovis in parte aversa indicari prolixe egi in numis Campaniae.

Recentioris formae.

Insigniores per elegantiam tetradrachmi ii, qui citas quadrigas, quo typo majores Siciliae urbes frequenter usae sunt, exhibent.

Caput juvenile adversum promissis crinibus et corona querna redimitum, juxta arcus, in imo: ΑΠΟΛΛΩΝ., inde ΧΟΙΚΕΩΝ.)(*ΚΑΤΑΝΑΙΩΝ. Mulier in citis quadrigis, cui advolans Victoria coronam offert.* AR. I. (Hunter., Catal. d'Ennery p. 70.)

Cujus sit caput anticae, definit adjectum *ΑΠΟΛΛΩΝ.* Amabant Siculi, diis, fluviis, heroibus nomina adscribere, ut deinceps videbimus. Apollo etiam frequens in Catanensium moneta typus. Tamen Cl. Combius musei Hunteriani interpres nihil his motus, caput illud dixit esse muliebre, credo, quod vultus minus virilis visus, et quod corona querna minus videatur Apollinem decere. At quis ignorat, Apollinis et Bacchi dubia fuisse inter marem ac feminam lineamenta? et sane quoties peccavimus antiquarii, cum caput galeatum diximus esse Palladis, quod subinde esse Martis compertum fuit? Fateor, quercus folia minus Apollini competere. Verum quis ignorat, aliis locis alia diis addita attributa? Quod si vocabulum *ΑΠΟΛΛΩΝ* hujus nominis deum non notat, notabit ergo magistratum. Sed enim hunc jam in *ΧΟΙΚΕΩΝ.* habemus, duplicem vero magistratum in moneta proponere vix soliti sunt Siculi.

* * *

Caput Bacchi barbatum hedera redimitum.)(*ΚΑΤΑΝΑΙΩΝ. Botrus.* Æ. III.

Diximus supra, Catanam a colonis Naxo insula profectis conditam, ex qua adeo Bacchi cultus hic invectus. Idem Bacchus barbatus, seu Indicus frequens est in numis vicinae Naxi Siculae, nimirum ex eadem causa, ut dicetur. In aeneis Catanae numis fingitur etiam pantherarum bigis aversus insidens d. botrum, s. thyrsum tenens.

* * *

ΛΑΣΙΟ. Caput forte Bacchi, in aliis (sed sine epigraphe) caput Veneris.)(*ΚΑΤΑΝΑΙΩΝ. Fratres pii parentes efferunt.* Æ. III.

In aliis aeneis Catanae numis hujus aversae argumentum divisum exhibetur, sic ut in una superficie frater unus, in alia alter proponatur. Famigerata haec duorum fratrum historia, qui Aetneo torrente vicina vastante parentes senio invalidos ex mediis flammis extulere, quod insigne ad memoriam factum praestantissimis versibus descripsit Claudianus [h]), et Severus [i]). Eorum nomina produntur Amphinomus et Anapias, vel Anapis, tantaque fuit ejus facti celebritas, ut sepulcri locus, quo post mortem humati fuere, nominaretur *Campus Piorum* [k]), utque, cum pietatem posteri argumento vellent expri-

h) Idyll. VII. i) in Aetna v. 621. k) Solinus cap. XI.

mere, eorum proponerent imaginem, ut videre est in numis Sex. Pompeji et gentis Herenniae. Idem factum narrans Conon apud Photium [l]) refert, Catanenses eorum statuas publice proposuisse, ad quas haud dubie exacti sunt horum numorum typi.

Vocabulum *ΛΑΣΙΟ.* partis anticae adhaerere eruditos fecit, Begerus legendum *ΛΥΣΙΟ.* censuit, qua voce opportune notaretur Bacchus, qui secundum veteres hoc epitheto praeditus fuit [m]), cui sententiae subinde accessit etiam Burmannus [n]). Verum non *ΛΥΣΙΟ.* sed *ΛΑΣΙΟ.* constanter in his numis legitur testibus etiam binis similibus musei Caesarei. Videtur ergo esse magistratus.

* * *

Fluvius decumbens d. cornucopiae, s. urnae innixus.)(*ΚΑΤΑΝΑΙΩΝ.* *Noctua insistens elemento Σ, cui parvum* ο *imminet, inter duos pileos Dioscurorum.* Æ. III.

Princeps T. M. aliique in aversa numorum similium nonnisi elementum Σ viderunt; verum in integerrimo musei Caesarei huic elemento manifestum ο imminet, ut adeo monogramma sit, non litera solitaria, sed quis ejus sensus, incertum.

* * *

Typi alii:

Capita duo jugata barbata. In his Havercampus deos Palicos videt juxta Simethum fluvium, qui Catanensium agrum pervadit, ex nympha Thalia, quam Jovis beneficium matrem fecit, prognatos, et divinos subinde honores a Siculis nactos, ut refert Macrobius ibi citatus [o]). — *Caput ceu Jovis Ammonis,* in aliis: *Caput geminum barbatum ceu Jani.* Si caput illud vere est Ammonis, admisere ejus dei cultum Catanenses, ceu aliae Archipelagi insulae, nisi forte et eorum Bacchus sub hac imagine latet. Et forte Jani quoque cultum huc ex Latio vocavere, quanquam geminum istud caput in aliarum etiam urbium numis videmus alio certe, quam Jani significatu. — *Isis stans d. vexilli quoddam genus, ad eam accedit Horus, in area sistrum.* Numum hunc saepius sibi oblatum fuisse testatur Princeps T. M. [p]). Ergo Catanenses Aegyptios quoque ritus recepere. Et vero alio loco refert idem [q]), non pauca apud Catanam eruta monumenta notis hieroglyphicis inscripta, certo argumento, oppidanis nexum aliquem cum Aegyptiorum sacris intercessisse [r]). Etiam Bartelius testatur, apud Catanam, neque per Siciliam alibi, monumenta superstitionis Aegyptiae reperiri [s]).

* * *

ΑΜΕΝΑΝΟΣ. *Caput juvenile turgente e fronte cornu intra tres pisciculos.*)(*ΚΑΤΑΝΑΙΩΝ.* *Vir in citis quadrigis.* AR. II. Similis est in museo Hunteriano, sed in eo scriptum *ΑΜΕΝΑΟΣ.*

ΑΜΕΝΑΝΟΣ. *Caput simile.*)(*ΚΑ.* *Fulmen alatum, in area tres globuli.* Æ. III.

Amenani, etsi ignobilis est, et *interdum suppressis fontibus aret,* ut ait

l) Narrat. 43. m) Thes. Brand. T. I. p. 390. n) Dorv. Sic. p. 314.
o) ad Parut. p. 205. p) Num. Sic. p. 20. q) Aggiunte p. 216.
r) Aggiunte p. 216. s) Briefe über Kalabrien und Sicilien, Th. II.

Naso [t]), meminere tamen Strabo aliique. In simili Dorvillius perperam legit *ΡΩΜΑΝΟΣ*, quae iniqua lectio in causa fuit, cur eruditus Burmannus ad eum explicandum varia *ἀπροςδιονυσα* conferret [u]).

Magistratus in nonnullis tetradrachmis notatur *ΗΡΑΚΛΕΙΔΑΣ.*, in aeneis *ΛΑΣΙΟ.*, de quo supra.

Monogrammata. His Catanensium numi, praecipue nonnulli aenei, per aream onerantur nullo certo sensu.

Globuli tres exstant in aeneo supra citato cum mentione Amenani. *Lineolae* sive parvi cylindri frequenter comparent in aenea hujus urbis moneta, et quidem duae, tres, quatuor. Havercampus cum certum putaret, a Catanensibus typum Apollinis, Veneris, aliosque numis illatos in Octaviani gratiam, his lineolis indicari censet, eum ex victoriis Imperatorem I. II. III. etc. adclamatum [x]). Antequam tam insolentem conjecturam, et cui vix aliquis fidem habebit, in chartam mitteret, solido quodam argumento probandum fuerat, Catanenses adhuc Octaviani aetate numos feriisse. Verisimilius est, his perinde ac globulis indicari valorem monetae, ut dicemus in numis Menaeninorum.

* * *

Princeps T. M. in sua Sicilia numismatica totam tabulam XXIV. implevit numis Mauricii Aug., in quorum ima parte legitur *CAT.* perinde ac in aliis *CON. KYZ. RAVEN.* etc. Similes ait in nullo aut Mediobarbi, aut Ducangii, aut Bandurii catalogo vulgatos, magna autem copia reperiri indies in Sicilia, eosque cum solo, saltem certo Mauricii capite. Jure ergo existimat, Mauricii aetate officinam monetariam Catanae constitisse.

Ex numero numorum, quos Catanae tribuit Princeps T. M., eximendus certe is, quem Tab. XXII. n. 2. stitit, quem pertinere Caelium Apuliae comprobat is, quem edidit Pellerinius [y]), et alter musei Caesarei.

AR. RR. Æ. C.

CENTVRIPAE.

Mediterranea ab Aetna in occasum.

Epigraphe: *KENTO.* rarius, plerumque *ΚΕΝΤΟΡΙΠΙΝΩΝ.*

Caput Cereris, retro spica, in aliis tripus.)(*ΚΕΝΤΟΡΙΠΙΝΩΝ. Aratrum, cui insidet avicula, in area duo globuli.* Æ. III.

Typus vere ex Centuripinorum ingenio, nam eos saepe Cicero in Verrinis *summos aratores* appellat, quique tota fere Sicilia arabant. Aviculam Havercampus columbam Veneris dicit, insertamque numo in Augusti gratiam, nempe more suo, ut mox in Catana vidimus. Verius est adlusio ad factum aliquod domesticum nobis ignotum.

In numis aliis capita variorum deorum, et eorum in aversa attributa.

Globuli per aream duo, tres, in uno Parutae sex.

Æ. C.

---

t) Met. L. XV. 279. u) pag. 323. x) in Parut. p. 198. 208. et alibi.
y) Rec. I. tab. VII. n. 16.

CEPHALOEDIVM.

Fere in medio litoris in Tyrrhenum vergentis.

Epigraphe in numis certis: *ΚΕΦΑ.*

Typi: In his celebratur potissimum *Hercules*. In honoris partem veniunt quoque *Juppiter, Bacchus, Mercurius, Apollo.*

* * *

Numum argenteum *ΠΑ. ΚΕΦΑΛΟ.*, quem Princeps T. M. huc vocat, esse Pallensium Cephallenes insulae, in horum numis dicetur. Neque satis certum est, utrum alii duo numi argentei *ΚΕΦΑ.*, quos eodem loco Cel. Princeps citat, huc pertineant, cum et hi ad Cephallenes pertinere possint, et certos pluresque habeamus argenteos in horum urbibus signatos. Sane fatetur ipse, sibi similem hactenus in nullo museo Siculo conspectum. De his vide plura in moneta Cephallenum.

AR. dubii, Æ. RR.

DREPANVM.

Hujus urbis numi non conspecti nisi Goltziani, sed in quos nunquam commentabor, quoniam per se ipsi commenta plerumque sunt.

EMPORIAE.

Numos inscriptos *ΕΜΠΟΡΙΤΩΝ* esse Emporiarum Hispaniae Tarraconensis, in his dictum.

ENNA.

Ita in insulae medio, ut *umbilicus Siciliae* diceretur Ciceroni, Callimacho, Diodoro.

ΗΕΝΝΑΙΟΝ. Proserpina stans ante aram d. extensa facem, dependente ex humero velo.)(*Figura bigas agens.* AR. III.

Praeclarum hunc numum ex museo Ainslieano vulgavit Cl. Sestinius ignotum hactenus tot viris cupidis, qui monetae Siculae insidiati sunt. Ejus summum meritum summa antiquitas, quam prodit inscriptionis modus praefixa aspirata *Η*, et exitus in *ΟΝ* pro *ΩΝ*. Auctores veteres plerumque scripsere *Εννα* sine aspirata, at numus praesens *Ηεννα*, et confirmat orthographiam MVN. HENNA, quam offerunt numi Latini serius signati.

Epigraphe in reliquis: *ΕΝ. ΕΝΝΑ. ΕΝΝΑΙΩΝ.*

ΔΑΜΑΤΗΡ. Caput Cereris spicis coronatum.)(*ΕΝΝΑ. Hircus stans inter duas aristas, retro fax ardens.* Æ. II.

ΔΑΜΑΤΗΡ ipsa Ceres Dorice pro *ΔΗΜΗΤΗΡ*. De Cerere apud Ennam degente, ejus filia Proserpina inde a Dite rapta, et utriusque deae cultu antiquissimis temporibus in hac urbe constituto plurima scripsere veteres, quos inter unum citabo Ciceronem *). Fax et spicae nota sunt Cereris attributa, at quo modo hircus cum Cerere connectendus, nondum reperi.

* * *

ΑΡΧΑΓΕΤΑΣ. Caput Apollinis laur.)(*ΣΥΜΜΑΧΟΣ. Fax inter duas aristas.* Æ. II.

Etsi urbis nomen deest, tamen huc spectare creditur, quod typo cum praecedente fere conspirat. De Apolline Archageta, cujus adeo cultus hic quoque fuisse receptus videtur, agetur copiosius in numis Tauromenii. Si τo *ΣΥΜΜΑΧΟΣ* magistratus est, nihil laboramus. Sin epithe-

---

*) in Verr. L. IV. c. 48. 49.

ton, videtur vocabulum istud jungendum cum *ΑΡΧΑΓΕΤΑΣ* partis anticae, et significare Apollinem ad urbis suae tutelam quendam esse socium ac foederatum.

* * *

ΛΑΜ - - Caput Cereris.)(*ENNA. Caput bovis cum infulis.* Æ. II.

ΕΝΝΑΙΩΝ. Hircus jacens.)(*Porcus.* Æ. III.

Habemus in numis Ennae Cereri sacrae animalia tria, bovem, hircum, porcum vel porcam, quae tanquam ejus deae in sacrificiis hostias proponi censeo. Taurum et suem in Ambarvalibus Cereri immolari vetus apud Romanos religio. Eadem de causa in Eleusinis etiam numis, quae item urbs Cereri sacra, sus exstat. Et forte ad Cererem quoque pertinebant sacra, quae hecatombe dicebantur, et in quibus immolabantur porcus, taurus, hircus, ut refert scholiastes Aristophanis [a]), et Suidas [b]).

* * *

ΕΝΝΑΙΩΝ. Vir stans palliatus, d. scipionem.)(*Aratrum duobus serpentibus junctum, in area quatuor globuli.* Æ. II.

In antica proponi Triptolemum praeclarum Cereris discipulum, futurumque in ferendis frugibus orbis magistrum, ipsa dea suas serpentum bigas commodante, verisimile crediderim

AR. RRRR. Æ. RR.

MVNICIPIVM. Ex solis numis constat, Ennam municipii jure gavisam. Eccos:

M. CESTIVS. L. MVNATIVS. *Caput Cereris velatum prominente face.*)(MVN. HENNA. *Raptus Proserpinae, infra 5 globuli.* Æ. I.

MVN. HENNA. *Caput Veneris.*)(M. CESTIVS. L. MVNATIVS. IIVIR. *Venus nuda stans.* Æ. II.

Globulos videre est tam in numis Graecis quam Latinis.

Æ. RRR.

ENTELLA.

Mediterranea ad Crimissum in meridiem fluentem. Aedificatam ab Aegeste Crimissi fluvii sub canis specie cum nympha Aegesta congressi filio tradit Tzetzes, ut ad numos Erycis notabo.

Epigraphe: ΕΝΤΕΛΛΑΙΝΩΝ. vel *ΕΝΤΕΛΛΑΙΝωΝ.* Rarius *ΕΝΤΕΛΛΑΣ.*

Typi: Caput Solis, vel *Cereris*, vel *Bacchi;* deinde *bos capite humano*, *Pegasus*, *botrus etc.*

ΕΝΤΕΛΛΑΣ. Caput Cereris.)(*ΚΑΜΠΑΝΩΝ. Pegasus volans, infra caput galeatum barbatum.* Æ. III.

Praeclare hoc numo confirmatur, quod refert Stephanus [c]): *Erant vero urbis incolae genere Campani.* Quod factum sic enarrat Diodorus [d]): agmen Campanorum a Dionysio suppetias vocatum post praestitam tyranno operam secessisse Entellam, trucidatisque ibi, qui arma ferre poterant, eorumque uxoribus filiisque matrimonio sibi conjunctis urbem retinuisse.

Magistratus ΑΤΡΑΤΙΝΟ. in nonnullis, qui idem legitur etiam in moneta vicini Lilybaei.

AR. RRR. Æ. RR.

ERYX.

In litore Tyrrhenum respiciente supra

a) in Plut. v. 820. b) in voce Τριττυς. c) in Εντελλα. d) L. XIV. c. 9.

Lilybaeum. Oppidum ipsum impositum monti praerupto ejusdem nominis, et in vertice templum Veneris a loco dictae Erycinae omni late religione sacrum et donis opulentissimum. Ejus deae cultus in urbem quoque arcessitus erectis ibi binis Veneris Erycinae templis, ut ad numos gentis Considiae advertemus.

Epigraphe: ERVKINON, βουστροφηδον, ΕΡΥΚΙΝΟΝ. ΕΡΥΚ. ΕΡΥΚΕΙΝΩΝ.

Mulier sedens d. columbam.)(*ΕΡΥΚ. Canis stans.* AR. III.

Princeps T. M. in muliere partis anticae Venerem videt delectatam columba sua, cujus in deam obsequium nusquam magis, quam apud Erycem probatum. Nam columbas Venerem quotannis stato tempore in Africam profectam ac nono post die reducem comitatas testati sunt Athenaeus et Aelianus, quorum prolixa oracula vide in commentariis Havercampi [e]). Haec auctor illustris [f]). Sed alium hujus numi explicatum mihi suppeditat Tzetzes, qui refert [g]), Laomedontem Phoenodamanti Trojano iratum, quod Hesiones filiae ceto exponendae auctor princeps fuerat, ejus tres filias nautis tradidisse cum mandato, ut in Sicilia expositas feris in praedam relinquerent. Verum Veneris consilio fuisse servatas, atque harum unam compressam a Crimisso fluvio sub canis specie, natumque ex hoc commercio Aegesten tres in Sicilia urbes statuisse Aegestam, Erycem, Entellam. Secundum haec mulier numi filiarum una est, quae deae, cujus ope incolumis evasit, avim manu jactat, at in aversa canis maritus, de quo plura memorabuntur in numis Segestae. Sed et alius urbis conditor proditur Eryx, de quo mox.

* * *

ERVKINON. Aquila insistens capitello ordinis Ionici.)(*Pagurus.* AR. III.

Aquilam dixi secutus indicium Principis T. M. [h]), etsi idem in posteriore Sicilia sua numismatica columbam mallet, nimirum quod haec Veneris comes Eryci magis competeret. Sed enim si in his columbam statuimus, necesse erit et in Agrigentinis, qui ut ovum ovo Erycinis his similes sunt, columbam agnoscere. Verisimile igitur in utrisque eandem esse volucrem, et fuisse causam aliquam nobis ignotam, cur communi utraque urbs typo uti instituerit.

* * *

Herculis etiam numis aeneis illatus est, quod is Erycem Butae et Veneris F. hujus conditorem urbis ac templi ad certamen provocatum cestu vicit ac interfecit [i]), creditumque sit etiam, Erycis regionem ab ipso olim Hercule possessam [k]). Ergo et Pyrrhus, cum urbis oppugnationem aggrederetur, Herculi ludos et sacrificia vovit [l]).

* * *

ΕΡΥΚΙΝΟΝ. Caput muliebre.)(*Canis stans inter tres orbiculos.* Æ. III. (Arigoni.)

Hujus cimelii vadem citavi, quamcunque velis fidem habere. Numi cum

e) in Parut. p. 645. f) Aggiunte. p. 64. g) in Lycophr. v. 953. h) Aggiunte p. 112.
i) Diodor. L. IV. c. 23. Virgil. Aen. V. k) Herodot. L. V. §. 43. l) Plut. in Pyrrho p. 397.

hac aversa tribui solent Cythno Cycladi, aut verius Segestae, quam vide.

AR. et Æ. RR.

GELAS.

In litore meridiem respiciente ad fluvium cognominem, a qua ipsa nomen traxit teste praeter alios Marone m):

Immanisque Gela, fluvii cognomine dicta.

Epitheton *immanis* urbis amplitudinem indicat, cujus celebritatem produnt etiam numi copiosi, inter quos aurei quoque. Conditam a Rhodiis et Cretensibus refert Thucydides n).

Epigraphe antiquioris formae.

CΕΛΑΣ scriptura jam retrograda, jam solita, ut et *ΓΕΛΟΙΟΝ.* In alio operis pervetusti *CΕVΑΣ.* (Catal. raisonné p. 52.) *V* pro *Λ* est etiam in antiquissimis Leontinorum.

Epigraphe recentioris formae.

ΓΕΛΑΣ, etiam nonnunquam retrograde. Recentissimum *ΓΕΛΩΙΩΝ.* Sic et Maroni: *campique Geloi*, at Ciceroni: *Gelenses.*

Notandum, *ΓΕΛΑΣ* fere tantum scribi juxta bovem cum facie humana.

Typi: Ex his in Gelae moneta fere perpetuus *bos cum facie humana seu integer, seu dimidius.* Eruditus Princeps T. M. acriter contendit, quemadmodum hoc typo in aliarum urbium numis semper indicatur fluvius, ita eo in numis Gelae indicari Gelam fluvium o). Juvatur haec ejus sententia, quod revera, ut mox dixi, vocabulum *ΓΕΛΑΣ* fere solum scribitur juxta biforme istud monstrum, juxta alios typos *ΓΕΛΩΙΩΝ*, aut similiter. Verum adverto I. idem *ΓΕΛΑΣ* scribi etiam juxta caput Apollinis in ejus ipsius numis p), aut juxta juvenile caput fluvii more Siculo formatum q), quibus typis aut certe non notatur fluvius, aut hic Gelas alio modo fingitur, quam quo fictum statuit Ill. auctor. II. Si monstrum illud Gelas putandus est, sequetur, Gelois duplice modo suum effictum fluvium, nempe typo bovis biformis, et capitis juvenilis, quod vix verisimile, quin hac lege in nonnullis duplicem in eodem numo habebimus Gelam, et in antica quidem forma pueri more Siculo, in aversa forma bovis, ceu Tab. XXXI. n. 6. et XXXIII. n. 9. Ex quo sequitur, non fluvium, sed aliud hoc monstro significari. Sed haec ὡς ἐν παρόδῳ, nam quis ejus videatur sensus, abunde ad numos Campaniae disputavi. Pro vocabulo *ΓΕΛΑΣ* notasse sufficiat, cum illud tam urbem, quam fluvium notet, nullam nobis legem imponi, ut de fluvio illud potius, quam urbe capiamus, nam secus etiam vocabulo *ΑΚΡΑΓΑΣ* non urbs, sed fluvius hujus nominis intelligendus semper foret.

* * *

ΣΩΣΙΠΟΛΙΣ. (*retrograde.*) *Bos dimidius capite humano, cui accedens puella coronam offert.*)(*ΓΕΛΟΙΟΝ.* (*retrograde.*) *Figura in bigis supervolante Victoria.* AR. I. (Princ. T. M. et Catal. raisonné pag. 51.)

m) Aen. III. 702. n) L. VI. o) Aggiunte p. 169. p) Tab. XXXIII. n. 17. 18. q) ibid. n. 9. 12. 13.

ΣΩΣΙΠΟΛΙΣ. Caput muliebre fascia redimitum.)(*ΓΕΛΑΣ. Bos dimidius cum facie humana.* AV. III.

Eadem adversa.)(*Equus dimidius saliens.* AV. (Princ. T. M. in Auct. II.)

Laudatus saepe Princeps T. M. fluvium Gelam in antica numi prioris bovis specie adumbratum *Σωσιπολιδα, servatorem urbis* dici ait propter commoda, quae urbi praestat, et opportune istud confirmat marmore, in quo Aesculapius et Himera fluvius servatores Nisae statuuntur: *ΑΣΚΛΗΠΙΩ. ΚΑΙ. ΙΜΕΡ. ΠΟΤΑΜ. Ο. ΔΑΜΟΣ. ΤΙΣ. ΝΙΣΙΣ. ΣΟΤΗΡΣΙΝ* [r]). Aliud sentit Burmannus, cui nomen illud magistratus visum; nam *ΣΩΣΙΠΟΛΙΣ*, inquit, nequaquam nomen fuit Gelois ignotum, cum in psephismate Geloorum memoretur *ΣΩΣΙΠΟΛΙΣ. ΙΣΙΔΩΡΟΥ* [s]). Vtut erit, potuit *Σωσιπολις* dici divinitas quaevis, in cujus tutela urbs fuit, et quod sequitur, tam monstrum numi prioris, qualiscunque eo symbolo deus latuit, quam mulier numi alterius. Sic etiam ab Eleis deo cuipiam a *servata civitate* nomen *Σωσιπολιδος* fuisse inditum, cultumque forma puerili, et cornucopiae praegestantem tradit Pausanias [t]), et fuisse apud Magnetas Ioniae Jovem *Σωσιπολιδα*, testatur Strabo [u]). Eodem sensu Trajanus in numis Nicopolis Moesiae vocatur *CΩΤΗΡ. ΤΗC. ΠΟΛΕΩC.* Ceterum hoc vocabulum ad flumen minus commode referri posse, patet ex duobus sequentibus aureis, in quibus illud juxta caput muliebre legitur.

* * *

Caput Cereris.)(*ΓΕΛΩΙΩΝ. Vir galeatus, cetera nudus, arietem reluctantem immolat.* Æ. II.

Similes numi hactenus perperam in Gelonis numis numerati fuere, cum in iis antiquarii legerent *ΓΕΛΩΝ.* Ceterum aversae argumentum me ignorare profiteor.

Reliquorum typi nihil offerunt observatu dignum.

Fluvius Gelas. *Caput juvenile cornu e fronte turgido. Ei in nonnullis adscriptum ΓΕΛΑΣ.*

Globuli, ponderis nota, quorum tres in nonnullis aeneis habentur.

AV. duo hactenus comperti. AR. et Æ. C.

HERACLEA.

In litore Africae objecto ad Halyci, ut creditur, ostia sita, et dicta *Minoa,* quod ferebatur condita a Minoe Cretae rege, cum is Daedalum repetitum huc venerat.

Esse huic Heracleae suos numos, non negamus, at negamus, posse eos satis discerni a numis tot urbium, quae eodem nomine praeditae fuere. Neque vero Princeps T. M. vadem agit, eos omnes, quos Tabula XXXIV. proponit, huc pertinere. Jam enim omnes ii, qui urbis nomini aspiratam ├ praeponunt, ipso etiam fatente sunt Heracleae Lucaniae. Neque etiam res satis explorata in aeneis, in quorum antica: *Caput Cereris,* in)(*ΗΡΑΚΛΕΙΩΝ Spica*, quos Ill. auctor propter utriusque partis typum plane Siculum huic Heracleae negat posse adimi. Sed enim si fertilis Sicilia, non propterea steriles regio-

r) Aggiunte p. 115. s) Dorv. Sic. p. 369. t) L. VI. p. m. 501. et 517. u) L. XIV. p. m. 959.

nes aliae, et uterque typus obvius est in numis Lucaniae, in qua altera Heraclea sita. Certius argumentum fuerat, posse adfirmare, hos numos revera in Sicilia effodi.

HIMERA, THERMAE.

Himera sita prope litus, quod mare Tyrrhenum respicit, ad fluvium cognominem, a quo ipsa nomen traxit. Aedificatam a Zanclaeis, qui Mylas habitabant, auctor est Strabo [x]). Secundum Diodorum eversa est a Carthaginiensibus V. C. 345., iis, qui cladem evasere, non multo post ad Thermas vicinas translatis, ut mox infra in *Thermis* dicetur, quo probabile fit, numos omnes *Himerae* nomine inscriptos ante hoc ejus exitium signatos. Revera eorum omnes tam argentei quam aenei per fabricam et epigraphes modum tam remotum aevum non diffitentur, et teste ipso Diodoro, cum semel excisa esset Himera, deinceps cultoribus vacua ad suum usque aevum permansit [y]).

Numi HIMERAE nomine.

Remotissimum aevum arguunt inscripti HIMERA, quae epigraphe Latina tota videtur, cum tamen sit antiquissima Graeca. Recentiores sunt, quanquam et hi perantiqui: *IMERA. IMEPA. IMEPAION.* vel recte, vel retrograde. Sitne in horum aliquo scriptum *IMEPAIΩN* per *Ω*, ambigo. Omnes vero antiquitate praestant anepigraphi saltem argentei.

Gallus.)(*Sine epigraphe. Quadratum informe*, vel: *iterum gallus intra quadratum.* AR. II. III. vel: *duo, tres, sex globuli.* Æ. II. III.

Caput Herculis.)(*Gallus intra quadratum.* AR. II.

HIMERA. *Gallus.*)(*Pagurus;* AR. II.

Ergo gallus gallinaceus in vetustissima hac Himerensium moneta typus perpetuus. Quis vero ejus volucris explicatus? Hunc antequam tentaret Havercampus, sic praefatur [z]): *sicuti itaque semper sum solitus etiam minimos apices in numis scrutari, ita etiam hujus numi abditum sensum eruere conabor.* Quo ille proposito ad spem erectus audacter ad rem aggreditur, gallumque ad *tripudium solistimum* refert, *quod tantopere apud Romanos (sed ut ex hisce numis patet, longe antea penes Siculos) in usu fuit.* Cum gallum in partis aversae quadrato inclusum videt, ait, gallinam delineato quadrangulo intus positam, atque ita esca projecta observatum, quod ex disciplina augurali observandum erat. At cum informe quadratum videt, quod nobis nunc certum rudis vetustatis indicium habetur, ait, confecto quadrangulo, eoque multifariam dissecto gallinam in ejus medio positam, ibique ejus tum gestus observatos etc. Taedet reliqua somnia commemorare, neque recitavi haec, quo refutarem, nam in singulis paene verbis aut peccatur, aut citra veri speciem conjectatur; verum quo canorum exemplum proponam, in quae ἀπροςδιονυσα delabamur, cum nimium sumus ingeniosi. Si mihi prae Havercampo res angustior domi, at praesto est eruditio simplex ac parabilis, sed quae plerumque, ut cibi nullo artis veneno conditi, multo est praestabilior. En igitur conjecturam meam

x) L. VI. y) L. XI. c. 49. z) in Parut. p. 519.

simplicem et ex propinquo petitam. Fuere propter Himeram thermae, ut docent affatim numi ipsi, quos continuo subjiciam, dictae etiam *Thermae Himerenses.* Aliae thermae propter Selinuntem, hae quoque cum alias, tum ex ipsis Selinuntis numis cognitae, dictaeque *Thermae Selinuntiae.* In utriusque urbis numis frequens est gallus, hoc uno discrimine, quod in Himerae numis solus typum facit, in Selinuntiis adstat simulacro Hypsae ad aram sacrificantis. Quid igitur? Nimirum thermae sunt salubres, salutis praesens deus Aesculapius, Aesculapio sacer gallus ejusque sueta victima, ut vulgo notum, et disseremus uberius in moneta Selinuntis.

Neque vero non verisimile, Himerenses, cum gallum in numis proposuere, non tantum ad Aesculapium, sed et una ad urbis suae nomen respexisse. Ejus conjecturae me admonuit Plutarchus injecta mentione artificis, qui, dum gallum super manu Apollinis pinxit, matutinum voluit significare tempus, et solis ortum appetentem, nimirum quem is cantu praenunciat [a]). Jam vero ἱμερα urbis nomen Graecis idem fuit cum ἱμερα, diès, cujus praeco est gallus, at Graecis antiquissimis, nam serius ἡμερα invaluit. Habeo, quem hujus sententiae testem idoneum adducam, Platonem, qui, ut comprobaret, olim ε pro η adhiberi solitum, ejus adfert exemplum: *οἱ μεν ἀρχαιοτατοι ἱμεραν την ἡμεραν ἐκαλουν, οἱ δε ἑμεραν, οἱ δε νυν, ἡμεραν, quod nunc ἡμερα dicimus, vetustissimis dictum ἱμερα, aliis vero ἑμερα* [b]). Eodem sensu Dictys quoque Cretensis promiscue dixit et *Himera* et *Hemera,* quo nomine significavit Memnonis sororem et matrem, alias Auroram, nimirum quae exoriens diem, ἡμεραν, parit [c]). Jam vero, quantum ex horum fabrica numorum potest colligi, facile sunt ejus aevi, quo adhuc ἱμερα pro ἡμερα scribere placuit.

* * *

Mulier capite radiato stans d. pateram super ara sacrificat, s. extenta; inde aqua ex leonis rictu promanans, cui Faunus corpus suum supponit.)(*IMEPAION.* (*recte vel retrograde.*) *Victoria, in aliis figura alia in lentis bigis vel trigis, quam advolans Victoria coronat.* AR. I.

Insignes numi cum ab antiquitate, tum argumento, nam salutares eo aquas profitentur, de quibus plura infra in numis *Thermarum* nomine insignibus. Mulierem partis anticae Princeps T. M. censet esse Himerae civitatis, cujus imaginem a Poenis raptam, restitutam Thermitanis a Scipione refert Cicero [d]). Sed verius videtur memorata haec Ciceroni statua esse ea, quam sistunt numi Thermarum, ut in his dicetur. Cum autem videam, in numis Selinuntiorum, qui cum Himerensibus multum habent adfinitatis, fluvium Hypsam eodem modo sacrificare ad aram, ut mulierem numi praesentis, suspicor, hanc ipsam esse Himerae fluvii imaginem, et ab Himerensibus fluvium suum praeter aliarum urbium morem nymphae, vel mulieris ritu effictum, quia vocabulum *IMEPA* feminino more formatur, reliquis Siciliae fluviis, quorum in numis masculam habemus imaginem, etiam masculo

a) de Pyth. orac. b) in Cratyl. c) L. VI. p. m. 136. d) in Verr. L. II. c. 35.

more terminatis, quo modo et Cyanen fontem Syracusani feminae ritu finxerunt teste Aeliano [e]).

Bigae cum rectore vetus in argenteis Siculis majoris formae thema; at istud singulare, Victoriam aurigantem ab altera Victoria coronari. Numus captus est ex Pellerinii opere, cujus iconismi sese ab adcuratione commendant.

* *
*

IMEPA. (*retrograde.*) *Mulier stans pallium obducit.*)(*ΓΕΛΟΙ* - - (lege *ΠΕΛΟΨ*) *Vir in lentis bigis.* AR. I. II.

Hujus numi arbitrum non agam, cum ipse Princeps T. M., qui numum edidit, in eo describendo non sibi constet. Nam quo primum loco eum vulgavit, aliud adfirmavit non legi, praeterquam *ΓΕΛΟΙ* - - censuitque explendum: *ΓΕΛΟΙΟΝ.*, quo notarentur Geloi Siciliae [f]). At in Sicilia numismatica nulla facta prioris dubii mentione legit *ΓΕΛΟΝ.* censetque, percussum in Gelonis Syracusani honorem, quo victore Himera a diuturna Poenorum obsidione liberata fuit, de quo infra. Idoneus sane explicatus, si modo certa posterior haec lectio, de qua arbitrentur autoptae. At nuper omne mihi dubium abstulit argenteus omnino eximius I. formae musei principis de Waldeck, in quo pro praetensa illa epigraphe planissime legitur *ΠΕΛΟΨ*, haud dubie urbis magistratus, neque enim satis causae video, cur eo nomine intelligendum putem veterem illum Pelopem, qui Peloponneso nomen dedit.

* * *

IMEPAION. Mercurius hirco vectus concham inflat.)(*Victoria d. palmae ramum; in numo Parutae adscribitur: NIKA.* AR. III. In aliis: *Monstrum miri ingenii: caput senile barbatum prominente uno vel geminato capri cornu, brachium est ursi vel leonis, reliquum corpus galli.* AR. III.

Mercurio sacrum fuisse hircum alias constat, sed incertum sane, quae sit reliqua hujus typi explicatio, ut et monstri in numo altero, quod descripsi secundum verba Principis T. M. At non aeque incertus explicatus Victoriae, cujus imago renovat memoriam ejus diei, quo Himera a Poenis duce Amiclare obsidione pressa ferente suppetias Gelone Syracusano liberata fuit, tanta secuta hostium strage, ut CL. millia occubuisse memoriae sit proditum, eaque victoria illi, quae ad Plataeas de Persis relata fuit, sit aequiparata. Eam Diodorus ad annum V. C. 274. refert [g]). Factum tam praeclarum, quod tanto Himeram opere nobilitavit, merebatur etiam praedicari in moneta, proposita Victoriae imagine, et addito *NIKA.*, ut in numis Bruttiorum.

Globuli in aeneis frequentes, et quidem, sex, tres, duo. Horum tres cum ad trutinam revocaret Princeps T. M., exactam in iis ponderis rationem reperit, sic ut, qui tres vel duos globulos exhibent, essent dimidia vel tertia pars ejus, in quo sunt globuli sex.

AR. R. Æ. RR.

Numi THERMARVM nomine.

Himera V. C. 274. a Poenorum obsi-

e) Var. hist. L. II. c. 33. f) Aggiunte p. 119. g) L. XI. c. 20 seq.

dione per insignem Gelonis victoriam liberata, de qua mox actum, orbata tamen incolis, conciliante Therone Agrigentino colonos Dores recepit, quod factum Diodorus ad annum V. C. 278. refert [h]). Coepit tum civitas florere opibus, donec annis post LXXI. iterum a Poenis obsidione pressa duce Annibale et expugnata caesis plerisque incolis, et eversis moenibus, priore clade ad vindictam hortante in ruinam consedit V. C. 345. anno CCXL., ex quo condita fuit [i]). Ab hoc igitur tempore numi solo Himerae nomine feriri desiverunt. V. C. 347 Poni habito delectu civium suorum, aliorumque Afrorum novam apud calidas aquas Himerae vicinas urbem condidere, quam *Thermas,* nempe ex loci natura, dixerunt, ut refert Diodorus [k]), sed secundum Ciceronem [l]): *Himera deleta, quos cives belli calamitas reliquos fecerat, ii se Thermis collocarant, in ejusdem agri finibus, neque longe ab antiquo oppido.*

Epigraphe: ΘΕΡΜΙΤΑΝ., in rarissimis *ΘΕΡΜΙΤΩΝ. ΙΜΕΡΑΙΩΝ.* Recte istud secundum Ciceronis testimonium mox citatum. Quid quod et P. Scipioni Thermitani ab Himerensibus profecti crediti sunt, nam cum capta Carthagine signa omnia a Poenis oblata Siculis urbibus restitueret, ea, quae illi Himera extulere, Thermitanis reddi jussit [m]). Additur etiam *ΙΜΕΡΑΙΩΝ,* quoniam praeter has Thermas aliae fuere etiam Segestanae [n]), et Selinuntiae, de quibus in Selinunte. Eodem modo legitur in marmore, quod post alios edidit Princeps T. M. [o]) ORDO. ET. POPVLVS. SPLENDIDISSIMAE. COL. AVG. HIMERAEORVM. THERMIT.

* * *

Caput Herculis leonis spoliis tectum.)(*Θ. Gallus stans.* AR. III. (Mus. Caes.)

Id genus numulos antiquariorum judicia variis urbibus adfixere. Adstitutum in praesente elementum *Θ*, quod in aliis similibus deest, suadet, eum Thermis nostris esse tribuendum, praecipue cum gallus obvius fuerit Himerae typus, et Hercules, ut videbimus, obvius Thermarum. Fabricae vetus modus persuadet, esse eum ex Thermitanorum vetustissimis, et signatum paullo postea, quam Himerenses excisa urbe sua Thermas concessere. Plura vide in mea Sylloge I., in qua numum hunc pictum et latius explicatum stiti.

* * *

Caput Herculis leonis exuviis tectum.)(*ΘΕΡΜΙΤΑΝ. Tres nymphae stantes.* Æ. II.

Hercules stans d. clavam, s. leonis exuvias.)(*Sine epigraphe. Nympha d. vas ad fontem leonis capite indicatum accedit, per aream tres globuli.* Æ III. Hunc numum Princeps T. M. inter Himerenses refert, quod perinde est.

Numos hos praeclare explicat Diodorus, narrans [p]), Herculi hoc litus peragranti calidas a nymphis aquas apertas fuisse, quibus contractam ex itinere lassitudinem levaret, easque subinde dictas

h) L. XI. c. 49. i) Diodor. L. XIII. c. 59. seq. k) L. XIII. c. 79. l) in Verr. L. II. c. 35. m) Cic. l. c. n) Diodor. L. IV. c. 23. o) Iscriz. di Palermo p. 141. p) L. IV. c. 23.

Himeraeas. Quorsum et referendum, quod de Ergotele Himeraeo canit Pindarus[q]):

Νυν δ' Ὀλυμπια ςεφανωσαμενος - -
Θερμα Νυμφαν λουτρα βαςαζεις κ. τ. λ.
Nunc vero in Olympia coronatus - -
Calida nympharum balnea extollis etc.

Eodem modo et Pylae Graeciae dictae Thermopylae, quod ibi Minerva Herculi laboribus fesso calidas aquas aperuit[r]).

* * *

Caput leonis Herculis exuviis tectum.)(*ΘΕΡΜΙΤΑΝ. in alio: ΘΕΡΜΑ. ΙΜΕΡΑΙΩΝ. Mulier capite velato stans d. pateram, s. cornucopiae.* Æ. II.

Inter restituta Thermitanis a Scipione signa primum memorat Cicero[s]): *in his mira pulcritudine ipsa HIMERA, in muliebrem figuram habitumque formata ex oppidi nomine et fluminis.* Havercampus censet, praesentis numi sigillum esse illud ipsum signum Ciceroni memoratum; at ex mente Principis T. M. hoc Tullii indicio notatur ea mulier, quae in tetradrachmis Himerae numis ad aram sacrificat[t]), et qua supra conjiciebam, notari fluvium Himeram. Forte uterque explicatus valere poterit, atque eadem mulier, quatenus sacrificium peragit, genius est urbis habenda, praecipue cum in numo proximo ejus caput turritum simus visuri, et quatenus cornucopiae tenet, abundantiam fluvii ope partam indicat.

* * *

Caput muliebre velatum turritum, retro cornucopiae.)(*ΘΕΡΜΙΤΩΝ. ΙΜΕΡΑΙΩΝ. Vir senilis stans involutus pallio et scipione nixus volumen explicatum manu tenet.* Æ. II.

Prosequitur loco citato Cicero: *erat etiam Stesichori poetae statua senilis incurva cum libro, summo, ut putant, artificio facta, qui fuit Himerae, sed et est et fuit tota Graecia summo propter ingenium honore et nomine.* Explicatum hunc jam reperit Princeps T. M., qui numum possedit, et sane eximie cum hac numi imagine conspirant verba Ciceronis. Etiam hoc signum a Poenis Himera ablatum Thermitanis restituit Scipio. Binos Stesichoros poetas Himera oriundos memorat chronicon Parium. Silius Italicus cum cecinit:

Litora Thermarum prisca donata Camena[u]),

ad hunc Stesichorum adlusit.

* * *

Caput juvenile.)(*ΘΕΡΜΙΤΑΝ. Capella procumbens.* Æ. III.

Rursum Ciceronem audiamus sic disserentem[x]): *Etiam, quod paene praeterii, capella quaedam est, ea quidem mire, ut etiam nos, qui rudes harum rerum sumus, intelligere possimus, scite facta et venuste.* Haec quoque rapta a Poenis, restituta a Scipione, a Verre concupita. Hanc quoque praeclaram explicationem debemus erudito Principi T. M.

* * *

Numi reliqui nihil insigne praestant. Eorum aliquos Havercampus ad Thermas Selinuntias censet pertinere[y]), sed rationes parum sunt validae.

AR. RRRR. Æ. R.

---

q) Olymp. Ode XII. 25. r) Vlpian. ad Demosth. Phil. I. sub fin. s) in Verr. L. II. c. 35. t) Num. Sic. p. 33. u) Punic. XIV. 232. x) l. c. y) in Parut. p. 501. 502.

HYBLA MAGNA.

Mediterranea a Catana in occasum. Fuere in Sicilia Hyblae tres, una *magna*, in qua sumus, altera *parva*, quae subinde a conditoribus Doriensibus *Megara* dicta est, celebris a mellificio, cujus numos infra in *Megara* recensebimus, tertia *minor*, cognomine dicta *Hera*, vel *Heraea*.

Caput muliebre velatum turritum.)(*ΥΒΛΑΣ. ΜΕΓΑΛΑΣ Bacchus tunicatus stans d. diotam, s. thyrsum adsiliente pantherisco, in aliis leone.* Æ. II.

In similibus numis, ac nuperrime a Dorvillio legebatur scriptum: *ΥΒΛΑΣ ΜΕΓΑΡΑΣ.*, quod si obtinet, hi numi certe essent ejus Hyblae, quae serius Megara cognominabatur. At secuit litem Princeps T. M., qui in omnibus, quotquot vidit, se legisse *ΜΕΓΑΛΑΣ.* contendit.

Æ. RR.

HYCCARA.

In litore occidentali infra Panormum. Numum aeneum edidit Paruta: *Caput barbatum nudum, juxta ΙΚΑΡ.*)(*Canis stans, duo globuli.* Eum ille ad haec Hyccara revocavit. Verum si esset hujus urbis, scribendum fuerat *ΥΚΚΑΡ.* Refert Princeps T. M., conspectum sibi quidem hoc cimelium, sed anepigraphum, quo magis Parutae numus, saltem quod ad epigraphen attinet, suspectus videtur.

JAETA.

Mediterranea ad Crimissum fl. in meridiem tendentem.

Epigraphe constans: *ΙΑΙΤΙΝΩΝ.*

Typi: Miles stans armatus more Romano, vel: *caput Herculis*, vel *triquetra.* In unius aversa legitur L M, quae literae notare epocham videri possint. At melius censet Burmannus, esse literas magistratus R. nomina notantes, ut: L. *Metellus* accedente ad haec causa militis Romani, quod utrumque obvium est in numis Panormi [z]).

Æ. RRR.

LEONTINI.

Versus litus orientale Catanam inter et Syracusas. Hi quoque ad Chalcidenses e Naxo insula profectos genus referunt.

Epigraphe antiquioris formae: *VEONTINON*, in aliis: *ΛΕΟΝΤΙΝΟΝ* recte vel retrograde, ut et *ΛΕΟΝ.* Recentioris: *ΛΕΟΝΤ. ΛΕΟΝΤΙΝΩΝ.*

Typi: In argenteis tetradrachmis, qui formae perantiquae sunt, et parabiles, est *caput leonis a latere conspicuum, hiante rictu, lingua exerta, et ambitur tribus vel quatuor granis frumenti,* addita nonnunquam *lyra, tripode, pisce.* Leo ad urbis nomen adludit, grana ad agri Leontini ubertatem, quae tanta fuit, ut is campus Ciceroni *caput rei frumentariae* diceretur [a]). Sensere et Leontini leonis sui beneficium, nam ingresso hunc sole reperere fontes suos nova aqua repletos, ut narrat Plutarchus [b]).

* * *

ΛΕΟΝΤ. Caput leonis.)(*Vir nudus stans d. pateram ad aram sacrificat, s. ramum.* AR. III.

Caput solis radiatum, juxta aratrum.)(*ΛΕΟΝΤ. Similis vir nudus saxo insidens d. cornucopiae, s. ramum.* Æ. II.

Havercampus in sigillo numi prioris

---

z) Dorv. Sic. p. 440. a) in Verr. L. III. c. 13. b) Sympos. L. IV. probl. 5.

Apollinem Archageten videt a Chalcidensibus in hanc oram illatum, de quo plura in moneta Tauromenii notabuntur. At eo indicari fluvium probat vir similis in Selinuntiorum numis sacrificans, qui certus est Hypsas, quo probare conatus sum, mulierem similiter in Himerae numis sacrificantem esse imaginem fluvii Himerae. Sententiam confirmat vir idem alterius numi propter cornucopiae, quod proprium est fluviorum attributum. Est ergo fluvius Lissus, qui propter Leontinos fluxit teste Polybio [c]).

* * *

In numis reliquis: *spica, caput Apollinis, aut ejus attributa, pisces etc.* Peregrinum etiam cultum prodit mulier, quam exhibet Princeps T. M. Tab. XLI. n. 15.

Globuli tres comparent in nonnullis aeneis cum capite Apollinis.

* * *

Numi dubii. Exstant argentei III. formae: *Leo dimidius respiciens.*)(*Area in quatuor partes secta, in quorum una semper globulus, in alia variae literae, in aliis sigilla varia, ut botrus, vas, lacerta etc.* Hos ad Leontinos pertinere passim creditum, ac nuper quoque Principi T. M., qui similes plures stitit Tabula XL. At praeterquam quod urbis inscriptio abest, et leonis typo urbes plures usae fuere; testatur quoque Pellerinius, sibi octo hujus generis Constantinopoli fuisse adlatos, qua in urbe eos esse obvios testatur quoque Abbas Sestinus. Haud dubie ergo alterius sunt urbis. Sestino Cardia Chersonesi placet [d]). Res adhuc incerta.

Alter etiam aeneus II. formae huc referri solet: *Caput Apollinis.*)(*ΓΟΡΓΙΑΣ. ΛΕΟ. Cycnus.* Haymius, qui numum hunc edidit [e]), in nomine *ΓΟΡΓΙΑΣ* celebrem Leontinorum philosophum et oratorem videt.

* * *

Imperatorium cum capite Caracallae et vitiatis literis deformem huc vocavit Mazzolenus, at non satis istud erudite [f]). Aliud diceret numus, si integer esset.

AR. et Æ. C.

LILYBAEVM.

Oppidum ad promontorium ejusdem nominis occidenti oppositum.

Caput Apollinis.)(*ΛΙΛΥΒΑΙΤΑΝ, Lyra* Æ. II.

ΛΙΛΥΒΑΙΤΑΝ. Caput muliebre velatum, in aliis simul turritum linea triangulari circumdatum.)(*ΑΤΡΑΤΙΝ. ΠΥΘΙΩΝ. Tripus, cui serpens implectitur.* Æ. II.

Vterque numus obvius. Caput numi alterius Haymius esse Sibyllae constituit in hoc oppido secundum Solinum sepultae [g]), quam sententiam amplexus est Havercampus. Quin eo usque promovit conjecturam, ut ipsius etiam sepulcri imaginem in lineis caput ambientibus videret. At quis non videt, capite velato et in nonnullis turrito latere potius genium urbis? quod ad lineas attinet, praeplacet sententia Havercampi, esse eas rudem aliquam triquetrae, seu trium Siciliae crurum ima-

---

c) Exc. ex L. VII. c. 1. d) Lettere p. 129. e) Thes. Brit. T. II. p. 73. f) Mus. Pisani.
g) Thes. Brit. T. II. p. m. 204.

ginem, quorum unum revera Lilybaeum porrigitur.

Magistratus. In explicandis vocabulis *ΑΤΡΑΤΙΝ. ΠΥΘΙΩΝ.* multum sese torsere Haymius et Havercampus, quorum conjecturas oppido debiles qui nosse cupiet, ipsos adeat. Khellius in animadversione Haymii commentario subjecta in iis utrumque coloniae Lilybaei IIvirum videt. Istud saltem certum videtur, magistratus nomina iis exhiberi, ad quod observare juverit, magistratum *ΑΤΡΑΤΙΝΟ.* legi etiam in vicinae Entellae numis.

Æ. C.

LONGONE.

Vrbs ignobilis et uni Stephano prodita. Aeneum inscriptum *ΛΟΓ.* non ob aliam causam huc refert Pellerinius, quam quod aliam urbem ab his literis incipientem non reperiret, cui hic numus commodius competeret. Eum in re tam incerta Princeps T. M. catalogo suo inserendum non duxit.

MACELLA.

Mediterranea versus fontes Crimissi, oppidum tenue.

ΜΑΚΕΛΛΑΙΝΕΩΝ. *Bos cornupeta.* Æ. III.

Æ. RRR.

MAMERTINI vide *MESSANA.*

MAZARA.

Prope Lilybaeum ad fluvium cognominem. Huc Pellerinius revocat aeneum: *ΜΑΣ. Caput Palladis.*)(*Pallas gradiens*[h]). Valeret haec conjectura, si epigraphe foret *MAZ.* aut aliud saltem luculentius indicium. Alios binos argenteos idem proponit[i]), in quorum uno *pagurus*, in alio *cancer*, et epigraphe Punica, quam in משרא solvendam contendit, pro quo Graeci et Latini scripsere *Mazara.* Verum quanta his vocabulorum Punicorum interpretibus habenda sit fides, abunde dicetur alibi.

Paruta huic urbi tribuendos numos conjecit inscriptos *ΕΜΠΟΡΙΤΩΝ*, quia revera hic emporium exstitit. At hos esse Emporiarum Hispaniae, suo loco actum.

MEGARA.

Maritima a Syracusis in septemtriones, dicta olim *Hybla Galeotis* et *parva,* sed traductis eo Graecis Megarensibus dicta *Megara;* at mansit vetus nomen in notando melle Hyblaeo eximii saporis[k]).

Caput Apollinis.)(*ΜΕΓΑ. Bos capite humano.* Æ. II. (Pellerin.)

Caput juvenile turgente duplice cornu.)(*ΜΕΓΑΡΑ. Noctua.* Æ. II. (Paruta.)

Vterque numus ad haec certe Megara pertinet, prior propter bovis typum, quem sola novit Graecia major et Sicilia, alter propter fluvii imaginem ex Siculorum ingenio, qui haud dubie est Alabus urbi vicinus.

Minus certum criterium in numis aliis, inscriptis: *ΜΕ. ΜΕΓ. ΜΕΓΑ. ΜΕΓΑΡΑ,* nam fuere et alia Megara in Attica praeclari nominis.

Huc etiam jure pertinerent numi *ΥΒΛΑΣ. ΜΕΓΑΡΑΣ.*, nisi pro *ΜΕΓΑΡΑΣ* legendum esset *ΜΕΓΑΛΑΣ*, ut supra in numis Hyblae diximus.

Æ. RRRR.

---

h) Rec. III. p. 106. i) Suppl. IV. p. 93. seq. k) Strabo, Thucyd. L. VI. c. 4.

MENAENVM.

Mediterranea a Syracusis in occasum ad lacum Palicorum.

Epigraphe constans *MENAINΩN.*, et falsa est quaecunque alia ab aliis promulgata. Ipsi Diodoro *Μεναινον*[l]). Sed Ciceroni: *Menenii*, Plinio: *Menanini.*

Typi: in Cereris, Herculis, Aesculapii, Mercurii cultu occupantur. In horum uno Ducetii, qui teste Diodoro[m]) Menaenum condidit, caput viderunt Haymius[n]), et Havercampus[o]), sed quae sententia minus verisimilis visa est Principi T. M.

Globuli tres in nonnullis aeneis. In aliis infra binas faces in decussem positas videntur *lineolae* quatuor, quales in Catanae moneta vidimus. His nequaquam dubium indicari valorem monetae perinde ac globulis, ut et visum Burmanno[p]), quod et egregie probatur alio numo cetera simili apud Parutam, in quo pro dictis quatuor lineolis legitur *Δ*, nimirum numerus quaternarius positus pro numero lineolarum.

AR. nulli praeter Goltzianos. Æ. R.

MESSANA.

Ad fretum Siculum, urbs olim, et nunc quoque illustris. Primum dicta *Zancle,* post *Messana,* denique *Mamertini.* Omnibus his nominibus superstites habemus numos insignis multos argumenti, in quos operae pretium prolixius commentari.

Nomine ZANCLES.

DANKLE. Delphinus.)(*Area in varia quadrata divisa, in quorum medio caput virile imberbe, vel concha.* AR. I. II. III.

Nomen *Zancle* urbi inditum fuit ab ipsis Siculis, quod is locus instar falcis curvatus esset; nam eorum lingua *Zancle* idem, quod Graecis *δρεπανον*, *falx*, vel *σκολιον*, *obliquum*, teste Thucydide, Strabone, Stephano. Diodorus eam sic appellatam refert a Zanclo ejus loci rege[q]); sed mythologi, quod Saturnus ibi falcem, qua patrem Vranum eviravit, abjecerit. Vide Silium Italicum[r]), aliosque, quos ibi citat Heinsius.

Inquirendum jam, qua aetate numi hi, quos esse perantiquos cum fabrica, tum literarum conformatio arguunt, videantur signati. Strabo conditam a Naxiis Siculis Zanclen docet, at Thucydides a latronibus, qui e Cumis urbe Chalcidica in agro Opico sita advenerant[s]). Veteres incolas exturbarunt Samii et Iones subornante Anaxilao[t]). Fuit hic Messane Peloponnesi oriundus, et Rhegii ex adverso Messanae siti tyrannidem auspicatus est V. C. 260., ut definite Diodorus[u]). Ea tempestate Samii et Iones atrociter a Persis vexati relicta patria in Italiam appulere, quibus auctor fuit Anaxilaus, ut Zanclen, cui iratus tum erat, occuparent. Factum istud uno ante pugnam Marathoniam anno, nempe V. C. 273., narrat Herodotus[x]). Haud multo post secundum Thucydidem, qui factum istud obiter perstringit[y]), Anaxilaus Messeniis popularibus suis favens, qui a Spartanis ejecti,

l) L. XI. c. 78. m) l. c. n) Thes. Br. T. I. p. 137. o) in Parut. p. 625. p) Dorv. Sic. p. 362. q) L. IV. c. 85. r) Punic. XIV. 48. s) L. VI. c. 4. t) Thucyd. l. c. Aristot. de Rep. L. V. c. 3. u) L. XI. c. 48. x) L. VI. c. 23. y) l. c.

vagi palantesque novas sedes quaeritabant, ad se accitos Samiis immisit, quibus hi exactis Zanclen tenuere, eaque deinceps *Messene* appellata ipse se Anaxilaus Rhegii et Messenes tyrannum ferebat. Haec facta oportuit aliquo tempore inde ab anno V. C. 273. usque 278., quo anno Anaxilaus diem obiit secundum Diodorum [z]). Haec certa sunt ex Thucydide, et Diodoro citatis, tum et Herodoto [a]). At Pausanias, qui captam a Messeniis Zanclen, et succedentem in ejus locum Messenes appellationem fuse persequitur [b]), factum id refert Olympiade XXIX. seu V. C. 89., quae anticipatio nimia est, et priorum certe judicio standum. Vnde sequitur, numos inscriptos *DANKLE* signari non potuisse post annum V. C. 276., quo tempore hoc nomen antiquatum fuit inducta Messenes appellatione.

Secus visum Pellerinio, cui cum certum videretur elementum primum D esse Oscum, vel Etruscum, certum etiam visum est, hos numos signatos a Mamertinis genere Campanis, ex quo sibi Messanam per vim subjecere [c]). Factum istud, ut infra in Mamertinis videbimus, circa annum V. C. 475. Vix persuaserit vir eruditus, hac aetate, qua artes liberales ad summum apicem evectae fuere, hujus adhuc formae numos signatos, et verisimile est, inde ab hac Mamertinorum invasione ne quidem Messanae nomine, nedum Zancles, amplius signatos numos, cum ex Diodoro constet, Messanam a Mamertinis deinceps *Mamertinam* vocatam [d]). Altior igitur, ut jam supra probavimus, his numis aetas deferenda.

De elemento *D* egimus in prolegomenis ad Siciliam.

Typus Delphini urbem certe maritimam notat. Aversa antiqui item operis partim exstantis, partim introrsum hiantis, ceu in numis Caulonis, et Crotonis, per areolas portasque rudem aliquam urbis ipsius speciem videtur objicere.

AR. RR.

Nomine MESSANAE.

Messeniis, ut diximus, ex Peloponneso circa annum V. C. 276. huc traductis, pro Zancle *Messana* ex patrio *Μεσσηνη* urbs dici coepit. Sunt et hoc nomine numi antiquissimi, et typis eximiis, dignisque, quibus immoremur.

Caput leonis obversum.

MESSENION. Caput vituli dextrorsum versum. AR. II. (Mus. Caes.)

Argumenti causa jungendus alter:

Caput leonis obversum.

RECION. Caput vituli dextrorsum versum. AR. II. (Mus. Caes.)

Prioris numi remotissimos natales omnia comprobant. *S* vetus Pelasgicum nondum in *Σ* novatum. *E* et *O*, nondum tum repertis, aut saltem nondum in usum inductis *H* et *Ω*, et nondum nomine nativo *Μεσσενε*, vel *Μεσσηνη* in Doricum *Μεσσανα* flexo. Ad praeclari hujus numi aetatem eruendam conjunxi numum alium Rhegii in Bruttiis e regione Messanae positi, solo freto utramque urbem dirimente. Posses utrumque numum in eadem

z) L. XI. c. 43. a) L. VI. § 22. seq. b) L. IV. c. 23. seq. c) Rec. T. III. p. 102.
d) Eclog. p. m. 493.

officina flatum dicere, nisi epigraphe illum Messanae, hunc Rhegio vindicaret. Iidem ergo in utroque numo typi palam eloquuntur, signatos eos sub ipsa exordia coloniae Zanclen per Messenios deductae, quo tempore utraque urbs unita fuit, et iisdem legibus gubernata, nam Anaxilaus a Diodoro [e]) Rhegii et Zancles tyrannus dicitur, quo V. C. 278. mortuo successere ejus liberi, et tyrannidem utriusque urbis tenuere usque ad annum V. C. 293, quo Zanclaei et Rhegini iis pulsis in libertatem se adseruere [f]). Qui cum his utriusque urbis numis volet vetustissimos Samiorum numos conferre, eos utriusque partis typis sic videbit conspirare, ut appareat, fuisse aliquem inter has civitates nexum. Hunc vero praeclare confirmant ea, quae supra in Zancle dixi. Nam testibus Herodoto, Thucydide, et Pausania ibi laudatis Zanclen tenuere Samii et Iones, quos subinde suasu Anaxilai sibi subjecere Messenii et Rhegini, sic tamen, ut in domicilii et imperii communionem victos reciperent, eo solo contenti, ut pro Zancle urbs Messene appellaretur. Vnde credo factum, ut veteres Samii, urbis incolae, pro imperii jure aliquamdiu numos patriis typis insignirent, quos etiam vicinum ac tum amicum Rhegium receperit. Eandem utriusque urbis concordiam probant et sequentes:

1.) *Caput leonis obversum, infra lepus.*
ΜΕΣΣΑΝΙΟΝ. Jupiter seminudus sedens d. diotam, s. hastam, pro pedibus aquila, omnia intra lauream. AR. I.

Alius Rhegii:

2) *Caput leonis obversum, infra ramus lauri.*
RECINOƧ. (retrograde.) *Juppiter sedens d. hastam, omnia intra lauream.* AR. I. (Mus. Caes. Mazochi tab. Heracl. p. 550.)

3.) *MESSENION. ΜΕƧƧΕΝΙΟΝ. MESSANION. ΜΕƧƧΑΝΙΟΝ. Lepus currens.*
Vir in lentis bigis, nonnunquam unico eque vel mulo vectus coronatur a supervolante Victoria. AR. I.

4.) *RECINON. Lepus currens.*
Vir vectus in lenta rheda juncto unico equo, inferne folium. AR. I. (Mus. comitis Vitzai.)

5.) *ΜΕΣΣΑΝΙΟΝ.* (*jam recte, jam retrograde.*) *Lepus currens, infra quem varia sigilla.*
Bigae similes, infra varia sigilla. AR. I.

6.) *ΜΕΣΣΑΝΑ. sed in aliis, et quidem frequentius ΜΕΣΣΑΝΟ. Mulier in lentis bigis.*
ΜΕΣΣΑΝΙΟΝ. Lepus currens. AR. I.

7.) *Lepus currens.*
ΜΕƧ. *sine typo, vel ΜΕΣ. intra lauream.* AR. III.

Numi quatuor priores iterum per typorum concordiam utriusque urbis societatem confirmant. Numi tertio loco descripti, iique perantiqui, haud dubie in Anaxilai aetatem cadunt, secundum quorum deinde exemplum signati ii, quos quinto loco habes, quique aetatis nonnihil inferioris videntur. In antica numorum, quos sede sexta recitavi, dixi, in aliis legi *ΜΕΣΣΑΝΑ*, in aliis, et quidem frequentius *ΜΕΣΣΑΝΟ*, et etsi jam in his nomen urbis habeatur, tamen in aversa

e) L. XI. c. 48. f) Diodor. L. XI. c. 76.

constanter legitur *ΜΕΣΣΑΝΙΟΝ.* Ergo in antica est nomen urbis, in aversa populi. At quaeri jure potest, qua lege pro *ΜΕΣΣΑΝΑ* scribi possit *ΜΕΣΣΑΝΟ?* Sed et istud videtur Doricum, Mettairio nonnulla Dorum exempla dictante A in O mutantium[g]). Causam leporis et rhedae dedimus in moneta Rhegii.

* * *

ΜΕΣΣΑΝΑ. Mulier in lento curru vecta equum singularem freno et scutica moderatur.)(*ΠΑΝ. Pan rupi nudus insidens adsilientem leporem d. adprehendit.* AR. I. (Mus. Caes.)

Egregium hunc numum hactenus ignotum ante annos non multos museo Caesareo intuli. In aliis hujus generis lepus solus aversae typum facit, at in praesente ad Pana suum ipse adcurrit. De liberali ac decora Panos forma vide, quae disserui in mea Sylloge I., quo in opere numum hunc pictum stiti, et copiosius explicavi.

* * *

Peractis Messanae numis, quos canities venerabiles facit, alios recentioris partus, et aliquo pacto memorabiles persequamur.

ΠΕΛΩΡΙΑΣ. Caput muliebre spicis coronatum, ante quod duo pisciculi.
ΜΕΣΣΑΝΙΩΝ. Vir galeatus nudus gradiens d. hastam, s. clypeum objicit. Æ. III.

ΠΕΛΩΡΙΑΣ. Caput simile.
ΦΕΡΑΙΜΩΝ. Idem typus. AR. III. Olim a me editus ex museo M. Ducis, (Num. vet. pag. 46.) restituit Princeps T. M., sed perperam aeneum dixit.

Pars adversa Messanae situm indicat positae ad Pelorum, sive Peloriadem promontorium, ut diserte Strabo[h]): *ἡ μεν Μεσσηνη της Πελωριαδος ἐν κολπῳ κειται, jacet Messana in Pelori sinu*, quin teste Diodoro et arx Messanae vocabatur Pelorias[i]). Caput ipsum Siculum, et ad ejus tractus fertilitatem adludit. Heroem partis aversae esse *Pheraemona*, alter numus dictat, quem Diodorus narrat fuisse unum ex Aeoli filiis, et regnasse in Sicilia a freto usque ad vicina Lilybaeo loca[k]). Vide, quae plura pridem in singularem hunc numum sum commentatus[l]).

* * *

ΠΟΣΕΙΔΩΝ. Caput barbatum laureatum.)(*ΜΕΣΣΑΝΙΩΝ. Tridens inter duos delphinos.* Æ. I. (Hunter.)

Vsitatum Siculis, deorum, heroumve capitibus ipsum etiam nomen adscribere.

* * *

Imperatorium cum capite Augusti edidit Paruta[m]), in cujus aversa: *ΜΕΣΣΑΝΙΩΝ. ΔΙΣ. ΝΕΩΚΟΡΩΝ. Tripus.* Cuperem, cimelium istud alium adhuc praeter Parutam vadem nactum. Quod cum factum hactenus non sit, licebit eodem eum numero putare, quo similem alium *Mamertinorum* nomine, quem proditum etiam reperio.

AR. Æ. C.

Nomine MAMERTINORVM.

Mamertini, gens Campana, teste

---

g) de dial. Graec. p. 412. h) L. VI. i) L. XXIII. eclog. 2. k) L. V. c. 8.
l) l. c. m) Tab. XXI. n. 3.

Strabone[n]) et Polybio[o]) a Syracusanis auxilio vocati circiter anno V. C. 475., quo tempore Syracusanorum res procurabat Hicetas, pace mox composita dimissi Messanam pervenere, quam ingressi et liberaliter ab oppidanis habiti caesis noctu perfide hospitibus urbem per vim tenuerunt, eique de se ac deo suo nomen dederunt, ut narrat Diodorus[p]): *ἐκαλεσαν δε ταυτην Μαμερτινην ἀπο του Ἀρεως, eamque Mamertinam dixerunt a Marte,* qui, ut dicemus, *Mamers* eorum lingua vocabatur. Ait et Strabo[q]), oppidanos vocari Mamertinos potius, quam Messanenses, et Plinius: *oppidum Messana civium Romanorum, qui Mamertini vocantur.* Festus refert[r]), Mamertinos Samnio egressos, sed intra scelus cum Messanensibus in unam societatem coaluisse. Deinceps igitur, aut certe non multo post, abolito Messanae in numis nomine *Mamertinorum* nomen valuit. Quare urbs isthaec et Silio dicitur *Osco memorabilis ortu*[s]).

Hoc Mamertinorum nomine aenei magna copia exstant. Sunt hi spectata fabrica simillimi numis aeneis inscriptis *ΒΡΕΤΤΙΩΝ*. Revera in Bruttiis referente Strabone[t]) urbs Mamertium stetit, quin et in marmore Trajani aetate posito in catalogo populorum Bruttiorum memorantur MAMERTINI[u]). Quod quidem opinari quosdam fecit, numos inscriptos *ΜΑΜΕΡΤΙΝΩΝ* esse Bruttios. Sane Pellerinius censet, eos Mamertii in Bruttiis signatos, antequam Mamertini in Siciliam trajicerent[x]). Verum auctores citati, ut diximus, eos Campanam gentem adfirmant, Festus egressos ex Samnio, et si istud obtinet, pauci supererunt numi certi, qui Mamertinis Messanensibus tribui debeant, quos tamen constat, fuisse populum satis potentem, Bruttiorum vero Mamertium ignobile. Noverunt antiquarii, populos vicinos fabrica simillima, et iisdem saepe typis usos, quo criterio ipsi utuntur saepe, cum dubitatur, ad quam ex pluribus homonymis urbem referendus sit numus. Potuit praeterea quoad rem monetariam aliquod Bruttios inter et Mamertinos Messanenses pactum intercessisse, quod scriptores dissimulandum duxerunt. Ill. Princeps T. M. numos omnes sic inscriptos Mamertinis Siciliae tribuit, tamen Mamertio Bruttiorum Havercampum secutus largitur eos, qui inscribuntur *ΜΑΜΕΡΤ. ΒΡΕΤ.*[y]), quorum binos edidit Paruta, et similem unum Cl. Ignarra ex museo Ducis Nojae[z]). Quam acute Cl. Sestinus destinxerit inter numos Mamertinorum Bruttiorum, et Siculorum, pete ex ipso auctore[a]).

Epigraphe constans *ΜΑΜΕΡΤΙΝΩΝ*. In nonnullis scriptum *ΜΑΜΕΡ.* proditur, fugientibus credo reliquis elementis.

Caput Herculis leonis exuviis tectum.)(*ΜΑΜΕΡΤΙΝΩΝ.* (*retrograde.*) *Diana venatrix gradiens d. facem praefert comite cane, in area* XII. AR. II. (Dorville Sic. tab. III. n. 6.) Alius *similis, sed scriptura*

n) L. VI. p. m. 411. o) Hist. L. I. c. 7. 8. p) Eclog. p. 493. q) l. c. r) in *Mamertini.* s) Punic. XIV. 194. t) L. VI. p. m. 400. u) Grut. pag. 199. 1. x) Rec. I. p. 53. y) Aggiunte p. 22. z) de pal. Neap. p. 258. a) Lettere T. I. p. 2.

recta, cum eodem in area numero XII. Æ. II. (Magnan. Brut. num. tab. 44.)

Alterum ex his, sed extrita epigraphe, prodidit Paruta tab. 173. n. 85. inter numos Romanos Siciliam, contingentes; at eum esse revera Siculum, Magnanianus simillimus per adjectum urbis nomen invicte comprobat. Vterque tamen per additum numerum Latinum XII. tum cusum se profitetur, ex quo Sicilia transacta cum Poenis pace Romani sunt potiti, quod factum V. C. 513. Fateor equidem, scripturam retrogradam remotius aevum videri postulare, sed forte peccatum est a chalcographo, qui Dorivillii numos scalpsit, et Magnanus quoque dubitat, sitne recte descriptus, et utrum ex argento [b]). Sane simillimus alter, sed et hic aeneus, nuper in museum ill. comitis Vitzai est illatus. Ceterum quid solitarius numerus XII. notet, difficile conjectu. Vide eum etiam in numis Syracusarum.

* * *

ΑΡΕΟΣ. Caput juvenile imberbe laureatum.)(*ΜΑΜΕΡΤΙΝΩΝ. Pallas gradiens cum hasta et clypeo. — Bos cornupeta. — Aquila insistens fulmini.* Æ. II.

In his numis caput anticae pro Apollinis capite haberi posset, nisi id additum *ΑΡΕΟΣ* vetaret, ductum ab *Αρης*, *Mars*. Martem ab oppidanis eximie cultum, vel inde patet, quod ab eo nomen traxere; nam is Oscorum lingua, a quibus oriundi fuere, dicebatur *Mamers* [c]). Teste Plutarcho [d]) Mamertini *προσηγορευθησαν Αρηϊοι γλωσσῃ τῃ Λατινων, appellabantur Martii ex lingua Latinorum.*

* * *

ΑΔΡΑΝΟΥ. Caput barbatum galeatum.)(*ΜΑΜΕΡΤΙΝΩΝ. Canis stans.* Æ. III.

Similem pridem edidit Paruta, nisi quod in hoc vocabulum *ΑΔΡΑΝΟΥ* deest, eumque dixit argenteum, cum alii hujus generis aenei tantum sint. Alium serius edidit Dorvillius, sed pro *ΑΔΡΑΝΟΥ* perperam legit *ΡΩΜΑΝΟΥ.* [e]) Is, quem coram descripsi, est in museo Caesareo, editusque olim a Froelichio, et erudite illustratus [f]). Exhibet antica caput Adrani, qui apud Adranum illustre templum habuit, et per omnem late insulam magnis adfectus honoribus, mille canibus ei sacris, ut supra in Adrano dixi.

* * *

Caput Apollinis.)(*ΜΑΜΕΡΤΙΝΩΝ. Cortina Delphica instrato tapete.* Æ. III. (Mus. Caes.)

Eundem hunc numum ex museo Hunteriano obtulit Combius, sed in aversa haud dubie minus integra pileum vidit ab Apolline oppido alienum. Similis musei Caesarei illaesus totus ac nitidus, quem pictum stiti in mea Sylloge I., luculentam exhibet Apollinis cortinam. Est vero cortina proprie vas cujuscunque metalli concavum obvii in re coquinaria et fullonia usus, eaque imposita tripodi ad varias causas est adhibita. Ejusdem formae fuit cortina Delphica, ut docent numi obvii, e. g. denarii Bruti. Eidem

---

b) l. c. p. VII. c) Diodor. Eclog. p. m. 493. Festus in Mamers. d) in Pyrrho c. 23.
e) Sic. tab. III. 11. f) Animadv. in num. urb.

cortinae nonnunquam superne committitur cortina alia, quo fit, ut utraque conjuncta sphaerae cavae speciem praeferat. Hac forma eam exhibent numi Vitellii inscripti: XVVIR. SACR. FAC. et denarii aurei gentis Cassiae. Hanc cortinam tectam fuisse operimento quopiam operis texti, aut vestis stragulae, apparet cum ex numo praesente, tum obviis aeneis Neapolis Campaniae, in quibus discurrentes virgae et se invicem secantes manifesta praebent texti tapetis indicia. Cortinae sic compositae insedisse sacerdotem apud Delphos fatidicam, docent numi primorum Syriae regum, quibus adde numum insignem Nicoclis Paphiorum regis, in quibus fingitur Apollo nudus cortinae insidens, instrato simillimi operis tapete. Inde factum, ut cortina idem sit poetis, quod oraculum ipsum, ut liquet ex Marone, Ovidio, aliisque.

* * *

Globuli bini apparent pone caput Martis in numo Dorvillii tab. III. n. 8. qui est aeneus II. formae. At in alio III. formae in numis Principis T. M. tab. XLVIII. n. 5. sunt eorum quinque. *Lineolas* tres, ceu in numis Catanae, offert aeneus III. musei Caesarei, quem edidit idem Ill. Princeps tab. XLIX. n. 1. sed absque his lineolis.

AR. RRRR. *unum edidit Dorvillius, sed dubium, ut dixi, alterum (si modo ex hoc metallo, nam alii ejus similes sunt aenei.) Paruta tab. XXIII. n. 39.* Æ. *C.*

MORGANTIA.

A Catana in meridiem versus mare.

Epigraphe antiquior: *MORCANTI.* (*retrograde.*) Recentior: *MOPΓANTINΩN.* in nonnullis retrograde. Ciceroni: *Murgentini,* Livio: *Murgantia.* Stephanus Morgynam appellat nullo alio exemplo.

Caput barbatum diadematum.)(*MORCANTI. Spica.* Æ. III.

Miror, numum hunc, cum sit operis pervetusti, praedicari aeneum. Forte anima est argentei. Alium fere similem argenteum profitetur Princeps noster.

* * *

MOPΓANTINΩN. Caput Mercurii adversum.)(*Victoria saxo insidens d. porrecta coronam.* AR. III.

* * *

MOPΓANTINΩN. Caput Palladis.)(*Leo quid depascens, infra serpens.* Æ. II.

Sunt operis eximii, et ex Morgantinorum moneta maxime parabiles.

In reliquis: *Aquila serpentem depascens, Tripus.*

AR. RRRR. Æ. R.

MOTYA.

Prope Lilybaeum maritima angusto aggere ab insula dirempta.

Epigraphe: MOTYAION. vel recte vel retrograde.

Caput juvenile in aliis pueri, in aliis puellae.)(*Canis stans.* AR. III.

Idem typus est in numis vicinae Segestae. Quae ejus concordiae causa, incertum.

* * *

Caput muliebre inter pisciculos.)(*Eques citato cursu.* AR. II. Numi a Paruta vulgati.

AR. RRR.

NAXVS.

In litore orientali a Catana in septem-

triones prope Tauromenium, quod ex Naxi ruinis surrexit. Ipsa pervetusta, a Chalcidensibus condita; etiam numi operis pervetusti omnes, quod esse debuit, nam urbs V. C. 351. a Dionysio seniore funditus eversa et habitari, et ferire numos desiit, ejusque ne rudera quidem suo amplius aevo superfuisse tradit Pausanias [g]). Ejus numi a nonnullis hactenus inique cum Naxi insulae numis permixti fuere, ut dicetur.

Epigraphe antiquissima: NA. — NAXI. — NAXION. recte vel retrograde, in qua observandum vetus X pro *Ξ*. Singularis est, quem citat Winckelmannus [h]): MOIƧΞVM Sic et in pervetusto marmore Chandleri [i]): *EXΣOΘEN* pro *EΞΩΘEN*. Ejusdem naturae sunt in Romanorum numis: ALEXSANDREA. PAXS.

Epigraphe recentior: *NAΞION*. et *NAΞIΩN*.

Caput Bacchi redimitum hedera, barba acuta, hujus pilis ac caesarie velut ex uvae granis contexta, quibus et numi ora ambitur.)(NAXION. (*retrograde.*) *Botrus, oram similia grana ambiunt.* AR. II. (Dorville Sic. tab. XII. n. 8.)

Praeclarus hic numus, ut Naxi numos omnes antiquitate praestat, ita inter antiquissima cimelia habendus, quae ex veteris Graeciae opibus non invidit aevum. Huic proxime jungendus alter:

Caput Bacchi nudum barbatum, cornibus in vertice turgentibus.)(NAXION. *Botrus.* AR. II. (Dorville Sic. tab. XII. n. 9.)

En tibi Bacchum alio cultu, prominente duplice cornu, quod rarum in ejus simulacris, etsi frequentius a poetis celebratum.

* * *

Caput Bacchi barbatum hedera, in aliis diademate revinctum.)(NAXI. NAXION. (*recte vel retrograde.*) *Botrus.* AR. IV. laminae tenuissimae.

Numuli hi aeque fabricae antiquissimae. Bacchum in his jam hedera, jam diademate cinctum videmus. In sequentibus utrumque ornamentum eidem capiti applicatum videbimus.

* * *

Caput Bacchi barbatum, redimitum diademate, cui intexta hedera.)(*NAΞION. Faunus vel Silenus humi sedens d. diotam attollit, s. thyrsum, juxta exsurgit hedera.* AR. I.

Numi sunt fabricae perelegantis. Eundem in Baccho capitis cultum offerunt etiam numi Tarentini. Bacchus hic propter barbam vulgo *Indicus* appellatur. Verum necesse non est, eum propterea ab ipsa India arcessi. Diodorus enim binos Bacchos constituit, quorum ille vetustior barbatus fingebatur [k]). De signo aversae dubitatum. Begerus, Wisius, Burmannus eo exhiberi Bacchum jacentem in antro censuere, qualem descripsit Pausanias [l]). At Princeps T. M. propter aures caprinas, et prominentem caudam, quam observo etiam in simili integerrimo musei Caesarei, Faunum aut Silenum mavult, certe Bacchi sequacem [m]).

---

g) L. VI. c. 13. h) Descript. des pierr. grav. p. 235. i) Inscr. ant. p. 37.
k) L. IV. c. 5. l) L. V. c. 19. m) Aggiunte p. 185.

* * *

ΑΣΣΙΝΟ. Caput juvenile hedera coronatum.)(*ΝΑΞΙΩΝ. Vir barbatus nudus capite hedera coronato sedens d. sublata poculum, s. duos bacillos vel sagittas.* AR. III.

ΝΑΞΙΩΝ. Caput juvenile hedera coronatum.)(*Sine epigraphe. Botrus.* AR. III.

Prior ex his per vocabulum *ΑΣΣΙΝΟ* insigne continet argumentum. Ait Plinius [n]): *Colonia Tauromenium, quae antea NAXOS, flumen ASINES.* Hoc ergo numismate arbitro finita est lis hactenus inter antiquarios agitata, ad utram Naxum, hancne Siciliae, an aliam Archipelagi pertineant numi hic citati, et utrinque Bacchi cultum testantes, Goltzio, Begero, ac nuper Pellerinio Naxum insulam praeferentibus, quoniam maxima, et late celebrata ejus dei in hac religio fuit. Jam vero et alias in auctariis suis monuit Princeps T. M., ejusmodi numos magno in Sicilia numero reperiri. Accedit, quod paucae insulae in eo tractu maris Aegaei, in quo sita fuit Naxus, monetam argenteam signavere, cumque hactenus Naxi Siculae numus aeneus repertus non sit, confidenter opinor hanc posse ferri legem: qui numi cum mentione Naxi argentei sunt, Naxo Siciliae, qui aenei, Naxo insulae tribuuntur. Dixi saepe, vetere aevo in Graecis civitatibus argenteos fere tantum numos signatos; at Naxus Sicula ante fuit eversa, quam monetae aeneae usus coepit invalescere.

Caput juvenile redimitum hedera ipsius fluvii, non Bacchi putandum, cum quod hic in Naxi numis barbam semper promittit, tum quod Siculi fluvios suos forma juvenili proponere sunt soliti. Addita vero est hedera, ut, cum tota urbs Baccho esset devota, ipse quoque fluvius aliquid Bacchi haberet. Conjunxi numum alterum, quoniam et in hoc ejusdem fluvii imaginem video, etsi nomen absit. Harduinum hunc Plinii sui *Asinen* male cum Asinaro Thucydidis confudisse, pridem docui in meis *Numis veteribus* p. 47., quo loco egregium hunc numum ex museo M. Ducis vulgavi, etsi idem jam exstet in Siculis Dorvilii [o]), sed ubi perperam scribitur *ΝΑΣΣΙΝΟ.* pro *ΑΣΣΙΝΟ.*

AR. C.

NEETVM.

A Syracusis in meridiem versus Pachynum. Dictum Ptolemaeo *Νεητον* recte secundum numum citandum; at Ciceroni *Netum* in Verrinis.

Vnicus hactenus certus hujus urbis repertus numus praecone Pellerinio: (Lettres p. 21.)

Caput Cereris.)(*ΝΕΗΤΩΝ. Bos.* Æ. III.

Æ. RRRR.

NISA.

Exstant numi aenei:

Caput Jovis.)(*ΝΙΣΑΙΩΝ. Aquila insistens taedae ardenti, in area spica.* Æ. II. III.

Similem jam vulgavit Goltzius, sed eum tribuit Nisae Megaridos. Eum vindicare Nisae Siculae aggressus est Princeps T. M. [p]) Fuisse vero in Sicilia quo-

n) L. III. § 14. o) Tab. XII. p) Aggiunte p. 127. Num. Sic. p. 53.

que oppidum Nisae nomine, probat primum ex Thucydide [q]), deinde ex marmore Siculo, in quo legitur: *ΑΣΚΛΗΠΙΩ. ΚΑΙ. ΙΜΕΡ. ΠΟΤΑΜ. Ο. ΔΑΜΟΣ. ΤΙΣ. ΝΙΣΙΣ. ΣΟΤΗΡΣΙΝ.* Vtrumque testimonium non recto stat talo. Locus Thucydidis manifeste est luxatus. In citato marmore etsi nulla adsit suspicio fraudis, certam tamen tenemus aut negligentiam, aut ignorantiam ejus, qui epigramma excepit; nam cum *ΔΑΜΟΣ* sit Doricum, scribendum etiam fuerat Dorice *ΑΣΚΛΑΠΙΩ*, et quis ferat *ΤΙΣ. ΝΙΣΙΣ.* pro *ΤΗΣ. ΝΙΣΗΣ.*, aut sanius Dorice: *ΤΑΣ. ΝΙΣΑΣ.*? item *ΣΟΤΗΡΣΙΝ* pro *ΣΩΤΗΡΣΙΝ*? denique insolentius compendium *ΙΜΕΡ. ΠΟΤΑΜ.* pro *ΙΜΕΡΑ. ΠΟΤΑΜΩ.* unius tantum utrinque elementi parsimonia? Ingravescit de adcuratione dubium, quod inscriptionem hanc hausisse sese ex vetere MS. testatur ipse [r]), ex qua eadem penu depromptum etiam est alterum epigramma, quod in eodem opere descripsit Princeps T. M. [s]) L. PETILIVS. M. F. COLONIAM. DVXIT. NISSAE. POPVLVS. ET. ORD. PATRONO. MERENTI. Fuere, qui Messanensium aliquam Nisam commenti sunt, quos jam refutavit Dorvillius [t]). Et quis Nisae apud Messanam sitae cum remoto Himera nexus? Tamen ut his monumentis demus recte stabilitam in Sicilia Nisam, fallitur nihilominus Princeps eruditus, cum numos inscriptos *ΝΙΣΑΙΩΝ* propterea Nisae Siculae tribuendos putat, quia aliae affini nomine Cariae et Graeciae urbes scribuntur *Nysa,* non *Nisa.* De Cariae Nysa istud certum, verum est *Nisaea* Megaridos Atticae, quae sic a veteribus omnibus scribitur, et cujus gentile est *Νισαιοι* apud Theocritum [u]), Diodorum [x]), Athenaeum [y]), Apollonium [z]), Pausaniam [a]). Perperam Stephanum vadem citat, tanquam is profiteretur, reliquas omnes per *Υ* scribi, nam is, praeterquam quod nullam Siciliae Nisam memorat, definite scribit: *ΝΙΣΑΙΑ ἐπινειον Μεγαριδος.* Reliquum ergo pro Nisa Sicula praesidium in sola fabrica nititur, quam Syracusanae similem ait auctor nobilissimus, quod nescio an validum satis videri possit. Harduinus hos numos esse Nisaeae Megaridos putat, et taedam, spicamque referri ad Cererem, cujus magni fuere in Megaride honores. Ceterum vide, quae plura de hac Siciliae Nisa congessit Princeps T. M. in opere: *le antiche iscrizioni di Palermo p.* 321.

PANORMVS.

In litore maris Tyrrheni, jam prisco aevo inclytae famae, et hodie totius insulae nobilissima. Indulgeamus Siculis saeculi XVI. scriptoribus, quibus urbs patria minus illustris est habita, nisi ejus incunabula ipsum Noemi diluvium praeivisse adsererent, aut saltem (nam modestius sensere alii) Isaaco facerent coaeva, cujus aetate huc delati Chaldaei, Damasceni, Phoenices praeclarae urbis initia constituerunt. At quod nuper Dominicus Schiavo Panormitanus posteriorem hanc sententiam resuscitavit, nixus

q) L. III. c. 103. r) Inscr. Sic. p. 4. s) p. 50. t) Sicil. p. 270. u) Idyll. XII. 27. x) L. XI. c. 53. y) L. XIV. p. 659. z) Argon. L. II. 749. a) L. X. p. 833.

fide inscriptionis, quae olim Panormi turri *Baych* insculpta legebatur, eamque adversus Cluverium, Burignium, Assemannum acerrime defendit in prolixa dissertatione *sopra la iscrizione dell' antica torre Baych*, quae exstat in opere Principis T. M., cui titulus: *le antiche iscrizioni di Palermo p.* 383., istud enimvero in hac historiae criticae luce mirum atque incredibile videatur. Fuisse ut turrim ipsam, ita et epigramma opus Saracenorum, qui insulam aliquamdiu tenuere, omnia persuadent, quod tamen examen mei instituti non est.

Vt incerti sunt urbis conditores, ita certum, a Graecis illi *Panormi* nomen inditum, sive quod eam condidere ipsi, sive quod urbe potiti, ut saepe alias factum, nomen vetus commutavere. Datae a Graecis appellationis auctor ipse est Diodorus [b]): *statim* (Pyrrhus) *Panormitarum urbem aggreditur, quae pulcherrimum inter Siciliae urbes portum habet, ex quo etiam appellationem istam urbs consecuta est*, nempe quasi a *πας ὁρμος*, *totus portus.* Vtrum prae Diodoro probabiliora dixerit eruditus Schiavo, qui vocabuli originem ex Hebraica lingua ducit [c]), etymologi viderint.

Antequam Poenis parere cogeretur, nullam certam ejus monetam novimus. Quos habemus numos Panormi nomine inscriptos Graece, tam remotae antiquitatis non sunt, ut signati a Graecis ante Poenorum dominatum videri possint, ut videbimus. Sub horum imperio denique Panormus numismatica esse incipit, ejusque habemus numos varii generis ad usque Tiberii aetatem, quos commode in IV. classes partiemur, I. in numos Punicos, II. Graecos, III. in numos Panormi coloniae, IV. in numos cum mentione magistratus.

I. Numi Punici.

Exstant magna copia numi aurei, argentei, aenei, in quorum antica *Caput Cereris, idque non raro inter quatuor pisciculos*, — *Caput Herculis* — *Martis*, in aversa potissimum: *Equus stans, et saepe respiciens*, vel: *Caput equi*, saepe his adstituitur *palma.* Rarius *Pegasus volans*, vel *vir in quadrigis, cui aovolans Victoria coronam offert.* In area cujuscunque metalli saepe observantur *globuli unus, duo, tres.* Epigraphe in his aut Punica, aut nulla, quo fit, ut id genus numi in *literatos*, et *illiteratos* soleant dividi, quemadmodum istud a me in distributione musei Caesarei est observatum.

Numos hos non modo epigraphe Punicos facit, sed etiam ex unanimi fere sententia ipse etiam typus equi, ac praecipue is, quo equi tantum caput proponitur, quo adludi putatur ad id, quod refert Virgilius [d]), quando Didonis comites in condenda Carthagine occupati

> *Effodere loco signum, quod regia Juno*
> *Monstrarat, caput acris equi.*

cui etiam sententiae conformia tradunt Silius Italicus [e]), et Justinus [f]). Nititur praeterea haec sententia verbis Stephani narrantis, Carthaginem quoque dictam fuisse *KAKKABH*, quae vox in Poeno-

b) Eclog. L. XXII. § 14. c) l. c. p. 401. d) Aen. I. 447. e) Pun. II. 410. f) L. XVIII. c. 5.

rum lingua significat *caput equi.* Et repertus est etiam, qui in literis horum numorum Punicis vocabulum illud contineri sibi persuasit, Aldretus Hispanus [g]), sed quam sententiam recentiorum commentarii everterunt. At nolim opinioni huic, etsi passim receptae, continuo subscribere, quando et in numis obviis, inscriptis ROMA simile equi caput videmus comparere. Propius Carthaginem contingit palma, qua Phoenicia Carthaginiensium origo indicatur.

Id genus numos, sive Punicos, sive Siculos dixeris, perinde est. Punici erunt, quoniam Poenorum lingua inscripti, et eorum certe imperio percussi sunt. Siculi, quoniam non modo typi Cereris intra pisciculos, Pegasus, vir in quadrigis vectus, globuli etc. sed et fabrica summae in nonnullis elegantiae, quamque rudibus Poenorum ingeniis et ad artis illecebras nunquam condocefactis nullo pacto largieris, opus hanc mercem Siculum sine dubio pronunciant. Hi ergo numi Poenorum imperio in insula signati sunt, ut servirent in mutuum cum reliquis insulae incolis commercium, quod quidem factum provide, ut Siculorum moribus sese adcommodarent, in quorum civitatibus argenti signati usus fuit, cum Carthagine argentum rude rependi soleret, ut in hujus moneta verisimile dicam. Solent vero dici Panormitani, quia probabile est apud Panormum eos signatos, quod ea urbium, quae Carthaginiensium in Sicilia ditionis fuerant, facile princeps exstitit teste Polybio [h]).

De literis Punicis, quas hi numi offerunt, agetur post numos Phoeniciae.

AV. AR. Æ. C.

II. Numi Graeci.

V. C. 513. Poeni maritimo apud Aegates praelio debellati facta pace excedere Sicilia, eamque permittere Romanis coacti sunt. Deinceps Panormus Graecorum institutum revocavit, numosque Graece inscriptos percussit aliarum Siciliae civitatum exemplum secuta, ipsa volentibus Romanis civitas immunis ac libera constituta [i]).

Aurei. Binos ex hoc metallo, unum typo Apollinis, et lyrae, alterum Palladis, et noctuae propter adstitutum monogramma literis *ΠΑ.* constante Panormo adjudicavit Princeps T. M. Nolim istud tanquam certum adfirmare, quoniam monogrammatis hujus ambiguus est significatus.

Argentei. Idem auctor nobilissimus praeter binos hujus metalli, quos ex Paruta recitat, unum insignem sui musei sic describit:

Caput muliebre.)(*ΠΑΝΟΡΜΟΣ. Canis stans.* AR.

Plures Sicularum urbium numi canem sistunt; in aliis hujus typi rationem tenemus, ut in numis Mamertinorum, et Segestae, non item in aliis. Verisimile tamen, indicari Aegestam Nympham, et Crimisum fluvium in canem mutatum, de quo vide numos Segestae et Selinuntis. Est hic forte unicus argenteus Panormi, nam is, quem Combius ex

g) Antiqued. de España. h) Hist. L. I. c. 38. i) Cic. in Verr. L. III. c. 6.

Hunteriano huc refert, certe est Himerae.

Aenei. Horum insignis copia.

Epigraphe constans: *ΠΑΝΟΡΜΙΤΑΝ.* In nonnullis dubia, ut dicetur.

* * *

ΟΜΟΝΙΑ. (*sic*) *Caput Cereris velatum, et coronatum spicis.*)(*ΠΑΝΟΡΜΙΤΑΝ. Cornucopiae.* Æ. III.

Numum unus prodidit Paruta, sed et hunc mendose, cum scribendum sit *ΟΜΟΝΟΙΑ.* Si numus est genuinus, et verè hujus urbis, notabit concordiam inter ipsos oppidanos seu fundatam, seu reductam.

* * *

ΠΑΝΟΡΜΙΤΑΝ. Aquila stans expansis alis.)(*Aries, infra quem caput Jani gemini.* Æ. III.

Epigraphen anticae et Paruta, et Princeps T. M., qui numum ex illo restituit, retrogradam faciunt, at in simillimo musei Caesarei ea legem ordinariam sequitur. Jure igitur licet suspicari, utrum iconismi ab eruditis his viris propositi archetypis semper respondeant. Aversae typum ambiguum explicare non tento.

* * *

ΠΑΝΟΡΜΙΤΑΝ. Mercurius saxo insidens, s. caduceum.)(*Ara ignita intra lauream.* Æ. III.

Hanc item epigraphen Paruta, et post eum Princeps T. M. retrogradam proponunt, an vere, iterum dubitem. Adverto ad hunc numum, Mercurium simili cultu effingi in numis Tiberii signatis in incerta quadam Africae colonia, quos in Carthaginis numis recensebo. Forte numus praesens aliquam iis poterit luculam praestare.

* * *

Typi reliqui: *Capita variorum deorum, triquetra inserto Medusae capite, navis etc. Miles Romanus stans,* de quo typo redibit mentio in classe IV.

* * *

Nonnulli Panormi numi scripto solo *ΠΑΝ.* urbis suae nomen indicant, at tum cautione opus, ne huc inviti cogantur numi, qui sunt Panticapaei Tauridis, quod saepius factum. Inscripti solis literis *ΠΑ.*, nisi alia adsint indicia, minus certum pro Panormo criterium offerunt. Sic Pellerinius et Burmannus aeneos *Π.* vel *ΠΑ.* notatos tribuerunt Panormo, quos certum est, esse Pallensium Cephalleniae, ut in his dicetur.

Monogrammata etiam nonnunquam in certis Panormi numis inscriptionis vices supplent, nimirum ΠΡ ⊠ quae videre est in Siculis Principis nostri tab. LVI. et LXI. In alio Dorvillii ⊡ quod positum pro *Παν Ορμος* ingeniose conjecit Burmannus [k]), quo de numo infra in classe IV. redibit mentio.

AV. incerti. AR. RRRR. Æ. C.

* * *

Imperatorii. Augusto ejusque familiae a Panormitanis dedicatam monetam numi testantur, in quibus nullum adhuc coloniae indicium.

Caput Augusti nudum.)(*ΠΑΝΟΡΜΙΤΑΝ. Victoria, vel triquetra, vel Ceres*

k) Dorv. Sic. p. 282.

velata sedens. Æ. II. III. (Princ. T. M. Num. Sic. tab. LX. n. 4. 5. 14. tab. LIX. n. 10. 11.)

Imagine Cereris intelligendam Liviam Augusti uxorem alii aliarum urbium numi satis comprobant, quos in moneta ejus Augustae commatis R. recitabo.

* * *

Capita duo juvenilia jugata, in aliis nuda, in aliis galeata.)(*ΠΑΝΟΡΜΙΤΑΝ. intra coronam.* In aliis: *monogramma* ΦΡ, *Miles stans cultu Romano.* Æ. III. (Princ. T. M. tab. LX. 17. 18. 19.)

Dubium non videtur, his imaginibus exhiberi Cajum et Lucium Caesares etiam in nonnullis Dioscurorum specie decoratos.

* * *

Vaillantius numum Tiberii edidit: *ΠΑΝΟΡΜΙΤΑΝ. Triquetra.* (num. Graec. p. 9.) Epigraphe Graeca facit, ut suspicer, eum inter Augusti numos reponi debere, inter quos etiam reposuit Morellius. Æ. RR.

III. Numi Panormi coloniae.

Eruditus Dominicus Schiavo in dissertatione de Colonia Panormo inserta operi Principis T. M. *le antiche iscrizioni di Palermo p.* 189. deductam ab Augusto Panormum coloniam V. C. 734. probat primum ex Dione (L. LIV. § 7.) referente ad eundem annum, Augustum rebus in Sicilia ordinatis, cum Syracusas et *alias quasdam urbes* colonias Romanorum esse jussisset, in Graeciam transmisisse. Inter has ergo urbes, quas Dio non nominat, refert etiam Panormum suam. Deinde ex Strabone, qui eodem tempore vixit: *Panormus Romanorum habet coloniam.* Numi, ut satis aperte probant, Augustum fuisse coloniae auctorem, sic, quod ad ejus deductae arctius tempus attinet, incertos nos relinquunt.

ΠΑΝΟΡΜΙΤΑΝ. Caput Augusti nudum.)(*ΑΠΟΙΚΙΑ. Aquila stans expansis alis.* Æ. II.

Vnus Paruta numum hunc promulgavit, et ex eo Princeps T. M. Scrupulum injicit lingua Graeca, neque satis nostra aetate unius Parutae praeconio fidimus. Ejus ergo *γνησιοτητα* sic admitto, ut tamen optem, aliud nobis ei simile exemplum adfirmari.

* * *

PANHORMITANORVM. *Caput Augusti radiatum, juxta fulmen.*)(CN. DO. PROC. (vel: PROCOS.) A. LAETOR. IIVIR. *Capricornus, infra quem triquetra.* Æ. II.

PANHORMITA - - - *Julia sedens sub imagine Cereris.*)(GN. D. A. LA. *Ovis stans.* Æ. III.

Haec frequentior scribendi ratio in numis Panormi coloniae inserto spiritu H apposite ad vocabuli etymon ducti ab *ὁρμος, portus, statio navium,* ut supra dictum. Et erat tum tempus, quo Romanos aspirandi libido invasit, etiam cum id absurdum esset, ut docet Catulli epigramma LXXXIII. Sic et passim in marmoribus: RESP. PANHORMITANORVM., atque etiam Plinius *Panhormum* scripsit [1]).

1) L. III. p. 162.

Ejusdem rationis est apud Gruterum [m]): ARCHIERI. SYNHODI. Plura exempla alia dabit cel. Villoisonus in Prolegomenis ad Iliadem Homeri Venetam p. III.

Antica numi prioris Augustum ceu coloniae auctorem et jam in sidera receptum profitetur. Uterque numus *Cn. Domitium* Proconsulem, et *Laetorium* coloniae IIvirum memorat.

* * *

PANORMITANORVM. *Caput Augusti nudum.*)(AVGVS. *Caput Juliae velatum et redimitum spicis.* AE. II. (Princ. T. M. Num Sic. tab. LX. n. 10—13.)

Etsi Augusti caput nudum et nullo consecrationis indicio est, tamen pars aversa satis docet, eo mortuo hos numos signatos, quoniam in hac Julia AVGVS*ta* dicitur, qui titulus ei nonnisi per mariti testamentum accessit.

Æ. RR.

IV. Numi cum mentione Magistratus.

Hujus classis numi Ponormitani obvii. En eorum modum:

Caput Jovis laureatum.)(C. CALP.— CATO.— Q. FAB.— NASO.— A. POM.— S. POS. *etc. Miles cultu Romano stans d. porrecta pateram, s. hastam, humi clypeus. In multis certum urbis monogramma.* ☧P. AE. II.

Plures id genus numos jam vulgavit Paruta. At Princeps T. M. praeclaro consilio omnes sibi cognitos collegit primum in suis ad numos Siculos auctariis p. 234. deinde in Sicilia numismatica tab. LXI. Eos pertinere Panormum, etsi urbis nomen dissimuletur, probavit primum ex numis aliis similibus, in quibus legitur adscriptum *ΠΑΝΟΡΜΙΤΑΝ*, deinde ex adstituto in multis monogrammate ☧P, arguitque erroris eos, qui numos similes aliis hactenus urbibus dederunt, ut Pellerinius hujus generis unum inscriptum CALP. Calpen Hispaniae derivavit.

Nomina his numis inscripta esse nomina, vel cognomina gentium Romanarum, plane certum. At quaeri jure potest, sintne ea nomina magistratus Romani, ceu proconsulis, quaestoris etc. an magistratus coloniae Panormi, ceu IIvirorum, aedilium etc. ut opinati sunt Princeps T. M., et Schiavo [n])? Sin illud, necesse non erit, numos hos in coloniae numis habere, nam videmus in numis Graecis cistophoris Asiae inscriptos Latine proconsules, in numis Graecis Macedonum inscriptum Latine Aesillam quaestorem, tum eadem lingua indicatos proconsules et praetores in numis Cyrenaicis, qui certe ad nullam coloniam pertinuere. Tamen non repugnabo iis, quibus ea nomina coloniae magistratus videbuntur, quin et facile induci me paterer, ut credam, signatum in his militem Romanum, quod Panormus colonia esset militaris, et milites emeritos recepisset, nisi viderem, eundem typum exstare etiam in numis Panormi Graecis, quos citavimus; et in quibus nullum coloniae indicium observatur.

Liceat et huic classi aliam analogam conjungere. Exstant numi a variis editi:

---

m) pag. XIII. n. 8. n) ll. cc.

Caput Jani gemini.)(M'. ACILI. Q. *intra lauream.* (Morelli Famil.) Q. B. *intra lauream.* (Vaill. in Fam. Baebia.) NASO. *intra lauream.* (Mus. Caes. Morelli, Vail. in Famil. Axia.) AESSIPES. *intra lauream.* (in meis Num. vett. p. 311.) KRASSIPES. *intra lauream.* (Arigoni.) APV. (in monogrammate) *intra lauream.* (Hunter tab. 67. n. 24.) ΠΟR *intra lauream.* (Hunter l. c.) ΠΟ *intra lauream.* (Dorville Sic. p. 282.) *ΠΟR.* (*in monogrammate*) *intra lauream.* (Mus. Caes.) Sunt omnes aenei II. formae.

Si vera est Burmanni conjectura, siglam ΠΟ in *Παν Ορμος* resolventis, dubitandi amplius locus non erit, reliquos quoque omnes hoc loco descriptos, quod fabrica et typis sunt simillimi, ad eandem Panormum pertinere. Alioqui operis Romani non sunt, neque Ianus in moneta Sicula admodum hospes, et M. Furium Crassipedem V. C. 581. praetorem Siciliae tradit Livius o). Istud si verum, ab hac altera classe argui posset, quoniam in horum numorum primo quaestorem manifestum tenemus, etiam in prioris classis numis magistratus Romanos, non coloniae intelligendos.

Æ. *prioris classis C, alterius RR.*

PAROPVS.

Argenteum huic oppido largiti sunt Paruta ejusque sequaces, sed quem esse Parianorum Mysiae, in his docebimus.

PLVSIA vel PLVTIA.

Numos Augusti cum epigraphe: *ΠΛΟΥCΙΑC. ΥΠΑΤ.* vel similiter, quos plerique hactenus viri eruditi ignobili huic Siciliae oppido largiti sunt, vide in numis Temni Aeolidis.

SEGESTA.

Versus litus maris Tyrrheni prope Erycem. Urbs vetusti nominis, quam alii ab Egesto Egestae Trojanae et fluvii Crimissi in canem mutati filio, alii ab Aenea conditam ferebant. Numi hujus urbis vetustiores priorem famam, recentiores posteriorem sequuntur, et secundum hoc discrimen urbis numos partiemur.

Numi antiquiores.

Epigraphe: *ΣΕCΕΣΤΑ. ΣΕΓΕΣΤΑ. ΣΑΓΕΣΤΑ. ΣΕΓΕΣΤΑΙΟΝ. ΕΓΕΣΤΑΙΟΝ. ΣΕΓΕ.* jam recte, jam retrograde, jam *βουςροφηδον.* Item in eodem numo hinc *ΕΓΕΣΤΑΙΟΝ*, inde *ΣΕCΕΣΤΑ.* ΞIB. variante non modo urbis nomine, sed et literarum forma. (Catalogue raison. p. 55.) In multis post *ΣΕΓΕΣΤΑ.* comparent variae literae: ΞIB ΞII. etc. de quibus infra.

Caput muliebre vario cultu.)(*Epigraphe varia. Vir nudus gradiens s. ramum oblongum, pendente ex humero urna, uno binisve canibus comitantibus.* AR. I.

Caput muliebre vario cultu.)(*Epigraphe varia. Canis stans variis per aream sigillis.* AR. II. III. IV. Æ. II. III.

En argumentum fabulae prioris, quam binis locis persequitur Servius, quorum priore prolixe narrat: p) cum Laomedon pactam mercedem Apollini et Neptuno negasset, hunc iratum Trojanis immisisse cetum puellas nobiles depasturum. Ejus metu Hippotem filiam Egestam navi impositam maris arbitrio permisisse. Illam

o) L. XLII. c. 1. p) ad Aen. L. I. v. 550.

in Siciliam delatam a Crimisso fluvio in canem verso compressam filium Egestum peperisse, a quo ex matris nomine civitas Trojanis condita, quae antea *Egesta*, post *Segesta* dicta est. Alio loco cum idem compendio narrasset[q]), addit: *hujus rei ut esset indicium, numum effigie canis percussum Siculi habuerunt.* Idem paucis mutatis memorat etiam Tzetzes[r]), quem locum in numis Erycis plenius descripsi, tum et obiter Virgilius.[s]) Secundum haec narrata in horum numorum antica proponitur ipsa Egesta. Vir nudus partis aversae certus est Crimissus fluvius, quem non modo arguunt attributa, quae praefert, nempe ramus fluviatilis, qualem et Hypsas in numis Selinuntis gestat, et urna ex humero pendens, sed et species viri, qua cultum a Segestanis Crimissum refert Aelianus.[t]) Et verisimile est, comite cane indicari prolepticam metamorphosin, cujus exemplum etiam in Laodiceae Phrygiae moneta videbimus. Peractam vero metamorphosin alterius numi aversa per ipsam canis imaginem exhibet.

* * *

Notae arithmeticae. In argenteis nomen urbis *ΣΕΓΕΣΤΑ* sequi saepe solent literae: ΞIB. ΞII. ZIB. ZIE. ꟼIT. ᗺIT. etc. Hae cum numeralium notarum speciem praeferant, a nonnullis epochae anni habitae sunt. Sic Winckelmannus τῷ ΞIB notari XIX. adserit.[u]) Tres sequentes Princeps T. M. numeros 711. 712. 715. putat.[x]) Absterrere viros eruditos debuerat, non occurrere epochae annos in numis urbium Europae, et quod amplius est, duplex monas in eodem numero: v. g. Ξ = 7, et B = 2, item Z positum pro 700. Aliam tentavit viam Havercampus, qui cum in simili numo videret additum ᗺIT, et apud Tacitum legeret, Tiberium petentibus Segestanis jussisse refici Veneris Erycinae templum, opinatur, Segestam propterea *Tiberiadem* dictam[y]), quod non impugnat Burmannus, potius tamen conjectat, sensum esse: *ΣΕΓΕΣΤΑ*, *ΤΙΒεριον τιμᾳ*, *Segesta Tiberium* sc. colit.[z]). Superum fidem! Adeo vetustos hos numos, qui, ut fabrica, et literae suadent, annis ante Christum minimum CCCC. cusi sunt, Tiberii aevo congruere faciunt! Abstineo in re aperta argumentis pluribus, hos autem numeros inter ignotos ablegandos censeo, quos aliquando felicior quidam Laii filius evolvat.

Globuli, aut verius circuli in aeneis juxta canem frequenter observantur unus, duo, tres, quatuor, qui spectato numorum volumine non videntur valorem posse indicare.

Animadvertendum denique, male a plerisque, et nuper ab ipso etiam Principe T. M. huc vocatos numos argenteos fabricae perantiquae inscripto, ut praetenditur, *ΕΓΕΣΤΑΙΩΝ*, typo triquetrae et duorum luctatorum. Observatum fuit denique, in iis constanter legi *ΕΣΤΦΕΔΙΙΥΣ*, et esse Aspendi Pamphyliae, et

q) ad Aen. V. 30. r) ad Lycophr. v. 953. s) Aen. V. 35. t) Var. hist. Lib. II. c. 33.
u) Hist. art. p. 367. vet. edit. x) Inscript. Sic. Proleg. p. LXV. et passim in auctariis.
y) in Parut. p. 670. z) Dorv. Sic. p. 393.

vicini tractus, ut dicetur in numis Selges Pisidiae.

AR. R. Æ. RR.

Numi recentiores.

Epigraphe: *ΕΓΕΣΤΑΙΩΝ. ΕΓΕΣΤΑΝΩΝ.* Observandum, in hujus classis numis semper scribi *Egesta,* nunquam *Segesta.* Satis hoc refutatur Festus, qui in *Segesta* refert, praefixum fuisse elementum S, sancientibus nimirum Romanis, ne obscaeno nomine, quod *egestatis* commonefacit, appellaretur. Eodem modo et Servium loco supra citato dicere vidimus, urbem antea *Egestam,* postea *Segestam* dictam. Numi contrarium docent, nam, qui *ΣΕΓΕΣΤΑ* inscribuntur, sine dubio antiquiores sunt Romanorum cum Siculis commercio, at qui elemento *Σ* abstinent, ut sunt ii, quos in hac classe recensebimus, multo sunt posteriores, et facile in Romanorum tempora cadunt, ut patebit vel ex numis imperatoriis, qui infra citabuntur. Haec numi, at variant marmora et scriptores. In columna rostrata Duillii legitur ECESTANOS, Herodoto *Ἐγεσταιοι* [a]), Straboni *Αἰγεστα,* et *Αἰγεστεων ἐμποϱειον;* Thucydides et Diodorus recte secundum hujus classis numos *Εγεστα* et *Εγεσταιοι.* At Ptolemaeus *ἐμποϱιον Σεγεστανων,* et Ciceroni ac Tacito constanter *Segesta, Segestani.*

Caput muliebre turritum.)(*ΕΓΕΣΤΑΙΟΝ. vel: ΕΓΕΣΤΑΝΩΝ. Aeneas d. deos Penates tenens Anchisen effert, comite in nonnullis Ascanio.* Æ. II. III.

ΕΓΕΣΤΑΙΩΝ. Caput muliebre turritum.)(*Vir stans equum freno retinet.* Æ. III.

Hi posterioris aevi numi alteram, ut dixi, de urbis suae origine famam sequuntur; nimirum quae conditam ab Aenea Segestam adfirmavit. En ipsius Ciceronis testimonium [b]): *Segesta est oppidum pervetus in Sicilia, quod ab Aenea fugiente a Troja atque in haec loca veniente conditum esse demonstrant. Itaque Segestani non solum perpetua societate atque amicitia, verum etiam cognatione se cum populo Romano conjunctos esse arbitrantur.* Dionysius Halicarnassensis inter documenta adventus Aeneae in Siciliam refert etiam *aram Veneris Aeneciae positam in cacumine Erycis, et apud Aegestanos templum dicatum Aeneae* [c]). Etiam Strabo ex aliquorum sententia refert, Aeneam *ad Aegestam Siciliae cum Elymo Troe trajecisse et occupasse Erycem ac Lilybaeum, fluviosque circa Aegestam denominasse Scamandrum ac Simoentem* [d]). Secundum Virgilium Aeneas, antequam recta in Italiam tenderet, in Sicilia ab Egesto, sed quem Acesten vocat, receptus hospitio urbem aedificavit, quae viros mulieresque Trojanas aevo ac viribus invalidas reciperet, eamque in hospitis gratiam *Acestam* appellavit [e]). Hac igitur fiducia Segestani teste Tacito [f]) *aedem Veneris, montem apud Erycem, vetustate dilapsam restaurari postulavere, nota memorantes de origine ejus et laeta Tiberio; suscepit curam libens ut consanguineus.* At pridem ante jam Romani ipsi monumento publico ECE-

a) L. V. § 47. b) in Verr. Lib. IV. c. 33. c) L. I. c. 52. d) L. XIII. e) Aen. L. V. 718. seq. f) Ann. IV. 43.

STANOS COCNATOS POPLI ROMANI professi sunt, ut legitur in columna rostrata Duillii. Ab his ergo testimoniis causam tenemus, cur Segestani repudiata priore fama posteriorem sint amplexi signata in numis suis Aeneae imagine tam urbis suae quam rei Romanae auctoris, cum agnita haec utriusque urbis consanguinitas non potuerit Segestanorum rebus non admodum esse proficua.

Numi alterius virum cum equo adstantem videor mihi posse ex Herodoto explicare, qui refert[g]), Philippum Butacidae F. Crotoniatam, et a victoriis Olympicis conspicuum post varios casus huc delatum propter admirabilem formae praestantiam ab Segestanis monumento heroico et sacrificiis honoratum. Huic ergo Philippo videntur adstituisse equum, quo seu ad Philippi nomen, seu ejus ad certamina equestria studium adluderent.

* * *

Princeps T. M. inique huc refert argenteum, in quo hinc caput Palladis, inde Hercules gradiens[h]) quem esse Crotonis, suo loco monui.

Æ. R.

Imperatorii:

ΕΓΕΣΤΑΙΩΝ. *Caput Augusti nudum.*)(*Aeneas Anchisen efferens.*

His egregie confirmantur, quae modo disserui. Sunt in Siculis Principis T. M. tab. LXIV. n. 6. 7.

Æ. RR.

SELINVS.

Ad litus in meridiem versum et Hypsae ostia, condita a Megarensibus Siculis teste Strabone[i]), nominisque inter Siculas urbes praeclari, eversa a Poenis eodem, quo Himera, anno V. C. 345., qui subinde ejus incolas Lilybaeum transtulere circa annum V. C. 504. nimirum tempore belli Punici I., ut colligitur ex Diodoro[k]), fuitque Strabonis aetate plane deserta perinde ac Gelas et Himera, ut testatur ipse[l]). Excidium istud confirmant numi, nam per fabricam remotum omnes aevum arguunt. De causa nominis urbi impositi mox disseremus.

Epigraphe: ΣΕΛΙ. ΣΕΛΙΝΟ. ΣΕΛΙΝΟΝΤΙΩΝ., etiam retograde, et nonnunquam scriptum in utraque facie ejusdem numi. Epigraphen ΣΕΛΙΝΩΝΤΙΩΝ., quam saepius promulgat Princeps T. M., licebit in suspicionem vocare. Alterum Ω adversatur aetati horum numorum, primum etiam grammaticae. Singulare est: ΣΕΛΙΝΟΕΣ. in numis, quos infra citabo, epigraphes modus sane pervetustus. Teste Stephano Opus urbs Locrorum dicebatur Οποεις, sed per crasin: Οπους, Οπουντος. Et Eustathius[m]): ὥσπερ και Πλακοεις, και ἐν συναιρεσει Πλακους, οὑτω και Οποεις Οπους, και κλινεται Οπουντος, και το ἐθνικον ἐξ αὐτου Οπουντιος. Ergo analoge eodem modo Σελινοεις, per crasin Σελινους, in gignendi casu Σελινοεντος, per crasin Σελινουντος, et gentile Σελινουντιος. Non raro etiam citra crasin locuti sunt veteres; ita Eustathius[n]): ἐπινειον Οποεντος, pro Οπουντος, et Thucydides[o]) dixit Σολοεντα, pro quo Diodorus[p]) Σο-

g) L. V. § 47. h) tab. LXII. n. 5. i) L. VI. k) Eclog. XXIV. sub init. l) L. VI. m) ad Il. B. V. 532. n) l. c. o) L. VI. c. 2. p) L. XIV. c. 78.

λουντα, a recto *Σολοεις*, contracte *Σολους*. Eodem pertinet *Σιμοεις*, *Σιμοεντος* in vulgus notum, et apud Euripidem quoque *Σιμουντος*[q]). Est ergo in nostris numis *το* *ΣΕΛΙΝΟΕΣ* ipsum urbis nomen in recto, perinde ac habemus *ΑΚΡΑΓΑΣ*. *ΓΕΛΑΣ*. etc. hoc uno discrimine, quod non in diphthongum *ΕΙΣ*, sed Dorice in *ΕΣ* longum exeat, nimirum ut dixere Dores *κηνος* pro *ἐκεινος*, aut antique *ΕΜΙ* pro *ΕΙΜΙ* in lapide Sigeo. Haec studiosius exposui, quoniam video adfirmare Principem T. M., nomine *ΣΕΛΙΝΟΕΣ* fluvium Selinuntem intelligi debere[r]). Neque vero unicum istud habemus in numis urbis sic inscriptae exemplum, nam vidimus supra numum Buxenti, seu Pyxuntis Lucaniae eodem modo urbis nomen enunciantem, nempe *ΠΥΞΟΕΣ*. Insolentius est *ΣΕΛΙΝΟΣ*. in tetradrachmo musei Caes.

Antiquissimae formae sunt:

Folium apii.)(*Sine epigraphe. Quadratum informe incusum.* AR. II.

Folium apii.)(*ΣΕΛΙ. Folium apii intra quadratum.* AR. II.

Non pauca, eaque eximia ad hos numos animadvertenda. Horum priores sunt ex eorum genere, quos jure merito inter antiquissimos recensemus, cumque anepigraphi sint, in definienda eorum patria olim peccatum. Ita eos Peloponneso tribuit Frölichius, quam folio platani similem dixere veteres[s]). Numi secundo loco citati, ac prioribus similes, sed literati, juvere praecedentes illiteratos. Erroris sublati gloriam debemus Dorvillio et Burmanno[t]). Praeclare utrique hi numi confirmant ea, quae de informibus quadratis, rudibus nempe rei monetariae initiis, sed temporis progressu varie exornatis eruditissime disseruit celeberrimus Barthelemyus[u]).

Expedienda etiam typi ratio. Diximus, in his numis exhiberi folium apii. En tibi Vibium Sequestrum: *Selinus Messaniorum* (Burmanno reponendum videtur *Mazaraeorum*) *a quo flumine civitas Selinus dicta, quod apium ibi plurimum nascitur*, nempe *Σελινον* Graecis *apium*. Uno ergo testimonio tenemus causam, cur primum fluvius, deinde urbs Selinuntis appellationem traxerint, deinde cur eo typo Selinuntii in moneta sua usi sint. Quare folium istud tanquam proprium hujus urbis symbolum aut solum totam numi aream occupat, ceu in praesentibus, aut in iis, qui typos alios exhibent, numi areae constanter adfixum est ea ratione, ut malum Punicum in moneta Sidetum. Et narrat Plutarchus[x]): Selinuntios aureum apium tanquam notam et insigne suae urbis Apollini dedicasse.

His aetate succedunt:

ΗΥΨΑΣ. (*retrograde*) *pro quo in aliis ΣΕΛΙΝΟΝΤΙΟΝ. Vir nudus imberbis stans turgente e fronte cornu d. pateram, s. ramum fluviatilem ad aram sacrificat, pro pedibus hinc gallus, inde taurus super pegmate, in area folium apii.*)(*ΣΕΛΙΝΟΝΤΙΟΝ. Vir et mulier in bigis,*

q) in Hecub. v. 641. r) Aggiunte p. 171. s) Not. elem. p. 21. t) Sic. p. 421.
u) Mem. B. L. T. XXIV. p. 30. x) de Pyth. orac. p. 399.

quorum ille sagittam emittit, haec habenas moderatur. AR. I.

ΗΥΨΑΣ. Idem typus princeps, sed aram ambit serpens, in nonnullis pro gallo adstat avis, seu cycnus est, seu pavo, seu ardea, abest semper taurus, in area folium apii.)(*ΣΕΛΙΝΟΝΤΙΟΝ. Hercules d. clavam taurum domat.* AR. II.

Ut insignes sunt hi numi, ita argumenti non parum controversi. Istud certum, signo partis anticae sisti fluvium Hypsam, qui secundum Selinuntem supra memoratum alter fuit fluvius, qui urbem adluebat, quod judicium ne ambiguum sit, providerunt ipsi monetarii adstituto ipso fluvii nomine, et turgente e fronte cornu, quod, etsi tenue, tamen in numis magis integris esse luculentum adfirmat insignis testis Princeps T. M.

Si Havercampum, Burmannum, et Principem laudatum audimus, proponitur in his numis Hypsas sacra faciens Apollini, vel Empedocli, cui teste Diogene Laertio [y]) divinos honores tribuerunt Selinuntii, quia incolis pestilentia correptis propter vicini stagni malignos halitus, derivata in illud vicinorum fluviorum aqua calamitati publicae subvenit. Quocirca, ait Burmannus [z]) conspici gallum salutis symbolum, et taurum Apollini vel Empedocli mactandum. At in numorum parte aversa Apollinem insistere currui, et mittere sagittas indicio gravis pestilentiae ab se immissae, sed cui adstat Empedocles, deum iratum et jam sagittam mittere parantem opportune cohibens; neque enim, quod nonnulli credidere, feminam esse, quae Apollini adstat, sed virum. Haec eruditi IIIviri.

Mirari in hac causa satis non possum, qua ratione figuram Apollini arcum tendenti adstantem possint Empedoclem dicere, cum tamen ipsi ii numi, in quos commentati sunt, vel quos ipsi edidere, luculentam eam feminam prodant, sive vestita sit, sive nuda, nam utroque modo proponitur. Vide, si lubet, iconismos Dorvillii tab. XIII. XIV., Principis T. M. tab. LXV., quibus adde adcuratam similis numi picturam apud Pellerinium [a]), quin in ipso Paruta iconismi omnes feminam arguunt dempto unico, in quo figura haec barbata proponitur, quique haud dubie Havercampo praeiverit, ut Empedoclem eum putaret, cujus deinde sententiam cupide amplexi sunt alii. At quid numus unicus a Paruta editus, cujus pleraeque imagines longe ab archetypis aberrant, contra tot aliorum fidem? Certa igitur cum femina sit, suapte corruunt omnia, quaecunque praeclari hi antiquarii de Empedocle commenti sunt.

Aliud igitur in numi hujus explicatu argumentum investigandum. Constat ex Strabone [b]), fuisse prope Selinuntem aquas calidas. Narrat quoque Diodorus [c]) in finibus Selinuntiorum exstitisse vaporem a subterraneo igne exaestuantem, quem deinde Daedalus intra spelaeum collectum curandis morbis habilem effecit. Urbs deinde ibi condita, eversa, ut videtur, Selinunte, quae ex loci natura

y) L. VIII. c. 2. n. 11. z) Dorv. Sic. p. 424. a) Rec. III. tab. CXI. n. 60. b) L. VI. p. 275. c) L. IV. c. 78.

Thermae dicta est, cumque aliae jam essent in Sicilia Thermae Himereae, hae *Selinuntiae* appellatae sunt. Earum adhuc aquarum exstat virtus, quam liberaliter describit Fazellus. Idem igitur in signandis his numis institutum fuit Selinuntiis, quod Himeraeis. Quemadmodum enim hi, ut vidimus, nobiles ditionis suae thermas in moneta praedicaverunt, et finxerunt genium urbis muliebrem, aut, ut verisimilius dixi, fluvium Himeram ad aram Aesculapio dicatam sacrificantem, ita et in Selinuntiorum moneta videmus Hypsam fluvium ad aram vota concipere, quam fuisse Aesculapii aperte profitentur gallus huic deo sacer, et qui eam in nonnullis ambit, serpens. Igitur numorum utriusque urbis argumentum ad salutem pertinet, quam ut aquae suae praestare pergant, supplicatur Aesculapio. In parte aversa exhiberi Apollinem, qui morbos et immittit, et aufert, facile damus. Erit igitur mulier, quae equos moderatur, aut genius urbis, aut soror Diana, et ipsa potens malos morbos arcessere et cohibere, quod experti sunt Graeci apud Aulidem.

Superest taurus, qui in numis prioribus insistit pegmati, in posterioribus ab Hercule domatur. Fallitur Burmannus, qui adstitutum esse censet propterea, quod sueta Apollinis victima est. Nam si istud, cur is semper abest a parte antica, quoties in aversa cum Hercule confligit? Abest igitur, quia eum Hercules, tanquam qui ad se pertineat, in aversam abstraxit. Sed cur is labor Herculis taurum Cretensem subigentis placuerit Selinuntiis, incertum. Suggeram tamen nonnulla, quae eum possint cum Selinunte connectere. Fuit hic taurus idem ille, in quem arsit Pasiphae Minois regis uxor, et cujus illa commercio per Daedali ingenium potita est[d]). Re comperta Daedalus a Minoe in Labyrinthum adactus compositis arte alis in hunc Siciliae tractum evolavit, et apud Selinuntem balnea miri operis perfecit, de quibus egi paullo altius. Fugitivum cum classe insecutus Minos ad litus hoc appulit, ibique in Herculis honorem, haud dubie, quod is taurum Cretae toti deinceps infestum cepit, Heracleam condidit, quae Minoa a conditore appellata est. Ceterum caput Herculis jam senile, jam puerile admodum, et tamen leonis exuviis tectum in aliis Selinuntis numis conspicitur, sive quod per universam insulam magnus fuit ejus dei cultus, sive quod omnibus is thermis, ut alias diximus, praesidet.

* * *

Mulier sedens d. longe extenta serpentem tenet, sinistram sursum attollit, superne folium apii. In nonnullis adest praeterea triquetra.)(*ΣΕΛΙΝΟΕΣ. ΣΕΛΙΝΟΝΤΙΟΝ. Bos cum facie humana.* AR. III.

Havercampus, et Princeps T. M. sedentem mulierem deam Salutem statuunt, et hunc typum cum argumento numorum praecedentium connectunt. Verum gestus mulieris magis est serpentem

d) Diodor. L. IV. c. 13.

aversantis, horrentisque, et ad ejus aspectum trepidae, et remoto hoc aevo prae symbolis placuit mythologia, ex qua typi causa ducenda videtur. Fingitur nimirum in adversa Juppiter serpentis specie cum Proserpina congressus, in aversa natus ex hoc commercio Bacchus tauriformis, ut allatis argumentis verisimile dixi supra in dissertatione de tauro cum capite humano Campaniae numis subjecta.

* * *

Caput muliebre adversum.)(*ΣΕΛΙΝΟΝ. Canis stans.* AR. III.

Numus hic fabulam de Aegesta Nympha et Crimisso fluvio in canem verso, quam supra in Segestae numis exposuimus, restituit, ut jam observavit Havercampus, et fuit Selinuntiis ejus in moneta sua crepandae titulus; nam Crimissus fraudis hujus artifex supra Selinuntem Hypsae infusus communi deinceps alveo ejus fines pervasit. Recte igitur videtur docere Servius, dum in genere ait, Siculos ab hoc casu effigiem canis in moneta sua signasse[e]), nam praeter Segestam, ubi fabula haec domi, et Selinuntem eundem etiam typum videmus in numis Motyae, et Panormi.

* * *

ΣΥΡΑ. Caput muliebre.)(*ΣΕΛΙΝΟΝΤΙΟΝ. Bos cum facie hnmana insistens spicae.* AR. III.

Numus est concordiae Syracusas inter et Selinuntem. Inter tot urbium Sicularum vices nolim definire tempus, quo foedus in hoc numo indicatum inter utramque urbem coaluit.

AR. C. *Aeneum unicum et fabricae antiquissimae protulit Princeps T. M.* (tab. LXVI.) *sed forte est ex subaeratorum genere, et amissa pellicula evasit totus aeneus. Exemplum attuli alibi, hoc fraudis genus in antiquissimis etiam numis compertum.* (Num. vett. p. 38.)

SOLVS.

Maritima versus Tyrrhenum a Panormo in septemtriones.

Epigraphe: COΛΟΝ. retrograde, *COΛΟΝΤΙΝΟΝ. COΛΟΝΤΙΝΩΝ. COΛΟΝΤΙΝΩΝ.* a recto *Σολοεις;* per crasin *Σολους*, ut dictum in praecedente Selinunte, recte Plinius *Solus.* Gentile in numis *Σολουτινος*, at Ciceroni *Solentinus.*

Praeter hanc epigraphen Graecam comparent etiam in nonnullis literae Punicae. Nempe is tractus diu Poenis paruit.

Typi: Capita variorum deorum, piscis e squillarum genere, miles etc. Numi ipsi nullo elegantiae aut remotae vetustatis merito, teste etiam literarum forma

Globuli tres aut sex pro numorum pondere.

Æ. RR.

SYRACVSAE.

Conditae ab Archia Evageti F. anno ante V. C. 5., ante Christum 757. ut docet chronicon Parium. Corinthi colonia, postea matre ipsa superior, Graecarum urbium maxima, splendidissima, opulentissima, quae ornamenta etsi tot veterum linguae tacuissent, ejus superstites numi satis depraedicarent, quorum non minus mirere elegantiam, et quantam ars praestare potest, summam per-

e) ad Aen. L. V. v. 30.

fectionem, quam varietatem, et numerum incredibilem,

Quem qui scire velit, Libyci velit aequoris idem
Discere quam multae Zephyro turbentur arenae.

Vt adeo quantum ipsae Syracusae reliquas Graeciae urbes praestabant opibus ac pulcritudine, tantum etiam numorum cum copia atque a metallo pretio, tum nitore praestarent. Quibus hercle experimentis verum compertum Silii Italici oraculum, cum de Syracusis jactat: *non usquam clarior illo Gloria picturae saeclo* [f]), et quod teste Eustathio [g]) a Graecis vulgo fuit usurpatum: *Κροτωνιαται μεν ὑγιεινοτατοι, Συρακουσιοι δε παμπλουσιοι, Crotoniatae quidem robustissimi, Syracusani vero praedivites.*

Formae antiquissimae. Hoc nomine praestant eximii duo, quos edidit Princeps T. M. (tab. LXXVII. 9. 10.)

Quadratum, intra quod caput muliebre diadematum, caesarie velut e margaritis contexta, ceu in antiquissimis Naxi numis.)(*SVRAϘOSION. in alio: SVRA. Bigae.* AR. m. m.

His prope accedunt inscripti: *ΣVRA. ΣVЯA. ΣVRAϘOΣION.* jam recte, jam retrograde, in quibus observandum elementum Ϙ pro *K* jam ex antiquissimis Crotonis numis cognitum. In tetradrachmo insigni musei Caesarei hinc *ΣVRAKOΣION.* inde *ΣVRA.* Omnes hi numi formae antiquioris sunt argentei, et horum complures voluminis exigui et pertenues more Siculo.

Formae recentioris: ΣΥ. ΣΥΡΑ. ΣΥΡΑΚΟΣΙΩΝ. In binis musei Caesarei: *ΣΥΡΑΚΟΣΙΟΣ.* In alio ejusdem musei, quem infra describam, *ΣΥΡΑΚΟΣΙΟΙ,* ut et in alio Principis T. M. [h]) et in numis Gelonis. Aeneum idem recitat: *ΣΥΡΑΚΟCΙΩΝ.* [i]) qui memorabilis est propter varium in eodem numo sigma.

Credideram aliquando, valuisse etiam epigraphen *ΣΙΡΑΚΟΣΙΩΝ,* nempe elemento secundo *Ι* pro *Υ.* et quis istud non crederet, ex quo plurimos sic inscriptos in variis suis operibus promulgavit Princeps T. M., qui plerosque numos suos nequaquam ex fide iconismorum, sed ex ipsis archetypis aeri curavit incidendos. Tamen cum neque in museo Caesareo, neque alio adcurato catalogo numum cum hac epigraphes lege reperirem, ad haec viderem, neque ipsum auctorem in iis describendis sibi constare, dum unum eundemque numum jam *ΣΙΡΑΚΟΣΙΩΝ,* jam *ΣΥΡΑΚΟΣΙΩΝ* inscriptum refert, quod satis apparet collato numo, qui est in Auctariis tab. II. n. 22. cum illo, qui est in Numis Siciliae tab. LXXII. n. 6., item qui est in Auctariis tab. VI. n. 23. cum alio in Numis Siciliae tab. LXXIII. n. 3., facile collegi, nunquam apud Syracusanos praetensum *ΣΙΡΑΚΟΣΙΩΝ* valuisse, et vitiosum illud, ac toties male intrusum *Ι* chalcographi negligentiae esse imputandum.

Typi insigniores.

ΣΥΡΑΚΟΣΙΩΝ. Caput Proserpinae intra pisciculos.)(*Vir in citis quadrigis,*

f) Punic. L. XIV. 654. g) ad Dionys. Perieg. v. 369. h) Tab. LXXVIII. n. 15.
i) Tab. LXXX. n. 11.

quem advolans Victoria coronat, in imo: thorax, binae ocreae, clypeus, hasta, galea, infra quae: ΑΘΛΑ. AR. m. m. (Catal. d'Ennery, Mus. Caes.)

Sunt hi numi per volumen, et elegantiam monetae Syracusanae facile principes. De quadrigarum typo egi in prolegomenis Siciliae. Segmentum imum in his numis offert Graecorum veterum πανοπλιαν, quae his, quas hi numi offerunt, partibus constitit, et quas lepido epigrammate complectitur Pallades Alexandrinus [k]):

Τὸν θω, και τας κνη, ταν τ᾽ ἀσπιδα, και δορυ και κρα
Γορδιοπριλαριος ἀνθετο Τιμοθεου.

ubi θω positum pro θωρακα, κνη pro κνημιδας, κρα pro κρανος, ut adeo sensus sit:

Thoracem, ocreas, clypeum, hastam et galeam
Gordioprilarius Timothei F. dedicavit.

Fuisse hanc panopliam in praemium certaminis propositam, testatur adscriptum tenui charactere vocabulum *ΑΘΛΑ.* Revera constat, fuisse urbium Graecarum morem, ut, qui eximia essent in bello virtute, panoplia donarentur. Teste Isocrate [l]) ita se in bello adversum Thracas gessit Alcibiades, ὡςε ςεφανωθηναι, και πανοπλιαν λαβειν παρα του ςρατηγου, *ut ab imperatore coronam, et panopliam auferret.* Quoniam numi praesentes eximii sunt voluminis ac ponderis, verisimile est, factum aliquo tempore, ut, qui virtute panopliam essent promeriti, numis his publice donarentur. Erunt, qui malent haec praemia ad relatas in ludis victorias referre. At tum horum erit commemorare etiam exempla, victores in ludis panoplia donari fuisse solitos.

* * *

ΖΕΥΣ. ΕΛΕΥΘΕΡΙΟΣ. Caput Jovis laur.

ΣΥΡΑΚΟΣΙΩΝ. Pegasus volans. AV. AR. In aliis: *Equus liber currens.* AR. II. Æ. II.

ΞΕΥΣ. ΕΛΕΥΘΕΡΙΟΣ. Caput Jovis laur.

ΣΥΡΑΚΟΣΙΩΝ. Fulmen, juxta aquila stans. Æ. II.

ΣΥΡΑΚΟΣΙΩΝ. Caput Dianae.

ΔΙΟΣ. ΕΛΕΥΘΕΡΙΟΥ. Fulmen. Æ. III.

ΣΩΤΕΙΡΑ. Caput Dianae.

ΣΥΡΑΚΟΣΙΩΝ. Fulmen. Æ. III.

Hos *Jovis Liberatoris* numos egregie explicat Diodorus [m]): *Sublata Thrasybuli dominatione comitia agebant Syracusani, in quibus de popularis regiminis ratione consilia tractantes una omnes sententia decreverant, JOVI LIBERATORI statuam ad colossi altitudinem adornare, et quotannis ELEVTHERIA, ludosque solennes eo die peragere, quo profligato tyranno libertatem patriae vindicassent.* Factum istud refert historicus ad annum V. C. 291. Tamen hoc nomine Jovem ante haec jam tempora in Graecia observatum, tum et postea variis in urbibus, copiosa veterum testimonia docent, quae collecta vide apud Gyraldum [n]). In numo postremo fulmen nequaquam ad Dianam partis adversae, sed ad Jovem Liberatorem pertinere, numus praecedens docet,

k) Brunck Anal. T. II. p. 426. l) Orat. de bigis. m) L. XI. c. 71. n) Syntag. II. p. 108.

ex quo discimus, attributa partis aversae non semper esse deorum, quos antica sistit, etsi haec lex plerumque valeat. Pegasus libere evolans, aut equus absque freno currens praeclarae sunt libertatis imagines.

* * *

ΔΙΟΣ. ΕΛΛΑΝΙΟΥ. Caput juvenile laur.
ΣΥΡΑΚΟΣΙΩΝ. Aquila fulmini insistens. Æ. II.

Sine epigraphe. Caput simile.
Eadem aversa. AV. Æ. II.

Juppiter *Ελληνιος*, sive *Graecorum* per varias Graeciae urbes cultus proditur, ut videre est apud Havercampum haec exempla studiose colligentem [o]), et Valckenarium [p]). Etiam Pindarus Jovem *πατερα Ελλανιον*, Dorice item, vocat [q]). Habuisse Graecos Jovem rebus suis in commune consulentem, praecipue cum a barbaris periculum immineret, istud plane ex eorum ingenio. Verum illud praeter morem, Jovem hunc ore et capitis cultu adeo esse Apollini similem, ut nisi repugnarent epigraphe et aquila, nemo Apollinem inficiaretur. Habuere ergo Graeci, aut certe Syracusani simulacrum, quod eos, qui intuebantur, poterat reddere suspensos, Jovemne, an Apollinem dicerent, perinde atque Romani, de quorum Vejove haec Gellius [r]): *Simulacrum dei Vejovis - - - sagittas tenet, quae sunt videlicet paratae ad nocendum. Quapropter eum deum plerique Apollinem dixerunt.* Alterum praecedenti simillimum, nisi quod Jovis inscriptio abest, conjunxi, ut intelligeremus, etiam eo Jovem, non Apollinem exhiberi, neque frustra laboremus, qua ratione Jovis ales possit Apollini tribui. Juvat ad hos, ac praecedentes numos addere, quod refert Aelianus [s]), Aspasiam per vim abductam, ut esset Cyri junioris scortum, implorasse *θεους παντας Ελληνιους, και Ελευθεριους τους αὐτους, deos omnes Graecos, eosdemque Liberatores.*

* * *

Caput spicis coronatum Cereris vel Proserpinae.)(*ΣΥΡΑΚΟΣΙΩΝ. Taurus stans.* AV. III.

Caput muliebre corona arundinea redimitum.)(*ΣΥΡΑΚΟΣΙΩΝ. Taurus cornupeta.* Æ. II. III.

Vnum ex tanto numero exemplum attuli utriusque deae, quas ex cultu discernere difficile, et quarum capita insigni elegantia ac varietate in Syracusarum numis proponuntur. Cereri totam insulam peculiari quadam religione fuisse sacram, aliorsum constat, et templi Cereris apud Syracusas meminit Tullius [t]). Proserpinae vero honores in hac urbe constituit Hercules, *qui huc delatus, cum de ejus raptu certior esset factus, solennia utrique deae sacra obtulit, et praestantissimo in Cyane immolato tauro anniversarium sacrificium incolas docuit.* [u]) Ad istud sacrificium adludit taurus aversae. Atque hae causae persuadent, caput

o) in Parut. p. 343. p) ad Herodot. L. IX. c. 7. q) Nem. V. v. 19. r) L. V. c. 12.
s) V. H. L. XII. c. 1. t) in Verr. L. IV. c. 53. u) Diodor. L. IV. c. 23. et L. V. c. 4.

numi alterius esse ipsam Cyanen fontis praesidem, de qua multa Ovidius[x]).

* * *

Caput Apollinis laureatum jam curtis, jam promissis capillis.)(*ΣΥΡΑΚΟΣΙΩΝ. Tripus — Lyra — Caput Dianae — Triquetra.* AV. AR.

* * *

ΣΥΡΑΚΟΣΙΩΝ. Caput Apollinis laureatum.)(*ΣΩΤΕΙΡΑ. Caput Dianae prominente retro pharetra.* AV.

ΣΩΤΕΙΡΑ. Caput Dianae prominente retro pharetra.)(*ΣΥΡΑΚΟΣΙΩΝ. Fulmen.* Æ. III.

Caput Dianae.)(*ΣΥΡΑΚΟΣΙΟΙ. Noctua, in area* A. AR. IV. (Catal. raison. p. 47.)

Nullam prae Sicilia terram fuisse Proserpinae, Palladi, Dianae gratiorem, prodidit Diodorus, cumque singulae ejus partem sortirentur, Dianae cessisse Ortygiam insulam Syracusis adsitam[y]). Eam ob causam inter principes urbis deos adlecta, et annuis ludorum solennibus in triduum porrectis culta fuit, sed qui ipse honos urbi male vertit; nam quo tempore illis inter epulas vinumque vacaverant, urbs a Marcello capta est[z]). Neque tamen deinde ejus in insula honores deminuti, nam in aureis argenteisque Augusti numis inscriptis SICIL. Diana venatrix typum facit. Fulmen numi postremi pertinere ad Jovem Eleutherium, in hoc dictum. Iidem utrinque typi sunt etiam in numis Agathoclis. Noctua numi postremi non ad Dianam pertinet, sed ad Palladem, de qua continuo.

* * *

ΣΥΡΑΚΟΣΙΩΝ. Caput Palladis.)(*Pegasus volans, infra quem varia attributa, et literae.* AR. II.

ΣΥΡΑ. Caput Palladis.)(*Caput Medusae ejecta lingua insertum clypeo.* AV. III.

Caput Palladis.)(*ΣΥΡΑΚΟΣΙΩΝ. Fulmen.* AR. II.

Caput Herculis imberbe.)(*ΣΥΡΑΚΟΣΙΩΝ. Pallas gradiens alis ab humero pendentibus d. fulmen vibrat, s. clypeum.* Æ. II.

Diximus supra, etiam Palladi caram fuisse Siciliam. In ejus divisione hanc deam sibi vindicasse vicinum Himerae tractum refert Diodorus[a]). Quod ad Syracusas attinet, tenemus ex Cicerone[b]), insigne ibi ejus templum stetisse in insula, cujus opes, ornamenta, et omnis generis artefacta prolixe ibi deſcripta potes videre.

Numus I. offert hinc Palladem, inde Pegasum, argumentum ex metropoli Corintho arcessitum. Nimirum teste Pausania[c]) erat Corinthi *templum Minervae Frenatricis.* (*Ἀθηνας Χαλινιτιδος*) *Minervam enim ajunt prae ceteris diis Bellerophonti cum aliis in rebus adstitisse, tum vero illi Pegasum jam freno a se subactum dono dedisse*, quod argumentum fusius persequitur Pindarus[d]). De numis argenteis huic similibus, in quibus variarum Corinthi coloniarum fit mentio, vide quae in numis Corinthi disputabuntur.

---

x) Metam. L. V. y) L. V. c. 3. z) Liv. L. XXV. c. 23. a) L. V. c. 3.
b) in Verr. L. IV. c. 55. c) L. II. c. 4. d) Olymp. XIII. 89.

Numus II. Medusaeum caput offert notum Palladis attributum. *Gorgonis os pulcherrimum, crinitum anguibus,* quod insertum erat valvis ditissimis templi Palladis Syracusani, a Verre revulsum esse, atque ablatum, queritur Cicero [e]).

Numi III. et IV. Palladem fulmine instruunt, quod ipsa olim in Ajacem Oilei contorsit, ut refert Virgilius [f]). Idem utrinque typus frequens est in aureis Agathoclis.

* * *

ΣΥΡΑΚΟΣΙΩΝ. Caput geminum muliebre.)(*Equus liber currens.* AR.

Antica certam continet allegoriam, ac vel ideo explicatus ambigui, in qua evolvenda utrum satis felices fuerint Havercampus, aliique, qui ea duplicem urbis situm, terrestrem ac maritimum indicari credidere, ambigo.

* * *

Caput Jovis laureatum.)(*ΣΥΡΑΚΟΣΙΩΝ. Mulier capite turrito stans d. gubernaculum, s. hastam.* Æ. II.

Fortunae typus in memoriam revocat, quod narrat Cicero [g]): *Tertia est urbs, quae quod in ea parte Fortunae fanum antiquum fuit, Tycha nominata est,* nempe Dorice *Tycha* pro *Tyche.* De culto apud Syracusanos Jove Eleutherio et Hellenio jam supra egi. Exacto Dionysio juniore inducta religio Jovis Olympii, cujus sacerdotes, dicti ἀμφιπολοι, deinceps magistratus ἐπωνυμοι [h]).

* * *

Caput galeatum Martis, vel Palladis.)(*ΣΥΡΑΚΟΣΙΩΝ. Victoria animal quoddam cultro feriens.* Æ. III.

Qui lepidas antiquariorum de hoc aversae typo conjecturas nosse volet, adeat Burmannum [i]). Satius duxero, in re ancipite profiteri ignorantiam.

* * *

ΣΥΡΑΚΟΣΙΩΝ. Caput Arethusae inter pisciculos.)(*ΛΕΥΚΑΣΠΙΣ. Heros galeatus nudus irruens d. hastam, s. clypeum.* AR. II. III.

Vnus, quod norim, Diodorus Leucaspin memorat, qui in hoc tractu Sicanorum dux caesus est ab Hercule, cum quo viribus impar congressus, heroicos post obitum honores est consecutus [k]). Eodem igitur modo Syracusani Leucaspin monetae intulere, quo Messanenses Pheraemona.

* * *

ΑΡΕΘΟΣΑ. Caput adversum muliebre sparsis crinibus.)(*ΣΥΡΑΚΟΣΙ. Figura nuda in citis quadrigis.* AR. I.

En celeberrimum Syracusarum fontem Arethusam omnium fere veterum poetarum carminibus nobilitatum. Olim nympha cum Alphei fluminis amores in Peloponneso fugeret, miserante Diana in fontem liquescens, ejusque altero beneficio hiantem terram subingressa emersit iterum in Ortygia insula, quae Dorice *Nasos* dicta partem Syracusarum efficit [l]). At Diodorus [m]) fontem Arethusam in Ortygia a nymphis in Dianae gratiam excitatum refert magnorum, multorumque piscium feracem, quique

e) in Verr. L. IV. c. 56. f) Aen. I. 43. g) in Verr. L. IV. c. 53. h) Diodor. L. XVI. c. 70. Cic. in Verr. L. II. c. 51. i) Dorv. Sic. p. 338. k) L. IV. c. 23. l) Ovid. Met. L. V. 573. Virg. Aen. III. 694. m) L. V. c. 3.

ejus adhuc aetate sacri et intacti permansere. Et Cicero [n]): *In hac insula extrema est fons aquae dulcis, cui nomen Arethusa est, incredibili magnitudine, plenissimus piscium etc.* Quare in Syracusarum numis plerumque piscibus ambitur Arethusae caput, fictum persaepe passis crinibus, et summa elegantia. Scribitur *ΑΡΕΘΟΣΑ* Dorice pro *ΑΡΕΘΟΥΣΑ*, cujus rationem exposui in prolegomenis.

Notae numerales et globuli.

Caput Palladis.)(*ΣΥΡΑΚΟΣΙΩΝ.* *in medio numi:* XIII. *vel:* ⁚o XIII. AR. III.

Caput Palladis.)(*ΣΥΡΑΚΟΣΙΟΙ.* *MI. in medio numi:* ⁚o XIII. AR. III.

In postremum numum integerrimum, qui nunc est in museo Caesareo, commentatus olim est eruditus Khellius [o]), cui notae numerales Romanae in numo Graeco mirae oppido visae, quo loco videre potes, quae is de nota XIII. valoris indice disserit, calculo admodum, ut videtur, fallace. Vtrum globuli in argenteis tenuis laminae et arcti voluminis, qui sunt in Sicilia numismatica T. M. tab. LXXIX. n. 28. 29. item in aeneo ibidem tab. LXXXV. n. 12., habeant rationem valoris, aeque incertum puto. Additum in posteriore numo *MI.* inter signa monetariorum refero; nam easdem literas reperio in aureo Hieronymi musei Caesarei.

Magistratus.

ΕΥΜΕΝΟΥ. vel *ΕΥΜΗΝΟΥ.* perfrequens in argenteis. *ΚΙΜΩΝ.* — *ΕΥΑΙΝΕΤΟ.* — *ΕΥΘ.* quos habes in Sicilia num. T. M. *ΠΑΡΜΕ.* — *ΕΥΚΛΕΙΔΑ.* apud Hunterum.

Literae solitariae.

Non raro in Syracusarum numis reperias scriptum solitarie *ΣΩ.*, quod cum plerumque adstitutum sit imagini Dianae in parte aversa, visum plerisque, indicari deam hanc plenius in aliis numis dictam *ΣΩΤΕΙΡΑ.* At video, alibi eas ipsas literas scribi juxta Pegasum [p]), item eas obvias esse in numis Tarenti et Corcyrae.

AV. AR. Æ. C.

TALARIA.

Stephano Siciliae oppidum.

ΤΑΛΑ. Caput velatum.)(*Cervus currens.* Æ. III.

Numum hunc ex museo Benedicti vulgavit Cl. Odericus [q]), sed eum huc pertinere non satis certum puto. Plures enim sunt urbes ab his literis incipientes.

TAVROMENIVM.

Secundum Plinium: *Colonia Tauromenium, quae antea Naxos.* Strabo inter utramque urbem distinguit. Sed facile uterque verbis Diodori conciliatur [r]): *Dum haec geruntur, Andromachus Tauromenita, Timaei historici parens, vir opibus et claritate animi excellens, quidquid exulum Naxi, quam Dionysius everterat, reliquum fuit, in unum congregavit, et collem, qui Naxo TAVRI nomine imminet, habitandum illis dedit, et quia ad longum temporis spatium ille constiterat, ab hac in Tauro mansione* (*ἀπο τῆς ἐπι τῳ*

n) in Verr. L. IV. c. 53. o) Adpendic. II. p. 140. p) Sic. num. T. M. tab. LXXXII. n. 18. q) Num. Graec. p. 22. r) L. XVI. c. 7.

Ταυρῳ μονῆς) *Tauromenium appellavit.* Alio loco idem narrat, Dionysium Siculis illis, qui tauri collem occupaverant, Naxiorum terram concessisse [s]). Vnde colligitur, Tauromenium in Naxi vicinia loco editiore conditum, et velut ex hujus ruinis surrexisse.

Epigraphe constans: *TATPOMENITAN.* Singularem reperit Burmannus in numo Dorvillii: *TATPOMINITANAN.*, additque in commentario, *Dorice pro TATPOMINITANΩN.* Istud certo falsum, nam nunquam Dores terminationem *ων* genitivi pluralis in *αν* mutavere, nisi in nominibus declinationis I. et II. Quid quod Tauromenii gentile Graecum non fuit *Ταυρομενιτανος*, sed *Ταυρομενιτης*, vel *Ταυρομενιος*. Satis apparet, male a viro praeclaro lectam numi epigraphen, quod jam ex ipso numi iconismo colligi potest.

* * *

Caput Apollinis laureatum.)(*TATPOMENITAN. Tripus, vel Lyra.* AV. AR. (Mus. Caes.) Æ. II. III.

Numos hos eximius labor et metallum nobile commendant; quare jure arguimus, cum rarissimi sint aurei urbium numi, Tauromenium beatam et opulentam urbem fuisse.

* * *

APXAΓETAΣ. Caput Apollinis laureatum.)(*TATPOMENITAN. Bos cum facie humana,* in aliis: *Taurus gradiens, aut cornupeta,* in aliis: *Lyra,* in aliis: *Tripus.* Æ. II. III.

Αρχηγετης, Dorice *Αρχαγετας*, idem Graecis fuit, quod *auctor coloniae condendae,* atque hoc sensu Pindarus eundem Apollinem *Αρχαγεταν* dixit, quod auctor fuit Batto deducendae coloniae Cyrenes [t]). Ad Apollinem Archegeten in Tauromenii numis quod attinet, is a vetere Naxo repetendus est docente istud Thucydide [u]): *Graecorum autem primi Chalcidenses ex Euboea navigantes cum Theucle coloniae duce Naxum condiderunt, et APOLLINIS ARCHEGETAE aram, quae nunc extra urbem exstat, statuerunt.* Ejus arae meminit etiam Appianus [x]). Octavianus, inquit, *ad Archegetam appulit precatus deum, positis ibi castris oppugnaturus Tauromenium. Est autem Archegeta Apollinis parva statua, quam primum dedicaverunt Naxii coloni missi in Siciliam.* Ergo quemadmodum Tauromenitae in agros Naxiorum successere, ut supra ex Diodoro docuimus, ita et in jus sacrorum.

Taurus in his, aliisque Tauromenii numis obvius adludit ad nomen collis Tauri, quem novi incolae insederunt, et ad ipsum urbis nomen.

* * *

TATPOMENITAN. Caput Apollinis.)(*AΠOΛΛΩNOΣ. Tripus.* Æ. II.

Sine epigraphe. Caput Apollinis.)(*AΠOΛΛΩNOΣ. Tripus, vel diota.* Æ. II.

Pellerinius posteriores hos numos, cum fabricam in iis Cyrenaicam videret, tribuit insulae Lybiae, quae Stephano *Απολλωνος νησος*, *Apollinis insula,* dicitur [y]). Horum veram patriam designat numus praecedens, eosque Tauromenita-

s) L. XIV. c. 59. t) Pyth. Od. V. 80. u) L. VI. c. 3. x) Bell. civ. L. V. y) Rec. III. p. 29.

nis sine dubio vindicat. Apollo peculiari modo in hac urbe cultus, ut ex numis ipsis perspicimus, fecit, ut ea κατ' ἐξοχὴν *Apollinis urbs* diceretur. Pellerinii lapsum jam indicavit quidem Cl. Combius [z]), at in hoc mihi cum viro praestante non convenit, quod in numo ex citatis primo concordiam Tauromenium inter et Apolloniam Siciliae intelligendam putat.

* * *

Caput Palladis.)(*TAYPOMENITAN. Pegasus volans.* AR. II. AE. II.

Caput Palladis.)(*TAYPOMENITAN. Noctua.* AE. III.

Horum prior Tauromenitas Corinthi, posterior Athenarum colonos facere videtur. Veteres Naxi incolas fuisse Chalcidenses, in Naxo diximus, ejus post excidium exules fuisse ab Andromacho Tauromenii collocatos, supra vidimus; at Chalcidenses Atheniensium cognatos diserte facit Thucydides [a]). Quid Tauromenitas cum Corintho sociaverit, hactenus ex veteribus nondum erui.

AV. AR. RRR. AE. C.

THERMAE.

Vide *Himera.*

TRICALA.

Male huc vocati numi, in quibus Paruta perperam legerat *TPIAKAΛΑ*, nam legendum *TPIKKAIΩN*, suntque hi numi Triccarum Thessaliae.

TYNDARIS.

In litore Tyrrheni versus Pelorum. Condita a Dionysio seniore, qui Messenios a Spartanis sedibus suis ejectos huc collocavit [b]).

Epigraphe constans: *TYNΔAPITAN.*

Typi: plerumque Dioscuros aut equites, aut stantes cum hastis, aut eorum pileos exhibent. Nimirum hi dicti fuere *Tyndaridae* a patre Tyndareo, a quo urbs ipsa nomen accepit, eorum vero cultus a patria Messene huc arcessitus. Opportune ad hos typos Silius Italicus [c]): *geminoque Lacone Tyndaris attollens sese.*

Æ. RR.

TYRACINA.

Oppidum Siciliae incerti situs. Sed aeque incertum puto, utrum huc pertineat aeneus: *TYRA. Caput Palladis.*)(*Pallas armata stans*, ut visum Principi T. M.

ZANCLE.

Vide *Messana.*

REGES ET TYRANNI SICILIAE.

GELO.

Natus apud Gelam patre Dinomene fratres habuit Hieronem, Polyzelum, Thrasybulum. Scientiae bellicae et morum commendatione primum Gelensium, deinde Syracusarum princeps evasit. Quo tempore istud postremum contigerit, minus exploratum. Si Dionysium Halicarnassensem audimus, jam tenuit Syracusas Olympiadis LXXII. anno II., qui respon-

z) Mus. Hunter p. 38. a) L. VI. c. 6. b) Diodor. Lib. XIV. c. 78. c) L. XIV. v. 207.

det anno V. C. 263.[d]). At secundum Diodorum tyrannidem non adiit ante annum V. C. 269., quoniam is Gelonem exactis VII. regni annis mortuum statuit Olympiadis LXXV. anno III., qui est V. C. 276. Chronicon Parium regni occepti initium statuit V. C. 275. Sed horum dissensum componant chronologi, de quo vide Lydiatum[e]), et Corsinium[f]).

Gelonis factum maxime ad memoriam insigne fuit ingens illa victoria de Amilcare V. C. 274. relata, qui cum valido Poenorum exercitu Theronem socerum suum, eumque Agrigenti tyrannum Himerae obsedit. Tradit Diodorus, caesa in acie una cum duce Amilcare hostium centum quinquaginta millia, qui supererant, aut coactos ad deditionem, aut naufragio periisse. Ea victoria aequiparata aut praelata etiam fuit illi, quam anno sequente apud Plataeas de Persis retulere Graeci, et Poenorum vires in longum tempus attrivit. At maximum Geloni decus a prudentia, justitia, moderatione accessit, quo factum, ut vivus nomen regium, mortuus heroicos honores a suis adipisceretur, et in omne aevum grata in Siculorum pectoribus ejus memoria duraret. Mortuus est V. C. 276 succedente fratre Hierone, cum liberis ipse careret. Vide Herodotum et Diodorum.

Uxor Damareta Theronis Agrigentini filia. Eam Gelo moriens Polyzeli fratris esse uxorem voluit[g]). Hac conciliante cum Poeni aequas pacis conditiones a victore Gelone impetrassent, bene de se promeritae C. auri talenta in coronam obtulere, quo ex auro cudendum numum curavit, qui ab ipsa *Damaretius* appellatus est. Haec Diodorus[h]). Numi hujus Damaretii non pauci meminerunt scriptores veteres, quos memorat Wesselingus ad citatum Diodori locum, neque defuere antiquarii, qui ex his indiciis in numos Damaretios inquisivere, at infelice, quod hactenus patuit, conatu, quorum ego territus vestigiis abstinendum satius duco, ne aut inanes conjecturas recoquam, aut novas addam veteribus. Harum syllabum bene longum qui comesse volet, adeat Havercampum[i]).

NUMI.

Caput Gelonis diadematum.)(*ΣΥΡΑΚΟΣΙΟΥ.* (*in aliis: ΣΥΡΑΚΟΣΙΩΝ*) *ΒΑ. ΓΕΛΩΝΟΣ. vel: ΣΥΡΑΚΟΣΙΟΥ. ΓΕΛΩΝΟΣ. vel: ΣΥΡΑΚΟΣΙΩΝ ΓΕΛΩΝΟΣ. vel tantum ΓΕΛΩΝΟΣ. Victoria in bigis.* AR. I. II.

Caput Gelonis diadematum.)(*ΣΥΡΑΚΟΣΙΟΥ. ΓΕΛΩΝΟΣ.* vel: *ΣΥΡΑΚΟΣΙΩΝ. ΓΕΛΩΝΟΣ. Aquila insistens fulmini.* AR. II. III. Sic proditur epigraphe a Principe T. M., at in integerrimo musei Caesarei distincte legitur: *ΣΥΡΑΚΟΣΙΟΙ. ΓΕΛΩΝΟΣ.* in area *ΒΑ.*

Caput simile.)(*ΓΕΛΩΝΟΣ. Leo gradiens.* AR. III. (Spanheim T. I. p. 547.)

Caput simile.)(*ΣΥΡΑΚΟΣΙΟΥ. ΓΕΛΩΝΟΣ. in medio numi:* XII. AR. III.

Typus Victoriae adludit ad Gelonis insignem de Poenis victoriam, aquila et

d) L. VII. sub init. e) ad chron. Parium p. m. 223. f) Fast. Att. T. III. p. 169.
g) Schol. ad Pind. Olymp. B. v. 29. h) L. XI. c. 26. i) in Parut. p. 293. et 1015.

leo ad Jovis et Herculis cultum apud Syracusanos receptum. Numus postremus, qui notas numerales Latinas exhibet, aenigma offert, quod solvere non tentat Princeps T. M., qui cimelium istud possidet. Similem argenteum, sed cum numero XIII. jam in Syracusarum moneta recitavimus. Hujus notae mentio redibit in sequente mox diatriba.

* * *

ΣΥΡΑΚΟΣΙΩΝ. *Caput regis diadematum.*)(*Leo gradiens, superne clava.* AE. II. *In alio praeterea infra scriptum* *ΣΩΣΙΣ.* AR. II. (Pembrock Part. II. tab. 78.)

Judice Principe T. M. possunt hi numi tribui Geloni, quoniam caput in his propositum non differt ab eo, quod conspicitur in numis inscriptis *ΓΕΛΩΝΟΣ* [k]), et confirmat hanc sententiam numus Gelonis supra e Spanhemio citatus, in cujus item aversa leo gradiens. Idem vir eruditus numum alterum similem, sed in cujus imo scriptum *ΣΩΣΙΣ.*, Sosistrato tyranno tribuit, de quo Diodorus narrat [l]), eum una cum Thynione Hicetae successisse, et dominatum fuisse Syracusis, subinde utrumque se Pyrrho dedidisse. Ejus praeterea caput hoc numo exhiberi iterato tuetur [m]). Verum hic Diodoro non scribitur *Σωσιϛρατος*, sed *Σωϛρατος*. Potiore igitur jure tribuendus esset Sosistrato illi, qui Agathoclis tempore principatum Syracusis aliquamdiu tenuit [n]). Non repugno, nomen *ΣΩΣΙΣ.* posse ipsum hunc Sosistratum notare, at caput numi non esse ejus, sed certius Gelonis, perinde ac in numis aliis similibus, patebit ex iis, quae continuo de aetate numorum Gelonis disseram.

AR. RR. Æ. C.

De aetate numorum Gelonis, Hieronis, Therōnis.

Vt Gelonis, ita et fratris Hieronis, et soceri Theronis Agrigentini exstant numi passim cogniti. Eos principibus ipsis esse coaevos, omnes hactenus, quod norim, majorum gentium antiquarii statuerunt, dempto Spanhemio, qui per caussam, quam mox commemorabimus, eorum multos serius memoriae causa percussos constituit [o]). Fecit tot illustrium virorum auctoritas, ut diu animo haererem suspenso, dum denique urgentibus argumentis gravissimis posthabendam ratus quantamcumque auctoritatem auderem adserere, omnium horum trium numos hactenus cognitos non esse iis ipsis synchronos. Quod antequam argumentis, ut spero, solidis comprobatum eam, praemonendum, Gelonem decessisse V. C. 276., Hieronem V. C. 287., Theronem utrique convixisse.

I. Argumentum primum ab artis caussis duco. Horum fabrica numorum tam venusta in plerisque est, et stylus picturae tam ad recentioris artis leges exactus, ut credere nullo pacto possim, illa eos aetate, non quidem elegantium artium rudi, tamen ad eam perfectionem nondum evecta fuisse percussos. Stylus ejus saeculi durior ac rigidior, destitutus ille-

---

k) Aggiunte p. 42. l) Eclog. XXII. 7. 10. m) Aggiunta V. p. 36. Sicil. num. Tab. CII. n) Diodor. XIX. 3. o) T. I. p. 545.

cebris iis, quas in saeculi ab V. C. quinti artefactis demum reperias, satis cognitus est ex numis Zancles, Messanae, Rhegii, quos esse saeculi III. indubitatos partus, et ipsi Geloni coaevos suo loco monuimus. Hos si cum horum regum numis contendas, patebit suapte discrimen, quod omne continuo possit dubium eximere, sintne iis, quorum effigies praeferunt, synchroni habendi, et mirabere, potuisse etiam hos numos, quod ab omnibus fere hactenus factitatum, pro antiquissimis venditari, quos nobis antiquitas reliquit superstites, quod certe erunt, si fuerint principibus, quorum nomina sustinent, coaevi.

II. Alterum argumentum non minus firmum ex ipsa epigraphe capio. Sequitur haec eandem legem, et ipsae literae eandem formam, quam duobus cum dimidio saeculis serius videmus obtinere in numis Hieronymi aliisque synchronis. Videre etiam in omnibus his est literam *Ω*, cujus repertor Simonides etsi teste marmore Arundeliano jam Gelonis aetate, et teste Cicerone Hieronis I. aetate vixit, et cum hoc est philosophatus [p]), tamen cuperem videre aevi Gelonis monumentum certum sive numum, sive marmor, in quod receptus exstaret novicius is character. Synchronos sane non invitus crederem, si, ut in vetustissimis urbium numis legitur *MESSENION*, *RECION*, *HIMERA*, *CELAΣ*, sic in his legeretur etiam scriptura recta vel retrograda *CELONOS*, *HIERONOS*, *THERO*, *SVRAϘOSION*, pro *ΓΕΛΩΝΟΣ*, *ΙΕΡΩΝΟΣ*, *ΘΕΡΩ*, *ΣΥΡΑΚΟΣΙΩΝ*. Atque ut demus, obturbare non posse elementum *Ω*, quod, ut fertur, Simonides coaevus in alphabetum invexit, at is nequaquam *S* in *Σ*, et *R* in *P*, et *C* in *Γ* immutavit, cujus metamorphosis ratio a solo usu et libidine Graecorum *νεωτεριζόντων* petenda. Confer, si lubet, inscriptiones *MESSENION*, *RECION*, quas apud Messanenses et Rheginos extremo Gelonis tempore valuisse, satis in Messanae numis comprobavi, et literarum omnes apices cum iis, quos controversi hi numi offerunt, et tum aude tantam illis, quantam praetendis, aetatem tribuere. Habuit saeculum quodvis ante Christum natum propriam sibi scribendi legem et elementorum formam non minus atque saecula post Christum natum. An veniam mereberis, si voles codicis manu exarati natales ad saeculum X. referre, quem literarum forma esse saeculi XIII. partum evincit? Video, his, quae modo dixi, aperte repugnare numos omnino quinque, quos Princeps T. M. confertos proponit tabula XCVIII. n. 11—15. in quorum una parte scriptum *ΓΕΛΑΣ*, in altera *ΙΕΡΩΝ*, vel *ΙΕΡΩΝΟΣ*, literis nequaquam vetustae ejus formae, qualem in Gelonis Hieronisque moneta exigo, sed ejus, qua Hieronis II. et Hieronymi numi solent insigniri, et tamen numos hos recte Hieroni I. tribuit Princeps eruditus, quoniam constat, Gelonem adito Syracusarum principatu Gelam Hieroni fratri commisisse. Fateor, me principio numis his, qui sententiae meae plane adversantur, non leviter fuisse commotum; at cum deinde viderem, eos

p) de nat. deor. L. I. c. 22.

ad unum omnes a laudato Principe ex Paruta, ab hoc e Goltzio citari, ipse vero a me consultus adserat, nunquam sibi horum similem per musea Sicula conspectum, neque ego horum aliquem in meliorum museorum catalogis descriptum reperirem, coepi respirare, et numos hos omnes inter solita Goltzii figmenta referre, quod qui mecum facere nolet, is quoque verisimile profiteatur, numos id genus quinque conspectos Goltzio, quin vel unicum videre licuisset Principi T. M., qui in rimandis numis Siculis, et in Sicilia quidem ipsa vitam exegit.

III. argumentum est Spanhemii negantis, synchronos esse omnes eos Gelonis et Hieronis I. numos, qui eorum, quos praeferunt, capita diademate redimita exhibent[q]). Lubet argumentum istud, quoniam ad praesentem causam multum facit, copiosius additis etiam meis observatis illustrare. De hoc regum diademate Justinus[r]): *Post haec Alexander habitum regum Persarum et diadema, insolitum antea regibus Macedonicis — — adsumit.* Ejus successores regnum inter se partitos non modo usurpasse nomen regium, sed Alexandri exemplo diadema quoque, numi affatim docent. Quod ad hoc capitis ornamentum attinet, diversa in Sicilia lex valuit, quam gravissimorum duorum auctorum testimonia stabiliunt. En primum Diodori[s]): *Agathocles,* ait, *cum principes jam memoratos* (Alexandri duces) *diadema sumpsisse audiret, quod se nec copiis, nec terrarum amplitudine, nec rebus denique gestis inferiorem duceret illis, se quoque regem nuncupavit, diadema tamen usurpandum non censuit.* Alterum Livii, qui cum degenerem ab avi Hieronis II. moribus Hieronymum notaret, haec memorat[t]): *nam qui per tot annos Hieronem, filiumque ejus Gelonem nec vestis habitu, nec alio ullo insigni differentes a ceteris civibus vidissent, conspexere purpuram ac diadema ac satellites armatos etc.* Ergo diadema res fuit hactenus in Sicilia insolens et sinistri in vulgus ominis. Nam si Gelo Hieroque usi sunt diademate, cur post haec exempla Agathocles, qui sibi aliis in rebus nihil vetitum putavit, abstinendum tamen sibi illo censuit? aut cur istud non ferendum Siculis in Hieronymo visum, si jam suetum priorum regum gestamen fuit? His igitur causis inductus recte arbitratus est magnus Spanhemius, numos omnes Gelonis et Hieronis, in quibus diademata eorum videntur capita, ad memoriam superiorum temporum a Syracusanis elegantiarum omnium studiosis fuisse signatos. At, inquies, si diademate usi non sunt, cur eo cultu in numis etiam post obitum cusis proponuntur? Istuc ibam. Eodem ajo modo, quo videmus in numis gentium Calpurniae et Marciae Numam et Ancum diademate revinctos, quo certe uterque rex usus nunquam fuit. Sane Justinus loquens de Romulo ejusque successoribus diserte tradit[u]), *per ea adhuc tempora reges hastas pro diademate habebant, quas Graeci sceptra dixere,*

---

q) T. I. p. 545. r) L. XII. c. 3. s) L. XX. c. 54. t) L. XXIV. c. 5.
u) L. XLIII. c. 3.

et refert Dionysius Halic.[x]), Tarquinium Priscum et successores reges corona aurea sibi a victis Etruscis oblata usos. Alibi praeterea sceptra iis addidit [y]), alibi totum ejus aetatis apparatum regium commemorat [z]). Huc refer vetustissimos reges Aleum et Minoa diadematos quoque in numis Tegeae Arcadiae et Cnossi Cretae, quo tempore nullus sane fuit diadematis usus. Nimirum posteri Romani Graecique, atque eodem exemplo Siculi ad praesentis aetatis mores priscorum regum cultum exegere, quia quo tempore numi hi, qui eorum memoriam revocare debebant, percussi sunt, diadema insigne fuit, quod fere unum reges discrevit. Verum, objicit Princeps T. M., qui hanc Spanhemii sententiam graviter impugnat [a]), habemus in numis etiam diademata Dionysii et Agathoclis capita, ergo et invitis Diodoro et Livio fateri cogemur, reges Siculos hoc capitis cultu usos; nam quis sibi unquam persuaserit, utriusque hujus regis memoriam a posteris Siculis renovatam, quem propter immanem crudelitatem, qua uterque supra quam credibile est, infamis fuit, potius sunt detestati. At quaero, in quibus numis vir eruditus diademata haec Dionysii et Agathoclis capita vidit? Respondebit ipse: in Goltzianis. Quod si demus etiam, eos revera exstare, et non more Goltziano confictos, nam Agathoclis numum Goltziano similem vidisse se in Sicilia, sed nullo pacto obtinere potuisse, testatur ipse [b]), tamen et his verisimile est eosdem a Siculis honores postumos non fuisse negatos; nam etsi infame eorum in fastis Siculis propter immanitatem nomen fuit, tamen propter insignia in bello facta, tum et magnificentiam vitae magnam sunt laudem et claritatem adepti, quin, quod maxime huc facit, in ipsa etiam patria monumentis publicis cohonestati. Teste Cicerone [c]) Syracusis in templo Minervae *pugna erat equestris Agathoclis regis in tabulis picta praeclare, — nihil erat ea pictura nobilius, nihil Syracusis, quod magis visendum putaretur.* Et paullo infra, Verres *viginti et septem praeterea tabulas pulcherrime pictas ex eadem aede sustulit, in quibus erant imagines Siciliae regum ac tyrannorum, quae non solum pictorum artificio delectabant, sed etiam commemoratione hominum et cognitione formarum.* Nemo credo dubitabit, in horum numero fuisse quoque Dionysium et Agathoclem, et quantumcunque ab immanitate notati, fuere tamen Syracusis in sacra aede publice propositi, et eorum cum commemoratione, tum formarum cognitione delectabantur Syracusani. Qui sic priscorum tyrannorum memoriam coluere, an incredibile videbitur, eorum etiam in numis restitutas imagines?

IV. Ex regum Syracusanorum, qui Gelonem et Hieronem consecuti sunt, numis satis apparet, non fuisse principibus aut permissum, aut attentatum, ut numos sua imagine signarent, credo, quod istud nimis invidiosum, minusque populare haberetur. Eorum copiosam monetam omnem perlustra, et nonnisi bina exempla contrarium docentia in Diony-

x) L. III. c. 62. y) L. IV. c. 74. z) L. V. c. 35. a) Inscript. Sicil. in proleg. p. LIV.
b) Sicil. num. p. 98. c) in Verr. L. IV. c. 55.

sio et Agathocle reperies, sed quae tamen admodum esse suspecta continuo monui, et monebo in numis Agathoclis. An ullo modo verisimile, reges hos, quorum plerique multa audacter, multa impudenter et citra majorum exempla tentaverant, temperaturos sibi fuisse a publico hoc et tum in aliis regionibus passim recepto regiae potestatis testimonio, si potuissent sese praecedentium principum exemplis tueri? Et Agathocles quidem, qui Alexandri successorum secutus institutum in regium nomen involavit, abstinuit tamen, secus atque illi fecerunt, non diademate modo, sed et imaginis suae in moneta ostentatione. Perrupit hos obices postremi Hieronymi violentia, qua id fortuna sua, in ejus numis dicetur. At si non licuit principis vivi imaginem proponere, licuit tamen mortui, eodem instituto, quo Romani viros reip. suae illustres post obitum monetae inseruere, et quod sequitur, omnes hi Gelonis et Hieronis numi non vivis, sed vita functis gratae memoriae causa sunt dedicati.

V. Numus Gelonis, quem postremum recitavi, exhibet luculentas notas XII. Eas esse Graecas, existimat Princeps T. M., sed ad eas explicandas ariolum requirit. Dedimus jam similes notas in moneta Syracusanorum et Mamertinorum, et esse arithmeticas ex Romanorum numerandi lege captas conjeci. Istud si verum, mirum utique, quo pacto Gelonis aetate arctis adhuc Romanorum rebus, foris certe plane ignotis, Romana elementa in Siciliam trajecerint. Quare numi similes recentius aevum, utriusque gentis communioni magis idoneum postulant.

VI. et postremum argumentum sufficit metallum. Horum aetate vix alios numos quam argenteos signatos fuisse ipsi Siciliae urbium numi abunde eloquuntur. Sane vix exstant aenei, aut, si exstant, sunt rarissimi, qui per certa indicia Hieronis I. aevo possint haberi idonei. At plerique hujus Hieronis numi, qui caput diadematum offerunt, tum vero cogniti omnes Theronis numi sunt aenei. An vero credibile, in ordinariam urbis monetam impensum argentum, at in monetam principum metallum vilius? Serius promiscue signatos cum argenteos, tum aeneos, exemplis obviis docemur.

Haec latius exponere necessarium cumprimis duxi, non modo, ut eo verum monetae veteris criterium perficiatur, verum etiam propter ipsam artis veteris historiam. Nam hactenus cum de arte Siculorum hoc aevo agebatur, ad numos Gelonis provocatum semper est, ex quibus unum lubet nominare Winckelmannum [d]). At eruditus Dutens Anglus ex elegantia numorum Gelonis probare aggressus est, artes in Sicilia duobus saeculis citius, quam in reliqua Graecia floruisse [e]), quin eas in hoc tractu 550. annis ante Christum ad summam perfectionem promotas [f]), cumque persuasum sibi esset, numos Gelonis nomine insignes ei esse principi coaevos, evidens esse, ait, jam Gelonis aetate rationem scripturae a dextera versus sinistram progredientis penitus fuisse abolitam. Non hic praetereun-

d) Hist. art. T. II. p. 327. ed. Dresd. e) Explic. de quelq. méd. praef. p. XI. f) p. 108.

dum, auctorem operis Lipsiae editi, cui titulus: *Catalogue raisonné d'une collection de Médailles,* similibus, quod postea observaveram, argumentis praetensam horum numorum senectutem impugnasse, quod monere visum, ne quid praeclari auctoris, qui ante me similia scripserat, laudi detrahatur.

HIERO I.

V. C. 276. aut secundum chronicon Parium 282. mortuo fratre Gelone Syracusis regis nomine praefuit, semel in ludis Olympicis, ter in Pythiis victor, quas victorias celebravit Pindarus. Naxios et Catanenses sibi de fide suspectos in Leontinos transtulit, Catanamque novis auctam incolis Aetnam appellavit, cumque haberi ejus conditor vellet, *Aetnaei* sibi nomen indidit, quo etiam nomine a Pindaro in Pythiis compellatur. Agrigentinos relata insigni victoria de Thrasudaei Theronis F. tyrannide liberat. Post multa praeclare, multa etiam avare et crudeliter facta, virtutum commendatione Gelone multo inferior apud Aetnam suam moritur V. C. 287. relicto fratri suo Thrasybulo principatu, sed quem Syracusani anno mox sequente urbe pepulere, institutis propterea Eleutheriis, ut dictum in numis Syracusarum.

Criterium inter numos Hieronis I. et II.

Paruta ejusque sequaces, dum inter utriusque Hieronis numos distinxere, suntne in eo discrimine certam aliquam, et in qua tuto acquiescere liceat, rationem secuti? Audiamus quaestionis arbitrum, quo nemo hactenus diutius adcuratiusque, nemo amplioribus instructus praesidiis monetam Siculam investigavit, Principem T. M. Habeto ejus oraculum in Auctario V pag. 38. sic propositum: *Molestum semper negotium agent antiquarii, cum definire volent, utri ex binis Hieronibus, qui Syracusis regnavere, tribuendi numi ΙΕΡΩΝΟΣ nomine insignes. Eos Paruta, et qui in hunc commentati sunt, recte diremisse sibi plane persuaserunt, in quorum deinde sententiam omnes ii, qui id genus numos edidere, pedibus iverunt, cui ut continuo subscribere non possum, placet tamen adhaerere receptae auctorum opinioni etc.* Ergo eo ipso judice ratio satis idonea, quae utriusque numos discerneret, reperta nondum est.

Si quid usus et experientia in re numismatica valent, credo si quod foret inter utriusque numos discrimen, illud ab ipso inter utrumque regnantem temporis intervallo fore dictandum. Desinunt numi Hieronis I. cum anno V. C. 287., quo is mortuus est, et incipiunt numi Hieronis II. cum anno circiter V. C. 489., quo hic regnare coepit. Ergo inter postremos numos Hieronis I. et primos Hieronis II. solida saecula duo intercedunt, quin quoniam Hiero II. annos L. regnavit, primi Hieronis I. numi a postremis Hieronis II. annis CCLXIII. distant. His constitutis omnes appello palaeographiae et artis veterum peritos, fueritne aliquod olim imperium, vel regnum, vel populus, cujus moneta spatio duorum saeculorum, et quod excedit, adeo sibi constitisset, ut nihil interea sive spectata literarum forma, sive typis, sive picturae modo esset immutatum? An non singulorum fere saeculorum numi suum velut chara-

cterem habent? An non facile et vel ipsis tironibus obvium discrimen est inter numos Julii Caesaris, et Sept. Severi, vel Seleuci I. et postremorum Antiochorum, vel Archelai et Persei? quod discrimen inter utriusque Hieronis numos tanto esse evidentius oporteret, cum ipsa veterum monumenta palam faciant, tempore, quod inter utrumque intercessit, tam literarum Graecarum formam, quam artis modum multum fuisse immutatum; quod in vulgus notum probare hoc loco non attinet. Ergo ut ad Hieronis monetam revertar, cum in numis omnibus cum epigraphe *ΙΕΡΩΝΟΣ*, quorum pars veteri illi, pars posteriori Hieroni vulgo tribui solet, eadem sit literarum forma, eadem sculpturae ars, adseri nullo pacto potest, horum illorumve natales duobus saeculis et amplius distare.

In dissertatione proxime praecedente duo demonstraveram, et quidem ad articulos I. et II., ex fabrica et characteribus, qui recentioris sunt manus, arguebam, nullum ex cognitis hucusque numis *ΙΕΡΩΝΟΣ* nomine notatis esse Hieroni I. coaevum. Ad articulos III. et V. probavi insuper, numos, in quibus caput diadematum fingitur, vel propter ipsum hoc diadema, et quod regum vivorum imagines in numis signari non consuevere, Hieroni I. coaevos esse non posse, et nonnisi serius memoriae causa percussos. Atque eaedem rationes evincunt, coaevos esse non posse Hieroni II., sic ut hoc capite idem hic rex expressus intelligatur, quanquam quid vetat dicere, eos ab Hieronymo in avi Hieronis II. memoriam signatos, propositumque ejus caput ornatum diademate, quo minueretur invidia diadematis sui, quod ipse nullo exemplo usurpavit? Quod ut in utramque partem potest disputari, ita istud ex causis cum hic, tum praecedente diatribe adlatis indubitatum est, numos inscriptos *ΙΕΡΩΝΟΣ*, cum nullum in iis offertur regis caput, esse Hieronis II., eique coaevos. Secundum has leges sic de his numis censeo:

Hieronis I. numi sunt, qui caput diadematum exhibent, quos adeo memoriae causa signatos ajo, etsi, ut ajebam, nolim pertinacius repugnare iis, qui signatos ab rege Hieronymo in avi Hieronis II. memoriam volent contendere.

Hieronis II. certe sunt ii omnes, qui quibuscunque aliis typis, tamen regis capite insigniti non sunt.

Numi Hieronis I.

Caput regis diadematum.)(*ΒΑΣΙΛΕΟΣ. ΙΕΡΩΝΟΣ. vel tantum ΙΕΡΩΝΟΣ. Victoria in quadrigis.* AR. I. Æ. I.

Caput regis diadematum, in aliis laureatum.)(*ΙΕΡΩΝΟΣ. Vir galeatus equo decurrens, d. hastam.* Æ. II.

Vt prioris generis numi rarissimi sunt, ita alteri hi obvii. Sunt, qui existiment, proponi in his posterioribus Hieronem vectum Pherenico suo, quem saepius victorem aliquoties carminibus suis celebrat Pindarus.

Numi alii a Principe T. M. citati, in quibus hinc *ΓΕΛΑΣ*, inde *ΙΕΡΩΝΟΣ* legitur, sunt Goltziani, ut dixi supra in dissertatione ad Gelonis numos.

AR. RRR. Æ. C.

DIONYSIVS.

Anno LX. post exactum Thrasybu-

lum Gelonis fratrem V. C. 348., aut, ut visum Corsinio [g]), V. C. 346. novus Syracusis tyrannus exortus est Dionysius Hermocratis filius annos natus XXV. Varia cum urbibus Siculis, Italicis, cumque Poenis bella varia fortuna gessit, homo ipse varius, superbus, et metu insidiarum crudelis. Mortuus est V. C. 386. relicto filio Dionysio successore.

DIONYSIVS II.

Dionysii I. filius patri, ut dictum, mortuo in Syracusarum principatu succedit. Propter temulentiam et morum ferociam, qua patrem superavit, aliquoties urbe pulsus atque iterum receptus, spretis Dionis, quemque bis e Graecia acciverat, Platonis praeceptis, cum furorem intenderet, tandem matre Corintho filiae suppetias ferente a Timoleonte Syracusis ejicitur V. C. 411., delatusque Corinthum, qua in urbe literas docuisse pueros post alios refert Cicero [h]), vitam in egestate exegit.

Numi DIONYSII nomine inscripti.

Vtrum vere exstent numi Dionysii nomine notati, justa quaestio. Operae pretium, omnes ejus generis hactenus editos singillatim in examen vocare.

ΔΙΟΝΥΣΙΟΥ. Equus dimidius saliens, quem volans superne victoria coronat, juxta triquetra et hordei granum.)(*Epigraphe Punica. Palma arbor.* AR. I. (Goltz.)

Alius similis, sed pro epigraphe ΔΙΟΝΥΣΙΟΥ literae Punicae, et abest triquetra. AR. I. (Barthélémy B. L. T. XXX. p. 427.)

Numum priorem dixi ex Goltzio captum. Tantam ergo meretur fidem, quantam auctor. Non nego existere hunc numum, nam numus alter eidem simillimus, quem loco II. recitavi, teste Barthelemyo [i]) revera exstat in museo regis Galliarum. Sed inter utrumque istud interest, quod in Goltziano expressum legatur nomen regis *ΔΙΟΝΥΣΙΟΥ*, in Barthelemyano pro hoc inscriptae compareant literae Punicae.

Fecit ergo Goltzius, quod toties alias fecisse est compertus, ex numo probatae fidei numum mendacem, literas Punicas in *ΔΙΟΝΥΣΙΟΥ* nomen mutando, atque ut tanto certior evaderet Dionysius Syracusarum tyrannus, astute triquetram apposuit, quae in similibus genuinis aliis abest. Nemini velim imponat, quod ait Princeps T. M. [k]), numum cum nomine *ΔΙΟΝΥΣΙΟΥ* exstare in museo regis Galliarum advocato teste Barthelemyo. Verum quidem est, eundem numum loco, quem supra citavi, ab erudito hoc Gallo aeri incisum sisti, sed addit is etiam, eum a se ex Goltzio captum; quem vero ibi ex museo regio conjunxit, caret *ΔΙΟΝΥΣΙΟΥ* vocabulo, et est totus Punicus. Ex quo facile quisquis intelligat, Goltzianum hunc numum partim esse verum, partim falsum, verum, quatenus numi similes, sed inscripti Punice, sunt signati, falsum, quatenus alienae linguae epigraphe fuit inserta. Antiquarii non pauci alteros hos numos Punice inscriptos non dubitarunt tribuere Dionysio, quia eos simillimos viderunt numo Goltziano, qui

g) Fast. Att. T. III. p. 257. h) Tusc. quaest. L. III. c. 12. i) l. c. k) Sicil. num. p. 97.

Dionysii insuper nomen additum offert. Praestabat, negata Goltzio fide, eos, quod revera sunt, in moneta mere Punica putare.

Goltziano simillimum alium, adstituto etiam *ΔΙΟΝΥΣΙΟΥ* nomine, proposuit Princeps T. M. [l]), testatus in commentariis, eum numum penes se esse. Sin istud, fidem utique omnem merebitur Goltzii cimelium ejus viri auctoritate confirmatum. At enim consultus a Neumanno per literas Princeps humanissimus, sitne Dionysii nomen tam nitide in eo expressum, ut dubitandi locus non sit, respondit, primas literas *ΔΙΟΝΥ.* una cum numi extrema ora excidisse, sextam *Σ* esse evanidam, tres postremas *ΙΟΥ.* esse satis nitidas. Nemo ergo non videt, Goltzii causam a numo usque adeo vitiato parum prospere juvari, et satis apparet, numum hunc in eandem Punicorum classem esse conferendum.

* * *

Caput regis diadematum.)(*ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΔΙΟΝΥΣΙΟΥ. Victoria gradiens d. lauream porrigit, s. palmae ramum, in area triquetra.* Æ. II.

Produxit Goltzius, atque ex hoc Paruta, aliique. Ejus numi fides alterius autoptae testimonio non nititur.

* * *

Caput Palladis, pone triquetra.)(*ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΔΙΟΝΥΣΙΟΥ. Victoria gradiens d. lauream porrigit, s. palmam, in area malum Punicum.* Æ. II.

Goltzianus hic quoque, ex quo si epigraphen cogitatione auferas, en tibi certissimum Sidetum Pamphyliae numum. In eo exemplari, quod ob oculos habuit Goltzius, aut vitiatum aevo fuit vocabulum *ΣΙΔΗΤΩΝ*, aut semper abfuit; pro hoc igitur regis Dionysii nomen intrusit, et addidit praeterea triquetram, ut tanto certius esset numus Siculus habendus, quanquam haec neque Pamphyliam fastidiat, ut constat ex ejus tractus numis. Malo autem Goltzii fato evenit, ut ejus aetate nondum essent cogniti Sidetum numi, cujus insigne perpetuum fuit malum Punicum. Si imposuit sui aevi hominibus, nobis non item. Similem fraudem dictabit numus sequens.

* * *

Caput Martis galeatum barbatum, infra triquetra.)(*ΔΙΟΝΥΣΙΟΥ. Caput equi, juxta spica et Σ.* AV. (Goltz.)

Idem numus est etiam in museo Caesareo, nisi quod argenteus est, et scriptum *ROMANO* eodem loco, quo in Goltziano legitur *ΔΙΟΝΥΣΙΟΥ*, et quod absunt triquetra et *Σ*. Ei geminum etiam edidit Neumannus [m]). Ex quo patet, regis Siculi nomen in hunc numum ex Goltzii ingenio fluxisse, nam hic unus eum sic inscriptum, tum et aureum, nam genuini ex argento sunt, hactenus vidit, et habemus vel in una Dionysii moneta tertium istud exemplum monetae probae infeliciter corruptae.

* * *

ΔΙΟΝΥΣΙΟΥ. Caput Herculis juvenis leonis exuviis tectum.)(*Aquila leporem depascens.* Æ. III.

Numum hunc Princeps T. M. Dio-

---

l) Sic. num. tab. C. n. 3. m) Num. pop. p. 69.

nysio juniori confidenter tribuit propterea, quod juvenilia sunt vultus lineamenta, et multum diversa ab iis, quae numus a Paruta ex Goltzio editus, quem supra descripsi, Dionysio seniori tribuit. Conjectura haec, praeterquam quod Goltzii auctoritate nititur, elevatur etiam propterea, quia causam non video, cur, quod manifestum videtur Herculis caput, regis potius sit statuendum. Ceterum quod eruditi Principis opinioni plane videtur obstare, sunt in museo Caesareo numi duo simillimi, sed in quorum antica supra Herculis caput aliud non lego, quam *ΔΙΟΜ.* vel *ΔΙΟΝ.*, at in aversa luculentum *ΚΡΟ.* Horum unum olim edidi in meis Numis veterib. Tab. IV. n. 3. Vt ergo numi hi certe sunt Crotonis, sic et eodem haud dubie pertinet praetensus hic Dionysii numus, et vocabulum *ΔΙΟΝΥΣΙΟΥ.*, etsi forte plene perscriptum legatur, aliud non est, quam Crotonis magistratus.

* * *

Alium nuper princeps T. M. in Auctario II. ad Sicil. numism. tab. IX. Dionysio tribuit: *Equus dimidius saliens, infra ΔΙΟΝΥΣΙΟΥ.*)(*Vas monotum.* Verum numus hic est unus ex numis obviis Cymes Aeolidis, in quibus varia magistratuum nomina infra equum scripta comparent, in quorum numero est etiam hic Dionysius, longe a Siculo illo tyranno diversus.

* * *

Ergo hactenus certam Dionysiorum Siculorum monetam non habemus. Si quam qui cupiunt, illi aut numis suspectis dubiisve, quos modo descripsi, auctoritate sua fidem concilient, aut novos, quibus fidem habere possumus, reperiant.

AGATHOCLES.

Natus patre Carcino figulo apud Thermas, incertum, an Himeraeas, an Selinuntias [n]), cui cum non adrideret rerum status, qui ibi tum erat, cum filio puero Syracusas se contulit. Cum hic adolevisset, partim commendatione formae, partim quod in eo consilium inesse visum magnarum rerum capax, ad varios primum reip. honores admissus, ipsam deinde tyrannidem invadit V. C. 437., anno XXVI. ex quo Syracusae in libertatem a Timoleonte restitutae fuere. Multa primum cum Siculis urbibus bella gerit, verum cum Poenos quoque irritare auderet, ab his Syracusis obsidetur. In arctum redactus consilium capit audax sane ac temerarium. Nam Syracusis cum classe elapsus bellum in Africam transfert, victisque insigni victoria Poenis, multisque jam captis urbibus Carthaginem ipsam terrore complet. Versa fortuna rebusque in Africa desperatis Syracusas clam evadit deserto ac prodito turpiter exercitu. Tandem oblato lento veneno, gravissimo correptus morbo soluta in putredinem carne moritur V. C. 465. aetatis LXXII. tyrannidis XXVIII. crudelitate, perfidia in socios juxta et hostes, impietate in deos hominesque nullo tyrannorum inferior [o]). Lucianus in Macrobiis vixisse eum annos XCV. perhibet, quod nemini persuaserit.

---

n) Dorville Sicul. p. 81. o) Diodor. Eclog. L. XXI. c. 12.

Numi Agathoclis absque REGIS nomine.

Caput muliebre elephanti exuviis tectum.)(*ΑΓΑΘΟΚΛΕΟΣ. Pallas instar Victoriae alata d. hastam vibrat, s. clypeum, pro pedibus noctua.* AV.

Insignis hic et unicus, quod constet, musei Caesarei numus praeclarum argumentum continet ex Agathoclis historia petitum. Refert Diodorus ad annum V. C. 444. [p]) Agathoclem bello Africano intentum cum consternatos suos propter hostium numerum videret, compluribus per castra locis emisisse noctuas ad hoc praeparatas, quae per agmina volitantes dum clypeis galeisque insident, pro felici augurio a singulis habitae sunt, quod sacrae Palladi aves credebantur. Quo commento ad fiduciam conversos milites insignem reportasse victoriam. Alas Miverva in hoc numo insolentius adfixit, sed suo tamen jure. Nam *Αϑηνα Νικη*, *Pallas Victoria*, eximie ab Atheniensibus observata est, ut tradidere Harpocration et Suidas [q]), ac propterea additae etiam alae, ut testatur Eustathius [r]), *et fabula non modo Victoriam aureis alis ornavit propter insignem ejus honorem, et ut ita dicam, ejus sublimem volatum, sed et cum Pallade eas communicavit, ut ostendit ille, qui scripsit: Pallas Victoria.* Vere igitur de Pallade dixit Aristides [s]): *haec sola omnium deorum dearumque non cognomen habet Victoriae, sed ipsa dicitur Victoria.* Et vero alatam Palladem non solum hic facit numus, sed etiam numi varii Graecarum urbium, ac praecipue Neae insulae, et ipsi etiam Romani, de quibus vide Prolegomena ad numos familiarum capite X. Caput anticae elephantinum Africam indicat, qua in regione acta fabula.

* * *

ΚΟΡΑΣ. Caput Proserpinae spicis coronatum.)(*ΑΓΑΘΟΚΛΕΟΣ. vel: ΑΓΑΘΟΚΛΕΙΟΣ. vel: ΑΓΑΘΟΚΛΕΟΥΣ. Victoria d. malleum, tropaeum statuit.* AR. I. Æ. II. etiam AR. mixti.

Obvii sunt id genus numi. Proserpinam dictam *Κοραν*, ejusque celebrem Syracusis cultum testatur Diodorus [t]). Habet Proserpina, inquit, *consecratum sibi magnum in agro Syracusano fontem, qui Cyane vocatur. Plutonem enim fabulantur, cum raptam Coren prope Syracusas deportasset, rupta illic terra ipsum quidem cum ea ad Orcum descendisse, sed fontem Cyanes nomine tum produxisse, ubi solennem quotannis panegyrin celebrant Syracusani.* Similia refert Cicero [u]). *ΚΟΡΑ* dicitur Proserpina etiam in numis Cyzici. Aversae typus ad quampiam Agathoclis victoriam pertinet.

De varie scripto in his numis Agathoclis nomine egimus in prolegomenis ad numos Siciliae.

Numi Agathoclis cum REGIS nomine.

De adscito regis nomine haec Diodorus ad annum V. C. 447. [x]) *Agathocles cum principes memoratos* (Alexandri duces) *diadema sumpsisse audiret, quod se*

---

p) L. XX. §. 11. q) in *Νικη Αϑηνα.* r) ad Iliad. *Α.* s) orat. in Pallad.
t) L. V. c. 4. u) in Verr. L. IV. c. 48. x) L. XX. c. 54.

nec copiis nec terrarum amplitudine, nec rebus gestis inferiorem illis duceret, se quoque REGEM nuncupavit, diadema tamen usurpandum haud censuit. Diodori orationem confirmant numi, in quibus jam simpliciter *ΑΓΑΘΟΚΛΕΟΣ*, jam *ΒΑΣΙΛΕΟΣ. ΑΓΑΘΟΚΛΕΟΣ* compellatur, estque hic Agathocles primus ex Siciliae regibus, quem numi synchroni regem appellant. Demetrius apud Plutarchum [y]) recenset illos, qui ea tempestate regis nomen sibi adrogabant, nimirum se patremque Antigonum vere reges esse, at ridiculos esse reges Seleucum elephantorum magistrum, Ptolemaeum classis praefectum, Lysimachum a thesauris, Agathoclem Siciliae rectorem.

* * *

Caput Palladis.)(*ΑΓΑΘΟΚΛΕΟΣ. ΒΑΣΙΛΕΟΣ. Fulmen.* AV.

Numi hi elegantis sunt fabricae. Idem utrinque typus frequens est etiam in moneta Syracusarum.

* * *

ΣΩΤΕΙΡΑ. Caput Dianae.)(*ΑΓΑΘΟΚΛΕΟΣ. ΒΑΣΙΛΕΟΣ. Fulmen.* AR. II. Æ. II.

Eosdem etiam utrinque typos habes in numis Syracusarum, quo loco eos explicatos reperies.

Numus Agathoclis suspectus.

Caput regis diadematum.)(*ΑΓΑΘΟΚΛΕΟΣ. Victoria d. malleum, tropaeum statuit, juxta triquetra.* AR. II.

Primus hujus numi praeco Goltzius, ex quo in aliorum deinceps opera receptus est. Verum repugnat diserto Diodori testimonio mox citato, adserentis, regium quidem nomen usurpasse Agathoclem, at non diadema. In hoc numo contraria omnia, adest diadema, abest nomen regis. Vide plura huc spectantia in dissertatione Gelonis numos consequente ad numeros III. et IV. Accedit, quod in hoc numo bene crinitus fingitur, qui tamen teste eodem Diodoro [z]) propter hanc deformitatem coronam gestare est solitus. Non morarer numum hunc vel ideo, quod Goltzianus est, sed me suspensum reddit auctoritas Principis T. M. adfirmantis, vidisse se olim hunc ipsum numum penes quemdam Messanensem aurificem, a quo nullo pacto habere potuit [a]). Si igitur genuinus est numus, neque, quod saepe factum, a perito falsario ad Goltzianum exemplar formatus, ut sua gravissimis auctoribus constet fides, dicendum, aut post Agathoclis mortem signatum numum, perinde ac de Gelonis et Hieronis I. numis diximus, aut adulationis causa signatum ab urbe Agathocli amica, quae Syracusanorum neque legibus, neque moribus tenebatur.

AV. AR. Æ. C.

DINOCRATES.

Huic Agathoclis primum hosti, deinde socio numum inscriptum *ΔΕΙΝΟ.* tribuit Begerus [b]), sed quem jam nunc constat esse Sidetum Pamphyliae, quos vide.

HICETAS.

Diodoro bini Hicetae memorantur, qui varia aetate Syracusis tyrannidem arripuere.

Hicetas I. qui cum Dionysio juniore

---

y) in Demetr. c. 25. z) l. c. a) Sic. num. p. 98. b) Th. Br. T. I. p. 297.

de Syracusarum principatu varia fortuna contendit, sed et hic a Timoleonte ad obsequium revocatus [c]).

Hicetas II. medio inter Agathoclem et Pyrrhum tempore primum Syracusarum praetor, deinde tyrannus, cum Phintia Agrigenti tum tyranno bellum gessit, victor primum, deinde ipse a Poenis victus. Cum annis IX. principatum tenuisset, a Thynione ejicitur [d]).

Begerus [e]) et Havercampus [f]) numos Hicetae nomine insignes veteri illi tribuerunt. Princeps T. M. haud facile definiri posse existimat, utri videantur adjudicandi [g]). Credo, si consulantur numi ipsi, decisa est lis, iis palam professuris, alteri sese Hicetae deberi. Floruit Hicetas I. sub extremum Dionysii II. tempus, neque unquam satis firmus ejus Syracusis principatus fuit. Quis igitur sibi persuadeat, tam copiosos numos cum Hicetae I. nomine percussos divisa inter hunc et Dionysium potentia, quando Dionysii ipsius, qui tot annis remp. tenuit, certum nullum habemus superstitem? Sunt Hicetae numi omnes ex auro, et aureus regis vel tyranni numus ante Agathoclem non exstat, inde ab hoc per omnes fere reges abundant. Fabrica ipsa, ut per artis elegantiam alienior videtur a Dionysii aetate, sic Agathoclis et Pyrrhi tempora proxime sapit. Quibus ego persuasus argumentis numos hos omnes Hicetae II. tribuendos puto, cujus nomine facile intra IX. annos, quibus Syracusis praefuit, tot numero numi feriri potuere.

* * *

ΣΥΡΑΚΟΣΙΩΝ. Caput Proserpinae spicis coronatum.)(*ΕΠΙ. ΙΚΕΤΑ. Victoria in citis bigis.* AV.

AV. R.

PYRRHVS.

Rebus in Italia adversum Romanos minus e voto cedentibus a Syracusanis evocatus regnum aliquamdiu inter hos obtinuit. Verum de hoc ejusque numis, etsi horum multi videantur in Sicilia signati, agetur in numis Epiri, quae ejus patria, et haereditario jure ad eum pertinuit.

HIERO II.

Digresso e Sicilia Pyrrho V. C. 479. Syracusani mox praetorem constituunt Hieronem, quem fuisse Hieroclis filium docent Pausanias, Athenaeus, Justinus, et marmor vetus [h]). Traxisse insuper paternum genus a Gelone refert Justinus [i]). Plautus coaevus narrat per suetas, ut opinor, nugas, regem Liparonem in morte regnum tradidisse huic Hieroni [k]). Victis Mamertinis magnum nomen adeptus rex a suis dicitur V. C. 485., ut censet Casaubonus [l]). Inito postea cum Poenis foedere ad pellendos Messana Mamertinos, ab App. Claudio Cos., qui his suppetias tulit, victus pacem a Romanis petiit impetravitque, quam sancte integreque ad usque vitae exitum coluit, ac Romanos non tum modo, sed etiam in gravi annorum XV. cum Hannibale bello omnibus officiis adjuvit. Cum reip. ipsis annis L. rara felicitate et magna justitiae et moderationis laude praefuisset, mortuus est

---

c) L. XVI. d) Eclog. L. XXI. § 13. et L. XXII. § 2. 6. e) Thes. Br. T. I. p. 387.
f) in Parut. p. 296. g) Sic. num. p. 99. h) Torrem. Inscr. Sic. p. 1. i) L. XXIII. c. 4.
k) Menaechm. Act. II. sc. 3. l) in Polyb. hist. L. I.

V. C. 539. relicto successore Hieronymo, suo ex filio Gelone nepote. Secundum Lucianum mortuus est anno aetatis XCII. regni LXX. [m]) qui calculus haud dubie fallit.

N u m i.

Secundum leges supra in numis Hieronis I. statutas Hieroni II. vindicandi numi sequentes:

Caput Proserpinae spicis redimitum.)(*ΙΕΡΩΝΟΣ. Vir in citis bigis.* AV.

Caput Palladis galeatum.)(*ΙΕΡΩΝΟΣ. Pegasus volans.* AR. (Dutens.)

Numus hic servit illustrandae monetae Syracusanae, quae originem Corinthiam profitetur, ut copiose dicetur in numis Corinthi.

Caput Neptuni.)(*ΙΕΡΩΝΟΣ. Tridens.* Æ. II.

AV. C. AR. RRRR. Æ. C.

HIERONYMVS.

Ei avus Hiero, pater Gelo, quem Hiero per insidias sustulisse credebatur, quod Romanis adversatus esset, mater Nereis Pyrrhi filia. Ex patris testamento rex annos natus XV. regnum adiit. Quo fuerit ingenio, ex Livio audire juvat [n]): *Hieronymus velut suis vitiis desiderabilem efficere vellet avum, primo statim conspectu omnia quam disparia essent, ostendit; nam qui per tot annos Hieronem filiumque ejus Gelonem nec vestis habitu, nec ullo alio insigni differentes a ceteris civibus vidissent, conspexere purpuram, ac diadema, ac satellites armatos, quadrigisque etiam alborum equorum interdum ex regia procedentem more Dionysii tyranni. Hunc tam superbum apparatum habitumque convenientes sequebantur contemptus omnium hominum, superbae aures, contumeliosa dicta, rari aditus non alienis modo sed tutoribus etiam, libidines novae, inhumana crudelitas.* Inter haec cum a Romanis palam descisceret, et societatem cum Hannibale iniret, apud Leontinos a conjuratis post mensem regni XV. occiditur V. C. 540.

N u m i.

Caput Proserpinae spicis coronatum.)(*ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΙΕΡΟΝΥΜΟΥ. Fulmen, in area: ΜΙ.* AV. (Mus. Caes.)

Caput regis diadematum.)(*Eadem aversa.* AR. II. Æ. II.

De capite regis vivi nunc primum numis inserto, eique illigato diademate vide quae disserui in numis Gelonis et Hieronis I. ut et citatum mox Livium.

AV. RRRR. AR. Æ. R.

PHILISTIS.

Caput muliebre diadematum velatum.)(*ΒΑΣΙΛΙΣΣΑΣ. ΦΙΛΙΣΤΙΔΟΣ Victoria in quadrigis plerumque lentis.* AR. I. *Eadem in bigis.* AR. II.

Operis in his numis elegantia, pondus, eorumque copia acuerunt antiquariorum ingenia, ut quae esset haec Philistis, contentiore studio indagarent. Ex artis perfectione et typo aversae, tum dialecto Dorica facile conjecerunt, monetam esse Siculam, ceterum quod ad hanc Philistidem pertineret, nihil in veterum commentariis repererunt. Vnus Hesychius: *Φιλιςιδιον· νομισμα τι,* praeterea nihil, quem quidem locum non satis

m) in Macrob. n) L. XXIV. c. 4.

causae video, cur solicitet Julius Schlägerus, cum pro *Φιλιςιδιον* legit *Φιλιππειον* o). Res igitur ad conjecturas rediit, quas a variis eruditis propositas, sed infirmas sane videre potes in Principis T. M. Inscript. Sicil. p. 62. Havercampus, qui in conjecturarum arena primas semper abstulit, verisimile censuit, fuisse Philistidem hanc binominem, alterumque illi nomen Damaretae, et quod sequitur, numos, de quibus agimus, esse Damaretios illos, de quibus multa veteres, quorumque supra in Damareta Gelonis uxore memini p). Judicium istud vel eo solo refellitur, quod Damaretii hi numi fuisse aurei ab omnibus perhibentur. Aliquid lucis adfert epigraphe literis cubitalibus insculpta Syracusis in gradibus veteris theatri, quam ex Andrea Pigonato recitat Princeps T. M. q) *ex una parte: ΒΑΣΙΛΙΣΣΑΣ. ΦΙΛΙΣΤΙΔΟΣ. ex alia --- ΑΚΛΕΟΣ. - - ΦΡΟΝΙ ---* quo docemur saltem, fuisse reginam Syracusanam, si modo non ficta est inscriptio, nam similem fraudem etiam Panormi intentatam refert Dorvillius r). Reliqua omnia incerta. Id unum advertere jubeo lectorem, hos Philistidis numos secundum omnes apices simillimos esse numo tetradrachmo Hieronis I., quem videsis in Principis T. M. Sicil. num. tab. XCVIII. n. 8. An forte ejus fuit uxor, atque ut marito memoriae causa signati numi, ita et uxori?

Philistidis complures numos aeri incidendos curavit Princeps T. M. eo consilio, ut ejus vultus a media aetate in senium vergens luculente appareat, unde arguit, fuisse longaevam, et satis diu Syracusanum imperium obtinuisse. At potius in hoc artificum inconstantiam in fingendis regum vultibus video, non raro antiquariis molestam, idemque in hac Philistide evenisse puto, quod in capite Pietatis, quam sistunt numi aurei obvii J. Caesaris curante A. Hirtio cusi, quae lineamentis mire divergentibus, jam puellae, jam aetatis mediae, jam decrepitae proponitur.

* * *

ΒΑΣΙΛΙΣΣΑΣ. Caput muliebre velatum.)(*ΦΙΛΙΣΤΙΔΟΣ. Tres figurae stantes ad cultum Aegyptium compositae.* Æ. II.

Mirabilem hunc numum edidit ex museo Bodleiano Swintonus eruditus Anglus, cumque spectatis omnibus causis idem sit cum illis, qui passim Melitae, vel vicinae Gaulo tribui solent, non dubitavit adserere, Philistidem non Syracusis modo, sed his quoque insulis imperasse s). Jure istud. At enim si quis mihi numus malae fidei suspicionem movit, hic profecto est. Adulterinum equidem non dixero, sed additam a perjura manu Philistidis epigraphen, arrepta occasione a capite mulieris velato, cujus simile exstat in numis certis Philistidis. Enimvero si conjecero, non hunc modo numum, sed praetensas etiam, quas citavi, inscriptiones esse fraudulentas, habebo, spero, non paucos viros praeclaros, qui idem mecum sentient.

---

o) de numo Alex. M. p. 67. p) in Parut. p. 1015. et 1042. q) Inscr. Sicil. p. 61. r) Sicul. p. 43. s) Transact. Vol. LX. p. 80.

TYRANNI AGRIGENTI.

THERO.

Natus patre Aenesidamo, duxit genus ab Oedipo Thebano, si Pindaro credimus binis odis II. et III. victorias ejus Olympicas celebranti. Praeter Agrigentum Himeram etiam sibi subjecit, auxitque affinitate potentiam, dum Geloni Syracusano filiam Damaretam uxorem dedit. Junctis cum hoc copiis memorabili illo ad Himeram praelio, de quo in Gelone egimus, Poenos internecione delet. Postquam Agrigentum annos XVI. clementer ac moderate rexisset, mortuus est, et heroicos a suis honores consecutus.

Numi.

Caput muliebre.)(*ΘΕΡΩ. Pagurus.* Æ. II.

Numos similes Theroni non esse synchronos, peculiari dissertatione supra Gelonis numis adnexa demonstravi. Cum igitur multo sint serius signati, nihil est, quod cogat credere, Theronem numis his inscriptum esse hunc ipsum tyrannum, praecipue cum in utraque eorum superficie nihil compareat, quod ad eum peculiari quodam modo pertineret. Potest igitur horum numorum Thero esse Agrigentinorum magistratus, quemadmodum in eorum moneta etiam Silanum vidimus. Ceterum et hi numi sunt rarissimi. Princeps T. M. nullum ipse possedit, etsi testetur, eorum se archetypa vidisse. Notavit Pellerinius in catalogo, quem subjecit operi, quod numos Regum complectitur, possidere se Theronis numos quatuor [t]), verum respondit consultus a Neumanno nostro Abbas Blondius, horum nullum in Pellerinii thesauro contineri, et Theronem quocumque demum errore in catalogum irrepsisse.

Alium adhuc numum inscriptum *ΘΕ.* Princeps T. M. ex museo Neumanni vulgavit, et huic Theroni tribuit. Verum in hoc numo non *ΘΕ,* sed *K* legitur, ut vidi ipse, et testatus est Neumannus in praeclaro suo opere, in quo numum hunc edidit. Eruditi principis exemplo Theronem etiam in numo simili vidit abbas Sestinus, ut diximus in moneta Agrigentinorum.

Æ. RRRR.

PHINTIAS.

Agrigenti rex, quo tempore Syracusis principatum tenuit Hicetas II. non multo ante Pyrrhi tempora. Ab eodem Hiceta victus, subinde urbem condidit, quam de se Phintiadem appellavit translatis eo Gelois.

Numi.

Caput Apollinis, vel Dianae, vel Proserpinae.)(*ΒΑΣΙΛΕΟΣ. ΦΙΝΤΙΑ. Aper currens.* Æ. III.

Videtur aversa contentum Phintiae venandi studium indicare. Certe somniasse eum, se ab apro inter venandum peremptum iri, refert Diodorus [u]).

* * *

Caput juvenile diadematum, retro triquetra.)(*Eadem aversa.* Æ. II.

Numum edidit Paruta, praeter quem nemo alius. De capite anticae propter

t) p. 210. u) Eclog. L. XXII. §. 5.

additum diadema, hac adhuc aetate in Sicilia insuetum, nonnihil dubito, cuperemque praeterea ab altero numum hunc insolentem videre indicatum. In numo non satis integro facile potest laurea Apollinis pro diademate haberi.

INSVLAE SICILIAE ADIACENTES.

COSSVRA.

Hodie *Pantellaria*, Lilybaeum inter et Clupeam Africae. Hujus insulae numi duplicis sunt generis, I. inscripti Punice, II. inscripti Latine.

I. Punici.

Caput mulicbre radiatum peregrino cultu, cui in compluribus advolans Victoria coronam offert.)(*Quinque literae Punicae intra lauream.* Æ. I. II.

De epigraphe Punica in dissertatione de numis Phoeniciis Phoeniciae propriae subjecta agemus.

II. Latini.

Caput mulicbre velatum, cui advolans Victoria coronam imponit, in compluribus juxta comparet signum incusum REϘ.)(COSSVRA. *intra coronam; in nonnullis praeterea quaedam trianguli species.* Æ. I. II.

En ejusdem speciei numos, et fere sola lingua differentes. Anticae caput juvenile videtur esse ipsius insulae vel urbis genius. Indulsit ingenio suo Harduinus, dum numos hos Hispanienses, et caput esse RE*ginae* C*ontestaniae* putavit propterea, quod in simili Parutiano juxta caput legitur REC. [x]) quod judicium abunde refutavit Bimardus [y]). Nimium etiam temere Havercampus esse putavit caput Didonis [z]), non abnuente consensum Froelichio [a]), et ne quid conjecturis desit, censuit Begerus, esse caput Philistidos [b]). Harum opinionum causa praecipua fuit, quod juxta muliebre hoc caput viderunt scriptum REC. et quidem in compluribus apud Parutam [c]), tum et Begerum [d]), quae eos scriptura, ut RE*Ginam* opinarentur, impulit. At enim in numo simillimo musei Neumanni nostri tres hae literae, quarum postrema formam Ϙ habet, incusae sunt, et quod sequitur, nequaquam ipsis numis synchronae, habentque adeo sensum, ut pleraque hujus naturae signa, nobis incompertum. Suapte ergo omnes conjecturae de regina quapiam modo allatae corruunt, tum etiam quas alias sane infirmas Havercampus commentus est [e]).

Difficile est explicare id, quod triangulum referre dixi. Forte est Tau Aegyptium, quale saepe Isis manu gestat. Sane vicinam Melitam et Gaulon aperte ostendere Aegyptii cultus argumenta, continuo videbimus.

Æ. R.

GAVLOS.

Hodie *Gozzo*, insula Melitae adjacens. In duas item classes ejus numos divido, I. Punicos, II. Graecos.

---

x) Num. illustr. sub *Cossura.* y) ad Job. T. II. p. 267. z) in Parut. p. 160. a) Notit. elem. p. 97. b) Thes. Brand. T. I. p. 301. c) tab. 142. d) l. c. e) ad Parut. p. 854.

I. *Punici*, etsi controversum adhuc, utrum huc pertineant, ut dicetur.

Caput muliebre velatum.)(*Literae tres Punicae. Tres figurae stantes ad cultum Aegyptium compositae.* In aliis: *Caput arietis, vel tripus, vel pagurus.* Æ. I. II.

Numum similem, addito praeterea *ΒΑΣΙΛΙΣΣΑΣ. ΦΙΛΙΣΤΙΔΟΣ.* vide supra in moneta Philistidis.

Caput nudum barbatum, ante quod caduceus.)(*Literae tres Punicae. Aliquid instar tintinnabuli, vel pilei intra coronam.* Æ. II.

Fuere, qui numos his literis notatos Melitae vicinae tribuendos putarent, de qua lite vide, quae notabo in dissertatione Phoeniciae propriae numis subjecta, quo loco agetur de numis Siculophoeniciis. Typus, quem dixi esse ex more Aegyptio, offert figuram stantem capite mitrato, quae junctis manibus videtur tenere flagellum ad morem Osiridis, pedes autem habet arcte colligatos, cui adstantes duae figurae inferne alatae pateram porrigunt. Forma non absimili figurae stant compositae variis locis tabulae Isiacae. Figura similis, quae in his numis in duorum medio stat, in aliis certis Melitensibus totam areae aversam facit, nisi quod superne et inferne alata est. Satis ex stylo patescit, peregrina hic exhiberi numina a Phoeniciis huc traducta, quos ex vicinia Aegypti et cum hac commercio verisimile est eodem fuisse stylo usos in diis suis effingendis. Venutus esse deum Mithram putat, quod haec figura alata est[f]), at dubito, utrum ea jam aetate, qua numi hi cusi sunt, Persici hujus deastri cultus ab Europae populis fuerit receptus.

Caput in antica numi II. esse Mercurii, ut persuadet caduceus, ita videtur inficiari barba. At enim Mercurium barbatum bis habemus apud Pausaniam[g]), ut mittam monumenta alia. De typo partis aversae nihil quod certi adfirmem habeo.

Æ. R.

II. *Graeci.*

Caput muliebre supra lunulam.)(*ΓΑΥΛΙΤΩΝ. Miles gradiens d. hastam intorquet.* Æ. III.

Æ. R.

MELITA.

Hodie *Malta.* De numis Punice inscriptis, quos aliqui huc retulere, mox in Gaulo egimus. Numi sunt I. Graeci, II. Graeco-Latini, III. Latini.

I. *Numi Graeci.*

ΜΕΛΙΤΑΙΩΝ. Caput muliebre velatum et corona radiata, in aliis quasi flore loti tectum. In aliis videtur virile tectum modio.)(*Vir mitratus et quatuor alis instructus, quarum duae humero, duae femori adhaerent, humi quasi considens d. harpam, s. flagellum tenet.* Æ. I.

Non magnopere absimilis figura, sed stans, conspicitur in numis Punice inscriptis, quos Gaulo tribuimus. In antica exhiberi Isidem, in aversa Osirin verisimile videri possit, nisi forte in antica melius statuatur esse caput Junonis, cujus in hac insula fanum antiquum, summa religione sacrum, et ipsis propterea

f) Saggi di Cort. T. I. p. 35. g) L. VII. c. 22. et 27.

praedonibus inviolatum, donisque locuples stetisse testatur Cicero[h]).

* * *

Caput muliebre velatum.)(*ΜΕΛΙΤΑΙΩΝ. Tripus, in aliis lyra.* Æ. II. III.

* * *

Caput muliebre spicis coronatum.)(*ΜΕΛΙΤΑΙΩΝ. Equus gradiens.* Æ. III.

Vtriusque partis typus multum adfinis est illi, quem videre est in numis anepigraphis, qui Panormo vulgo tribuuntur.

Æ. R.

II. Graeco-Latini.

ΜΕΛΙΤΑΙΩΝ. Caput muliebre velatum.)(C. ARRVNTANVS. BALB. PRO. PR. *Sella curulis.* Æ. II.

Fuit hic, ut apparet, propraetor Siciliae, ad quam Melita pertinuit.

Æ. RR.

III. Latini.

Caput muliebre velatum.)(MELITAS. *Tripus.* Æ. III.

Hanc epigraphen jam a Paruta proditam in dubium olim vocavit Princeps T. M.[i]) sed confirmatur numo simili, qui est Vindobonae in museo Caesareo et Neumanni.

* * *

Ex numero numorum ab antiquariis Melitae tributorum eximendus is, quem edidit Dorvillius inscriptum *ΜΕΛ.*[k]) Est is Megarorum, ut docuit Neumannus[l]). Item auctor operis, cui titulus: *Catalogue raisonné*, huc refert argenteum subaeratum, in quo: *Nemesis flexo uno genu, in*)(*quaedam clypei species*, sed qui Camarinam certius pertinet; ad haec de Melitae numo argenteo, si Goltzianum demas, nihil constat.

Æ. RRR.

CAENE.

Hodie *Cani*, modica in eodem tractu insula, cujus meminere Plinius, et Marcianus Capella.

Gryphus currens, infra cicada.)(*KAINON. Equus currens. In nonnullis deest epigraphe.* Æ. II.

Caput juvenile.)(*ΚΑΙΝΩΝ. Aquila stans, prae qua caput arietis.* Æ. II.

Descripti hic numi pridem ad hanc Caenen revocari sunt soliti. Serius Mazzochius hos promontorio Caenys in Bruttiis tribuendos putavit [m]), verum urbis huic adstitutae nulla apud veteres mentio. Quoniam vero hi numi copiosius reperiuntur in Sicilia, Princeps T. M. hujus nominis in hac insula oppidum circumspexit, reperitque *Cenam* prope Agrigentum, cui censet hos posse numos competere [n]), quod tamen judicium tanti non facit, ut vetus illud plane repudiet, quo hactenus dictae insulae Caene adjudicati sunt. Illustris principis sententiae subscribendum putavit Cl. Sestinus[o]).

Demendus item ex numis hujus urbis is, in quo Dorvillius legit *KAINON.*[p]), pro quo legendum *ΚΑΙΛΙΝΩΝ* jam observavit Princeps T. M.[q]).

Æ. C.

LOPADVSA.

Insula Siciliam inter et Africam.

---

h) in Verr. L. IV. c. 46. i) Aggiunt. V. p. 6. k) in Sicul. tab. XX. l) Num. pop. p. 49. m) tab. Heracl. p. 41. n) Aggiunte V. p. 24. o) Lettere T. I. p. 4. p) tab. XX. n. 8. q) l. c.

Ejus numus *ΛΟΠΑΔΟΥΣΣΑΙΩΝ.* nemini hactenus praeter Goltzium conspectus.

LIPARA.

Insula maris Tyrrheni, Aeoliarum insularum una, atque inter eas princeps. Sola ex iis numos signavit, quorum frequentes in museis servantur.

Epigraphe: *ΛΙΠΑΡΑΙΟΝ.* etiam retrograde, in recentioribus *ΛΙΠΑΡΑΙΩΝ.* rarius *ΛΙ.* tantum.

Caput juvenile laureatum.)(*ΛΙΠΑΡΑΙΩΝ. Tridens.* AV. II. (Mus. Hunter.)

Causa metalli insignis est hic numus. Argenteos aliquot recitant etiam Princeps T. M. et catalogus Hunterianus, sed utrum huc pertineant, minus certum.

* * *

Vulcanus nudus sedens d. malleum, s. diotam.)(*ΛΙΠΑΡΑΙΩΝ. Delphinus, inferne linea exstantibus uncis; in aliis tres vel sex globuli.* Æ. varii moduli.

Caput Vulcani pileo tectum.)(*ΛΙΠΑΡΑΙΟΝ. Navis et sex globuli, in aliis pro typo tantum globuli, duo, tres.* Æ. varii moduli, etiam maximi.

Ex his numis apparet, Vulcanum in hac insula praecipuo honore adfectum. Nempe propter ignes non raro ibi erumpentes suam hic fixisse sedem et officinam perinde ac apud Aetnam credebatur, cujus testimoniis abundant poetarum scrinia. Delphini in numis insularum ratio obvia. Vncis subtus positis indicari maris adsurgentis fluctus, diximus supra in numis Camarinae.

* * *

Caput nudum barbatum.)(*ΛΙΠΑΡΑΙΩΝ. Bacchus stans cum thyrso.* Æ. III.

Verisimile satis, capite anticae indicari Aeolum, cui cum Vulcano in Lipara communes fuere honores, nam teste Diodoro [r]) insulas Aeolidas de nomine suo dictas occupavit, urbemque Liparam exstruxit. Et erant Liparae cum Vulcano, tum Aeolo eximia donaria et pecuniae in prytaneo dedicatae, quas Agathocles facto ex improviso impetu occupavit [s]).

* * *

Globuli duo, tres, qui utrum ponderi respondeant, ambigo, etsi valorem haud dubie notent.

AV. RRRR. AR. dubii. Æ. C.

SARDINIA.

Exstant numi, in quorum antica:

Caput virile peregrino cultu.)(*ΣΑ. Tres spicae.* AR. II. (Mus. Caes.) Æ. (Dorvill. Sicul. tab. II. n. 6.)

Id genus numos ajunt copiosius reperiri in Sardinia, neque ab hac sententia abludunt binae literae ἀρχαιουσαι hujus insulae, ipsa fabrica peregrinum quid redolens, et typus spicarum, nota insulae fertilitate. Num recte sim arbitratus, decidant ii, qui in vicino degunt. Paruta similem in Panormitanis citavit [t]), neque dissentiunt Havercampus, et, qui in citatum Dorvilii numum commentatus est, Burmannus.

* * *

SARD. PATER. *Caput viri peregrino cultu prominente retro hasta.*)(M.

r) L. IV. c. 67. s) Diodor. L. XX. c. 1. t) Tab. XVIII. n. 178.

ATIVS. BALBVS. PR. *Caput Balbi nudum.* Æ. II. (Mus. Caes.)

Exhibet antica Sardum Maceridis filium, cui apud Libyes Herculis cognomen fuit, quique in hanc insulam coloniam duxit aetate remotissima, antequam Aristaeus et Iolaus eam colonis Graecis frequentassent. Ab hoc Sardo Libye insula, cui antea a forma humani vestigii Ichnusae nomen fuit, Sardinia dicta est. Haec Pausanias [u]), et Silius Italicus [x]). Ei ergo ex veterum instituto heroicos fuisse honores delatos, dictumque gentis *patrem*, numus hic docet. Sane et Ptolemaeus locum quendam in hac insula vocat *Σαρδοπατορος ἱερον*. Huic ceu gentis conditori juxta jungitur M. Atius Balbus, quem praetura in insula functum docet numus tacentibus historicis. Honoris tamen causa signatum fuerit ejus caput a Sardis in moneta sua, quod is Augusti avunculus major fuit, de quo vide plura in numis gentis Atiae. Numi fabrica rudior rudem tum Sardiniam non abnegat.

AR. RR. Æ. R.

CALARIS.

Olim et nunc quoque Sardiniae urbs princeps. Huic falso adsertus a Goltzio numus praetensa epigraphe *ΚΑΡΑΛΙΤΩΝ*, sed qui certo est Cymes Aeolidis.

u) L. X. c. 17. x) Bell. Pun. L. XII. 355.

FINIS VOLVMINIS I.

CORRIGENDA.

p. XIX *a, versu* 13, *legendum* perhibentur. p. XXVI *b, v.* 9 *a fine*, IIIvirum. p. XXXII *a, v.* 8, vero. p. XXXIX *b, v.* 15 *a fine*, fuit. p. XL *b, v.* 3 *a fine*, ὁ δε. p. XLIII *b, v.* 6, triobolum. p. XC *b, v.* 17, *pro ut* et. p. XCII *a, v.* 16 *a fine*, conjungenda. p. XCIII *b, v.* 17, comparent. p. CXLIV *b, v.* 5 *a fine*, *ΜΗΤΡΟΠΟΛЄΩC.* p. 15 *a, v.* 7 *a fine*, omnes. p. 23 *b, v.* 9, VI. p. 23 *b, v.* 13 *a fine*, velatus. p. 25 *a, v.* 2 *a fine*, jam. p. 30 *b med.* Caii et Lucii. p. 42 *b, v.* 8, honos. p. 67 *b, v.* 3 *a fine*, numi. p, 70 *b, v.* 11 *a fine*, numo. p. 86 *b, v.* 11, numerum. p. 104 *b, v.* 5, praefecisse. p. 161 *a, v.* 7 *a fine*, ὥς. p. 208 *b med.* Hercules. p. 248 *b, v.* 4 *a fine*, Libyae.

DOCTRINA
NVMORVM VETERVM.

DOCTRINA
NVMORVM VETERVM

CONSCRIPTA

A

IOSEPHO ECKHEL

THESAVRO CAESAREO NVMORVM, GEMMARVMQVE VETERVM, ET REI ANTIQVARIAE IN VNIVERSITATE VINDOBONENSI DOCENDAE PRAEFECTO.

PARS I.

DE NUMIS VRBIUM, POPVLORUM, REGUM.

VOLVMEN II.

CONTINENS

RELIQVAS EVROPAE REGIONES CVM PARTE ASIAE MINORIS.

EDITIO SECVNDA.

VINDOBONAE

SVMPTIBVS FRIDERICI VOLKE

MDCCCXXXIX.

CONSPECTVS VOLVMINIS II.

Numi urbium, populorum, regum.

Chersonesus Taurica. Pag. 1.
Sarmatia Europaea. Pag. 3.
Dacia. Pag. 4.
Moesia superior. Pag. 6.
Moesia inferior. Pag. 13.
Thracia. Pag. 19.
Chersonesus Thracia. Pag. 49.
Paeonia. Pag. 60.
Macedonia. Pag. 61.
Thessalia. Pag. 132.
Liburnia. Pag. 151.
Dalmatia. Pag. 152.
Illyricum. Pag. 152.
Epirus. Pag. 160.
Corcyra ins. Pag. 177.
Acarnania. Pag. 183.
Aetolia. Pag. 188.
Locris. Pag. 190.
Phocis. Pag. 193.
Boeotia. Pag. 195.
Attica. Pag. 205.
Peloponnesus. Pag. 228.
Achaia. Pag. 229.
Elis. Pag. 263.
Cephallenia ins. Pag. 270.
Messenia. Pag. 275.
Laconia. Pag. 278.
Argolis. Pag. 286.
Arcadia. Pag. 292.
Creta ins. Pag. 300.
Euboea ins. Pag. 322.
Insulae Aegaei minores Europaeae. Pag. 325.
Bosporus Cimmerius. Pag. 339.
Pontus. Pag. 340.
Paphlagonia. Pag. 383.
Bithynia. Pag. 396.
Mysia. Pag. 448.
Troas. Pag. 478.
Aeolis. Pag. 491.
Lesbus ins. Pag. 500.
Ionia. Pag. 505.
Caria. Pag. 571.

CHERSONESVS TAVRICA.

Perlustratis Europae, quae in Occidentem vergit, provinciis opum nostrarum feracibus, in Orientem Europaeum flectimus, facto initio a regionibus, quae septentriones respiciunt, unde in meridiem, et beatas Graeciae propriae provincias, insulasque viam prosequemur. Itineris exordium esto extrema in Aquilonem

CHERSONESVS TAVRICA.

Sic dicta, quod peninsula est, Ponto, palude Maeotide, et sinu Carcinite intercepta, et *Taurica*, quod a Tauris habitata fuit gente Scythica. Tamen urbes Graecae colonias eo duxere, sed quae subinde regibus Bosporanis subjectae fuerunt, sive vi, sive sponte, quoniam a barbarorum Taurorum violentia vexatis externum auxilium opus fuit.

CHERSONESVS.

Habuit peninsula urbem quoque sibi cognominem, quae Plinio dicitur Heraclea Chersonesus [a]), quia fuit teste Strabone πολις Ηϱακλεωτων, *urbs Heracleotarum* Bithyniae. Unde et olim dicta *Megarice* teste eodem Plinio [b]), nempe quod Megarenses ipsam Heracleam aedificarunt. Strabo eam primum liberam dixit, sed metu barbarorum dedidisse sese Mithridati Eupatori [c]). Liberam iterum fecere Romani, ut dicetur.

Cavendum, ne cum hujus numis misceantur numi Chersoneso Creticae debiti. Primus Pellerinius cognomines numos rite discrevit. Hujus Tauricae sunt:

XEP. *Caput juvenile laureatum radiatum, ante quod lituus militaris.* ✠ *Mulier turrita stans d. jaculum, s. arcum cum jaculo, in area monogramma, et* ΔP. AY. III. (Sestini Lettere T. IV. p. 89.)

Numus causa metalli insignis excellentiae.

* * *

Caput Dianae cum arcu. ✠ XEP. AΓA-ΣIK. *Taurus cornupeta.* AE. III. (Mus. Caes.)

---

a) L. IV. p. 218. b) l. c. c) L. VII. p. m. 474.

De Dianae Tauricae in hoc tractu cultu constat, taurus autem jure insertus; nam ab hoc eam regionem traxisse nomen testatur Eustathius [d]). Liberalius hunc numum explicatum vide in meis Num. vet. p. 49.

* * *

ΕΥΔΡΟΜΟ. *Mulier nuda flexo uno genu s. arcum praetendit.* ✕ ΧΕΡ. *Gryphus.* AE. II. (Pellerin.)

Mulier anticae haec quoque per arcum Diana videtur agnoscenda, a qua et creditum urbem conditam, ut refert Mela, sed qui eam *Cherronen* vocat [e]). Gryphi in aversa typus hunc numum huic potissimum Chersoneso vindicat, nam idem in vicini quoque Panticapaei moneta frequens, cujus typi in hoc tractu causa videtur a fabulis petenda, nam in locis paullum superioribus creditum habitare *gryphos*, *saevum et pertinax ferarum genus, qui aurum terra penitus egestum mire amant, mireque custodiunt, et sunt infesti attingentibus*, ut eodem loco tradit Mela [f]).

* * *

ΧΕΡ. *Miles nudus flexo uno genu d. hastam, s. clypeum.* ✕ *Figura in citis quadrigis.* AE. II. (Pellerin.)

Non procul ab hac urbe, sed extra peninsulam in occasum ad ostia Borysthenis fuit insula dicta *Achillis*, et juxta in continente locus, dictus Δρομος Αχιλλειος, *cursus Achillis*, de quo Strabo, Arrianus, Plinius, Mela. Explicatius Mela haec tradit [g]): *Achilles infesta classe mare Ponticum ingressus ibi ludicro certamine celebrasse victoriam, et cum ab armis quies erat, se ac suos cursu exercitavisse memoratur. Ideo dicta est* δρομὸς Ἀχιλλειος. Verisimile videtur, ex vicino numi argumentum petitum, et in adversa proponi Achillem herois ritu fictum, in aversa celebratum ab eo ludicrum certamen.

* * *

ΕΛΕΥΘΕΡΑΣ. *Caput muliebre.* ✕ ΧΕΡΡΟΝΗΣΣΟΥ. *Diana gradiens telum ex pharetra promit, s. arcum.* AE. II. (Pembrock P. II. tab. 33.)

Dubium esset, ad quam Chersonesum insignis hic numus pertineat, hanc Tauricam, an alteram Creticam (nam utrobique Dianae cultus viguit), nisi litem dirimeret vox ΕΛΕΥΘΕΡΑΣ. De Taurica scribit Plinius [h]): *mox Heraclea Cherronesos libertate a Romanis donatum.* Mirum videri posset, hanc urbem in extremis orbis culti finibus positam tot numos cudisse, nisi constaret ex Plinio [i]), *fuisse urbem praecipui nitoris in toto eo tractu, custoditis Graeciae moribus, quinque millia passuum ambiente muro.*

AE. RR.

HERACLEVM.

Caput Herculis leonis exuviis tectum. ✕ ΗΡΑΚ. *Arcus et clava.* AE. III. (Mus. Caes.)

Numos similes vidi complures. Sunt hi operis tam barbari, ut eos Heracleae omnes per Europam Asiamque cultiorem sparsae nollent partum suum agnoscere. Ad haec typus aversae conspirat cum iis,

---

d) ad Dionys. v. 306. e) L. II. c. 1. f) L. II. c. 1. sub init. g) L. II. c. 1. h) L. IV. p. 218. i) l. c.

quos in numis Panticapaei, et Phanagoriae ex adverso in Bosporo Cimmerio Asiatico sitae observamus. Videntur ergo tribuendi illi Heracleo, quod Ptolemaeus in hac peninsula Maeotidi adsitum memorat.
AE. RR.

PANTICAPAEVM.

Teste Strabone et Stephano princeps Bospori Europaei urbs, quam nobilitatem multo certiores testes numi omnis metalli confirmant. Milesiorum coloniam dixit Strabo.

Hujus urbis numi hactenus aut fuere ignoti, aut aliorsum inique aversi, ceu cum inscripti solo ΠΑΝ. Panormo Siciliae tributi fuere [k]), aut generatim deus *Pan* indicari crederetur [l]). Vnus Pellerinius decem in omni metallo vulgavit, qui omnes huc sine dubio pertinent, dempto, quem numero nonum stitit, quem esse Argorum Argolidis suo loco monebo. Alios vide in museo Hunteriano. Insignem argenteum ex museo suo edidit Neumannus.

Epigraphe: Π. ΠΑΝ. ΠΑΝΤΙ. ΠΑΝΤΙΚΑΠΑΙΤΩΝ. Videtur ex his emendandus Stephanus legendo παντικαπαιτης pro παντικαπιατης.

Typi insigniores: *Caput Panos*, forte per adlusionem ad primam syllabam in nomine urbis, ex qua causa et Vibius Pansa in denariis suis Panos personam videtur signasse. *Caput leonis*, fors ducto typo ex numis metropolis Mileti, in quibus obvium illud animal. *Caput tauri* in tetradrachmo [m]), cum adlusione ad Tauricam. *Gryphus*, qui etiam est in numis Chersonesi. *Arcus*, *pharetra*, *pilei Dioscurorum* in numis urbium Euxino adsitarum typus frequens.

AV. RRRR. (Pellerin, et Pembrock tab. V.) AR. RRR. AE. RR.

THEODOSIA.

Numum Hunterianum a Cl. Combio huc vocatum esse Metaponti Lucaniae, in hujus moneta diximus.

SARMATIA EVROPAEA.

OLBIA, OLBIOPOLIS.

Vtroque nomine prodita, numi alterum malunt. Sita versus Borysthenis ostia, a Milesiis condita auctore Strabone, a quo et *emporium magnum* appellatur. Adhuc Antonini Pii aevo videtur fuisse potens, qui urbi per Tauroscytharum incursiones periclitanti auxilia misit [n]).

Caput Cereris, vel: *Virile barbatum*, vel: *Muliebre velatum*. Ӿ ΟΛΒΙΟ. *Aquila delphino insistens*, vel: *Arcus*, *pharetra*, *securis*, vel: *spica*. Horum prior est AR. I., (Pellerin.) reliqui AE. II. III. (Pellerin, Theupoli, Mus. Caes.).

Caput bovis. Ӿ ΟΛΒΙΟΠΟΛΙΤΕΩΝ.

---

k) Beger Thes. Br. T. I. p. 369. l) Tristan. T. III. p. 83. m) Sestini Lettere T. IV. p. 90. n) Capitolin. in Anton. c. 9.

Sagitta. AE. III. (Sestini Lett. T. IV. p. 90.)

Corrigenda ex hoc lectio Arigonii ΑΛΒΙΟΠΟΛΙΤΩΝ, et typus mendose descriptus.

AR. RRRR. AE. RRR.

TYRA.

Ad fluvium cognominem, qui hodie *Dniester*, Milesiorum haec quoque colonia teste Scymno Chio.

Imperatorii.

Plures editi a Vespasiano usque ad Getam. Vtriusque numi sunt in museo Caesareo. Eximius est is, quem edidit Vaillantius: ΒΗΡΙCCΙΜΟC. ΚΑΙCΑΡ. *Caput M. Aurelii*, de quo nomine *Verissimi* vide numos hujus Caesaris.

Epigraphe: ΤΥΡΑΝΩΝ.

Typi Herculis, Cybeles, aquilae etc. omnes obvii.

Literae solitariae: Β. Γ. etc. quas Vaillantius, aliique indicare annos imperii putaverunt. Verum ejusmodi literas passim videbimus occurrere in numis Moesiae et Thraciae, quarum difficile est veram statuere significationem.

AE. RR.

COMOSICVS GETA.

Hoc nomine Getarum regi et pontifici ex Jornande cognito tribuit Froelichius numum, in quo legere sibi videbatur: ΚΟΜΟCΙ-- o) Verum serius comperi, esse ex Persicis unum, quales plures proponit Pellerinius p), et de quibus agam in moneta Persarum.

DACIA.

Proprios olim habuisse reges, eosque potentes ac opibus inclytos, ex Decebali historia satis constat. Qua usi fuerint moneta, minus certum; verisimiliter tamen in hoc tractu signati sunt numi tetradrachmi fabricae rudis, ac saepe extremae barbariei, qui hinc Jovis caput, illinc equitem sistunt, sumpto a numis Philippi II. Macedoniae regis exemplo, quorum magna in hunc diem copia in Transilvania, quae veteris Daciae nobiliorem partem constituit, eruitur, quorsum et pertinent numi BIATEC. BVSV. NONNOS. SVICCA, aliique, de quibus agetur separatim in tractatu de numis barbaris.

A Trajano difficili bello domita in provinciam redacta est, unde in ejus imperatoris numis: DACIA. AVGVSTA. PROVINCIA. Nulla tamen imperatorum usque ad Philippum exstat moneta in ipsa Dacia percussa, neque ex hac dicendus prodivisse numus notus Trajani, in cujus aversa: ΔΑΚΙΑ, typo *mulieris moestae ad tropaeum considentis*, etsi istud statuat Vaillantius q). Nam praeterquam quod verisimile non est, Dacos unquam lingua Graeca usos, non certe sese usque adeo abjecissent, ut imaginem suam figurae lugentis typo proponerent, cum nemo sese victum subjugatumque propalam

o) Accessio nova ad num. reg. p. 36. p) Suppl. III. tab. 2. q) in numis Colon. Philippi sen.

fateatur. Ex quo sequitur, numum hunc perinde in urbe quapiam Graeca signatum, ac notos illos Titi: ΙΟΤΔΑΙΑΣ. ΕΑΛΩΚΤΙΑΣ., qui certe non in ipsa Judaea, sed extra eam cusi sunt.

Proprii igitur Daciae numi, qui ad praesentem classem pertinent, nimirum in Dacia ipsa signati, sunt

Imperatorii,

qui incipiunt sub Philippis, et durant in Gallieni imperium.

Epigraphe constans: PROVINCIA. DACIA. additis annis epochae, de quibus infra. Vaillantii ratio sane infirma est, qua Daciam Latina usam epigraphe conjicit propterea, quia forte a Philippo libera, seu immunis facta est [r]), quam finxisse videtur rationem, ut honestam haberet causam hos numos operi, quod de coloniarum et municipiorum numis agit, inserendi, ad quam sane classem nullo pacto pertinent.

Typi:

Mulier stans tecta pileo patrio instar Phrygii inter aquilam et leonem, d. ensem patrium incurvum, s. vexillum, cui inscriptum: D. F.

Mulier stans, (rarissime sedens) d. ensem incurvum, juxta defixum vexillum, cui inscriptum V., humi aquila, s. tenet vexillum, in quo XIII., humi leo.

Typi hi sunt constantes, aut tantum in minutis discordant. Mulier in his numis Daciae symbolum agit tecta operimento, cujus simili tegitur etiam PANNONIA in numis Aelii Caesaris, ensemque incurvum praeferens pro more gentis et utroque insignis est Dacus, qui saepe captivi habitu in Trajani numis fingitur. Literae ἀρχαιȣσαι D. F. secundum notos Decii numos explendae *Dacia Felix.*

Numeri V. et XIII. vexillis inscripti praeclare illustrantur a Dione [s]) perhibente, aetate sua, nempe Alexandri Severi, legiones Macedonicam V., et XIII. geminam in Dacia stetisse. Haec cum certa sint cum Dionis, tum numorum testimoniis, mirum videatur, eandem legionem V. Macedonicam memorari etiam in numis Philippi in colonia Heliopoli Coelesyriae percussis, quin et in numis Beryti Phoeniciae, nisi forte statuendum, partem legionis excubuisse in Dacia, partem in Syria. Vide, quae de hoc plura monebimus ad dictam Heliopolin.

Juxta vexillum legionis V. perpetuo adstat aquila, et juxta alterum legionis XIII. leo. Utrumque animal sic explicat Vaillantius [t]), ut aquilam esse insigne imperii R. censeat, leonem symbolum Daciae. Quod ad aquilam attinet, consentit Harduinus [u]), sed leonem adstitutum propterea contendit, quod leonibus revera habitetur Dacia, quod vix ullo certo monumento probaverit. Sane hoc loco adversatur Plinio suo, adserenti [x]), in Europa inter Acheloum tantum, Nestumque amnes leones esse, et Dio Chrysostomus leones olim fuisse circa Macedoniam, sed eorum genus pridem defecisse narrat [y]). Inserti utriusque animalis longe aliam, eamque certissimam alibi rationem prodidi [z]), fuisse nempe aquilam symbolum legionis V., et leo-

r) l. c. s) L. LV. c. 23. t) in num. Etruscillae. u) Num. ill. in DACIA. x) L. VIII. § 17. y) Orat. XXI. z) Num. vet. p. 50.

nem XIII., quod praeclare comprobatur obviis Gallieni numis commatis Romani, in quibus ii, qui LEG. V. inscribuntur, aquilam item offerunt, ut ii, in quibus, LEG. XIII., leonem sistunt, cum qua sententia conspirant etiam numi Viminacii, de quibus paullo infra.

Typus mulieris d. hastam tenentis, ex qua praefixum caput asini, quod fuit alterum Daciae symbolum, comparet tantum in numis commatis Romani inde a Decio, at non in hujus generis numis in Dacia signatis. Eum Vaillantius et Arigonius in numo Treboniani hujus quoque classis viderunt, at verisimile est, fuisse deceptos, nam in museis nostris hac merce instructissimis similem aversam videre non licuit.

Epochae anni in omnibus his numis signati sunt hoc modo: AN. I. II. etc. De ejus principio et modo agetur mox infra in numis Viminacii.

AE. I. formae C. AE. II. et III. RR. Argenteum Philippi cum AN. II. eumque max. mod. recitat Baldinus, (Vaill. T. II. p. 315.) *at videtur nimio suspectus.*

PANNONIA.

Non exstant hujus regionis numi praeter eos, qui inscribunt: METALLI. PANNONICI., de quibus ex instituto agetur sub finem numorum Trajani commatis R.

MOESIA SVPERIOR.

Moesiae nomine unicum reperio numum vulgatum, estque is

Imperatorius Domitiani:

ΜΥΣΙΑ. *Provincia moesta humi decumbens juxta armorum congeriem.* AE. I.

Singulare istud cimelium, et quod observatu digna multa offert, ex museo olim Foucault edidere Vaillantius et Harduinus autoptae. In eo peccasse visi sunt illustres hi viri, quod Asiaticae illud Mysiae tribuere non dubitaverunt. Typum provinciae nostrae humi prostratae adstituto armorum cumulo facile quivis mihi dederit esse ejus generis, quo proponi solitae sunt regiones aut bello captae, aut armis ad obsequium revocatae, quo modo proponuntur in numis ΔΑΚΙΑ, ΙΟΥΔΑΙΑ ΑΡΜΕΝΙΑ. etc. Ex earum vero numero fuisse Mysiam Asiaticam, quis enim vero ex historia probaverit, cum eam adversus Romanos nunquam, omnium vero minime Domitiani aetate rebellasse constet, neque eo fuisse ingenio unquam comperti fuerint hi Mysi, ut facile in apertam seditionem irent. Jus ergo oblatum mihi video aliam respiciendi Mysiam, cum qua humilis iste, et inimicus typus possit connecti, eamque esse hanc ipsam Moesiam, in qua nunc sumus, spero argumentis me solidis comprobaturum. Jam primum docere supervacaneum, quod novit eruditus quisque, Moesiam a veteribus Mysiam pas-

sim dictam. Fuit haec scribendi ratio auctoribus Latinis non infrequens, Graecis fere constanter Μυσια pro Μοισια. Discriminis igitur causa, ut ne fallatur lector, dixit Dio [a]): *μεχρι της Μυσιας της ἐν τῃ Ευρωπῃ*, *usque ad Mysiam Europaeam.* Vide testimonia plura apud Cellarium. At, inquies, neque Moesiam constat imperante Domitiano excussisse jugum, et bello petitam. Non repugno, si istud intelligas de Moesis proprie dictis. Sed fuit in Moesia populus a Moesis diversus. Dio loquens de Dacis [b]), *ἐπ' ἀμφοτερα*, inquit, *του Ιστρου νεμονται, ἀλλ' ὁι μεν ἐπι ταδε ἀυτου και προς τῃ Τριβαλλικῃ ὀικουντες ἐς τε τον της Μυσιας νομον τελουσι, και Μυσοι, πλην παρα τοις πανυ ἐπιχωριοις, ὀνομαζονται. ὁι δ' ἐπεκεινα Δακοι κεκληνται, κ. τ. λ.* Daci *utramque Istri ripam occupant, quorum illi, qui cis flumen juxta Triballos habitant, ad Mysiae praefecturam pertinent, et Mysi, non tamen ab iis, qui proprie regionis indigenae sunt, vocantur; qui vero trans flumen degunt, Daci vocantur etc.* En numi hujus aenigma solutum illustri hoc testimonio Dionis, eoque tanto validiore, quia cum is in eo tractu praesidis munere fungeretur, ejus omnes causas ex vicino investigavit, perspexitque. Narrat enim, intra Mysiae fines constitisse partem Dacorum, hosque non quidem ab indigenis, sed ab externis Mysos fuisse dictos. Jam vero constat, Domitianum bellum cum Dacis gessisse, atque de his velut victis triumphasse. Verisimile, Domitianum tum Dacos Cisdanubianos adortum, eosque incommodis adfecisse, quo factum, ut haec gens tanquam bello victa in numis proponeretur, scribereturque ΜΥΣΙΑ pro ΔΑΚΙΑ, quia, ut dictum, haec Dacorum portio, quippe in Moesiae finibus posita, Mysi vel Moesi vocati sunt soliti, scilicet ab externis verorum nominum ignaris. Atqui numi, regionis victae testes, nunquam in regione victa feriri consuevere, sed a populo externo, qui adulandi causa res ab imperante bello gestas palam voluit depraedicare, ut supra in Dacia monui, quod quidem in praesente causa tanto magis est verum, quia numus Graece est inscriptus. Non enim constat, urbes Moesiae superioris Graece fuisse locutas, aut etiam earum aliquam hac jam aetate numos signasse. Haec, quae disserui, si tenenda videbuntur, unicus hic est numus Domitiani, qui belli ab eo cum Dacis gesti meminit.

A L M V M.

Huc Cl. Combius revocat numum Hunterianum: ΑΛΜΟΝΙ., neque hunc satis integrum. Periculosum videatur, numum Graece loquentem tribuere huic tractui, quem a Graecis habitatum non constat. Ex typo navis et fabrica est potius insulae cujuspiam Archipelagi.

D A R D A N I A.

Regio, et pars superioris Moesiae in meridiem sita. Numos cum capite Trajani inscriptos DARDANICI, qui huc pertinent, vide in numis *Metallorum*, qui describentur ad calcem numorum Trajani.

---

a) L. XLIX. §. 36. b) L. LI. §. 22.

PINCVM.

Numos: AELIA. PINCENSIA cum capite Hadriani vide inter eosdem *Metallorum* numos.

VIMINACIVM.

Colonia, ut creditur, a Gordiano III. deducta, cujus copiosissimi exstant numi inde ab hoc imperatore usque ad Gallienum, et quorum plena est concordia cum numis Daciae paullo ante recensitis. Fuit oppidum Istro adsitum, et creditur stetisse, quo hodie loco est oppidum *Ram.* c).

Epigraphe constans: P. M. S. COL. VIM. id est: P*rovinciae* M*oesiae* S*uperioris* COL*onia* VIM*inacium.*

Typi:

Mulier stans inter taurum et leonem. In aliis: *Mulier stans d. tenet vexillum, cui inscriptum:* VII., *humi taurus, sinistra aliud vexillum, in quo:* IV. *humi leo.* In aliis: *vexillo dexteriori superne adfixum caput Gordiani, sinisteriori Tranquillinae.* In aliis rarissimis: *Taurus et leo suis singuli vexillis insistunt.* In aliis: *Mulier stans d. leporem tenet, s. vexillum.* Sunt praeterea alii adhuc typi diversi ab citatis hoc loco, sed exiguo discriminis pretio, quos adcurate descriptos videre potes in meo Catalogo musei Caesarei, in Cl. Neumanni Numis pop. et reg., et in meis Numis vet.

Vaillantius d) et Paciaudus e) bovem ad coloniam, leonem ad populi ferociam per colonos mitigatam referunt secundum illud Paulini f): *Sic tuo mitis lupus est ovili, Pascitur concors vitulus leoni.* Ingeniosum istud magis, quam solidum. Idem enim horum animalium est sensus, quem supra in numis Daciae esse aquilae et leonis diximus. Est enim taurus symbolum legionis VII., et leo legionis IV. Id verum esse, docent primum ipsi Viminacii numi, in quorum aliquibus mulier d. vexillum tenet, cui inscriptum VII. adstante tauro, s. aliud vexillum, cui inscriptum IV. adstante leone, quin in rarissimo alio, quem edidi g), taurus et leo superne suo quisque vexillo imminet. Docent deinde hoc ipsum numi legionum Gallieni commatis Romani, in quibus perinde legioni VII. taurus, legioni IV. leo tribuuntur, quod argumentum eodem opere prolixius illustravi. Et testatur Dio h): aetate sua in Moesia superiore stetisse legionem VII. *και ἑβδομοι οἱ ἐν τῃ Μυσιᾳ τῃ ἀνω, οἱ τα μαλιϛα Κλαυδιειοι ὠνομαδαται, et Septimani in Moesia superiore, qui Claudii plerumque vocantur.* Tum et in Notitia imperii i): *praefecturae legionis VII. Claudiae Viminacio.* Quartam tamen eodem loco scribit Dio stetisse in Syria, *τεταϱτον Σκυθικον ἐν Συϱιᾳ*, sed vidimus supra in Dacia, eandem legionem V. memorari et in numis Daciae, et Heliopolis Coelesyriae, forte ejusdem legionis cohortibus per varias regiones distributis. Diximus, in horum numorum uno vexillo uni imminere caput Gordiani, alteri caput Tranquillinae, quo typo proponitur mos ve-

c) d'Anville B. L T. XXVIII. p. 434. Neumann Num. pop. d) passim in Colon. e) in Gorii Symbol. Florent. T. III. p. 233. f) Poem. 30. g) Num. vet. p. 50. h) L. LV. c. 23. i) in Moesia I.

tustus, Augustorum capita vexillis praefigendi.

AE. I. C. AE. II. III. R.

De epocha Viminacii et Daciae numis inscripta.

Viminacii et Daciae numi in segmento inferiore aerae annos constanter inscriptos ostentant sic: AN. I. II. etc. Vtriusque principium diversum, nam, ut mox videbimus, Viminacium suos computat annos ab anno V. C. 993. imperante Gordiano, et Dacia ab anno V. C. 1000 imperante Philippo. Neutrius principii causa certa et explorata. Fuere, qui annorum Viminacii principium repeterent ab itinere, quod per Moesiam instituerat Gordianus, qua occasione barbaros quoque repulerat, qui eum tractum infestum reddidere. Verum Capitolinus eam profectionem anno V. C. 995 adfigit, et anni numorum jam inde a biennio procedunt. Verisimile tantum, Gordianum dicto anno Viminacium propter situs opportunitatem ampliasse additis oppido munitionibus, et deducta colonia, necessaria tum ob barbaros vicina praedantes providentia. Constat vero etiam, Philippum, qui Gordiano successit, inde ab anno V. C. 998 usque 1000 in Moesia, Daciaque adversum Carpos Gothosque, qui has terras torrentis instar obruerunt, pugnasse. Quibus ejus virtute submotis Dacia sibi reddita, aucta colonis, munita legibus novam incepit epocham deductam ab anno V. C. 1000, quo operi universo suprema manus imposita.

Cum anni utriusque numis inscripti multum valere ad chronologicam imperatorum historiam credantur, operae pretium videtur, adjicere hoc loco tabellas, quae contineant annos cum suis imperatoribus, quotquot reperire potui.

ANNI VIMINACII.

AN. I. Gordianus . . . . respondet anno V. C.	993.
AN. II. Gordianus	994.
AN. III. Gordianus, (obvii) Philippus sen. (Noris de numo Licinii.) . . .	995.
AN. IV. Gordianus, (obvii) Philippus sen. (Noris l. c. Neumann.)	996.
AN. V. Gordianus, Philippus	997.
AN. VI. Philippus	998.
AN. VII. Philippus	999.
AN. VIII. Philippus	1000.
AN. IX. Philippus	1001.
AN. X. Otacilia. (Vaill.) Decius. (Mus. Caes.)	1002.
AN. XI. Otacilia. (Mus. Caes.) Volusianus. (Arigoni.)	1003.
AN. XII. Decius, Gallus, Volusianus. (Mus. Caes.) Aemilianus, (Arigoni.) Valerianus. (Arigoni.)	1004.
AN. XIII. Etruscilla. (Bandur.) Hostilianus, (Vaill.) Gallus, Volusianus. (Mus. Caes.)	1005.

AN. XIV. Gallus, Aemilianus, Valerianus. (Mus. Caes.) . . . . 1006.
AN. XV. Mariniana. (Mus. Caes.) . . . . 1007.
AN. XVI. Valerianus, Gallienus (Mus. Caes.) . . . . 1008.

ANNI DACIAE.

AN. I. Philippus . . . . respondet anno V. C. 1000.
AN. II. Philippus . . . . 1001.
AN. III. Philippus, Decius. (Mus. Caes.) Volusianus Aug. (Bandur.) . . 1002.
AN. IV. Decius . . . . 1003.
AN. V. Decius, Gallus, Volusianus Aug. (Mus. Caes.) . . . . 1004.
AN. VI. Gallus, (Bandur.) Valerianus, (Mus. Caes.) Gallienus. (Bandur. Neumann.) . . . . 1005.
AN. VII. Hostilianus Aug. (Vaill.) Aemilianus, (Vaill.) Gallienus. (Vaill.) . 1006.
AN. VIII. Aemilianus, (Mus. Caes. Neumann, Arigoni) Valerianus. (Mus. Caes.) . . . . 1007.
AN. IX. Valerianus. (Mus. Caes.) . . . . 1008.
AN. X. Gallienus. (Mus. Caes.) . . . . 1009.

Jure ex hoc catalogo exclusi numos Alexandri Sev. et Jul. Maesae, quos promulgavit inauditorum monstrorum praeco Goltzius: COL. VIM. AN. I. et AN. II. Istud mendacium, sed viris gravissimis male creditum movit Norisium [k]), et Valsechium [l]), ut negarent, his notis exprimi annos deductae coloniae, sed eam rem adhuc in obscuro latere profiterentur. Idem sensit etiam Tristanum secutus Patinus [m]), sed necesse illi fuit sic sentire, cum in numos commentaretur, qui, quoniam ab aetatis injuriis, ut videtur, male habiti fuere, quoscunque velis annos, et quocunque ordine obtulere. Catalogus, quem coram vides, contextus est ex numis, quos vidi ipse in museis Austriacis, quae propter viciniam Viminacii et Daciae opibus abundant, aut iis, quos recensent catalogi, quorum apud nos major auctoritas. Secundum propositam hanc seriem apparet sane, cum secundum succedentes sibi imperatores crescant numeri inscripti, hos veram habere rationem epochae, etsi nonnulli alienam stationem temere insedere, ut dicetur.

Epocham Viminacii ducendam ab anno A. C. 993, demonstratur ex numis AN*no* V. notatis, qui communis est tam Gordiano, quam Philippo. Cum igitur constet, annum V. C. 997. fuisse postremum Gordiani, et primum Philippi, hicque in Viminacii numis dicatur annus V., necesse est, primum hujus coloniae annum respondere anno V. C. 993. Eodem modo, cum in numis Daciae cum Philippi, tum Decii

k) Diss. de num. Licin. c. 6. l) de trib. pot. Elag p. 42. m) Numi. impp. in Gordian.

legatur AN*nus* III., fueritque annus V. C. 1002 illius postremus, hujus primus, probatur, Daciam annos suos supputare coepisse ab anno V. C. 1000. Idem probat etiam annus V. communis cum Decio et Gallo.

Quaeri potest, coeperitne utriusque populi annus in autumno more orientalium, an Kalendis Jan. more Romanorum? Posterius multo magis verisimile, quoniam Romanorum coloni materno etiam instituto sese adcommodaverint. Hoc eorum institutum etiam ex numis commode probatur. Si annus I. aerae Viminacii coepisset in autumno V. C. 993, sic ut deinceps singulis autumnis fuisset iteratus, sequeretur, annum V. incepisse in autumno V. C. 997. At copiosi sunt Gordiani numi cum anno V., qui tamen primis mensibus anni 997. caesus jam est. Neque dici potest, annum I. Viminacii coepisse forte in autumno V. C. 992, et deinceps per singulos autumnos iteratum. Nam in hac sententia annus X. incepisset in autumno V. C. 1001, et exivisset in autumno 1002. Certum est, toto hoc tempore, quod secundum hanc legem annus X. occupat, imperasse adhuc Philippum, et tamen promulgati sunt numi, qui Decium cum anno X. conjungunt. Item coepisset tum in autumno anni V. C. 1004 annus XIII. Viminacii. Gallus ante exeuntem Novembrem ejus anni imperium non obtinuit, et tamen in ejus numis legitur annus XII. Eodem modo ex numis Daciae cum anno III. et capitibus Philippi et Decii, item cum anno V. et capitibus Decii et Galli probatur, hujus quoque annos Kalendis Jan. iterari solitos.

Ceterum quanta in his Daciae et Viminacii numis regnet perversitas, dum imperatoribus tribuuntur anni, alieni certe, si ex indicato principio sunt deducendi, facile ex propositis catalogis potest intelligi. Numos adeo discordes, quique eruditissimo cuique nullo pacto domari posse visi sunt, tamen ut certis legibus vinciret, rationem se reperisse autumabat eruditus Mazzolenus [n]. Duo utrique populo statuit fuisse aerae exordia, sic ut Viminacio unum fuerit, et in plerisque ejus numis conspicuum ab anno V. C. 993, alterum minus usitatum ab anno 995, Daciae principium maxime usitatum ab anno V. C. 1000, alterum rarius adhiberi solitum ab anno 1002. Ne vero multiplices hae aerae incredibiles videantur, jubet respicere Antiochiam, Sinopen, aliasque urbes, quae ipsae quoque variis epochis a vario capite derivatis usae sunt. Non vereor adfirmare, quantumcunque sibi in singulari hoc suo invento plaudat Mazzolenus, sententiam hanc ne probabilis quidem conjecturae laudem mereri. An enim verisimile, hanc annorum confusionem in utroque populo publica lege stabilitam, et in monumenta publica inductam? Exstant numi Viminacienses Philippi, quorum uni, sed rari, inscripti AN. IIII., alii frequentes AN. VI. Quoniam annus IV. Viminacii, si hic ab anno V. C. 993. deducatur, in imperium Philippi non porrigitur, eum Mozzolenus ab anno V. C. 995 derivat. Ergo eodem anno V. C. 998.

---

n) de trib. pot. p. 162, et 173. o) l. c. p. 162.

Viminacii signati sunt numi cum anno IV., alii cum anno VI. An istud sibi quis persuaserit? Eodem modo cum Valerianus nondum imperaverit anno Daciae VI., si hic ab anno V. C. 1000. deducatur, necesse est, ait, hunc deduci ab anno 1002. Sed hoc ipso anno copiosos habemus Valeriani numos inscriptos AN VIII., ergo eodem anno signati sunt in Dacia numi cum anno VI. et VIII.? Quid quod tertiam etiam aeram, si Mazzolenum sequare, possis elicere. Refert Bandurius numum Volusiani jam Augusti percussum in Dacia cum anno III. Dictante Mazzoleno ducendus hic numus ab altero epochae principio V. C. 1002, ergo numus hic signatus est V. C. 1004, quo tamen anno Volusianum jam Augustum vix probaveris. Sed nolo longius urgere virum eruditum; nam si opus est, etiam in tertiam Viminacii aeram inclinat, ut ipse profitetur p). Inique vero idem vir clarissimus Antiochiam, Sinopen, Amisum etc. obtendit, quae singulae variis essent epochis usae, nam non de hoc, sed utrum uno eodemque tempore in monumentis publicis variae adhibitae sint aerae, eaeque biennii tantum intervallo distantes, hoc loco quaeritur. Quod si in nonnullis urbibus plures una epochae in usu fuere, plures etiam numis inscripsere, ut Ascalone factum observamus. Ceterum praetensam urbium inconstantiam, atque intra breve tempus ab una epocha ad aliam transitum, atque iterum reditum, quem non pauci viri insignes perperam adfinxere, copiose per hoc opus impugnatum reperies, etsi aliquot urbes, ceu Apamea, Seleucia, Tripolis ab inconsulta hac levitate absolvi non possint.

Refutatis his superest quaerere, cum in Viminacii ac Daciae numis observemus annos, qui spectato epochae principio non incidunt in imperium ejus, cujus capiti juncti sunt, quamnam esse hujus dissidii causam existimemus. Eam sane ab una rerum omnium hoc aevo perturbatione profectam puto, cum barbari in hoc tractu, ut ex historia imperatorum constat, ferrent omnia raperentque, nihilque legibus ordinariis peragi paterentur. Quare defectu matricum, quae in tempus quadrabant, veteres in scriniis repositas ad fallax obsequium revocavere, quod sane sese ita habere ex ipsis erroribus non obscure potest colligi. Nam vix reperies in omnibus his numis notari annum, qui esset posterior imperio ejus Augusti, cum quo jungitur, sed annos semper anteriores observaveris, manifesto argumento resumptae veteris matricis. Ita Viminacium tibi dabit annos III. et IIII. in Philippo, annum XI. in Volusiano jam Augusto, annum VI. in Valeriano et Gallieno, qui sunt anni principum praecedentium. Non moror numum Viminacii cum anno XIII. in Etruscilla, qui annus est imperio mariti Decii posterior, nam eum Bandurius ex Vaillantio recitat, eumque ipse non vidit, et ipse praetensam hanc Vaillantii lectionem in dubium vocat. Neque moror etiam numum Daciae cum anno VII. in Hostiliano, cujus patrem Decium jam ante hunc Daciae annum occubuisse constat. Nam ab hoc ipso numo confir-

p) l. c p 162

matur etiam, quod refert Victor uterque et Zosimus, Hostilianum caeso patre aliquamdiu cum Gallo imperasse. Ceterum arctior esset haud dubie mendacium in his numis annorum catalogus, si omnes hactenus editi alterum examen subirent. Sane in museis Austriacis, quae utriusque populi numis ad fastidium referta sunt, complures ex iis videre non licuit, quos sibi visos professi sunt alii. Denique ex hactenus dictis satis apparet, Viminacii ac Daciae numos propter tot fallaces annorum numeros ad chronologicam imperatorum historiam nequaquam tantum adferre subsidii, quantum non paucis viris eruditis visum.

Ex annis Viminacii rarissimus est ANnus X., sic ut timide ambigat Neumannus, utrum is revera in Viminacii moneta existat q), etsi aliquot cum hoc anno promulgaverit Vaillantius. Vnicus Decii est in museo Caesareo, in quo eum esse annum scriptum, nonnihil fidenter possim adfirmare. Quanta adeo fides sit habenda Panelio, qui annum X. reperit non modo in numis utriusque Philippi, sed et Decii, Etruscillae, Herennii, et Hostiliani r) suapte patet.

MOESIA INFERIOR.

CALLATIA

Ad Euxinum, condita ab Heracleotis Ponti, ut tradidere Strabo, Scymnus, et Memnon apud Photium.

Autonomi.

Epigraphe: K. solum. (Neumann.) ΚΑΛ. ΚΑΛΛΑΤΙ. ΚΑΛΛΑΤΙΑΝΩΝ.

Typi:

ΚΤΙϹΤΗϹ. *Caput Herculis.* (Pellerin, Mus. Caes.) Is nimirum per Heracleotas urbis conditor est habitus, ac propterea in aversa numorum hujus urbis habes saepe ejus attributa, *pharetram*, *clavam*, *arcum.* (Mus. Caes.) In numo simili apud Goltzium et male legitur ΚΑΛΑΤΙΑΣ, et male tribuitur Galatiae.

In aliis: *Cupido leone vectus s. facem.* (Pellerin.) *Delphinus clypeo adfixus.* (Ibid.) *Clypei plures in orbem dispositi, ceu in numis Macedonum,* (Neumann.) sed habetur idem quoque typus in moneta Paesti Lucaniae, et Philadelphiae Lydiae. *Duo equites,* (Theupoli.) haud dubie Dioscuri magnae per Pontum famae. *Spicae aut solae, aut juxta alium typum. Cybele sedens.* (Mus. Caes.) Singularis est in Hunteriano ΦΙΛ. ΚΑΛ. *Clava.* Quae sit significatio τȣ ΦΙΛ. ignoro. Cl. Combius *Philocaleam* Ponti indicari censet.

AR. RR. AE. RR.

Imperatorii.

A Faustina jun. et Lucilla, quarum numi sunt apud Arigonium, et in museo Caesareo, usque ad Philippum jun.

Typi obvii variorum numinum. Insignior est: *Hercules aprum Erymanthium gestans.* (Mus. C. Vitzai.)

Literae solitariae: E. in Pellerinianis et in citato Vitzaiano, Γ. in autonomo Theupoli. Id genus literas frequenter in

q) Num. pop. P. II. p. 127. r) in num. Treboniani.

aversa numorum Moesiae et Thraciae intuebimur, quas esse monetariorum notas verisimile est, ut videbimus.

AE. RR.

DIONYSOPOLIS.

Ad Euxinum. A Plinio Thraciae inseritur, dicta primum Cruni, deinde Matiopolis, denique cum e mari appulsa esset Bacchi statua, Dionysopolis, ut narrat auctor anonymus peripli Euxini.

Autonomi.

Hoc nomine inscripti aliquot recensentur, verum non ausim definire, utrum huic prae altera Phrygiae sint tribuendi. Juvat tamen eos hoc loco recensere. Quibus id genus numi praesto sunt, ex fabrica augurium captent.

Caput muliebre velatum. X ΔΙΟΝΥΣΟΠΟΛΙΤΩΝ *in corona spicea.* AE. III. (Theup.) ΔΙΟΝΥϹΟΠΟΛΙΤѠΝ *intra quernam. (Pembrock.)*

Caput Sarapidis. X ΔΙΟΝΥΣΟΠΟΛΕΙΤѠΝ. *Mercurius.* (la Mortraye Voyage T. II. tab. 7.)

Caput muliebre, retro thyrsus. X ΔΙΟΝΥΣΟΠΟΛΙΤΩΝ. *Bacchus stolatus stans d. cantharum, s. thyrsum.* AE. II. (Mus. Caes.) Fabrica potius in Phrygiam invitat.

Caput Bacchi. X ΔΙΟΝΥϹΟΠΟΛΕΩϹ. *Typus priori fere similis.* AE. Numum hunc Panelius Phrygiae tribuit. (Num. Cistoph. p. 39.)

AE. RRR.

Imperatorii.

A Severo usque ad Gordianum eadem inscriptione, typis variis, et obviis.

Literae solitariae: B. *(Vaill. in Sev.)* Δ. (Mus. Caes.) quos more suo Vaillantius annos imperii putat. Ii, in quibus hae notae reperiuntur, absque dubio hujus sunt Moesiae urbis.

AE. RR.

ISTRVS.

Ad Euxinum, primo Istri ostio vicina, a quo et nomen accepit. Varie a veteribus scribitur, ut videre est apud Cellarium. Fuisse Milesiorum coloniam docent Strabo, Scymnus, Plinius. Cum πολίχνιον eam vocat Strabo, loquitur de sua aetate; nam fuisse olim potentem, testatur Ammianus [s]), et confirmant residui copiosi numi argentei, et aurei nonnulli.

Autonomi.

Epigraphe: ΙΣΤΡΙΑ. etiam retrograde, et ΙΣΤΡΙΗ., quae sunt posita pro ΙΣΤΡΙΑΝΩΝ et ΙΣΤΡΙΗΝΩΝ.

Typi perpetui: *Capita duo juvenilia in diversum spectantia.* X *Aquila piscem depascens.*

Haec capita Vossius censet esse fluvii Istri, qui olim credebatur binis meatibus in mare exire, uno in Euxinum, altero in Adriaticum; nam ostia Graecis et Latinis dicta fuere capita [t]). Begerus ad urbis situm, qua finitur Europa et Asia, refert. Cl. Wise capita Dioscurorum putat. Haec enim sidera nautis salutaria, et praeter-

s) L. XXII. t) Observ. ad Melam p. 125

ea eorum fatum secundum Pindarum [u]): μεταμειβομενοι δ' εναλλαξ αμεραν ταν μεν παρα πατρι φιλῳ Διϊ νεμονται, ταν δ' ὑπο κευθεσι γαιας, *per vices diem unum apud patrem charum Jovem habitant*, *alterum sub profunda terra*, hoc symbolo putat indicari. Quae postrema conjectura non modo summe est ingeniosa, verum etiam propterea verisimilis, quia singularis fuit in Ponti urbibus Dioscurorum cultus, quem numi ipsi satis manifestant.

Literae solitariae in area, ut: A. Λ. O. X: etc. monetariorum discrimina.

AV. apud Begerum et Pellerinium RRRR. AR. C. AE. RRR.

Imperatorii.

Caracallae et Alexandri Sev. (Vaill. Arigoni.)

Epigraphe: ICTPIHNΩN. *Typus* insignior: *Serapis eques*, *humi lapis quadratus*, *aut arula*.

AE. RRR.

MARCIANOPOLIS.

Aliquanto a mari remotior, sic vocata a Marciana Trajani sorore, ut testantur Ammianus, et Jornandes, qui posterior ejus exstruendae occasionem prodidit [x]). Filiae Matidiae nomine conditam urbem *Matidianopolin*, atque etiam numum reperit solus Goltzius.

Autonomi.

ΜΑΡΚΙΑΝΟΠΟΛΙC. *Caput muliebre turritum.* X ΜΑΡΚΙΑΝΟΠΟΛΙΤΩΝ. *Cybele sedens d. pateram.* AE. III. (Mus. Caes. Pellerin.)

Similem multo ante edidit Haymius [y]), sed cum in antica aliud non legeret, quam ΜΑΡΚΙΑ., caput anticae esse Marcianae ipsius credidit, quod tamen est genii urbis exemplo aliarum urbium.

AE. RRR.

Imperatorii.

Abundant a Severo ad Philippos usque.

Epigraphe constans: ΜΑΡΚΙΑΝΟΠΟΛΙΤΩΝ, vel: ΜΑΡΚΙΑΝΟΠΟΛЄΙΤΩΝ.

Typi ut in tanto numero eximie varii et etsi fere obvii, tamen mythologiam praeclare juvant. Illustriores sunt:

ΑΓ. ΤΥΧΗ. *Aequitas stans*, in numo Elagabali. (Vaill.)

ΟΜΟΝΟΙΑ. Vide infra in *Concordia*.

* * *

Magistratus frequens in his numis mentio. Notatur praefixo Υ. vel ΥΠ. nempe ὑπο. Raro ejus potentia adscribitur, quem fuisse ἡγεμονα, *praesidem*, conjici forte potest cum ex numo rarissimo, quem certa lineamenta Caracallam faciunt, tum pluribus aliis Alexandri hunc titulum praeferentibus; at in his non scribitur ΗΓЄΜονος, ut in aliarum urbium numis, sed ΗΓȣΜ. ΤЄΡЄΒЄΝΤΙΝΟΥ, quod positum pro ΗΓȣΜενȣ ab ἡγȣμαι, *praesum*. In numo simili Vaillantius legit: ΗΓ. Μ. ΤЄΡЄΒЄΝΤΙΝΟΥ, sed quam proposui lectionem luculentam exhibet numus si-

u) Nem. Od. X. x) in Getic. c. 16. y) T. II. p. 270.

milis musei Caesarei. Sed vide, quae de hoc magistratu disseram in proxima Nicopoli. Fuere autem inscripti magistratus:

Sub Severo: ΦΛ. ΟΥΛΠΙΑΝΟΥ. — ΦΑΥΣΤΙΝΙΑΝΟΥ.—Κ. ΓΕΝΤΙΑΝΟΥ. —Λ. ΚΥΙΝΤΙΛΙΑΝΟΥ. — ΑΥΡ. ΠΟΝΤΙΑΝΟΥ. — ΑΥΡ. ΑΠΠΙΑΝΟΥ. — Sub Caracalla: ΑΥ. ΓΑΛΛΟΥ — ΚΥΙΝΤΙΛΙΑΝΟΥ. — ΗΓȣΜ. ΤΕΡΕΒΕΝΤΙΝΟΥ. — Sub Macrino: ΠΟΝΤΙΑΝΟΥ. — ΑΓΡΙΠΠΑ. — Vide de hoc in proxima Nicopoli. — Sub Elagabalo: ΙΟΥΛ. vel ΙȣΛ. ΑΝΤ. ΣΕΛΕΥΚΟΥ. — ΣΕΡΓ. ΤΑΤΙΑΝΟΥ. — ΤΕΡΕΒΕΝΤΙΝΟΥ. — Sub Alexandro: ΤΙΒ. ΙΟΥΛ. ΦΗΣΤΟΥ. — ΗΓȣΜ. ΤΕΡΕΒΕΝΤΙΝΟΥ. — ΦΙΡ. ΦΙΛΟΠΑΠΠΟΥ. — Ιȣ. ΓΕΤȣΛΙΚ. — Sub Gordiano: ΤΕΡΤΥΛΛΙΑΝΟΥ. — ΜΗΝΟΦΙΛΟΥ. Sub Philippo: Τ. ΜΕΣΣΑΛΑ. — Λ. ΚΥΙΝΤΙΛΙΑΝΟΥ.

* * *

Concordia notatur in praestante numo max. mod. Gordiani: ΟΜΟΝΟΙΑ. *Gordianus togatus stans dexteram jungit cum muliere capite turrito adstante.* (Mus. Caes.) Ex ipso typo liquet, indicari ὁμονοιαν urbis cum imperante.

* * *

Litera solitaria Ε, qua annum V. imperii indicari ait Vaillantius z). Verum cum ea, neque alia, in omnium fere imperatorum numis reperiatur, mirum sane, unum hunc annum a Marcianopolitis monetae insertum. Ad haec cum idem Ε obvium sit in Macrini quoque numis, qui altero imperii anno caesus est, certi sumus, annum imperii notare non posse, sed esse notam monetarii, ut in plerisque hujus tractus numis.

AE. C.

NICOPOLIS.

Mediterranea ad Istrum, et Iatrum in hunc exeuntem secundum Jornandem a). Condita a Trajano, indicium victoriae Dacicae, ut ait Ammianus b).

Autonomi.

Non exstant, dempto unico, qui simul concordiam notat, quem sic describit Motrayus: (Voyage T. I. tab. 14. n. κζ.)

ΝΙΚΟΠΟΛΙ. ΠΡΟΣ. Ι. *Mulier stans d. pateram, s. cornucopiae.* Ӿ ΑΔΡΙΑΝΟΠΟΛΕΙΤΩΝ. *Luna et astrum.* AE. III.

AE. RRRR.

Imperatorii.

Horum primus a Vaillantio, Morellio c), et in museo Theupoli recensetur cum capite ipsius conditoris:

ΑΥΤΟΚ. ΚΑΙΣ. ΤΡΑΙΑΝΟΣ. ΣΩΤΗΡ. ΤΗΣ. ΠΟΛΕΩΣ. *Caput laur.* Ӿ ΝΕΙΚΟΠΟΛΙΣ. *Victoria gradiens.* AE. II.

At enim hic numus est forte Nicopoleos Epiri.

Sequitur apud Vaillantium alter Hadriani. In museo Caesareo his numis locuplete primus est Commodi, reliqui usque ad Gordianum magno numero excurrunt.

---

z) In Gordiano. a) in Getic. b) L. XXXI. c. 16. c) Spec. p. 213.

Epigraphe: ΝΙΚΟΠΟΛΙΤΩΝ, rarius ΝЄΙΚΟΠΟΛΙΤΩΝ, addita Istri mentione, de qua infra.

Typi insigniter variant argumentis plerumque mythologicis. Ex his unus memorandus videtur:

ΒΟΥΛΗ. ΔΗΜΟϹ. *Senatus, populus. Pastor rupi insidens dexteram supra caput attollit, s. pedum, pro pedibus canis, pone arbor,* in numo Domnae. (Vaill.)

Mirus nexus pastoris cum senatus populique epigraphe.

* * *

Magistratus in numis II. formae plerumque inscribitur praefixo Υ. vel ΥΠ. Sunt vero.

Sub Severo, Caracalla, Geta: Α. ΑΥΡ. ΓΑΛΛΟΥ. — ΦΛΑΟΥ. — ΟΥΑΠΙΑΝΟΥ. — Λ. ΟΟΥΙΝΙ. ΤЄΡΤΥΛΛΟΥ. (Mus. Caes.) ΑΠΟΛΛΥϹ. (Theup.)

Sub Macrino et Diadumeniano: ΑΥΡ. ΛΟΝΓΙΝΟΥ. — ϹΤΑ. vel ϹΤΑΤΙ. vel ϹΤΑΤΙΟΥ. ΛΟΝΓΙΝΟΥ. — ΑΙ. ΠΟΝΤΙΑΝΟΥ. — ΚΛ. ΚΥΙΝΤΙΛΙΑΝΟΥ. — Κ. vel ΚΛΑΥ. ΑΓΡΙΠΠΑ. — ΜΑΡΚ. ΑΓΡΙΠΠΑ. Hunc Agrippam Froelichius [d]) eundem putat, de quo Dio in fragmentis a Falcone editis: *Marcium Agrippam* Macrinus *in Pannoniam primum, deinde in Daciam cum praesidis potestate* (ἡγεμονευσαντα) *misit.* Fuisse eum conscium caedis Caracallae a Macrino patratae tradit Spartianus: *non ignorantibus Marcio Agrippa, qui classi praeerat.*

Sub Elagabalo: Α. ΝΟΒ. vel ΝΟΒΙΟΥ. ΡΟΥΦΟΥ. vel ΡΟΥΦȣ. Vaillantius et Froelichius numos hoc magistratu inscriptos promiscue tribuerunt jam Caracallae, jam Elagabalo. Cum caput in his numis sit admodum juvenile, si essent Caracallae, fuissent signati vivo adhuc Severo, ac tum mirum foret, non exstare numos Severi, Domnae, Plautillae, Getae cum eodem magistratu etsi in Nicopolis numis saepe prodito, ut revera non exstant. Et vero etiam lineamenta Elagabalum facile probant.

Sub Gordiano: ϹΑΒ. ΜΟΔЄϹΤΟΥ.

Quaeri jure potest, utrum varia haec nomina, quae tam hujus Nicopolis, quam praecedentis Marcianopolis monetae inscripta leguntur, indicent magistratum domesticum, an ἡγεμονα, sive totius provinciae praesidem. Pro hoc praeside valida hercle sunt argumenta, I. Fl. Vlpianus, Pontianus, Agrippa inscripti quoque sunt numis Marcianopolis, et quidem sub iisdem imperantibus, unde sequitur, fuisse eos magistratum, cujus potestas latius in provinciam porrigebatur, quod magistratui domestico non convenit. II. Paullo supra in Macrini numis vidimus Marcium Agrippam, et revera hoc nomine praesidem ab eodem Macrino in Pannoniam, Daciamque missum diximus, cum qua forte tum Moesia conjuncta fuerit. At contra est I., quod ἡγεμονες nunquam sibi praepositionem ΥΠΟ praefixere, posito semper absolute v. g. ΗΓЄ. ΤΟΥΛ. ΜΑΞΙΜΟΥ. Verum istud levius, merique, ut videtur, res arbitrii. II. quod multo pugnat validius: si his nominibus vere notaren-

d) IV. Tent. p. 293.

tur praesides, sequeretur, sub Macrini imperio, quod nonnisi annum, et menses duos duravit, quinque varios fuisse praesides, quia totidem varios cum hujus, filiique capite numis inscriptos habemus, et forte his adhuc plures, quia nondum omnes nobis Nicopolis numi cogniti sunt. Verum est, idem argumentum pugnare etiam contra magistratum domesticum, atque ut verum fatear, nondum reperi, quo pacto difficultatem hanc expediendam putem.

Mentio situs ab adluente urbem Istro sic: ΠΡΟC. I. IC. ICT. ICTP. ICTPO. ICTPON. etiam ΠΡΟC. ICTPΩ., quo addito facile ejus numi a numis aliarum urbium eodem nomine praeditarum dignoscuntur. Ad quod discrimen confert etiam, quod nullus numus, qui Trajano prior sit, huic possit Nicopoli tribui.

AE. C.

T O M I.

Ad Euxinum versus Istrum, ab Ovidii exilio celebres.

Autonomi.

In horum vetustioribus, quantum ex fabrica apparet, est epigraphe: TOMI. In his typi: *Equi duo medio corpore imminente unicuique astro.* (Pellerin. Mus. Caes.) *Aquila fulmini insistens inter duos pileos Dioscurorum.* (Mus. Caes.) Ex posteriore hoc numo apparet, etiam equos numi prioris esse Dioscurorum, satis jam alias eorum per Pontum cultu cognito.

Recentioris aetatis sunt inscripti: TOMITΩN. TOMEITΩN. TOMITHNΩN. (Pellerin, Mus. Caes.)

TOMCC. vel: TOMOC. KTICTHC. vel: TOMOΥ. HPωOC. *Caput Tomi laureatum, rarius diadematum.* (Mus. C.)

Docent hi numi, creditum Tomitanis, Tomum quempiam, de quo tamen altum apud veteres silentium, fuisse urbis suae conditorem. Forte is dux fuit coloniae Milesiae in hanc oram profectae; nam Ovidius hanc urbem *Milstida* vocat [e]), et alio loco [f]):

Huc quoque Mileto missi venere coloni.

Verum istud non conspirat cum verbis ejusdem Ovidii narrantis eodem loco, urbi nomen inditum, quod illic Medea, quo insequentem patrem moraretur, fratrem Apsyrtum in frusta dissecuit, in qua sententia fuere etiam Apollodorus et Stephanus. Variavit igitur Tomitanorum opinio de urbis suae origine.

* * *

ЄPMOΓЄNOΥ. *Protome Palladis.* ☓ TOMITHNΩN. *Amazon eques.* AE. II. (Pellerin.)

Patet ex hoc numo, etiam Amazonum historiam cum Tomis connexam, etsi nullo istud auctore nobis cognitum.

* * *

Magistratum, sed nulla dignitatis mentione, et raro inscripsere numis. ЄPMOΓЄNOΥ mox vidimus. ΘЄOΦI. in numo musei Caesarei.

AE. R.

---

e) Trist. I. eleg. 9. f) Trist. III. eleg. 9.

Imperatorii.

Exstant a Trajano usque ad Philippos secundum Vaillantium et Pellerinium, Tiberii unum reperit Sestinus g).

Epigraphe simpliciter ΤΟΜΙΤΩΝ usque ad Aurelium, deinde ΤΟΜΕΩC additis titulis, de quibus mox.

Typi nihil memoratu dignum offerunt.

Metropolis et mentio situs: ΜΗΤΡΟΠ. ΠΟΝΤΟΥ. ΤΟΜΕΩC. fere constanter inde ab Aurelio, sed *το* ΜΗΤΡΟΠ. jam legitur in numo Antonini musei Theupoli. Ergo ab hoc videtur metropoleos dignitatem nacta, forte tum, quando Tauroscythas Olbiopoli infestos missis auxiliis repressit, ut refert Capitolinus. Singularis est inscriptio in numo Mamaeae: ΤΟΜΕ. ΠΟΝΤ. (Pellerin Mel. II. p. 186.) Additur verbum ΠΟΝΤΟΥ, quod urbs Ponto adsita esset, non quod is tractus Pontus proprie vocaretur, quo nomine aliquot Asiae minoris provinciae Euxino adsitae vocatae fuerunt. Ex eadem causa etiam Apollonia Thraciae addit: ΕΝ. ΠΟΝΤΩ.

Neocoratus notatur in unico Domnae: ΜΗΤΡΟΠ. ΠΟΝΤΟΥ. ΝΕΩΚ. in area Δ., (Pellerin.) in quo, etsi urbis nomen desit, tamen satis per reliquum epigraphes modum, et literam Δ Tomi indicantur.

Navarchis. Hunc illi quoque honorem accessisse docet insignis numus Caracallae: ΜΗΤΡΟ. ΝΑΥ. ΠΟΝ. ΤΟΜΕΩC. (Pellerin Suppl. II. p. 56.)

Literae solitariae. In area plerumque visitur solitarium Δ. Vaillantius in explicandis his literis peracutus, at fere semper infelix, illo notari ΤΕΤΑΡΤΗΣ putat, quasi Tomi quarta fuissent metropolis Ponti, cum in Ponto Asiae minoris jam tres essent, Nicomedia, Amasia, et Neocaesarea h). Verum in museo Caesareo servantur numi Aurelii, et Tranquillinae, apud Pellerinium Plautillae, in Theupoli Otaciliae cum litera Γ. Qui obtusiore sumus ingenio, harum literarum sensum nos ignorare profitemur, et inter notas monetariorum solito ac percommodo effugio amandamus. Tamen illustrius quiddam illis indicari, verisimile facit numus Alexandri apud Arigonium, in quo litera Δ ipsi templi fronti inserta est.

AE. C.

THRACIA.

Amplae hujus regionis moneta pro varia urbium aetate ac situ variae est naturae. Quae mari Aegaeo, Propontidi, Ponto adsitae fuere, pleraeque coloniae Graecorum, et pervetustae famae, quales sunt Abdera, Aenus, Maronea, atque etiam vicina insula Thasus, remotissimo aevo copiosos et lautos ex argento numos signavere, Thracia mediterranea tum adhuc barbara, et egenis regibus serviente. Post Alexandri M. mortem eam sibi vindicavit Lysimachus, cujus poten-

g) Lett. T. IV. p. 91.

h) Num. Graec. p. 209.

tiam ac opes in hunc diem testantur numi frequentes aurei argenteique pondere suo conspicui. Ab ejus morte Thracia lacerata a Gallis advenis, subinde reges iterum indigenas, atque hos demum Romanis obnoxios habuit, dum ab his in provinciam redigeretur. Quo istud tempore contigerit, vetus est inter eruditos dissidium. Alii factum istud a Claudio statuunt, secuti Eusebii Chronicon, ejusque adseclam Syncellum, alii a Vespasiano, quia de hoc Suetonius: [i]) *item Thraciam*, *Ciliciam*, *et Commagenen ditionis regiae usque ad id tempus*, *in provinciarum formam redegit*, sed quo loco non pauci viri praestantes pro *Thraciam*, *Ciliciam*, legendum putant: *Tracheam Ciliciam*, nam constat, Ciliciam divisam fuisse in Campestrem, et Tracheam, sive asperam. At enim Suetonii lectionem vulgatam de Thracia a Vespasiano in provinciam redacta confirmat quoque Eutropius, ejusque metaphrastes Graecus Paeanius. Vide de hac lite plura in eruditorum ad hunc Suetonii locum commentariis. Eustathius in suis ad Dionysium notis bis narrat Vespasianum Thraciam ab Europa separasse [k]). Quod deinde fuerit ejus regimen politicum, non satis constat. Scribit Plinius junior [l]), Byzantios misisse annuum legatum ad eum, qui Moesiae praeest, publice salutandum. Ex quo conjici potest, Thraciam tum cum Moesia fuisse conjunctam, ut revera docuit Dio, antiquitus binis vel ternis provinciis unum praefuisse [m]). In eadem epistola narrat Plinius, coercitos a se Byzantiorum sumptus, qui singulis annis legatum Romam miserant ad salutandum principem, unde colligi posset, Thraciam tum sub Bithyniae rectore stetisse, quia tum Plinius Bithyniam cum Ponto rexit. At enim verisimile est, Plinium non potestate ordinaria rexisse Bithyniam, sed legatum potestate extraordinaria a Trajano ad inspiciendum urbium statum illuc missum, ut dicetur in prolegomenis ad numos Bithyniae. Quare fieri poterat, ut ejus imperium ad nonnullas etiam Thraciae urbes tum pertineret. Sub Trajano et Hadriano conditae urbes, a conditoribus, eorumque familia nomen nactae, ut Trajanopolis, Plotinopolis, Hadrianopolis, quae essent praesidio adversum barbaros, jam tum a Boreali tractu imperio metuendos. Numi Bizyae, Perinthi, Philippopolis sub Trajano, Hadriano, Antonino cusi legatos Augusti pro praetore inscribunt, nimirum quia Thracia fuit Augustorum provincia. Dicuntur in numis vel πρεσβευται simpliciter, vel πρεσβευται και αντιστρατηγοι. Sed factum sub Antonino, ut deinceps Thraciae rectores non amplius πρεσβευται in numis vocarentur, sed ἡγεμονες, *praesides*. Vaillantius quidem jam Domitiani numum Anchiali signatum prodidit, qui Ap. Claudium Martialem ἡγεμονα appellat, sed vereor, ut ejus numi testimonio stari possit, quem is ex Leon. Augustino auctore non satis idoneo citat. Idem praeses exstat in binis numis Serdicae musei Caesarei, sed cum capite L. Veri. Cur eos, qui antea dicti sunt legati,

i) Cap. 8. k) ad v. 270. et 323. l) L. X. epist. 52. m) l. LIII. §. 12.

subinde, et constante quidem lege, appellare libuerit ἡγεμονας, incertum sane. Sed de his praesidibus commemorare hic plura non libet, quia de iis ex proposito agetur alibi. (Vol. IV. p. 224 seqq.)

* * *

Totius gentis nomine binos edidit Vaillantius cum capite Caracallae: ΚΟΙΝΟΝ. ΘΡΑΚΩΝ., quos signatos fuisse apud Philippopolin, ex hujus numis patebit.

ABDERA.

Ad mare Aegaeum, urbs Thraciae olim potentissima, atque ut ab incolarum stupore, ita a viris nonnullis insignibus, Democrito, Protagora, aliisque famigerata. Testibus Mela et Solino eam condidit Abdera Diomedis soror, regis in hoc tractu ab immanitate cogniti. Secundum celebre monumentum Herculeum, quod post alios vulgavit Marinius [n]), ΠΟΛΙΝ. ΑΒΔΗΡΑΝ. ΕΠΙ. ΘΡΑΚΑΣ. ΗΡΑΚΛΗΣ. ΩΚΙΣΕ., *urbem Abderam Thraciae Hercules condidit*, nempe cognominem Abdero Thronici F. Vide et Apollodorum [o]), et Philostratum [p]). At verum conditorem ex historia mox dabimus.

Autonomi vetustiores.

Procedant primum ii, qui Abderae nomen dissimulant:

Gryphus in occasum versus, in area ΑΣΠΑ. *vel* ΗΡΟ. Ⅹ *Quadratum in* 4 *partes sectum.* AR. I. (Hunter in numis Teii Ioniae.)

Eadem adversa Ⅹ *Dicta in quadrato, quod continetur in majore altero, cui inscriptum* ΑΡΤΕΜΩΝ *addito hederae folio.* AR. I. (Ibid.)

Eadem adversa. Ⅹ ΑΝΑΞΙΠΟΛΙΣ. *Quadratum, intra quod figura gradiens d. pateram praefert.* AR. I. (Pellerin.)

Eadem adversa. Ⅹ ΕΠΙ. ΠΡΩΤΩ. *Quadratum, intra quod tres spicae.* AR. III. (Pellerin.)

Gryphus et Abderae nostrae, ut ex proximis numis videbimus, et Teii Ioniae, quae illius fuit metropolis, perpetuus est typus. Difficile adeo est definire, cum in descriptis modo numis nomen urbis non addatur, utri eos jure tribuendos putemus. Cl. Combius priores duos Tejis tribuendos duxit. Mallem tamen eos vocare Abderam, quia numi Maroneae vicinae et Aeni spectatis omnibus causis simillimum habent modum. Ad haec ingeniose conjecit Neumannus noster, videri Tejis tribuendos numos, in quibus gryphus orientem respicit, Abderae, in quibus is in occasum vertitur, et fateor, in numis iis, qui se adscripto urbis nomine distinguunt, experimentum istud raro fallere. Ejus adfine exemplum praebent etiam in moneta sua Apollonia et Dyrrhachium. Abderitae gryphi typum ex metropoli Teo petivere, unde et ejus causa petenda. Ceterum Teji, cum ferre nollent Persarum contumelias, Abderam concessere, unde dictum: Αβδηρα καλη Τηιων αποικια, *Abdera pulchra Tejorum colonia*, de qua Tejorum fortuna vide Strabonem et Herodotum.

---

n) Iscriz. Alb. p. 150. o) L. II. c. 4. §. 8. p) Icones L. II. c. 25.

* * *

Gryphus sedens. ✕ *Quadratum incusum.* AR. (Mus. Caes. Pellerin.)

ΕΚΑΤΑΙΟΣ. *Aquila volans intra quadratum.* ✕ *Gryphus sedens, infra quem folium hederae.* AR. II. (Mus. Caes.)

Numus prior vetustissimus est arguente istud quadrato partis aversae, quod deinde arte sensim proficiente in hoc praecipue tractu retentum quidem testibus numis urbium vicinarum Aeni, Maroneae, Thasi, sic tamen, ut non amplius introrsum hiaret, sed exstaret, et typorum, quos inferre libuit, esset patiens.

* * *

ΑΒΔΗΡ. *Gryphus jacens.* ✕ ΠΟΛΥΚΡΑΤΗΣ. *Vir nudus stans, s. arcum praetendit, d. corollam, pro pedibus hinnulus, omnia intra quadratum.* AR. II. (Mus. M. D.)

Est hic quoque numus operis perantiqui, et a me olim editus q). Argumentum aversae explicare difficile.

Autonomi recentiores.

ΕΠΙ. ΕΚΑΤΟΝΥΜΟΥ, *vel alio magistratu. Caput juvenile nudum intra quadratum.* ✕ ΑΒΔΗΡΙΤΕΩΝ. *Gryphus sedens.* AR. III. (Mus. Caes.)

Caput Apollinis. ✕ ΑΒΔΗΡΙΤΩΝ. *Gryphus sedens.* AR. II. (Hunter.)

Epigraphe ΑΒΔΗΡΙΤΕΩΝ., eaque frequentior, Ionica est, quia, ut dictum, Abderitae ipsi Iones. Quare et Democritus Abderita Ionice loquens inducitur a Luciano r), et teste Aeliano s) Hippocrates Doriensis, quippe Cous, in Democriti gratiam libros suos Ionice scripsit. ΑΒΔΗΡΙΤΩΝ alterius numi dialecti communis est a gentili Αβδηριτης. Caput anticae numi prioris verisimile est esse Timesii Clazomenii, quem coloniae Tejae fuisse ducem, condidisse Abderam, a Thracibus deinde pulsum ab Abderitis tanquam heroem cultum tradit Herodotus t).

* * *

Magistratus in recto positus, aut praefixo ΕΠΙ, ut vidimus. Ejusdem generis est memoratum Goltzio in simili numo: ΕΠΙ. ΔΙΟΣ. ΛΑΙΟΥ., ex quo Jovem nescio quem elicuit Begerus u).

* * *

Numulos argenteos, in quorum una parte est *Caput muliebre adscripto* Α *vel* Α. Κ. altera *Jupiter sedens*, restituendos Arcadiae, docebitur in hujus moneta.

AR. R. AE. RRR.

Imperatorii.

Sunt Vespasiani, Antonini, Aurelii, Faustinae jun. (Vaill. Pellerin. Arigoni.)

Epigraphe ΑΒΔΗΡΙΤΕΩΝ., typis obviis.

AE. RRR.

AENVS.

Ad Hebri ostia, urbs vetusta et numis vetustis nobilitata.

Autonomi.

Caput galeatum. ✕ ΑΙ. *Caduceus.* AR. III. (Mus. M. D.)

ΑΙΝ. I *inscriptum galeae, qua caput*

---

q) Num. vet. p. 53. r) in vitar. auct. s) V. H. L. IV. c. 20. t) L. I. §. 168. u) Observ. in num. ant.

juvenile tegitur. ✕ ΑΝΙΑΔΑΣ. *Capra intra quadratum.* AR. I. (Pellerin.)

Caput galeatum. ✕ AINION. *Capra.* AE. III. (Mus. Caes.) *Caduceus. AE.* III. (Pellerin.)

Caput galeatum plerisque esse Aeneae creditum est, a quo conditam Aenum prodidere Virgilius, Mela, Conon [x]) et Plinius, quamvis alii eam gloriam Aeniae, quae fuit in peninsula Pallene veteris Thraciae, tribuant. Vide Dionysium Halic. [y]) et Cononem [z]). Quin secundum illustre monumentum Herculis res gestas continens, quod restituit Marinius [a]), Aenus nostra jam ante Aeneae fugam stetit. At enim judicio Pellerinii caput illud verius est Mercurii: nam in aliquorum aversa sistitur caduceus hujus dei attributum, et in uno Pellerinii ipse stans; ex quo patet, praecipuum fuisse ejus dei in hac urbe cultum. Etiam caper, qui plerumque horum numorum aversam occupat, ad Mercurium pertinet, et saepe huic in veterum monumentis additur, nimirum ut explicat Pausanias [b]), quia pastorum deus est, et armenta tuetur.

Similem numum inscriptum AINI. Paciaudus Aeniam Macedoniae refert [c]), quae sententia eo plane refellitur, quod in aliis similibus plene scribitur totum AINION, quod secundum omnium testimonia fuit gentile Aeni nostrae, cum aliarum urbium cum nomine adfini gentile diversum sit, de quo vide Cellarium, et Stephanum.

* * *

Caput adversum juvenile galeatum. ✕ AINIOI. *Sedile, ut videtur.* AR. III. (Pembrock.)

Singulare est gentile in recto multitudinis. Eodem modo habemus et ΣΥΡΑΚΟΣΙΟΙ.

AR. R. AE. RR.

Imperatorii.

Talem unum vulgavit Pellerinius. Est Hadriani typo *Fortunae.* Epigraphe singularis: ΑЄΙΝΙѠΝ. ЄΝ. ΘΡΑΚΗ.

Alium Caracallae nuper museo Caesareo intuli: ΑΙΝΙΩΝ. *Vir seminudus stans equum freno retinet.*

Alium recitat Catalogus d'Ennery [d]): ΑΥΤ. ΚΑΙC. Π. ΗЄΛΤ. ΠЄΡΤ. *Caput laur. Pertinacis.* ✕ ΑΗΝΙΩΝ. *Diana Ephesia intra templum.* AE. I. Auctor ejus catalogi hunc numum vere antiquum praedicat. Sed turbat scriptum ΗЄΛΤ. pro ЄΛΤ. vel ЄΛΒ., quod suspicari facit, numum ab artifice linguae Graecae parum perito confictum, tum et insolens ΑΗΝΙΩΝ.

AE. RRRR.

AGESSVS.

Vno Goltzio *autonomum* edente, sed quem esse Crotonis, in hujus numis probavimus.

Imperatorium quoque Trajani unus citat Harduinus ex museo regis Galliarum, aliis omnibus ignotum.

---

x) ap. Phot. narrat 46. y) L. I. c. 49. z) l. c. a) Iscriz. Alban. p. 150.
b) Corinth. p. 117. c) Animadv. in num. M. Ant. p. 78. d) pag. 477.

ANCHIALUS.

In septentrionem ad Euxinum.

Imperatorii.

A Dominitiano usque ad Gordianum.

Epigraphe ΑΓΧΙΑΛΕΩΝ. *Typi* multiplices et ignobiles.

Magistratus praeses in numo Domitiani: ΗΓΕΜ. ΑΠ. ΚΛ. ΜΑΡΤΙΑΛΟΥ., quem ex Leon. Augustino citat Vaillantius. Idem magistratus est etiam in binis numis Serdicae, sed cum capite L. Veri. Vide Prolegomena ad Thraciam.

ΗΓЄ. CΤ. ΒΑΡΒΑΡΟΥ, in numo Severi. (Pellerin.)

Litera solitaria Є more hujus tractus.

Nomen ab Imperatore Trajano ΟΥΛΠΙΑΝΩΝ, quod proponi coepit sub Severo; et in sequentibus raro omissum est.

* * *

Cum altera fuerit adhuc Ciliciae Anchialus, adhaesere nonnunquam antiquarii, utri numos inscriptos ΑΓΧΙΑΛЄΩΝ tribuendos putarent. Cum additur magistratus Ηγεμων, aut ΟΥΛΠΙΑΝΩΝ, aut solitarium Є, facile κριτηριον, quia in hujus tantum tractus numis tria haec valuere. In aliis, in quibus haec desunt, varia fuit eruditorum censura. Vaillantius tres Severi, unum Tranquillinae, qui ΑΓΧΙΑΛЄΩΝ tantum inscribuntur, Anchialo Ciliciae tribuit. Hujus exemplo Harduinus, auctor musei Theupoli, aliique numos sic inscriptos jam huic, jam alteri Anchialo adjudicavere. Sed enim illorum cum fabrica, tum typi restituendos omnes Thraciae suadent, aut certe nulla suppetit ratio, cur in Ciliciam sint ablegandi. Eadem confidentia Haymius Maximini numum, in quo tres Nymphae stantes, Anchialo Ciliciae largitur o). At ipse typus monet, numum Anchialo Thraciae restituendum, nam idem occurrit in numis Apolloniae vicinae, cui Anchialus nostra obnoxia fuit teste Strabone: ειτ'. Αγχιαλη πολιχνιον Απολλωνιατων, *deinde Anchiale urbecula Apolloniatarum.* Hactenus igitur certus Anchiali Ciliciae numus conspectus non est.

AE. C.

APOLLONIA.

Ad Euxinum prope Anchialum.

Autonomi.

Caput Apollinis. Ӿ ΑΠΟΛΛΟΝΙΔ. ΠΟΝΤΟΥ. ΚΟΡΣ. *Duae faces.* AE. III. (Panel Mem. Trev.)

Etsi in lectione vocabuli primi videatur inesse mendum, huc tamen numum pertinere dubitari vix potest propter sequens ΠΟΝΤΟΥ, ut patebit ex imperatoriis.

* * *

Autonomos argenteos: ΑΠΟΛ. cum typo trium Nympharum saltantium hujus esse Apolloniae censuit Pellerinius; verum esse Apolloniae Illyrici, in hujus urbis moneta demonstrabitur.

AE. RRRR.

Imperatorii.

Horum nullum vidit Vaillantius, neque ex iis, quos aliis hujus nominis ur-

o) Tab. II. p. 353.

bibus tribuit, unus videtur huc revocandus. Quatuor tamen, qui jure huc pertinent, protulit Pellerinius: (Rec. III. pag. 203.)

ΑΠΟΛΛΩΝΙΗΤЄΩΝ. ЄΝ. ΠΟΝΤΩ. *Tres Nymphae chorum ducentes*, Domnae. Alius similis Diadumeniani f).

De hoc typo redibit mentio in numis Apolloniae Illyrici. Eodem quoque usa est vicina Anchialus, sed constat etiam, eam huic Apolloniae paruisse, ut in ejus moneta dictum. Epigraphe est Ionica, sed et constat ex Strabone, fuisse Apolloniam Milesiorum coloniam.

Eadem epigraphe. Mulier s. hastam sedens in templo tetrastylo, Severi.

ΑΠΟΛΛΩ. ΠΟΝΤ. *Pallas stans*, Caracallae.

ΑΠΟΛΛΩΝΙΑΤΩΝ. Π. *Aesculapius stans*, Gordiani.

Ex epigraphe numorum hujus urbis, ut et Tomorum, qui in numis dicuntur Μητϱοπολις Ποντȣ, apparet, etiam urbes hujus tractus Ponto Euxino adsitas ab hoc nomen traxisse.

AE. RRR.

ARISTAEUM.

Haemo impositum. Numos ΑΡΙΣΤΙΩΝ ab aliquibus huic urbi tributos esse Cnossi Cretae, dicetur in numis hujus oppidi. Addidit alium Combius ex Hunteriano: *Caput Palladis.* ✕ ΑΡΙ. *Aries.* AE. III. Situs urbis mediterraneus in interiore Thraciae regione, et in vertice Haemi parum favet numo Graece inscripto, et qui est aevi vetustioris. Ad haec Aristaeum vix ac ne vix quidem cognitum. Mallem igitur hunc numum alteri urbi tribuere, et quidem Clazomenis, ut recte conjicit Cl. Sestinus. (Lettere p. 48.) Enim vero iidem in harum numis sunt typi, et nonnunquam in his omissum videmus urbis nomen inserto solo magistratu.

BISANTHE.

Supra Chersonesum ad Propontidem, Samiorum colonia, Bacchi Cererisque donis hodieque dives teste Pocokio g)

Autonomi.

Horum tres sunt in gaza Caesarea.

Epigraphe: ΒΙΣΑΝ. ΒΙΣΑΝΘΗΝΩΝ.

Typi: *Caput Cereris velatum.* ✕ *Corona spicea.* — *Caput Apollinis.* ✕ *Tripus.* — *Caput Palladis.* ✕ *Noctua.* In alio: *Caput Bacchi.* ✕ ΒΙ. *Botrus.* (Neumann.)

AE. RR.

BIZYA.

Mediterranea in regione Astica versus Euxinum sita.

Autonomi.

Caput Neptuni ✕ ΒΙΖΥΗΝΩΝ. *Juppiter nudus stans ad aram sacrificat.* AE. III. (Neumann.)

Caput Jovis. ✕ ΒΙΖΗΝΩΝ *(sic.) Victoria gradiens.* AE. III. (Mus. Caes.)

Alios duos addidit Hunterus, quorum unus inscribitur: ΒΙΖΥΑΝΩΝ.

AE. RR.

---

f) Sestini T. IV. p 92

g) Descr. of East. T. III. p 143.

Imperatorii.

Ab Hadriano ad Philippum, quo postremo imperante insignes maximae formae numos feriit.

Epigraphe constans: ΒΙΖΥΗΝΩΝ.

Typi: *Serapis*, *Isis*, *Harpocrates*, *Aesculapius cum comitatu suo.* In numo Philippi: *Mars d. hastam s. scalam*, *et clypeum gerens.* (Arigoni.)

Magistratus: primum *legatus*, quem Vaillantius in numo Hadriani legit: ЄΠ. ЄΙΤΙ. ΡΟΥΦΟΥ. ΠΡЄC. ΚΑΙ. ΑΝΤΙ. ΤΟΥ. CЄΒ., quod sic reddit: *sub Itio Rufo legato et propr. Augusti.* Eodem fere modo is proponitur a Spanhemio [h]. Pellerinius in simili suo legit: ЄΠЄΙ. ΤЄΙ. *sub Tito* [i]. Alterius generis magistratus *praeses:* ΗΓЄ. ΠΟΜ. ΟΥЄΠЄΙCΚΟΥ. in numo Antonini [k]. Vopiscus legitur etiam in numis Hadrianopolis, Pautaliae, Philippopolis.

Litera solitaria B in numo Pellerinii [l]. *AE. R.*

BYZANTIVM.

Ad Bosporum Thracium, jam olim urbs illustris, situ, portuque commodo, fertilitate soli, opulento pelamidum piscatu ex mira causa, de quibus vide Tacitum [m]. Multo deinde illustrior, quando urbi aeternae aequata *Constantinopolis*, et *Nova Roma* dici coepit.

Veterem Byzantiorum monetam fuisse ferream, docuere auctores magni nominis, Aristophanes [n], et qui ibi a scholiasta citatur, Plato comicus; praeterea Pollux [o], et Hesychius [p]. Cum ait Aristides rhetor [q], *ει Βυζαντιοι σιδηρῳ νομιζεσι*, *si Byzantii ferrea pecunia utuntur*, aut vetera tempora respicit, aut, si sua, certissime fallitur, nam ejus aetate aeream ab iis signatam, numi eorum superstites invicte docent. Ceterum qualescunque fuere ferrei hi Byzantiorum numi, eorum nullus se hactenus antiquariorum oculis obtulit.

Bandurius omnes hujus urbis numos, quotquot viderat, collegit, et aeri incisos proposuit in imperatoribus Orientis Tom. II. pag. 456, quam illis curam jam olim impendit Ducangius in Constantinopoli Christiana sub initium.

Autonomi.

Epigraphe ΒΥΖΑΝΤΙΩΝ.

Typi sunt capita variorum numinum, eorumque in aversa attributa.

Illustriores numi alii sunt:

Caput Cereris velatum ✠ ЄΠΙ. CΦΟΔΡΙΑ. in alio: ΕΠΙ. ΜΕΝΙΣ - - *Neptunus seminudus scopulo insidens d. acrostolium*, *s. tridentem reclinatum tenet*, *in area monogrammata.* AR. I. (in meis Num. vet. p. 56. Dutens Explic. p. 45. Pembrock P. II. tab. 38.)

Eadem adversa. ✠ ΒΥΖΑΝΤ. ΚΑΛΧΑΔ. *Idem typus.* AE. fere I. (Mus. Caes. Wilde p. 45.)

Horum prior urbis mentionem dissimulat; loquacior alter pro una duas urbes objicit Byzantium, et Chalcedonem, urbes vicinas, et solo Bosporo diremptas.

---

h) Tom. II. p. 588. i) Mel. II. p. 69. k) Pellerin Mel. II. p. 77. l) l. c. p. 77. m) Ann. XII. 63. n) Nub. v. 248. o) L. VII. §. 106, et L. IX. §. 78. p) in Σιδαρεοι. q) Orat. Plat. T. II p. 145.

Certum igitur, quoniam idem in utroque typus, utrumque in alterutra urbe signatum, praeferendum tamen Byzantium, quoniam solebant Byzantii inscribere magistratum praefixo ΕΠΙ. De typo Neptuni vide variorum conjecturas in meis Num. vet. et apud Wilde [r]).

* * *

ΒΥΖΑΣ. *Caput barbatum galeatum.* ⅹ ΒΥΖΑΝΤΙΩΝ. *(addito magistratu.) Prora navis.* AE. II. (Mus. Caes. Baudelot Util. de Voy. T. I. tab. I. Theupoli, sed in quo numi similes inconsulto tribuuntur Bizyae.)

Caput barbatum diadematum ⅹ ΒΥΖΑΣ. ΚΑΛΧΑ. *Prora navis.* AE. II. (Baudelot l. c. T. II. tab. IV.)

Quis fuerit hic Byzas vario in his numis cultu, controversum. Eusebius in Chronico Thraciae regem facit, ac forte ideo in altero numo diademate praefulget. Diodorus Siculus regem fuisse prodit, qua aetate Argonautae Pontum intravere, urbemque ab eo nomen traxisse [s]). Alia fabulatur Stephanus. Eustathio Byzas vel fuit nepos Ius, vel dux fuit classis Megarensîum, qui etiam Byzantium condiderunt [t]). Quiscunque ergo fuit hic Byzas, eum Byzantii agnovere urbis suae conditorem, et intulere monetae. A deo conditum dixit Dionysius Halicarnassensis [u]). Vtrumque conditorem, Byzan, et Constantinum M. memorat Claudianus [x]):

quod tertius urbis
Conditor, hoc Byzas, Constantinusque videbunt?

* * *

ΒΥΖΑΝ. *Caput Apollinis.* ⅹ ΔΡΑΧΜΑ. *Pharetra.* AE. III. (Pellerin.)

Singularis in hoc numo epigraphe ΔΡΑΧΜΑ, sive valorem ea, sive pondus notat. Ceterum *drachmae* nomen alias solum ad indicandum argentum valuit. Sed et in aeneis Rhodiorum legitur ΔΙΔΡΑΧΜΟΝ.

* * *

Hami quaedam species intra coronam. ⅹ ΒΥΖΑΝΤΙΩΝ. *Instrumenta bina, quorum singula binos conos referunt commissa basi.* AE III. (Pellerin.)

Vncum partis anticae esse hamum tanto magis in Byzantii numis verisimile, quoniam thynnorum et pelamidum capturam apud hanc urbem imprimis fuisse nobilem, quin mirabilem, abunde docuere Strabo, Plinius, Tacitus. Quae dixi duo instrumenta partis aversae, Vaillantio, Harduino, aliisque phari confidenter dicuntur, etsi phari nihil omnino habeant. Typus hic, etsi in imperatoriis quoque frequens, adhuc certius explicari postulat.

* * *

Magistratus. Vide in imperatoriis.

AR. RRRR. AE. C.

Regii.

Argentei sunt cum capite Cotyos V., quos dabimus in regibus Thraciae.

Imperatorii.

Frequentes ab Augusto ad Gallienum. Mirum sane, a Byzantiis Augusto, eum-

r) ll cc s) L. IV c 49. t) ad Dion Perieg. c. 803 u) de Orat fun x) in Eutr L II Carm XX. v. 82.

que proxime secutis dedicatam monetam, cum eos saltem sub Augusto paruisse regibus, ex numis Cotyos V. doceamur. Forte eos adhuc Augustus libertati suae reddidit. Certe Plinius senior eos liberae conditionis dixit.

Epigraphe constans: BTZAN. BTZANTIΩN.

Typi: *Galea*, *luna cum astro*, *delphinus inter duas pelamides*, *duo praetensi phari*, *de quibus supra*, *aliique ignobiles*.

* * *

Magistratus. Hi, quoniam animadversiones non inutiles suppeditant, aliquanto curatius describendi.

1. ΕΠΙ. CΦΟΔΡΙΑ. — ΔΙΟΔΩΡΟΤ. — ΔΗΜΟCΘΕΝΟΤC. — ICATPIKOT. etc. ΕΠΙ. ΜΑΤΡΟΔΩΡΟΤ. ΗΡΟΞΕΝΟΤ. in argenteo Augusti, et Cotyos V.

Ita inscribuntur magistratus tam in autonomis, quam multis etiam imperatoriis ad extrema usque tempora.

2. ΕΠΙ. ΔΗΜΗΤΡΙΟΤ. ΤΟ. Β. Hadriani. (Vaill.)

3. ΕΠΙ. ΔΙΟΝΤCΟΤ. ΤΟ. Γ. Aurelii (Theupoli.)

4. ЄΠΙ. ΑΙ. ΠΟΝΤΙΚΟΤ. Η. Lucillae. (Vaill.)

5. ЄΠΙ. ΛΟΛ. ΗΡ. in autonomo. (Wise Mus. Bodl. p. 7.)

6. ЄΠΙ. ΑΙ. ΠΟΝΤΙΚΟΤ. ΗΡ. in autonomis. (Baudelot Voyage T. I. p. 151. Theupoli, Pembrock P. II. tab. 37. Banduri.) Idem in numo Commodi. (Mus. Caes.)

7. ЄΠΙ. Μ. ΜΑΡΚΟΤ. Η. ΤΟ. Β. Commodi. (Mus. Caes.)

8. ЄΠΙ. ΜΑΡΚΟΤ. ΤΟ. Β. in autonomo. (Haym.)

9. ЄΠΙ. ΑΙ. ΠΟΝΤΙΚΟΤ. Caracallae. (Banduri.) —

9*. ЄΠΙ. ΝЄΙΚΗΤΟΤ. ΒΤΖΑΝΤΙΩΝ. *Victoria stans armorum struem admota face comburit.* Macrini. AE. m. m. (Mus. Com. Vitzai.)

9**. ЄΠΙ. ΝЄΙΚΗCΤΟΖ. ΒΤΖΑΝΤΙΩΝ. *Victoria stans d. lauream*, *s. palmae ramum*, Macrini. AE. I. (Mus. Princ. de Waldeck.)

Si cui postremus tantum hic numus obtigisset, et non etiam praecedens, certus sum, eum numi epigraphen fuisse divisurum legendo: ЄΠΙ. ΝЄΙΚΗC. ΤΟ. Ζ. id est: *de victoria septimum relata*, ac tum idem miratus jure fuisset, qua fiducia victoria septima praedicari potuerit in Macrino mensium XIV. imperatore, et hercle a cladibus, nulla autem victoria cognito. At cum numus praecedens aperte doceat, imperante Macrino apud Byzantios fuisse magistratum dictum *Nicetam*, verisimile plane est, eundem etiam in numo altero intelligendum, quaecunque deinde fuerit causa nominis in hanc formulam detorti. Si aliunde constaret, a veteribus χλευασμȣς in monetam fuisse admissos, libenter crederem, monetarium, ut Macrino in acie victo insultaret, hanc epigraphen confinxisse, et augeret fidem illud, quod narrant historici, eum accepta clade Chalcedonem usque, e regione Byzantii sitam, fuga evasisse, sed inde fuisse retractum. Numum utrumque integerrimum, et nulla fraudis suspicione, vidi ipse. Typus Victoriae ad nomen Nicetae adludit.

10. ЄΠΙ. ΔΑΤΙΑΝΟΥ. ΗΡ. Elagabali. (Arigoni.)

11. ЄΠΙ. ΑΡ. ΔΙΟΝΥCΟΥ. ΤΟ. Β. Gordiani. (Vaill.)

* * *

12. ΕΠΙ. ΤΡΑΙΑΝΟΥ. ΚΑΙ. ΤΟ. Β. Plotinae. (Banduri.)

13. ΕΠΙ. ΤΡΑΙΑΝΟΥ. ΚΑΙ. ΤΟ. Γ. Trajani. (Vaillant, qui addit, in quibusdam juxta legi ΑΡΧ., sed abest in binis Bandurii.)

14. ЄΠΙ. ΙΟΥΛΙΑC. ΦΑΥCΤΙΝΗC. Aurelii. (Vaillant.) Forte pro ΙΟΥΛΙΑC. legendum ΑΝΝΙΑC.

15. ЄΠΙ. ΘЄΑC. ΦΑΥCΤΙΝΗC. L. Veri. (Vaill.)

16. Є. Θ. ΦΑΥCΤΙΝΗC. in autonomo. (Haym. T. II. p. m. 84. qui quidem legit: C. Θ. sed corrigenda lectio ex numo priore.)

17. ЄΠΙ. ΦΑΥCΤΙΝΗC. Commodi Caesaris. (Harduin Opp. sel. p. 37.)

18. ЄΠΙ. ΑΡΧ. Μ. ΑΥ. ΑΝΤΩΝΙΝΟΥ. Caracallae, Plautillae. (Vaillant. Banduri.)

19. ЄΠΙ. ΤΙΤ. ΑΙΛ. ΚΑΠΙΤΩΛЄΙΝΟΥ. Caracallae et Getae. (Banduri, et in meis Num. vet.)

20. ЄΠΙ. ΑΡΧ. Γ. CΑΛΛ. ΑΡΙCΤΑΙΝЄΤΟΥ. ΚΑΙ. ΑΙΛΙΔΟC. Caracallae, (Vaillant.) sine ΚΑΙ. ΑΙΛΙΔΟC. Getae. (Banduri.)

21. ЄΠΙ. ΑΥΡ. ΦΡΟΝΤΩΝΟC. ΚΑΙ. ΑΙ. ΦΗCΤΟΥ. Macrini (Vaill.)

22. ЄΠΙ. Μ. ΑΥΡ. ΦΡΟΝΤΩΝΟC. ΚΑΙ. ΑΦΗCΤΗC. Alexandri. (Pellerin Mel. I. p. 59.)

23. ЄΠΙ. Μ. ΑΥΡ. ΦΡΟΝΤΩΝΟC. ΚΑΙ. ΑΙΛ. ΦΗCΤΗC. Alexandri. (Mus. Caes. Mus. de France, la Motraye, Albani.)

Vt Pellerinius ex numo suo mox citato jure correxit Vaillantium legentem ΦΗCΤΟΥ, pro ΦΗCΤΗC, ita ex praesente corrigendus ipse Pellerinius, qui in voce ΑΦΗCΤΗC literam primam Α cum ΦΗCΤΗC conjungit. Numus, quem hoc loco descripsi, cujusque duplex exemplar integerrimum ob oculos habui, luculentum ΑΙΛ. ΦΗCΤΗC. exhibet.

24. ЄΠΙ. ΑΙΜΙ. CЄΟΥΗΡΟΥ. ΚΑΙ. ΙΟΥΛ. CЄΥΗΡΑC. Alexandri Sev. (Vaill.) ΑΙΛΙ. pro ΑΙΜΙ. legitur in autonomo musei Theupoli, sed cujus auctor eum perperam Bizyae tribuit. Harduinus in numo ejusdem Alexandri legit: ΓΡ. ΠΛΙΝ. CЄΚΟΥΝΔΟΥ., sed haud dubie pro hoc legendum: ЄΠΙ. ΑΙΜΙ. CЄΟΥΗΡΟΥ., ut in numo praesente, neque enim hactenus in moneta Byzantiorum comperti scribae.

25. ЄΠΙ. ΑΡ. ΔΙΟΝΥCΟΥ. ΤΟ. Β. ΚΑΙ. ΑΛЄΞΑΝΔΡΑC. Gordiani. (Vaill. Banduri.)

Docentibus his numi fuit Byzantiorum magistratus *Archon*, nimirum ut in autonomis diximus, condita urbs a Megarensibus, qui Attica instituta sequebantur. Tamen in marmore, quod edidit Chandlerus, memorantur hujus urbis στραταγοι Dorice y), sed qui haud dubie fuerint magistratus minor, ut Athenis praeter archontem fuere strategi.

Repetitum etiam eundem magistratum

y) Inscr. ant. p. 95.

docent addita TO. B. vel TO. Γ. At nimio fallitur Vaillantius, qui epigraphen ΕΠΙ. ΑΙ. ΠΟΝΤΙΚΟΥ. Η. interpretatur: *Sub Aelio Pontico octavies* [z]). Huic obstat numus Commodi musei Caesarei: ЄΠΙ. Μ. ΜΑΡΚΟΥ. Η. ΤΟ. Β. Ergo alius inquirendus literae H. explicatus. Froelichius, qui hunc Commodi numum edidit [a]), legendum censet: Ηγεμονος ΤΟ. Β. Sententiam suam fulcit numo Commodi ab Haymio vulgato [b]), in quo scriptum: ΕΠΙ. ΑΙ. ΠΟΝΤΙΚΟΥ. ΗΓ., ex quo infert, in Byzantiorum numis fuisse signatos Ηγεμονας ante Severum, non vero archontes. Cum vero urgeri se videat numo Aurelii inscripto: ЄΠΙ. ΑΡ. ΜΑΡΚΟΥ., respondet, archontem nunquam notari solo ΑΡ., sed pleniore ΑΡΧ., ut ipsi numi Byzantii serius signati docent. Quare aut a Vaillantio sinistre lectum ΑΡ. ΜΑΡΚΟΥ. pro Μ. ΜΑΡΚΟΥ., quam lectionem praefert numus loco 7. descriptus, aut το ΑΡ. notare *Arrium*, *Aruntium* etc. numos autem Trajani: ЄΠΙ. ΤΡΑΙΑΝΟΥ. ΤΟ. Γ., quibus nonnunquam addi ΑΡΧ. obiter monet Vaillantius, plane fastidit tanquam jure suspectos. Haec Froelichius. Sed enim ut facile adsentior, το Η. non significare *octavum*, quod suspicabatur Vaillantius, sic vix verisimile, significare Ηγεμονα. En rationes non aspernandas: I. Ex inscripti magistratus nominibus satis patet, homines eo functos fuisse Graecos, leguntur enim *Demetrius*, *Diodorus*, *Demosthenes etc.* quod observatur usque in Antoninorum tempora, quorum aetate satis constat, Graecos per adulationem pro nativis suis nominibus adhibuisse Romana. At praesides vicaria pro imperatoribus potestate regendae toti provinciae adhibiti ex gentibus plerumque fuere Romanis. II. Constat, Trajanum, Faustinam juniorem, et Caracallam Byzantii magistratus eponymi honorem admisisse, eosque numis fuisse inscriptos, ut infra videbimus. At quis ferat, imperatorem ipsum dici obire munus ἡγεμονος, qui ipse imperatoris loco provinciam administrabat, ac praecipue feminam id velle praestare? Acceptasse Augustos et Caesares honoris causa magistratum privatum singulis urbibus proprium, constat ex numis urbium Hispaniae, ac praecipue de Hadriano ex testimonio Spartiani, at non poterant acceptare alium, qui ad provinciarum regimen pertinuit. III. Non solum in numo Aurelii legitur: ЄΠΙ. ΑΡ. ΜΑΡΚΟΥ., sed etiam in binis Gordiani: ЄΠΙ. ΑΡ. ΔΙΟΝΥϹΟΥ. ΤΟ. Β. num. 11, et 26, ex quo sequitur, aut hos etiam numos a Vaillantio male lectos, quod minus videtur credibile, aut etiam in his το ΑΡ. esse nomen *Arius*, vel *Aruntius*, aut denique si in his legendum ἀρχων, etiam in prioribus. IV. Quemadmodum in memorato Commodi numo legitur ЄΠΙ. Μ. ΜΑΡΚΟΥ. Η. ΤΟ. Β., sic in aliis legitur: ЄΠ. ΑΙ. ΠΟΝΤΙΚΟΥ. ΗΡ. num. 4. 6., ЄΠΙ. ΔΑΤΙΑΝΟΥ. ΗΡ. n. 10, ex quo jure suspicari licet, solitarium Η. idem notare, quod ΗΡ. in aliis,

z) Num. Graec. p. 66. a) IV. Tent. p. 220. b) T. II. p. m. 304.

et forte secundum hos corrigendum Haymium, qui facile in suo pro ΠΟΝΤΙΚΟΤ. ΗΡ. legere poterat ΠΟΝΤΙΚΟΤ. ΗΓ., quo numo solo utitur Froelichius ad ἡγεμονα suum adserendum. Sane in iisdem literis hallucinatus etiam est Havercampus, qui cum numum Haymiani illius simillimum describeret, sic legit: ЄΠ. ΑΙ. ΠΟΝΤΙΚΟΤ. ΜΤ. ΒΤΖΑΝΤΙΩΝ., ex quo fallace indicio concordiam Mytilenen inter et Byzantium extundere adnisus est. (Med. du Cab. de Christine. p. 141.) IV. In nullo certae fidei numo, qui ἡγεμονα sistit, legitur, praefixum ЄΠΙ.

Ceterum indubitatum videtur, cum illud Η. vel ΗΡ. variis magistratuum nominibus videamus adjectum, significare magistratus quoddam vocabulum, quod vero illud, incertum. En leviusculam tamen conjecturam. Cum, ut brevi docebimus, hac in urbe imperatores etiam, atque ipsae Augustae honoris causa archontis munere fungerentur, ii, qui eorum vice domi eum magistratum obibant, archontes se dicere non poterant, qui titulus tum principi competebat. Ergo illi, qui pro archonte honorario res domi procurabat, alio titulo opus fuit; is autem esse poterat ΗΡημενος, *electus*, nempe pro principe absente, et honoris causa archonte. Revera vox αἱρεομαι frequenter a Graecis adhibita est, cum magistratum *electum* significare volebant. Sic in celebri tabula Heracleensi a Mazochio explicata occurrunt ὁρισται αἱρεθεντες, *finitores electi*. (pag. 259.) Non dispari ratione in urbibus Hispanicis, in quibus Caesares honorarium IIviratus munus exercebant, ii, qui eorum vices domi obibant, non se scripsere IIviros, sed praefectos. Vide numos Celsae.

Numi a numero 12 usque 18 principes Romanos exhibent, qui, ut paullo ante dixi, archontum, aut certe magistratus eponymi vice Byzantii functi sunt. Inter hos comparere etiam mulierem, nempe Faustinam juniorem, nequaquam mirum, cum in numis inde a numero 20 citatis etiam mulieres videmus. Judice Vaillantio *solebant aliquando Byzantii nomen uxoris archontis adponere*. (Num Graec. p. 149.) Idem numum: ЄΠΙ. ΘЄΑC. ΦΑΤCΤЄΙΝΗC. sic explicat: *sub divae Faustinae sacerdote*, Ἱερεως, quod quidem utrumque judicium refutare piget. Verisimile est, fuisse Byzantii, ut in pluribus aliis urbibus, illustre quoddam sacerdotium collatum in feminas, illudque annuum, et honoris causa delatum Faustinae, ac propterea jactantius inscriptum etiam numis. Vulgato semel exemplo factum haud dubie, ut subinde sacerdotes aliae, sed privatae conditionis, eundem honorem ambirent, quod quidem indultum fuerit, sed sic, ut non solae, ut Faustina, in moneta proponerentur, sed conjunctae cum archonte eponymo. Quae conjectura magis forte videatur probabilis, quam quas propinat Pellerinius. (Mel. I. p. 58.)

Hieromnemon. Est in museo Theupoli numus L. Veri: ΙΕΡΟΜΝΑΑΙΑΙ. ΣΕΟΤΗΡΟΣ. ΒΤΖΑΝΤΙΟΙΣ. *Victoria stans ante aram, supra quam galea*. Auctor ejus operis hanc epigraphen sic reddit:

Sacrae recordationes Severus Byzantiis. At certum, priorem vocem male ex numo exceptam, et legendum sine dubio rectius: IЄPOMNA. AIΛI. CЄOTHPOC. BTZANTIOIC. *Hieromnemon Aelius Severus Byzantiis.* Acute istud observatum video a viro insigni Eduardo Corsino. (Saggi di Cort. T. VII. p. 40.) De hoc magistratu vide quae disseram alibi.

Ludi:

KOINON. BTZANTIΩN. in numo. Augusti. (Vaill.)

ANTΩNЄINIA. CЄBACTA. Caracallae. (Vaill.) Non modo ludos *Antoniniana* celebravit Byzantium, sed, si fides Eustathio (ad Dionys. v. 803.), etiam Αντωνιαν (lege Αντωνειυιανην) se dixit, quamdiu superfuere Severus et Caracalla. Causa ejus adfectus Caracalla, qui adhuc puer patrem Byzantiis iratum, quod incredibili pertinacia pro Pescennio steterant, cum iis in gratiam reduxit, ut refert Spartianus.

ANTΩNINIA. Elagabali. (Theupoli.)

CЄBACTA. Alexandri. (Albani.)

AΛЄΞANΔPЄIA. Gordiani, (Vaill.) instituta nimirum in Alexandri M. honorem. Ea notantur etiam in numis Odessi ejusdem Thraciae sub eodem Gordiano cusis, et sunt obvia in numis Philippopolis. Horum causam dabo in tractatu de ludis.

* * *

Concordia, quae fuit cum Chalcedone, notata jam est in autonomis.

Cum *Nicaea* Bithyniae legitur in numis Alexandri Sev., Treboniani, Gallieni, qui cum praetensos pharos, typum nempe Byzantium, sistant, certum est esse signatos Byzantii.

AE. C.

* * *

Nomine *Constantinopolis* signatos vide in moneta Romanorum ad calcem numorum Constantini M.

DEVLTVM.

Mediterraneum, tamen Euxino vicinum, in septentriones ad Panysum fluvium. Plinius: *Develton cum stagno, quod nunc Deultum vocatur, veteranorum.* Vrbis situm, hodiernam fortunam, et numos hactenus cognitos, late describit Cl. Sestinus. (Lettere T. I. p. 10. et iterum copiosius T. III. p. 149.)

Coloniae tantum nomine habentur numi a Trajano usque ad Philippos.

Epigraphe: C. F. P. D. vel COL. FL. PAC. DEVLT. Epitheton FL*avia* deductam a Vespasiano coloniam arguit. PAC*ensis*, ut explendum hoc vocabulum ex Plinio docet Harduinus, dicta e Vespasiani erga deam Pacem adfectu, cui is magnificum Romae templum statuit, ut censet Vaillantius.

Inter *typos* illustrior est is, qui in Gordiani numo *duos fluvios humi jacentes* sistit, *quorum unus naviculam sublimem attolit, media inter utrumque navi velis expansis;* ex quo apparet, Deultum ad confluentem fuisse situm, nisi forte altero viro decumbente stagnum notatur, de quo Plinius. — *Silenus stans*, in numo Macrini (Vaill.), et Tranquillinae. (Sestini.)

AE. C.

DOMENOPOLIS.

De ambigua hac Thraciae urbe agetur infra in *Plotinopoli.*

HADRIANOPOLIS.

Mediterranea ad Hebrum fl. conditore Hadriano.

Autonomi.

Caput Serapidis. ※ ΑΔΡΙΑΝΟΠΟΛΙΤΩΝ. *Isis stans cum sistro et situla.* AE. III. (Pellerin Suppl. III. p. 101.)

Caput Herculis. ※ *Eadem epigraphe. Herculis arma.* AE. (Pembrock.)

Alium *Concordiae* vide descriptum in Nicopoli Moesiae.

AE. RRRR.

Imperatorii.

Editi magno numero ab Hadriano usque ad Gordianum.

Epigraphe: ΑΔΡΙΑΝΟΠΟΛΙΤΩΝ. ΑΔΡΙΑΝΟΠΟΛЄΙΤΩΝ, sed in numo Domnae: ΑΔΡΙΑΝΟΠΟΛΙC. (Vaill.)

Typi in tanta copia maxime varii. Frequens in his religio Aegyptiorum procurante conditore Hadriano in hac insaniente.

Magistratus ἡγεμων, *praeses* huic tractui proprius.

Sub Antonino: ΗΓЄ. Μ. ΠΟΝΤ. CAΒЄΙΝΟΥ. (Vaill.) ΗΓΑ. ΤΙ. ΟΥΟΠΙCΚΟΥ., ut describitur in Theupoli; aliter idem magistratus legitur in numis Bizyae, Pautaliae, Philippopolis. *Sub M. Aurelio :* ΗΓЄ. ΤΟΥΛ. ΜΑΞΙΜΟΥ. (Vaill.) *Sub Commodo :* ΗΓ. COΥΛ. ΜΑΡΚΙΑΝΟΥ. (Mus. Caes. Vaill.) ΗΓЄ. ΙΟΥΛ. ΚΛЄΤΟΥ. (Vaill.) ΗΓЄ. ΙΟΥΛ. ΚΑCΤΟΥ. (Mus. Caes.) Est etiam in numo Pautaliae. *Sub Severo:* ΗΓЄΜΟC. ΤΑΤΙΑΝΟC. (Vaill.) Suspecta lectio, de qua vide Trajanopolin. *Sub Caracalla:* ΗΓЄ. CΙΚ. ΚΛΑΡΟΥ. (Mus. Caes.) quem habet etiam Pautalia.

Epocham in numo Severi inscripto ЄΤ. ΒΞ. reperire sibi visus est Vaillantius. Hunc Pellerinius jure Hadrianopoli Bithyniae restituendum docet, (Rec. II. p. 19.) nullo hactenus viso urbis Thraciae numo, qui epocham praeferret.

* * *

Non dubitat Pellerinius, (l. c.) plures ex numis inscriptis tantum ΑΔΡΙΑΝΟΠΟΛΙΤΩΝ, quos Vaillantius nullo dempto Hadrianopoli Thraciae largitur, alteri Bithyniae restituendos. Istud dubium typi non expediunt, qui utrique possunt convenire. Potest tamen fabrica nonnihil adfundere lucis. Cum nulla alia suppetit ratio, tutius est, hos Thraciae multo celebratiori tribuere. Ceterum ii, qui ἡγεμονα inscribunt, sine dubio sunt Thraciae. Sed confer etiam, quae infra ad hanc Bithyniae Hadrianopolin notabuntur.

AE. C.

HERACLEA.

Auctor musei Theupoli et Sestinus (T. IV. p. 93.) autonomos, Vaillantius (pag. 196.) imperatorios Trajani et Gordiani Heracleam Thraciae amandant. Horum judicia jam uno argumento missis aliis evertuntur, quod haec Heraclea eadem fuit cum Perintho, quae urbs in ipsa Gallieni tempora Perinthi nomine, Heracleae nunquam, numos suos insignivit.

MARONEA.

Ad mare Aegaeum urbs opulenta testibus etiam numis.

Autonomi.

ΜΑΡΩΝΟΣ *(retrograde.) Equus dimidius.* ☧ *Caput arietis intra quadratum.* AR. II. (Hunter.)

Caput Bacchi hedera et corymbis coronatum retorto cornu. ☧ ΔΙΟΝΥΣΟΥ. ΣΩΤΗΡΟΣ. ΜΑΡΩΝΙΤΩΝ. *Bacchus nudus stans d. botrum, s. strophium, et duas sagittas, per aream monogrammata.* AR. AE. I. (Numi obvii.)

Numus prior perantiquus, et rarissimus *Maronem*, posterior obvius *Bacchum* crepat. Narrat Diodorus Siculus de Osiride Thraciam peragrante: (L. I, §. 20.) *tum MARONEM aetate invalidum reliquisse ibi, curaturum ea, quae in hac regione plantaverat, quique urbem sui nominis MARONEAM conderet.* Quod de Osiride fabulati sunt Aegyptii, id ex parte Graeci de Baccho. Sed ut variant veterum commenta, Maronem Euripides dixit Bacchi filium, (in Cyclope v. 141.) Homerus Evanthei, (Od. I. v. 197.) nisi hic idem est cum Baccho. Quin apud Athenaeum. Maron non dicitur conditor Maroneae Thraciae, sed Mareotidis Aegypti (L. I. p. m. 33.). Numus alter Bacchum sistit. Et erat Maronitis Bacchi colendi praecipua causa largus generosi ibi nati vini proventus inter veteres dipnosophistas decantati. De Baccho sagittis armato vide numos gentis Corneliae Blasionum.

* * *

Caput Bacchi hedera coronatum. ☧ ΜΑΡΩΝΙΤΕΩΝ. ΕΠΙ. ΜΗΤΡ.—ΝΕΟΣ. *Vitis botris gravida intra quadratum.* AR. I. (Pellerin.)

MA. vel MAP. *Equus totus, vel dimidius saliens.* ☧ *Racemus intra quadratum additis variis magistratuum nominibus.* AR. III.

Magistratus in his numis frequenter leguntur: ΕΠΙ. ΗΡΑΚΛΕΙΔΕΩ—ΕΠΙ. ΝΟΥΜΗΝΙΟΥ. — ΕΠΙ. ΚΑΛΛΙΚΡΑΤΕΟΣ. — ΜΗΤΡΟΔΟΤΟΣ in numo Mediceo, quem edidi. (Num. vet. p. 57.) Goltzius in numo simili juxta quadratum vitem claudens legit ΠΟΣΕΙΔΩΝΙΑΤΑΝ, numumque adeo tribuit Posidoniae Lucaniae. Saepe memini me benevolum lectorem commonere, non raro Goltzium numis vere veteribus alienam adfinxisse inscriptionem, quod hoc iterum loco accidit. Enimvero Spanhemius numum Goltziano huic utraque parte simillimum vulgavit, sed inscriptum ΠΟΣΕΙΔΙΠΠΟΣ, at hic quoque deceptus Goltzii indicio omissa Maronea, quorsum uterque numus revera pertinet, Posidoniam respexit. (Beger Observ. in num. ant.) Serius eundem numum restituit Begerus, (Th. Br. T. I. p. 273.) at neque hic in Maronea acquievit, verum ab Eretriensibus in honorem Posidippi poetae comici Cassandrensis, et commendationem vini Mendaei percussum inani sane conjectura dixit.

Bacchus barbatus et togatus stans d. botrum s. thyrsum. ☧ ΜΑΡΩΝΕΙΤΩΝ. *Capricornus.* AE. III. (Mus. Princ. de Waldeck.)

Causa capricorni videtur hic numus Augusti aetate signatus.

AR. C. AE. R.

Imperatorii.

Cogniti a Nerone ad usque Alexan-

drum, inter quos insignior Othonis, quem edidit, et probavit Seguinus, (Num. sel. p. 136.) sed improbavit ibidem Vaillantius, docens, Neronem in Othonem migrare jussum, (p. 412.) cui judicio consensit quoque Morellius edito vero ejus numi iconismo. (Spec. tab. XXI.)

Epigraphe eadem, *typi* obvii.

Magistratus ΑΜΦΙΛΟΧΟΥ. in numo Alexandri. (Vaill.)

AE. RRR.

MESEMBRIA.

Ad Euxinum ultima in Moesiam, cui a nonnullis illata est.

Autonomi.

Horum insignes servat gaza Caesarea, quorum illustriores olim edidi. (Num. vet. p. 53.)

Galea. ✠ ΜΕΣΑ. *inter radios rotae.* AE. III. (Mus. Caes.)

Galea. ✠ ΜΕΤΑ. *inter radios rotae.* AE. III. (Mus. Caes.)

Caput muliebre. ΜΕΣΑΜΒΡΙΑΝΩΝ. in aliis: ΜΕΤΑΜΒΡΙΑΝΩΝ. *Pallas gradiens s. clypeum praetendit, d. hastam intorquet.* AE. III. (Mus. Caes.)

Caput Palladis. ✠ ΜΕΤΑΜΒΡΙΑΝΩΝ. *Rota.* AE. III. (Pellerin.)

Caput Bacchi. ✠ ΜΕΣΑΜΒΡΙΑΝΩΝ. ΔΩ. *Botrus.* AE. III. (Pellerin.)

Haec Thraciae urbs a scriptoribus fere constanter dicebatur Μεσημβρια, verum Μεταμβριαν mutato nimirum Σ in Τ, et Η in Α facit dialectus Dorica, perinde ac in numis legimus ΘΑΣΙΩΝ et ΘΑΤΙΩΝ, et in numo Lasi Cretae ΛΑΤΙΩΝ. Fuisse vero urbi eam dialectum propriam, certum inde, quod oppidani teste Strabone fuere Megarensium coloni, et novis identidem colonis ex Peloponneso adventantibus Δωριεις γεγονασι, *Dorienses facti sunt*, ut refert Pausanias [c]). Auctor anonymus peripli Euxini conditam a Chalcedoniis et Megarensibus dixit Dario in Scythas movente, cum quo sentit et Eustathius [d]). Quam Mesambrianorum a Doribus tractam orginem puto indicari literis ΔΩ. numi postremi.

Numus secundo loco citatus cum epigraphe ΜΕΤΑ. cognitus jam fuit Goltzio, sed qui eum ignoratione numi prioris ΜΕΣΑ. prono errore Metaponto tribuit. Adeo in studiis nostris proficimus, quando numos contendendi facultas adest. Post haec tam nitide, et ex causis numismaticis plane demonstrata nescio quid in mentem venerit Cl. Sestino, cur numum similem inscriptum ΜΕΤΑ. rursum Metapontum retrahat [e]).

AR. RRRR. AE. R.

Imperatorii.

Ab Hadriano usque ad Philippum juniorem. Mira capitis inscriptio in numo musei Caesarei: ΑΥΤ. ΚΑΙ. ΤΡΑ. ΑΔΡΙΑΝΟϹ. ΔΙϹ. ϹΕΒ. de qua vide conjecturas Froelichii [f]). In numo Gordiani apud Neumannum legitur: ΑΥΤ. Δ. Μ. ΑΝΤ. ΓΟΡΔΙΑΝΟϹ forte simili τȣ Δ sensu.

c) in Attic. d) ad Dionys. v. 803. e) Lettere p. 51. f) IV. Tent. p. 184.

Epigraphe in numis musei Caesarei constans ΜЄϹΑΜΒΡΙΑΝΩΝ, sed si fides Vaillantio, etiam ΜЄϹΗΜΒΡΙΑΝΩΝ, ΜЄϹЄΜΒΡΙΑΝΩΝ.

Typi obvii.

AE. R.

NICAEA.

Froelichius cum videret, numos variorum imperatorum capite insignes, et inscriptos ΝΙΚΑΙΕΩΝ typo trium signorum militarium frequentes ex Hungaria adferri, ad haec moneretur ab idoneo auctore, eos magno numero in Servia erui, Nicaeam quandam in hoc tractu indagavit. Et reperit praeter Stephanum, qui sub Νικαια refert: ὀγδοη Θρακης, a variis inferioris aevi scriptoribus memorari urbem in Thracia dictam Νικη, Νικα, Νικαια. Cum praeterea narret Marcellinus, Nicen Thraciae fuisse militum stationem, conjicit, numos, qui signa militaria praeferunt, non Nicaeae Bithyniae, sed huic Thraciae esse tribuendos g). Hae viri praestantissimi rationes probabilitate quidem non carent, tamen cum videam, in numis quoque Nicomediae et Iuliopolis, quae Bithyniae item urbes fuere, similia proponi signa militaria, et ejusdem omnino esse fabricae, mallem hos numos in vetere statione relinquere.

NICOPOLIS.

Adsita fluvio, quem *Nesum*, *Nestum* appellant auctores, numi *Mestum*. Ipsa mediterranea.

Imperatorii.

tantum a Commodo usque ad Getam.

Epigraphe: ΟΥΛΠ. ΝΙΚΟΠΟΛЄΩϹ. ΠΡΟϹ. ΜЄϹΤΩ.

Typus praeter ignobiles alios: *Mensis eques*, rarus in numis urbium Europae.

AE. RR.

NYSA.

Autonomum vulgavit Pellerinius, (Rec. I. p. 189.) et Sestinus. (Lettere T. IV. p. 97.)

Caput juvenile. ✗ ΝΥΣΑ. ΕΝ. ΠΑΙΩ. *Mercurius stans.* AE. III.

Cum plures fuerint Nysae, haec sese mentione Paeoniae distinguit, ut Pautalia, de qua mox. Videtur esse eadem cum illa, de qua Stephanus h): δευτερα ἐν Θρακη, incertis nempe Thraciae et Paeoniae finibus, de quo vide plura infra in Pautalia.

AE. RRRR.

ODESSVS.

Ad pontum versus Moesiam, Milesiorum colonia teste Strabone, dicta Scylaci Odesopolis.

Autonomi.

Caput Jovis diadematum. ✗ ΘΕΟΥ. ΜΕΓΑΛΟΥ. ΚΥΡΣΑ. ΟΔΗΣΙΤΩΝ. *Iuppiter togatus stans d. pateram, s. cornu copiae.* AE. I. (Mus. de France, Harduin Opp. sel. p. 127, sed in hujus numo est tantum ΟΔΗ. ut et in Pembrockiano P. II. tab. 34.)

Vocabulum ΚΥΡΣΑ. aruspicem desi-

g) IV. Tent. p. 321. h) in Νυσαι.

deravit, quem nacta est in Harduino, qui dividendam eam censet, legendumque: ΚΥΡιϰ ΣΑϱαπιδος. (l. c.) doctrina non incommoda; nam favet huic opinioni typus frequens in numis hujus urbis imperatoriis, in quibus fingitur Iuppiter similis stans cum patera et cornu copiae, et cum modio in capite; quin et in binis numis musei Caesarei in antica exhibentur duo capita adversa Gordiani et Sarapidis cum modio et cornu copiae. Ex quo efficitur, praecipuum fuisse Odessi hujus dei cultum, quem item a Ptolemaeo ex Ponto in Aegyptum translatum constat, de quo agetur alibi. In marmore apud Reinesium legitur: ΘΕΟΥ. ΜΕΓΑΛΟΥ. ΟΔΗCΙΩΤΩΝ [i]).

Caput Iovis. ℞ ΟΔΗΣΙΤΩΝ. *Vir eques gressu lento d. cornu copiae, infra monogramma.* AE. III. (Mus. Caes.)

Cornu copiae, quod Sarapidi in Odessi numis constanter addi videmus, persuadet, hunc quoque equitem esse ipsum Sarapidem.

Caput virile laureatum. ℞ ΟΔΗΣΙΤΩΝ. *Fluvius capite radiato decumbens d. pateram, s. cornu copiae, et simul innixus urnae.* AE. III. (Mus. Caes. Pembrock.)

Fluvium hunc reor esse Panysum non ignobilem, qui teste Ptolemaeo inter Odessum et Mesembriam in Pontum exit.
AR. RRR. AE. RRR.

Imperatorii.

A Trajano usque ad Saloninam.

Epigraphe: ΟΔΗCCΙΤΩΝ. *Typi* obvii.

Ludi:

ΑΛΕΞΑΝΔΡΕΙΑ. *Vrna*, Gordiani. (Vaill.) Obiti in honorem Alexandri M., celebrati etiam Byzantii sub eodem Augusto. Ejus causam verisimilem dabo in tractatu de ludis.

ΗΛΙΑ. *Vrna*, Gordiani. (Vaill.) Fuere haec certamina dicata soli, de quibus vide numos Emisae Syriae. Vtriusque instituti causa fuerit, quod Gordianus velut alter Alexander Persas in solem orientem positos oppugnatum ibat.

Litera solitaria E in nonnullis.
AE. C.

PAVTALIA.

Mediterranea ad Strymonem fl., vel saltem prope hunc, ut docebunt numi. Haec urbs, quae in imperatoriis *Pautalia* semper dicitur, in autonomis se vocat *Pantaliam.* Stephano dicitur Παιταλια μοιϱα Θϱακης, *Paetalia pars Thraciae* [k]), sed vel corruptus locus est, ut revera ordinem Stephani alphabeticum non sequitur, vel haec Paetalia diversa est a nostra Pautalia.

Autonomi.

Caput Apollinis. ℞ ΠΑΝΤΑΛΕΩ. ΕΝΠΑΙΩ. *Caput bovis.* AE. III. (Pellerin, Mus. Caes.)

Caput muliebre cincinnis ornatum. ℞ ΠΑΝΤΑΛΕ --- ΚΝΙ - - *Caput bovis simile.* AE. III.

Posteriorem hunc vidi Romae in mu-

---

i) Class. I. n. 195. k) pag. 537.

seo Christinae literis, quas proposui, luculentis, reliquis exesis. Alius similis proditur in museo Theupoli [l]), sed in quo praetenditur lectio: ΠΑΝΤΑΛΕΟΝΙΔΙΩ. Pantaleam ergo hanc urbem vocant hi numi, et eodem modo compellatur etiam a compluribus aevi inferioris scriptoribus, quibus adeo inique erroris notam impingit Holstenius [m]), nam videtur serius vetus Pantaleae appellatio revocata.

Mentio situs: EN. ΠΑΙΩ. quam et supra in Nysae numo vidimus, quo addito hae urbes sese in *Paeonia* sitas profitentur. Eam regiunculam plerique Macedoniae inserunt. Quidquid erit, istud certum, quo tempore imperatorii hujus urbis numi signati sunt, Thraciae fuisse insertam, quoniam ἡγεμονας numis inscripsit, qui magistratus provinciae Macedoniae incompertus fuit.

AE. RRR.

Imperatorii.

Copiosi ab Hadriano usque ad Elagabalum.

Epigraphe: ΠΑΥΤΑΛΙΩΤΩΝ, et inde a M. Aurelio frequenter ΟΥΛΠΙΑΣ. ΠΑΥΤΑΛΙΑΣ. In uno Commodi: ΠΑΥΤΑΛΙΑΣ. ΟΥΛ. (Mus. Caes.)

Typi in tanto numero varii, ac obvii. Illustriores sunt:

Fluvius decumbens dexteram cornui copiae imponit, sinistram urnae, ex qua aqua profluit, superne puellus stans botrum ex vite promit, juxta ΒΟΤΡΥ., *pro pedibus fluvii puellus alius, scripto juxta* ΑΡΓΥΡΟΣ, *pone puellus alius sedens, juxta* ΧΡΥΣΟΣ, *in imo puellus messor, juxta* ΣΤΑΧΥ. in numo Caracallae. AE. I.

Non alius est in regno monetario numus, in quo urbs quaepiam agri sui proventus tam canore depraedicet. Exstat in museo Em. Card. Stephani Borgiae, eumque Nicolaus Schow singulari dissertatione Romae illustravit. Totum argumentum facile explicatu. Fluvius est Strymon, ut patebit ex numo Pautaliae alio. ΒΟΤΡΥς, *botrus*, et ΣΤΑΧΥς, *spica*, vini et frumenti fertilitatem, ΧΡΥΣΟΣ et ΑΡΓΥΡΟΣ *auri* et *argenti* metalla indicant. Hunc tractum a fodinis fuisse celebrem, docebimus in numis Philippi Macedoniae regis. Addo testimonium aliud ex Suida, (in Χρυσος κολοφωνιος) qui fodinarum auri circa Strymona fl. meminit.

Mons arboribus consitus, in cujus vertice templum, ad ejus radices aliud, et circum eundem alia tria, infra tres figurae accedentes, Caracallae. (Mus. Caes.)

Indicat typus loci religionem, sed cujus reliquae causae nobis ignotae.

* * *

Magistratus ἡγεμων.

Sub Antonino: ΗΓΕ. Μ. ΠΟΜΠΗΙΟΥ. ΟΥΟΠΕΙΣΚΟΥ. (Mus. Caes. Vaill.) Idem legitur in numis Bizyae, et Hadrianopolis. — ΗΓΕ. ΓΑΡΓΙΛΙ. ΑΝΤΙΚΟΥ. (Vaill.)

Sub Aurelio: ΗΓΕ. Μ. ΤΟΥΛΛΙΟΥ. ΜΑΞΙΜΟΥ. (Vaill.) Est etiam in Hadrianopoli. — ΗΓΕ. Κ. ΤΟΥΛΛΙΟΥ. ΜΑΞΙΜΟΥ. (Mus. Caes.)

---

l) pag. 1287. m) Notae ad Steph.

Sub Vero: ΗΓΕ. Μ. ΤΟΥΛΛΙΟΥ. ΜΑΞΙΜΟΥ (Mus. Caes.) — ΗΓΕ. ΓΑΡΓΙΛΙ. ΑΝΤΙΚΟΥ. (Vaill.)

Sub Comodo: ΗΓΕ. ΚΛ. ΑΤΤΑΛΟΥ. (Mus. Caes.) ΗΓΕ. ΚΛΙΝΑΤΕΙΝΟΥ. (Mus. Caes.) ΗΓΕ. ΙΟΥ. ΚΑCΤΟΥ. (Liebe p. 280.) qui est etiam in numo Hadrianopolis.

Sub Severo: ΗΓΕ. Τ. ΑΙΛΙΟΥ. ΝΕΡΑΤΙ. (Vaill.) — ΗΓΕ. ΚΑΙΚΙΝΑ. ΛΑΡΓΟΥ. (Mus. Caes.) Est etiam in numo Serdicae. ΗΓΕΜΟ. C ... ΤΙΛΙΟΥ. ΒΑΡΒΑΡΟΥ. (Mus. Caes.) Collato numo hoc cum aliis Anchiali et Augustae Trajanae, in quibus legitur: ΗΓΕ. CΤ. ΒΑΡΒΑΡΟΥ, videntur vera hujus magistratus nomina fuisse: CΤΑΤΙΛΙΟC. ΒΑΡΒΑΡΟC.

Sub Plautilla: ΗΓΕ. CΙΚΙ. ΚΛΑΡΟΥ. Collatis numis musei Caesarei et Pellerinii, item alio Caracallae musei Caesarei apud Hadrianopolin signato haec ejus magistratus nomina eruuntur.

* * *

Mentio situs: ΕΝ. ΠΑΙΩ. vidimus in autonomis. Aliam a *Strymone* suppeditat numus insignis Caracallae musei Caesarei, in cujus imo: CΤΡΥΜΩΝ. *Vir barbatus sedens dexteram navi applicat, s. arundinem, et simul urnae innixus.* Ex quo corrigendae chartae geographicae variorum, in quibus Pautalia Hebro propius admovetur, vel saltem a Strymone longius arceatur, ut jam advertit Froelichius [n]).

AE. C.

PERINTHVS.

Vrbs illustris ad Propontidem.

Autonomi:

ΤΟΝ. ΚΤΙCΤΗΝ. ΙΩΝΩΝ. *Caput Herculis laur.* ℞ ΠΕΡΙΝΘΙΩΝ. ΔΙC. ΝΕΩΚΟΡΩΝ. *Clava.* AE. III. (Pellerin, Mus. Theup.)

ΗΡΑΚΛΗ. ΚΤΙΣΤΗ. *Caput Herculis.* ℞ ΠΕΡΙΝΘΙΩΝ. *Caput Bacchi.* AE. II. (Mus. Caes.)

Et conditorem et natales urbis hi numi praedicant. Stephanus eam refert traxisse nomen a Perintho Epidaurio Orestis commilitone. At cum Ammiano narrante [o]), Herculem conditam a se Perinthum ex comitis sui nomine appellasse, conspirant numi. Accedit, quod Herculis cultus ita apud hanc urbem invaluit, ut jam Ptolemaei geographi aevo diceretur *Perinthus sive Heraclea*, et infimo aevo *Heraclea Perinthus*, vel *Heraclea Thraciae*, de quo vide Cellarium. Tamen nunquam Heracleae, semper Perinthi nomen numis infertum est, secus quam alii censuere, ut dixi supra in Heraclea Thraciae. De Perinthi natalibus lege copiose disserentem Buonarrotium [p]).

Iones sese etiam vocant Perinthii, et quidem etiam in imperatoriis inde a Vero frequenter, quo firmatur testimonium Marciani Heracleotae *Samiorum coloniam* diserte perhibentis.

Capita jugata Jovis et Junonis, quorum utrique flos loti imminet. ℞ ΠΕΡΙΝΘΙΩΝ. *Caper stans.* AE. III. (Pembrock).

Caput Herculis. ℞ ΠΕΡΙΝΘΙΩΝ. *Flos loti.* (in meis Num. vet. p. 58.)

Fuisse Perinthios Aegyptiorum cultui

---

n) IV. Tent. p. 206. o) L. XXII. c. 12. p) Osserv. ist. p. 182.

addictos ex eorum moneta passim intelligas. Harpocratem quoque sistit numus Theupoli, Apin, Sarapidem, Isidem Hunterianus. In numis praesentibus habemus deos Graecos more Aegyptio compositos, et quoniam cum Hercule in aversa jungitur lotus, verisimile est indicari Herculem Aegyptium Nilo natum, de quo Cicero q), et quae plura in opere citato attuli.

AE. R.

Imperatorii.

Abundant, et sunt a Claudio usque ad Valerianum. Maxime illustres, et quidem maximae formae signati sunt imperante Severo, quippe qui urbem subjecto ei Byzantio, quia haec urbs a Pescennio stabat, auxit.

Epigraphe: ΠΕΡΙΝΘΙΩΝ, addito saepe ΙΩΝΩΝ, ut dixi.

Typi: saepe labores Herculis proponunt. Insigniores nonnullos commemorare juvat:

Hercules aprum Erymanthinum portans attonito ad hoc spectaculum Eurystheo, et ex dolio, quo se receperat, prospectante sublatis alte manibus, Gordiani max. mod. (Mus. Caes.) Getae m. m. (Albani, C. Vitzai.)

Eadem aversa est etiam in numo Pergami musei Caesarei, similemque, sed typo vitiato, editum video in Verona illustrata r). Adde Alexandrinos Antonini. In numo Postumi cum simili typo scriptum est: HERCVLI. ERYMANTHINO.

Hercules aves Stymphalidas sagittis configens, Gordiani. (Mus. Albani.)

Idem typus est etiam in numo Nicaeae, et Alexandrinis Antonini.

Bacchus seminudus stans d. thyrsum, s. Ariadnen humi jacentem et soporatam indicans. Bacchum circumstant tres Satyri attoniti, juxta stat vir Philosophum habitu adsimilans, barbatus, indutus pallio, s. scipionem tenens, in numo Alexandri. (Numi max. mod. reg. Gall.)

Singularem hunc numum facit perelegans signorum varii characteris compositio. Argumentum ad Bacchum pertinet, qui Ariadnen a Theseo in insula perfide destitutam ac prae dolore semianimem reperit, sibique vindicavit. Sub philosophi habitu latere Silenum praeceptorem nullus ambigo, nam et in gemma vetere philosophum ementitur s). Idem se Baccho philosophiae praecepta tradidisse profitetur t), et a Virgilio de naturae arcanis subtiliter disputans inducitur v). Adde Synesium x). In pictura Herculanensi ejusdem argumenti adstat quoque Silenus, sed habitu cultuque solito y).

Juppiter sedens dextera extenta, s. hastam, superne hinc sol, inde luna, inferne duae mulieres decumbentes, et singulae cornu copiae tenentes. Numi oram finit zodiacus, Alexandri Sev. (Num. max. mod. reg. Gall.) In alio simili *humi decumbunt hinc mulier, inde fluvius.* (Mus. M. Ducis).

Illustris typus Jovis coelum terramque secundum veterum doctrinam nutu moderantis.

---

q) De Nat. deor. L. III. r) Part. III. p. 235. s) Winkelm. Pierr. grav. p. 236. n. 1470.
t) Caess. Juliani in Probo. v) Eclog. VI. x) Encom. calv. y) Tom. II. Tab. 16.

ΦΙΛΑΔΕΛΦΕΙΑ. ΠΕΡΙΝΘΙΩΝ. ΝΕΩΚΟΡΩΝ. *Hercules mulierem inferne in serpentes desinentem sinistra corripit, eique sublata clava ictum intentat.* Severi max. mod. (Pellerin Mel. I. p. 74.)

Thema numi est Echidna cum Hercule primum discors, ejus deinde amica, ut videre est ex subjecta Pellerinii explicatione. Rarus hic typus in monumentis veterum, repertus tamen ante annos non multos Romae in opere marmoreo anaglypho, quod inlatum museo Cardinalis Alexandri Albani a Stephano Raffeio vulgatum et explicatum est. Addo testimonium Tzetzis ab utroque praeteritum: Εχιδνα περι Λυδιαν στερνα και κεφαλην κορη, τα δε κατω οφις, *Echidna circa Lydiam uberibus et capite puella, inferne serpens.* Simile argumentum vide in Alexandrinis Antonini.

* * *

Magistratus.

Et primum quidem *legati:*

ΕΠΙ. ΙΟΥ. ΚΕΛΣ. ΠΡΕC. pro quo perperam legit Vaillantius: ΕΠΙ. CΤΡ. ΙΟΥ. ΚΕΛCΟΥ. ut docet Pellerinius, (Mel. II. p. 60.) in numo Trajani.

ΕΠΙ. ΑΝΤ. ΖΗΝΩΝΟC. Faustinae sen. (Pellerin.) Hunc Ant. Zenonem fuisse legatum, patebit mox infra in Philippopoli.

Praesides, ἡγεμονας, sub Antonino suffectos comprobant numi:

ΗΓΕ. ΙΟΥ. ΚΟΜΜΟΔΟΥ. in numo Antonini. (Vaill.) Est idem in numo Topiri.

ΗΓΕ. ΑΝΤΙΚΟΥ. M. Aurelii. (Vaill.) Legitur etiam in numis Antonini Pii, et Veri Pautaliae.

Numus Antonini, in quo legit Vaillantius: ΤΠ. ΦΑΒ. ΑΓΡΙΠΠΕΙΝΟΥ, restituendus Topiro.

Magistratus incertus est, quem legit Bandurius in numo Valeriani: ΕΠΙ. ΑΠΟΛΛΩΝΙΔΟΥ.

* * *

Ludi:

ΑΚΤΙΑ. ΠΥΘΙΑ. Severi, (Vaill.) adduntur etiam ΦΙΛΑΔΕΛΦΕΙΑ, Severi, (Vaill.) Caracallae Aug. et Getae Caes. (Pellerin.)

ΦΙΛΑΔΕΛΦΕΙΑ, passim in numis Severi.

CΕΥΗΡΕΙΑ. ΠΡΩΤΑ. Severi. (Vaill.) Acta Perinthi Πρωτα, ex quo ei Severus Byzantium subjecit, ut diximus.

ΗΡΑΚΛΕΙΑ. ΠΥΘΙΑ. Severi. (Mus. Caes.)

ΕΠΙΔΗΜΙΑ. Β. CΕΥΗΡΕΙΑ. *Triremis, desuper templum*, Severi. De his Epidemiis vide tractatum de Ludis.

* * *

Neocoratus, isque simplex primum inscriptus comparet in numis Severi sic: ΠΕΡΙΝΘΙΩΝ. ΝΕΩΚΟΡΩΝ. Vaillantius concessum neocoratum alterum sub Elagabalo statuit [z]), cum tamen jam sub Severo numum cum altero neocoratu descripserit, qui idem citatur etiam in Theupoli. His adde numum Caracallae musei Caesarei inscriptum et hunc ΔΙC. ΝΕΩΚΟΡΩΝ., quibus adeo numis omnis tollitur ambiguitas, quae propter tempus iterati hujus honoris suspensum tenuit Pellerinium [a]). Verum nonnisi exeunte Severi imperio eum collatum, probat nu-

[z]) Num. Graec. p. 129. [a]) Mel. II. p. 289.

mus Haymii [b]), in cujus antica Geta jam dicitur Augustus cum solo in aversa ΝΕΩΚΟΡΩΝ. Constat, Getam nonnisi biennio ante Severi mortem Augustum appelatum, intra quod adeo tempus collatus neocoratus alter. Ab hoc tempore constanter scripsere ΔΙϹ. ΝΕΩΚΟΡΩΝ., vel ut est in numo Gordiani musei Caesarei Δ. ΝΕΩΚΟΡ.

* * *

Concordia cum Smyrna in numo Gordiani, (Haym.) cum Epheso Gordiani. (Vaillant.)
AE. C.

PHILIPPOPOLIS.

Mediterranea ad Hebrum fl., nomen sortita a Philippo Amyntae. F.

Autonomus.

Vnicus certus, quem edidi ex Mediceo: (Num. vet. p. 59.)

Caput Bacchi. ※ ΦΙΛΙΠΠΟΠΟΛΙ. *Tripus.* AE. III.

Bacchus ante Apollinem Delphicum tripodem tenuit, de quo ibi fusius egi. Propius huc pertinet, quod narrat Macrobius [c]) ex Aristotele: *apud Ligyreos in Thracia esse adytum Libero consecratum, ex quo redduntur oracula; sed in hoc adyto vaticinaturi plurimo mero sumpto, uti apud Clarium aqua potata, effantur oracula.* Etiam ab Euripide Bacchus apud Thracas vates proditur [d]):

Ὁ Θρῃξι μαντις ἐιπε Διονυσος ταδε.

Apud Thracas vates dixit Bacchus ista.

Et in Bacchi certaminibus praemium fuisse tripodem refert Athenaeus [e]). Nimirum ut de Baccho testatur Euripides [f]):

Μαντις δ' ὁ δαιμων ὁδε. Το γαρ Βακχευσιμον
Και το μανιωδες μαντικην πολλην ἐχει,
Ὁταν γαρ ὁ θεος ἐις το σωμ' ἐλθῃ πολυς,
Λεγειν το μελλον τους μεμηνοτας ποιει.

Vates vero deus hic est. Etenim Bacchatio,
Et insania vaticinandi vim magnam habet;
Quando enim hic deus in corpus venerit multus,
Vaticinari insanientes facit.

Constat, Cassandram passim a poetis jam Bacchantem, jam vatem dici.
AE. RRRR.

Imperatorii.

A Domitiano usque ad Saloninam. Ejus moneta maxime illustris imperante Caracalla, ut videbimus infra in Ludis.

Epigraphe : ΦΙΛΙΠΠΟΠΟΛΕΙΤΩΝ, ΦΙΛΙΠΠΟΠΟΛΕΩϹ, item ΕΝ. ΦΙΛΙΠΠΟΠΟΛΕΙ. in numis ludorum.

Memorabiles numi Domitiani bilingues:

IMP. CAES. DOMIT. AVG. GERM. COS. XIIII. CENS. PER. P. P. *Caput laur.* ※ ΦΙΛΙΠΠΟΠΟΛΕΙΤΩΝ. *Mulier stans d. pateram, s. ramum, pro pedibus fluvius decumbens.* In aliis : *Miles stans.* AE. m. m. AE. II. (Mus. Caes.)

Similem edidi etiam ex Mediceo [g]). Alius est in Theupoli, omnes cum eodem

---

b) T. II. p. m. 336. c) Sat. L. I. c. 18. d) Hecuba v. 1267. e) L. II. p. m. 37. f) in Bacchis v. 298. g) Num. vet. p. 60.

consulatu XIIII. Quae causa fuerit, cur Philippopolitae hoc anno tam illustres numos signaverint capta ex numis Romanis parte antica, incertum. Forte aliquo modo imitati sunt ludos saeculares, quos Domitianus in consulatu XIIII. tanto fastu celebravit.

Typi: saepe *fluvius decumbens*, qui Hebrus est, cui urbs adsita. Nobiliores alii infra describentur.

* * *

Magistratus. Primum *Legatus.*

ЄΠΙ. ΑΝΤ. ΖΗΝΩΝΟϹ. ΠΡ. ϹЄΒ. ΑΝΤ. in numo Antonini. (Mus. Caes. Pellerin Mel. II. p. 357.) Idem est in numo Perinthi. Alium Faustinae sen. vulgatum ab Haymio, tributumque Bithynis huc verisimiliter pertinere dicetur in prolegomenis ad numos Bithyniae.

Praeses, ἡγεμων in legati locum successit imperante eodem Pio, ut in Perinthi numis vidimus, et duravit deinceps.

Sub Antonino: ΗΓЄ. ΠΟΜ. ΟΥΟΠЄΙϹΚΟΥ. (Mus. Caes.) Legitur idem in numis Hadrianopolis, Pautaliae, Plotinopolis. — ΗΓЄ. ΓΑΡΓΙΛΙΟΥ. ΑΝΤΙΚΟΥ. (Vaill.) Est etiam in numis Pautaliae. — ΗΓЄ. Μ. ΠΟΝΤ. ϹΑΒЄΙΝΟΥ. (Vaill.) Idem est in numo Hadrianopolis.

Sub Aurelio: ΗΓЄ. ΓΑΡΓΙΛΙΟΥ. ΑΝΤΙΚΟΥ. (Vaill.) etiam in numis Perinthi, item Pautaliae, sed cum capite Veri.

Sub Commodo: ΗΓЄ. Μ. ΑΙ. ϹЄΡΟΥΙΛΙΑΝΟΥ. (Vaillant.) — ΗΓ. ϹΟΥΛ. ΜΑΡΚΙΑΝΟΥ. (Catal. d'Ennery p. 476.)

Sub Severo et Domna: ΗΓЄ. ΤΙΒ. ΒΑΡΒΑΡΟΥ. (Vaill.) Barbarus est etiam in numo Pautaliae, Serdicae et Trajanopolis Severi.

* * *

Ludi:

ΚΟΙΝΟΝ. ΘΡΑΚΩΝ. ΑΛЄΞΑΝΔΡЄΙΑ. (juncto saepius ΠΥΘΙΑ.) ЄΝ. ΦΙ. vel: ΦΙΛΙΠΠΟΠΟΛΙ. *variis typis*, Caracallae m. m. (Vaill. Mus. Caes.)

Complures numos sic inscriptos memorat Vaillantius, et tantum sub Caracalla. Narrat Herodianus [h]), Caracallam, cum a Danubio in Thraciam Macedonibus conterminam declinaret, repente Alexandrum M. evasisse, ejus memoriam, quibus potuit modis renovasse, imaginibus et statuis per omnes urbes collocari jussis. Quod hic vage Herodianus absque urbis mentione perhibet, istud factum, cum Philippopoli degeret, ex ipsis his numis satis apparet, *communi Thracum* ad obeundos *Alexandreos* hos ludos coacto. Enimvero in alterius imperatoris numis Philippopoli cusis hi ludi non amplius leguntur, nimirum hic oppidanorum in Alexandrum adfectus imperatus erat, deinceps neglectus.

ΠΥΘΙΑ vidimus cum Alexandreis conjuncta. Elegantem typum Pythiorum edidi ex numo Elagabali musei Caesarei [i]), in quo abest quidem mentio horum ludorum, qui tamen satis et adstante Apolline, et propositis malis indicantur, de quibus, utpote hieronicarum Pythiorum praemio, vide tractatum de ludis.

h) in Carac. p. m. 548. i) Num. vet. p. 60.

ΚΕΝΔΡΕΙϹΕΙΑ. ΠΥΘΙΑ. ΕΝ. ΦΙΛΙΠΠΟΠΟΛΙ. ΝΕΩΚΟΡΩ. *Templum 8. col.* Elagabali. (Mus. Caes. Vaill.) Est etiam in museo Pisani, sed inter numos Caracallae.

De ignotis ludis Cendresiis vide tractatum de Ludis.

* * *

Metropolis. Sub Severo hoc honore adfecta creditur, nam ejus numi alii eum reticent, alii addunt.

Neocoratus incipit sub Caracalla, nam numum Aurelii addito ΝΕΩΚ. vulgatum a Vaillantio tanto certius licet negligere, cum idem auctor serius consentiat ipse, hanc urbem a Caracalla neocoratu donatam [k].

* * *

Mentio situs.

ΡΟΔΟΠΗ. *Mulier innixa scopulis s. florem, retro arbustum,* Antonini. (Seguin. Sel. num. p. 157.)

Rhodope notus Thraciae mons, a quo et ipsa urbs vocata *Rhodope;* nam in apospasmatio, quod est in Hudsoni Geogr. min. Tab. IV. sub finem p. 43, legitur: Ροδοπη ἡ Φιλιππσπολις. Existimat Seguinus, figura muliebri sisti Rhodopen Strymonis F. in montem mutatam. Addo, florem, quem manu praefert, videri rosam cum adlusione ad urbis nomen.

AE. C.

* * *

Colonia. Exstant numi Philippi sen. et Marini:

ΦΙΛΙΠΠΟΠΟΛΙΤΩΝ. ΚΟΛΩΝΙΑϹ. S. C. *Roma galeata sedens d. aquilam, cui insistunt duae icunculae, s. hastam,* Philippi sen. (Vaill. Theup.)

Alius, sed eadem Roma stans d. pateram, s. hastam, pro pedibus clypeus. (Arigoni.)

ΘΕΩ. ΜΑΡΙΝΩ. *Caput Marini nudum aquilae volanti impositum. Aversa ut in numo I.* (Vaill. Seguin. p. 182.)

Alius, sed aversa, ut in numo II. (Theupoli.)

Omnes hos Vaillantius apud Philippopolin non hanc Thraciae, sed alteram Arabiae signatos iterato docet [l]. Causam adfert: *Thracica quidem metropolis dignitate in numis insignitur, Arabica vero coloniae titulum sibi adsumit, quae Marini consecrationem vulgavit, et non Thracica.* At Harduinus, et post eum alii Philippopolin Thraciae horum numorum parentem agnoscunt, in quorum sententiam propendet etiam Spanhemius [m]. Et vero cum constet, Marinum in Moesia adclamatum imperatorem, multo magis verisimile, ei post mortem a vicina Thraciae urbe signatos numos, quam a remotissimis Arabiae Philippopolitis, quos tanto minus credibile est favisse Marino, quoniam Philippum, adversus quem is conspiravit, urbis suae conditorem agnovere. Argumentum, quo sententiam suam stabilire nititur Vaillantius, sane exile est. Ait, Philippopolin Thraciae in numis dici metropolin. Nescio, quid hoc sibi velit vir eruditus. An in his quoque numis addendam fuisse metropolis dignitatem? At multo plures sunt urbis hujus numi, in

k) Num. Graec. p. 221. l) Notae ad Seguin. p. 417. et in Colon. m) Tom II. p. 254.

quibus ea dignitas dissimulatur, quam in quibus additur. An quod eadem metropolis, et colonia esse non potuit? contrarium probant Thessalonica, Sidon, Tyrus etc. Negaverit, Philippopolin Thraciae fuisse coloniam? at quis eum edocuit, alteram Arabiae fuisse coloniam? Victoris Schotti verba sunt: *condito apud Arabiam Philippopoli oppido*, loquentis de Philippo; et Zonarae: *ortus* (Philippus) *Bostris, ubi urbem imperio potitus aedificavit, eamque Philippopolin nominavit.* In eadem verba Cedrenus. Etiam Eusebius, ejusque interpres de aedificata a Philippo nominis sui urbe loquuntur n). Nulla in his coloniae mentio. Tamen eam Vaillantius constanter coloniam adserit, quam ex numis probare non potest, nisi antea probaverit, sed quod ipsum quaeritur, numos hos ad Philippopolin Arabiae pertinere. Etsi vero nullo diserto argumento constet, Thraciae Philippopolin fuisse coloniam, constat tamen, non paucas in hoc tractu urbes, quod ob barbarorum hoc aevo incursiones incolis essent exhaustae, colonis fuisse frequentatas, quod aperte docent numi Viminacii et Daciae; post annos non multos a Valeriano, ut verisimile est, Thessalonica Macedoniae colonia est deducta, eaque in numis, perinde ac Philippopolis, inscriptione Graeca est usa. Vnicum, quod opponi queat, est, citari a Vaillantio Philippopolis Thraciae numum Graecum cum capite Saloninae absque mentione coloniae, cum tamen, ut alias abunde docui, urbes, cum primum coloniam recepere, coloniae indicia seu inscriptione, seu typo nunquam neglexerint. At nequaquam molestus est hic nodus, nam fieri poterat, ut subinde haec urbs coloniae jura iterum amitteret, quod idem accidisse Neapoli Samariae ab eodem Philippo deductae verisimile dicetur, vel citatus Vaillantii numus alterius est urbis, facili lapsu in lectione nominis in ΠΟΛΙΤΩΝ desinentis, quod tot urbibus fuit proprium. Certe in museis Austriacis, quae Philippopolis numis propter viciniam sunt instructiora, ejus numi postremi in imperium Elagabali cadunt. Haec si vera sunt, omnes hi Philippi et Marini numi coloniae nomine insignes ad eandem Thraciae Philippopolin pertinebunt, acciditque his numis idem quod numis Amphipolis, qui Vaillantio judice justo tempore Amphipolin Palmyrenes exules tandem discussa melius causa Amphipoli Macedoniae restituti sunt.

Ceterum compertum non habemus, quae causa fuerit Philippopolitis cudendae Marini nomine monetae, ejusque etiam consecrandi. Si cui exiles conjecturae placent, adeat Seguinum, et Spanhemium o).

AE. RRR.

PLOTINOPOLIS.

Mediterranea ad Hebrum fl. sic vocata a Plotina Trajani uxore.

Imperatorii.

Hactenus tantum proditi Antonini,

---

n) in Chronico. o) ll. cc.

Faustinae jun., et Caracallae. Aurelii unum nuper adjecit Sestinius.

Epigraphe: ΠΛΩΤΕΙΝΟΠΟΛΕΙΤΩΝ. *Typi* obvii.

Magistratus ἡγεμων in solis numis Antonini: ΗΓΕ. ΠΟΜΠ. ΟΥΟΠΕΙΣΚΟΥ., quem jam vidimus in numis Hadrianopolis, Pautaliae, Philippopolis. (Mus. Caes.)

* * *

Memorandus hic numus max. mod. Caracallae vulgatus ab Arigonio:

ΠΛΩΤΕΙΝΟΠΟΛΕΙΤΩΝ. *Capita duo muliebria se respicientia, quorum dexterius velatum tutulatum, infra:* ΠΛΩΤΕΙΝΟΠΟΛΙΣ., *sinisterius velatum turritum, infra:* ΔΟΜΙΙΝΟΠΟΛΙΣ. *(sic) in imo:* ΑΔΕΛΦΑΙ.

Inquirendum aliis permitto, quae sit memorata in hoc numo *Domenopolis*, quo nomine neque Thraciae, neque alterius regionis urbs ulla proditur. Ἀδελφαι dici potuere in Moesia et Thracia Trajanopolis, Plotinopolis, Marcianopolis, Nicopolis, quippe omnes aliquo saltem sensu a Trajano conditae, ut se ἀδελφας in numis dixere IV. Syriae urbes a Seleuco exstructae. Forte harum una a Severi conjuge dicta est *Domnopolis* temporario tantum nomine, atque iterum post mortem abolito. At oportet ante omnia veram numi lectionem stabilire, cujus fides in typis Arigonianis persaepe suspecta est.

AE. R.

SERDICA.

Mediterranea versus Moesiam, cui a nonnullis geographis inserta fuit.

Numos *autonomos* ex museo Hunteriano edidit cl. Combius:

Caput Mercurii petaso tectum. Ɀ *Area in quatuor partes secta, intra quas literae* ΤΡΙΑ. AE. III. IV.

Numum his similem vidi in museo privato Vindobonae. Eos Combius tribuit Triaditzae Moesiae, vel Thraciae. Teste Cellario auctores conspirant omnes, urbem, quae Serdica ante dicta fuit, serius Triaditzam appellatam fuisse. Ex numis discimus, Serdicam adhuc Gallieni aetate vetus suum nomen retinuisse. At quis sibi facile persuaserit, Thraciae mediterraneae urbem signare numos Triaditzae nomine perrexisse ea aetate, qua urbes per imperium omnes ferire monetam desivere? Quid quod non inelegans horum numorum fabrica, et tota eorum conformatio altiora tempora palam postulant. Interea ut hujus Triaditzae certo non sunt, sic cui urbi verisimili quadam ratione sint tribuendi, ignorare me profiteor. Eos nuper Sestinus Triullo nescio cui Macedoniae urbi tribuendos putavit, quam vide.

Imperatorii.

Procedunt ab Aurelio, exeunt cum Gallieno.

Epigraphe: ΣΕΡΔΩΝ, vel ΟΥΛΠΙΑΣ. ΣΕΡΔΙΚΗΣ. et sic marmora, et Peutingeriana, at infimi aevi scriptoribus cum Graecis, tum Latinis dicta est *Sardica*, secundum quod futile ΣΑΡΔΙΚΕΩΝ Goltzii.

Typi obvii, etsi ingens sit ejus numorum copia.

Magistratus ἡγεμων, *praeses*, in tribus

numis proditus: ΗΓΕ. ΚΛ. ΑΠΠΙΟΥ ΜΑΡΤΙΑΛΟΥ. in binis Veri. (Mus. Caes.) Idem habetur etiam in numo Anchiali, sed cum capite Domitiani teste Vaillantio, qui numum ex Leonardo Augustino, sed auctore, ut constat, parum idoneo, recitat. — ΗΓΕΜ. Λ. ΕΙΤΕΙ. ΒΑΡΒΑΡΟΥ. in numo Severi, quae lectio vitii suspicione non caret. Confer Barbarum inscriptum numis Trajanopolis. — ΗΓΕ. ΚΑΙΚΙΝΑ. Λ-- in numo Severi, (Neumann.) quem minus lacerum vide in Pautalia.

AE. C.

THERNE.

Obscura Thraciae urbs ex Stephano nota. Numus ΘΕΡΝΑΙΩΝ ab Harduino ex museo regio vulgatus reddendus Eleuthernis Cretae.

TIRIDA.

Vrbs Thraciae prope Abderam, jam Plinii aetate perdita, qui eam *oppidum Diomedis equorum stabulis dirum* appellat p). Ei a Combio tribuitur.

Autonomus.

Caput Herculis barbatum, et leonis pelle obtectum. Ӿ T *in medio, ex quo duo botri dependent, infra literae* Я I, *omnia intra quadratum.* AR. III. (Mus. Hunter.)

Ex collectis his literis Combius efficit TIR. nempe syllabam hujus oppidi ἀρχαιοσημ. Commode istud, quanquam absterrere possit urbs magis ex fabulis, quam vera historia cognita, et erunt forte, quibus potius legendum TRI. videbitur, numusque adeo tribuendus Triccis Thessaliae.

TOPIRVS.

Ad mare Aegaeum.

Imperatorii.

Ab Antonino usque ad Getam.

Epigraphe: ΤΟΠΕΙΡ ΤΩΝ, vel: ΟΥΛΠΙΑΣ. ΤΟΠΕΙΡΟΥ.

Ex *typis* frequentior: *Hercules nudus saxo insidens d. clavam ad genu attinet.*

Magistratum tantum Antonini numis inscriptum reperio:

ΕΠΙ. ΦΑΒ. ΑΓΡΙΠΠΕΙΝΟΥ. typo Herculis sedentis eo modo, quo dixi, (Mus. Caes.) ex quo haud dubie corrigendus Vaillantius, qui in numo cetera simillimo legit ΠΕΡΙΝΘΙΩΝ. (Num. Graec. p. 45.)

ΕΠΙ. ΙΟΥ. ΚΟΜΟΔΟΥ. eodem typo in binis musei Caesarei. At in simili Vaillantius legit ΗΓΕ. ΙΟΥ. ΚΟΡΔΟΛΟΥ., de qua lectione dubitem. In numis Perinthi vidimus: ΗΓΕ. ΙΟΥ. ΚΟΜΜΟΔΟΥ.

AE. R.

TRAIANOPOLIS, quae et AVGVSTA TRAIANA.

Trajanopolis mediterranea ad Hebrum fl. conditorem ipsa suum eloquens.

Imperatorii.

Ab Aurelio usque ad Gordianum.

p) L. IV. §. 18.

Epigraphe: ΤΡΑΙΑΝΟΠΟΛΕΙΤΩΝ.
Typi obvii.
Magistratus: Ηγεμων.
ΗΓ. ΑΚΙΛΙΟΥ. in numo Severi. (Vaill.)
ΗΓΕΜΟC. ΤΙΒ. ΒΑΡΒΑΡΟC. in numo Severi, (Vaill. Theup.) de quo vide mox infra.

* * *

Augusta Trajana, quae utrum eadem sit cum Trajanopoli, mox disputabitur.

Imperatorii

inscripti ΑΥΓΟΥCΤΗC. ΤΡΑΙΑΝΗC. ab Aurelio usque ad Getam.
Magistratus: ἡγεμων.
ΗΓΕ. ΤΟΥΛ. ΜΑΞΙΜΟΥ. in numis Aurelii et Veri. (Vaill. Theup.) Idem legitur in Hadrianopoli et Pautalia.
ΗΓΕΜΟC. ΤΑΤΙΑΝΟC. Commodi, (Vaillant.) quem et Hadrianopolis praedicat.
ΗΓΕ. Τ. ΒΑΡΒΑΡΟC. Severi. (Theup.)
ΗΓ. CΤ. ΒΑΡΒΑΡΟΥ. Severi. (Mus. Caes.)
Magistratus domesticus:
ΕΠΙ. vel ΤΠ. Γ. CΙΚΙΝ. ΡΟΥΦΟΥ. Caracallae, Plautillae. (Arigoni. Vaill.)

* * *

Quaeritur, fueritne Augusta Trajana eadem cum Trajanopoli. Fuere, qui numos inscriptos ΑΥΓΟΥCΤΗC. ΤΡΑΙΑΝΗC. Sarmizegetusae Daciae tribuerent, quae fide marmorum *Colonia Vlpia Trajana Augusta Dacica* vocabatur, et nutabat Froelichius quoque q). Verum huic Daciae urbi hos posse numos tribui, obstat, quod haec ab eo tempore, quo Romanis paruit, colonia fuit, cujus mentione tam parum, quam aliae urbes coloniae honore adfectae abstinuisset, et nescio, cur ea urbs colonia inscriptione Graeca usa esset, cum aliae urbes in ipsa Graecia, ejusque umbilico constitutae, simul ac coloniae deductae sunt, Latina fere semper uterentur, neque ullo monumento constet, Daciam colonis Graecis fuisse frequentatam. Cum igitur ex numorum fabrica et mentione ἡγεμονος certum sit, eos hujus tractus esse partum, neque in eo praeter Trajanopolin de alia urbe constet, quae a Trajano appellationem traxisset, non videtur inter ΤΡΑΙΑΝΟΠΟΛΙΤΩΝ, et ΑΥΓΟΥCΤΗC. ΤΡΑΙΑΝΗC. distinguendum, nisi velimus etiam distinguere inter CΕΡΔΩΝ, et ΟΥΛΠΙΑC. CΕΡΔΙΚΗC, aut inter ΠΑΥΤΑΛΙΩΤΩΝ et ΟΥΛΠΙΑC. ΠΑΥΤΑΛΙΑC, aut etiam distinguere inter Istriam et Istropolin, Odessum et Odessopolin, Scodram et Scodropolin, Solos et Solopolin, Ceramum et Ceramopolin.

In horum numorum explicatione mira dictavit Harduinus, cui combinatis iis, quae in Operib. sel. disserit, (pag. 171, et 176.) Sarmizegetusa et Trajanopolis Thraciae una eademque videntur urbs esse. Alii hos numos Trajanopoli Phrygiae, alii Augustae Ciliciae proprios esse voluere, quos refellere supervacaneum est.

* * *

Discrimen inter numos hujus Trajanopolis, et alterius Phrygiae tum tantum

q) IV. Tent. p. 278.

statui potest, cum additur magistratus, nam in illa fuere ἡγεμονες, in hac ἀρχοντες. In aliis nonnunquam fabrica et typi lucem adferunt. Sed non consentio cum Froelichio, qui numum Caracallae propter typum Cybeles Phrygiae nonnihil timide largitur [r]). Cybele passim in numis urbium Thraciae offertur.
AE. C.

TRIADITZA.

Vide supra in *Serdica*.

TYLIS.

Numos ΤΥΛΙΣΙΟΝ a Liebeo aliisque obscurae huic Thraciae urbi adscriptos tribuendos esse Tylisso Cretae, ad numos hujus urbis docebimus.

CHERSONESVS THRACIA.

Peninsula mari Aegaeo, Hellesponto, Propontide intercepta complures urbes alicujus nominis inclusit, quas huc distulimus. Ipsius peninsulae nomine numos nullos habemus, nam inscripti ΧΕΡ. vel ΧΕΡΣΟ. sunt Chersonesi Tauricae vel Creticae.

AEGOSPOTAMVS.

Flumen et urbs, prope quam celebri praelio fractae a Lysandro Atheniensium vires maritimae.

Autonomi.

Caput muliebre tectum corona fastigiata ✕ ΑΙΓΟΣ. ΠΟ. *Caper.* AE. III. (Mus. Caes. Haym.)

Caprum adludere ad urbis nomen, quod *capri fluvium* notat, nemo non videt.
AE. RRR.

ALOPECONNESVS.

Vrbs hujus Chersonesi secundum geographos omnes, non vero, ut docuit Plinius, insula, cui altera vocabuli pars imposuerit.

Autonomus.

Caput muliebre. ✕ ΑΛΩΠΕΚΟΝ. *Diota, juxta vulpecula et botrus.* AE. III. (Pellerin Suppl. I. p. 13.)

Ad urbis iterum nomen aversae typo adluditur. Narrat Stephanus, oraculo jubente conditam urbem eo loco, quo vulpis catulos, ἀλωπεκος, novi coloni viderent. Scymnus eam Αἰολεων πολιν vocat.
AE. RRRR.

CALLIPOLIS.

Autonomum huic urbi tribui video in museo Theupoli sic descriptum: *Clypeus.* ✕ ΚΑΛΛΙ - - *Vas ansatum.* AR. II. At hic sine dubio est unus ex Boeoticis obviis.

Imperatorium Trajani edidit Pellerinius, (Suppl. III. p. 120.) in cujus ✕

r) IV. Tent. p. 279.

Apollo stolatus stans cum lyra, et in orbem scriptum: ΑΠΟΛΛΩΝ. ΚΑΛΛΙΠ. Hoc posterius verbum aut indicat epithetum Apollinis, ut: καλλιπρόσωπος, vel καλλιπλόκαμος, aut, quod minus verisimile, urbem, ac tum esse posset hujus Callipolis. Numis igitur ea certis caret.

CARDIA.

In Chersonesi Isthmo. Eam peninsulae maximam dixit Demosthenes [s]), sed eversa est a Lysimacho, qui juxta urbem sui nominis condidit [t]).

Autonomi.

Caput muliebre. ✠ ΚΑΡΔ. *Equus pascens.* AR. III.

In alio: ΚΑΡΔΙΑ. *Leo gradiens.* AE. II. (Pellerin.)

Caput barbatum intra quadratum ✠ *sine epigraphe. Cor.* AR. III. (Pellerin.)

Typus cordis, quod Graecis καρδία, epigraphen abunde supplet.

AR. RRRR. AE. RRR.

COELA.

Municipii nomine inscripti numi complures exstant ab Antonino usque ad Volusianum.

Epigraphe: AEL. MVNIC. COEL. vel COIL. vel COELA, vel CVLLA, addito in numis Caracallae ANT.

Typus potior: *Navis dimidia imminente cornucopiae.* In aliis soliti coloniarum typi: *Lupa cum gemellis*, *Silenus*, etc.

Diu litigatum inter antiquarios, ad quam urbem referendi sint hi numi, Harduino jam Caelium Apuliae opinante, jam hanc ipsam Thraciae Coelam, jam Eliberim vel Iliberim Aquitaniae, at Spanhemio Coelobrigam Hispaniae, ac demum Vaillantio, quem plerique deinceps secuti sunt, Coello vel Coillu Numidiae. Belleyus denique eos solidis argumentis huic Chersonesi Coelae adfixit [u]). Variatio literarum OE. OI. et V. varias urbes non arguit, nam ut Latini dixere *curavit*, *ludus*, *municipium*, sic et *coeravit*, *coiravit*, *loedos*, *loidos*, *moenicipium*, *moinicipium.*

Nomen ab imperatore AEL. nempe Aelio Hadriano, quem adeo verisimile est, fuisse municipii auctorem.

ANT*oninianum* in numis Caracallae ex hujus nomine.

* * *

In similibus numis cum aliqui legerent MVN. FANE. AEL., tributi fuere jam Fano Vmbriae, jam Aelio Fanestri Hispaniae, ut dixi supra in Fano Vmbriae.

AE. R.

LYSIMACHIA.

Aedificata a rege Lysimacho ex ruinis Cardiae a se eversae, et de nomine suo appellata.

Autonomi.

Epigraphe: ΛΥΣΙ. ΛΥΣΙΜΑΧΕΩΝ.

Typi: *Caput Apollinis.* ✠ *Leo.* — *Caput Herculis imberbe.* ✠ *Victoria.* — *Caput leonis.* ✠ *Spica.* AE. III.

Leo in Lysimachiae numis frequens, at non propterea, quod Cardia, in cujus

s) Philipp. III. t) Pausan. Att. c. 9. u) B. L. T. XXV. hist. p. 102.

ea locum surrexit, hoc typo usa est, ut censuit Pellerinius, sed quia leonem frequenter in numis aeneis signavit Lysimachus ipse, a quo typus hic in conditam a se urbem suapte migravit.
AE. RR.

Regius.

Cum capite Lysimachi, quem vide infra in numis hujus Thraciae regis.

SESTVS.

Ad medium Hellespontum, cui in adversa Asiae ripa Abydus respondet, utraque olim Leandri et Herus amoribus inclyta.

Autonomi.

Caput muliebre velatum. ℞ ΣΗΣΤΙ. *Mulier sedens d. binas faces, ut videtur, juxta Herma.* AE. II. (Pellerin.)

Caput Apollinis. ℞ ΣΗΣΤΙ. *Tripus.* AE. III. (Pembrock.)

Caput Mercurii. ℞ ΣΗ. *Lyra, in area* A. AE. III. (Mus. Borgia.)
AE. RRR.

Imperatorii:

A Trajano usque ad Philippos. Domitianum adjecit Sestinius x).

Epigraphe: CHCTIΩN.

Inter *typos* illustrior est:

Leander freto innatans, et Hero porrecta ex turri lampade noctem illustrans, Caracallae. (Mus. Caes.)

Lyra, Trajani et Hadriani. (Vaill. Pellerin.)

Typum lyrae in imperatoriis item non raro adhibet opposita Abydus, velut ad indicandam utriusque urbis oppidanorum concordiam vetere utriusque amantis exemplo fundatam.
AE. RR.

INSVLAE AD THRACIAM.

LEMNVS.

Praeter Goltzii numos suspectos alium edidit Arigonius, in quo caput Vulcani, ejusque attributa, et epigraphe ΛΥΜΝΟC additis insuper 4 globulis y). Et epigraphe et globuli judicium evertunt, numusque hic haud dubie est Populoniae Etruriae. Ergo universae insulae nomine nullus hactenus certus proditus. In ea fuit urbs

HEPHAESTIA.

Autonomi.

Caput virile diadematum. ℞ ΗΦΑΙ. *Aries adstituta nonnunquam lampade.* AE. III. (Pellerin, Mus. Caes.)

Caput Apollinis laur. ℞ ΗΦΑΙ. *Lampas ardens, juxta pilei Dioscurorum, vel aries.* AE. III. (Pellerin.)

Lampadem adludere ad Vulcanalia, patebit ex iis, quae ad numum similem

x) T. IV. p. 96. y) Tab. IX. inter trientes.

Atheniensium observabo. Ceterum necesse non puto monere, Lemnum fuisse Vulcano sacram, atque ab hoc, Graecis Ηφαιστῳ, Hephaestiam nomen tulisse.
AE. RRR.

IMBRVS.

Insula exigua prope Chersonesum.

Autonomi:

Caput Palladis. ✠ ΙΜΒΡΙΩΝ. *Mulier stolata stans d. pateram, s. lyram; in alio pro lyra tenens cornu copiae.* AE. II. (Pellerin.)
AE. RRRR.

NEA.

Insula prope Lemnum, de qua vide Plinium [z], et commentantem Harduinum.

Autonomi:

ΝΕ. *Caput Aesculapii.* ✠ ΝΕ. *Pallas galeata alata gradiens instar Victoriae d. lauream, s. palmam.* AE. II. (Pellerin.)

Caput Palladis. ✠ ΝΕ. *(in monogr.) Noctua.* AE. III. (Pellerin.)

Pellerinius numum utrumque propter typos Palladis huic insulae tribuit adserente Plinio, Neam Minervae esse sacram. Sed idem Plinius Neam Troadis oppidum memorat, in quo simulacrum Minervae miraculo inclytum, ut adeo nihil certi de his numis pronunciari possit. De Pallade alata vide numos Agathoclis Syracusani.
AE. RRR.

SAMOTHRACE.

Ostiis Hebri opposita, insula mysteriis et Cabirorum religione nobilitata.

Autonomi:

Caput Palladis. ✠ ΣΑΜΟ. *addito vario magistratu:* ΣΩΚΛΕ. — ΜΗΤΡ. — ΠΥΘΟ. *Mulier sedens capite tutulato d. pateram, s. hastam.* AE. III.

Similem olim inter incertos edideram [a]). Serius cum occurrerent plures alii, in quibus invariatum ΣΑΜΟ. variantibus constanter adstitutis vocabulis, vidi, in ΣΑΜΟ. quaerendum populum, ad quem numi hi pertinerent. Et placuit Samothracia, quoniam Samosatorum Commagenes alii sunt typi, et fabrica rudior. Similem edidit Pellerinius, in quo cum legeret ΠΥΘΟ. reliqua inscriptione extrita, eum Pythopoli Bithyniae perperam tribuit [b]). Habemus ergo jam tres hujus insulae numos cum triplice vario magistratu, quorum duo sunt in museo Caesareo, tertius in Pelleriniano.

Caput muliebre. ✠ ΣΑΜΟΘΡΑΚΩΝ--ΕΙΡΩΝΟΣ. *Aries stans, infra:* ΤΡΙΟΒΟΛΟ. AE. II. (Hunter.)

Numus hic insulae nomen plene perscriptum sistit. Additum ΤΡΙΟΒΟΛΟ. pretium numi, tres obolos, exprimit.
AE. RRR.

THASVS.

Insula magni ab opulentia nominis, quam testatur incredibilis monetae argenteae copia.

---

z) L. II. §. 89. et L. IV. §. 23. a) Num. vet. p 309. b) Rec. II. p. 25.

Autonomi.

Caput Bacchi barbatum et hedera coronatum. ✕ ΘΑΤΙΟΝ. *Hercules leonis exuviis tectus flexo dextero genu arcum intendit, in area hinc* ΒΑ. *illinc* ΓΟ. *supra genu sinistrum lacerta, omnia intra quadratum.* AR. III. (Mus. M. Ducis.)

Eadem adversa. ✕ ΘΑΣΙΟΝ. *Hercules ejusdem rationis intra quadratum.* AR. I. (Pellerin.)

Horum priorem omnium elegantissimum ac singularem olim edidi [c]. Est hic antiquissimis insulae accensendus, cusus eo tempore, quo dialectus adhuc Dorica valuit. Thasios autem fuisse Dores, tradit Strabo, qui conditam Thasum refert a Pariis insulanis; sed hi ipsi teste Stephano fuere coloni ex Arcadia et Creta egressi, quas terras Dores tenuere.

Bacchi et Herculis imagines obviae in Thasi moneta. Bacchi cultum suasit excellentia vini Thasii, magni inter veteres potores nominis. Herculis cultus in hac insula vetustus fuit, nam Phoenices ei ibi statuisse templum, cum ad quaerendam Europam egressi essent, narrat Herodotus, qui et addit, Tyri quoque stetisse templum Herculi Thasio sacrum [d]. Harduinus virum hunc genuflexum, et arcum tendentem Persen Persei F. putat, nixus Pollucis testimonio, narrantis, Thasios hunc heroem in moneta signasse [e], quae opinio juvatur auctoritate Plinii docentis [f] Persas sagittandi artem ab eodem Perse edoctos. Verum cum Hercules in aliarum quoque urbium numis frequenter telum evibret, et idem praecipuis, ut dixi, honoribus in hac insula ornatus fuerit, adscripto etiam in numis obviis, de quibus mox, ipso ejus nomine, non patimur nos a recepta aliorum opinione dimoveri, quibus is manifestus Hercules videtur. Et vero qualis in his numis pingitur, eleganter describitur ab Homero [g]:

ὁ δ' ἐρεμνῃ νυκτι ἐοικως
Γυμνον τοξον ἐχων, και ἐπι νευρηφιν ὀϊστον,
Δεινον παπταινων, ἀιει βαλεοντι ἐοικως.

ille vero obscurae nocti similis
Nudum arcum habens, et ad nervam sagittam,
Torvum tuens, semper ejaculanti similis.

Literas numi prioris ΒΑ. et ΓΟ. explicare non tento.

* * *

Caput Herculis imberbe leonis exuviis tectum. ✕ ΘΑΣΙΟΝ. ΗΠΕΙΡΟ. *Tripus, humi diota.* AV. III. (Pellerin.)

Numus eximius cum a metallo et eruditione, tum quod hactenus unicus. Thasii non modo in ipsa insula divites auri fodinas tenuere, ut narrat Herodotus αὐτοπτης [h], quae causa fuit, cur olim diceretur χρυση νησος, *aurea insula* teste Eustathio [i], verum et opulentiores alias in continente Thraciae, quarum unae fuere Scaptesylae e regione Thasi positae, unde immensas opes traxisse Thasios eodem loco tradit Herodotus, alterae Datum prope Strymonem ab ipsis Thasiis conditum deductis eo colonis, ut perhibet Eustathius [k], quod subinde Philip-

---

c) Num. vet. p. 61. d) L. II. c. 44. e) Onom. L. IX. c. 6. f) L. VII. p. 415.
g) Od. Λ. 605. h) L. VI. c. 46—47. i) ad Dionys. v. 517. k) l. c.

pus Amyntae sibi subjecit conditis ibi de suo nomine Philippis, ut in horum numis dicetur.

Cum in numo praesente addatur ΗΠΕΙΡΟ, quod haud dubie positum pro Ηπειϱου, *continentis*, certum est, signatum eum in alterutra ex his fodinis in continente sitis. Pro Dato vero pugnat numus insignis, praesenti Thasiorum numo tam utriusque partis typo, quam quod aureus et ipse est, simillimus, et sola inscriptione ΦΙΛΙΠΠΩΝ differens. Quo docemur sane, Philippenses, novos Dati ejectis Thasiis incolas, secundum vetus monetae Thasiae exemplar numos cudere perrexisse. Pellerinii explicatio nonnihil differt, eo praecipue, quod in capite anticae ipsam Philippi II. imaginem videt. Mihi Herculis juvenis est, in urbium numis passim obvii.

* * *

Caput Cereris velatum. ⅹ ΘΑΣΙΟΝ. *Capita Dioscurorum intra racemos.* AE. III. (Haym.)

Causam Cereris tenemus ex Dionysio Periegete [l]), cui Thasus dicitur Δημητεϱος ἀκτη, *Cereris litus*, quia, ut ibi addit Eustathius, insula per fertilitatem felix.

* * *

Caput Bacchi hedera et corymbis coronatum, adfixo pone cornu arietino. ⅹ ΗΡΑΚΛΕΟΤΣ. ΣΩΤΗΡΟΣ. ΘΑΣΙΩΝ. *Hercules nudus stans d. clavam, s. exuvias leonis.* AR. I. an dentur et similes aurei, incertum, is, qui est in museo Caesareo, fusus est.

Nulla aliarum Graeciae urbium tanto numero tetradrachma dedit, quo ipso largi proventus, quos ex fodinis percepere Thasii, praeclare comprobantur. Valuisse vero istud monetae genus etiam apud barbaros, et ab his numos ad horum modulum plane exactos fuisse percussos, argumento est, quod magno numero reperiuntur Thasiorum numi argentei ejusdem ponderis ac probitatis, verum typis, et epigraphes literis adeo barbaris ac luxatis, ut, cujuscunque esse aetatis statuas, Thasiorum Graecorum opus nequaquam possis agnoscere. Sunt, in quibus puncta, sive globuli inscriptionis vicem subeunt, iique eadem lege positi, qua literae ipsae in veris Thasiis. Horum magnam partem a Dacis barbaris fuisse signatam, inde facile colligas, quod magna copia horum Thasiorum tam probae, quam barbarae fabricae indies in Transilvania eruitur. Similem deformis operis cum nomine Cotyos Thraciae regis vide in hujus moneta, quo loco alia ad hoc argumentum pertinentia monebo. Teste Pausania Thasii Olympiae dedicaverunt Herculem aeneum X. cubitorum, d. clavam, s. arcum tenentem [m]).

* * *

Capita juncta Silenorum instar Jani. ⅹ ΘΑΣΙ. *Binae diotae contrario situ.* AR. III. (Pellerin.)

Mirus typus utriusque partis, et incerta significatio. Eodem situ, quo diotae in aversa hujus numi, in moneta Istri Moesiae bina capita conjuncta videas.

---

l) v. 523. m) L. V. c. 25.

* * *

Caput Dianae. Ӿ ΘΑΣΙΩΝ. *Hercules stans sagittam emittit.* AE. III. (Mus. Bodl. p. 10.)
AV. RRRR. AR. C. AE. RR.

Imperatorii.

Rarissimi. Hactenus bini tantum cogniti inscripti ΘΑCΙΩΝ, unus Caracallae, (Pellerin.) alter Getae, quem ex museo M. Ducis edidi [n]). In utroque: *Hercules gradiens cum attributis.*

Huc etiam Vaillantius revocat numos cum capite Domitiani: ЄΠΙ. ΑΓΑΘΩΝΟϹ. ΘΑ. vel: ЄΠΙ. ΝЄΟΚΤΔΟΤ. ΘΑ. *Juppiter sedens d. spicas, s. hastam.* (Vaill. Mus. Caes.) sed quae sententia minus est certa. Spicae insolentius sunt Jovis attributum.
AE. RR.

REGES THRACIAE.

Industriam nostram in conquirendis, explicandisque Thraciae regum numis occuparit eruditus Cary edito insigni atque adcurato opusculo, quo eorum historiam ac numos operose descripsit explicavitque. Huic, quae hic leges, pleraque debebis, additis tantum iis, quae viro praestanti ignota fuere, quia serius in apricum prolata. Reges Thraciae non moror, qui numis caruere, Teren I., Sitalcem, Seuthem I., Maesaden, Seuthem II., Amadocum, Teren II., Cotyen I., Chersoblepten, quorum res gestas ex indicato fonte pete.

SEVTHES III.

Regnum adiit circa annum V. C. 429, Alexandro M. obnoxius. Hoc mortuo, ejusque ducibus provincias inter se partitis Thraciam Lysimachus sortitus Seuthem vi depellit, eamque quiete retinet.

Numi:

Caput nudum barbatum. Ӿ ΣΕΥΘΟΥ. *Eques citato cursu.* AE. III. (Cary.)

Alium addidit Pellerinius: (Rois p. 35.) *Caput muliebre diadematum.* Ӿ ΒΑΣΙΛΕ. ΣΕΥΤΟ. *Apollo nudus cortinae insidens d. telum tenet.* AE. III. Sed vereor, ut Seuthi huic sit proprius. Ipse vir eruditus eum seu fabrica, seu typo similem Seleuci I. Syri numis adserit; scribendum item fuerat ΣΕΥΘΟ., non ΣΕΥΤΟ., atque, ut ab idoneo auctore comperi, qui numum secundis curis examinavit, vera numi epigraphe est: ΒΑΙΣ. ΣΕΥΤ. Vnde suspicari licet, eum esse revera Seleuci, sed a rudi monetario scalptum exemplo aliorum numorum ejus Syriae regis.
AE. RRRR.

LYSIMACHVS.

Natus Pellae Macedoniae, posteaquam adolevit, ab artium liberalium studiis, et rei militaris scientia magnum nomen est adeptus, ducendisque exercitibus ab Alexandro praefectus hoc mortuo aliorum ducum consensu Thraciam abstulit,

---

n) Num. vet. p. 62.

eamque pulso Seuthe III. sibi subjecit V. C. 432. Bella cum variis regibus aemulis fortuna plerumque prospera gessit, adjecta etiam post Demetrii fugam juribus suis Macedonia. Post uxores alias Amastrien Heracleae Ponti reginam duxit et hac repudiata Arsinoen Ptolemaei Philadelphi sororem, qua instigante cum Agathoclem alterius thori filium, ac de se variis in bellis praeclare meritum morti addiceret, abalienatis a se suorum animis bello a Seleuco impetitus collatis in Phrygia signis caesus est V. C. 472. annos natus fere LXXX.

N u m i:

Caput Palladis galeatum. X ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΛΥΣΙΜΑΧΟΥ. *Victoria stans d. lauream, s. tridentem, in area caput leonis.* AV. (Pellerin.)

Caput Herculis imberbe leonis exuviis tectum. X ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΛΥΣΙΜΑΧΟΥ. *Juppiter sedens d. aquilam, s. hastam, in area leo currens, in alterius area equus marinus alatus, et leo dimidius.* AR. III. (Mus. Caes.)

Hi utriusque metalli numi ignoti fuere Caryo. Docemur ab his, Lysimachum veteres Alexandri M. typos revocasse, quod et ab aliis regibus ejus successoribus factum videbimus. Verisimile est, signatos tum, cum Macedoniam sibi subjecit. Tamen cum typis alienis est usus, leonis sui, praecipue, ut videbimus, sibi dilecti oblitus non est. Equus marinus numi postremi suspicari facit, numum signatum apud Lampsacum Mysiae. Constat, Lysimachum plures Asiae minoris urbes, ipsam etiam Ephesum aliquamdiu tenuisse.

* * *

Caput regis diadematum adstituto arietis cornu. X ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΛΥΣΙΜΑΧΟΥ. *Pallas sedens d. Victoriolam, s. hastam, et simul clypeo innixa, per aream varii magistratus, attributa, et vocum compendia, de quibus infra.* AV. m. m. AR. m. m. item I. et III.

Nullius regum veterum numi aurei argenteique majore numero habentur, nullius aurei tam pondere spectabiles. Exstant quatuor in museo Caesareo, quorum duo singuli adpendunt drachmas IV. cum semisse et granis XIII., duo alii singuli unciam omnino unam cum drachma, et granis XXVII. Aurei III. formae fere argenteis magis parabiles, sed horum plerosque propter typos parum nitidos videri fusos jam dixi in Prolegomenis generalibus cap. XI. Quanta copia potens hic rex numos aureos feriundos curaverit, praeterquam quod hodieque magno numero ex terrae latebris eruuntur, illud unum argumento sit, quod refert Latzius o), a Walachis piscatoribus in Istriga amne repertos numos aureos plus millia XL., et eos plerosque Lysimachi nomine insignes.

In omnibus his numis caput regis diademate, et cornu arietis gloriatur. Spanhemius, eumque secuti alii Alexandri M. exemplo illud a Lysimacho adhibitum censuere, verum probavi alibi p), factum istud propterea, quod ducere genus

o) Commentar. reip. Rom. L. XII. c. 1.

p) Num. vet. p. 63.

a Baccho credebatur diserte istud adserente marmore Adulitano. Eodem modo Bacchum et diadematum, et instar arietis cornutum videas in numis Nuceriae Alfaternae.

Notanda deinde inscripta his vocabula sive integra, sive truncata ΣΚΟΣΤΟΚΟΥ. vel ΖΩΠΥ. esse magistratus, suapte patet. In insigni altero argenteo, quem edidi ex museo Savorgnan [q]), legitur in area ΕΚΑΤΑΙΟΥ, infra ΚΑΛΧΑ. Dubium non est, posteriore hoc vocabulo notari ΚΑΛΧΑδονιος, de quorum probabili cum Lysimacho nexu nonnulla ibi per conjecturam proposui. In numis similibus cum aureis, tum argenteis comparent frequenter vocabulorum principia, ΒΥ. ΚΑΛ. ΙΣ. ΤΟ. sellae fulcris inclusa, de quorum significatione non ausim certum quid adfirmare.

De mala fide numorum aureorum, in quorum antica: ΙΓΗΝΑΙΟΣ. ΚΩΙΩΝ. in aversa vel: ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΛΥΣΙΜΑΧΟΥ., vel VESTA. S. C., quos in Lysimachi numis recenset Froelichius [r]), agetur copiosius in moneta insulae Cos, et Liviae Augustae.

* * *

Caput Palladis galeatum. ꭗ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΛΥΣΙΜΑΧΟΥ. *Leo currens, in area lampas, pilum hastae, et monogrammata.* AE. III. (Mus. Caes.)

Caput Lysimachi diadematum cornutum. ꭗ ΛΥΣΙΜΑΧΕΩΝ. *Leo currens.* AE. II. (Cary.)

Caput juvenile diadematum ꭗ *Eadem aversa.* AE. I. (Pellerin.)

Lysimachum leone gavisum non ex his modo numis videmus, sed etiam ex citatis mox aureis et argenteis, in quibus is saltem aream numi insidet. Ab Alexandro leoni objectus, quod Callistheni philosopho, suo quondam in philosophiae praeceptis magistro, quem rex insidiarum suspectum lento supplicio excruciandum tradiderat, veneni copiam fecisset, caesa fortiter bellua periculum evasit, ut refert Justinus [s]), aliique citati a Caryo [t]). Narrat etiam Plutarchus [v]), amasse Lysimachum cum jactatione ostentare leoninorum unguium cicatrices. At Curtius praetensam hanc Alexandri vindictam in fabulis putat, addens, leonem a Lysimacho in venatu caesum [x]). Quidquid erit, verisimile semper, hujus caussa virtutis ferum istud animal Lysimachi monetae fuisse insertum. Hoc deinde conditoris sui symbolum adoptavit Lysimachia, a qua signati numi II. et III.

Numus Lysimachiae alter offert caput admodum juvenile, quod adeo Lysimachi esse nequit, qui saltem annum XL. jam explevit, cum Lysimachiam condidit. Verisimile est, eo exhiberi filium Agathoclem praestanti virtute adolescentem, et designatum jam successorem, quem fraude novercae impie caesum diximus.

* * *

Caput Herculis imberbe leonis exuviis tectum. ꭗ ΒΑΣΙ. ΛΥΣΙ. *intra coronam spiceam.* AE. III. (Mus. Caes.)

AV. et AR. C. AE. R.

Successit SELEVCVS, quem post VII. mensium in Thracia regnum e medio

q) Num. vet. r) Not. elem. p. 150. s) L. XV. c. 3. t) pag. 40. v) in Demetrio c. 27. x) L. VIII. c. 1.

sustulit Ptolemaeus Ceraunus Ptolemaei Philadelphi, et Arsinoes Lysimachi viduae frater. Ipse continuo Macedoniam et Thraciam invasit, sed a Gallis victus caesusque est. Huic Ptolemaeo numum tribuit Caryus, in cujus aversa: ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΥ. ΒΑΣΙΛΕΩΣ. *Fulmen*, motus nimirum ipso hoc fulminis typo, quo adludi ad nomen *Ceravni* putabat. Verum adstitutum monogramma, quod in ΜΑΓΑ resolvitur, numos similes in Cyrenaicam avocat. A Gallis deinceps in Thracia turbatum, ut copiosius dicetur in Macedonia, dum iterum regnum ad indigenas rediret, qui secundum examen Caryi fuere Seuthes IV., Cotys II., Diegylis, Zibelmius, Sothimus, Sadales I.

COTYS III.

Regnavit in Thracia tempore belli civilis Caesarem inter ac Pompejum, cujus etiam pars fuit missis Pompejo quingentis suorum. A Caryo huic tribuitur

Numus.

Caput regis diadematum. ✠ ΚΟΤΥΟΣ. *Aquila stans.* AE. IV. (Pellerin.)
AE. RRRR.

SADALES. II.

Cotyos III. filius. Pro Pompejo praelio ad Pharsalum interfuit.

Numus.

Caput regis diadematum. ✠ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. -- ΔΑΛΟΥ. *Aquila stans.* AE. III.

Eum Caryus Sadali II. prae primo tribuendum putat conjectura quidem infirma, tamen in his tenebris probabili.
AE. RRRR.

RHOEMETALCES I.

Frater Cotyos IV. proxime mortui, ejusque liberorum Rhascuporidis, et alterius anonymi tutor. Ejectum a Thracibus Bessis Augustus restituendum curavit misso Pisone. Nepotibus vita functis ipse ad Thraciae regnum vocatur.

Numi:

ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΡΟΙΜΗΤΑΛΚΟΥ. *Caput diadematum, jugato in aliis uxoris capite.* ✠ ΚΑΙΣΑΡΟΣ. ΣΕΒΑΣΤΟΥ. *Caput Augusti nudum, jugato in aliis capite Liviae, et adstituto capricorno.* AE. III. (Cary, Mus. Caes.)

Positum juxta in hoc numo parvum caput dubium non est esse filii Cotyos V., de quo mox.

ΡΟΙΜΗΤΑΛΚΟΥ. *Sella curulis adstituta hasta* ✠ ΣΕΒΑΣΤΟΥ. *Capricornus, cornu copiae, hasta.* AE. III. (Cary.)

Proponitur sella curulis ab Augusto honoris causa regi amico missa, cujus exemplum videbimus quoque in regibus Bosporanis. In simili apud Neumannum sellae curuli impositum est caput juvenile, forte iterum Cotyos V. y).
AE. R.

COTYS V. et RHASCVPORIS.

Ille Rhoemetalcis filius, hic frater. Vtrique partem Thraciae adsignavit Au-

y) Num. pop. P. I. p. 133.

gustus post Rhoemetalcis mortem. Cotyem mitem ac literatum principem teste ipso Ovidio [z]) mortuo Augusto astu aggressus patruus regno primum, dein vita privat, at simili dolo a Tiberio in retia illectus capitur, et Alexandriae perimitur.

Cotys V. uxorem habuit filiam Polemonis I. Ponti et Bospori regis, et Pythodoridos.

Numi:

ΒΑΣΙΛΕΥΣ. ΚΟΤΥΣ. *Caput imberbe diadematum.* ℞ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΡΑΣΚΟΥΠΟΡΙΔΟΣ. (in numo musei Caesarei: ΡΑΙΣΚΟΥΠΟΡΔΟΣ.) *Victoria gradiens.* AE. III.

* * *

ΒΥΖΑΝΤΙΩΝ. *Caput Augusti nudum, juxta monogramma constans literis* ΚΡ. ℞ ΕΠΙ. ΜΑΤΡΟΔΩΡΟΥ. ΗΡΟΞΕΝΟΥ. *Caput imberbe diadematum, juxta* Κ. AR. I. (Pellerin.)

ΒΥΖΑΝΤΙΝ. *(sic.) Caput regis imberbe diadematum.* ℞ *Caput Augusti nudum, juxta monogramma constans literis* ΚΡ. AR. III. (Mus. Caes.)

Pellerinius literas ligatas ΚΡ. existimat esse *ἀρχαιστὰς* utriusque principis Cotyos et Rhascuporidis, et literam Κ solitariam partis alterius indicare Cotyen, cujus ibi caput proponitur. In numo altero, quem olim edidi [a]), haud dubie monetarii errore scriptum est ΒΥΖΑΝΤΙΝ. pro ΒΥΖΑΝΤΙΩΝ. Numus uterque rarissimus est, quippe Caryo ignotus.

* * *

Non praetereundus hoc loco numus singularis, quem recenset Caryus:

Caput Bacchi hedera et corymbis coronatum. ℞ ΚΟΤΥΟC. ΧΑΡΑΚΤΗ. — *Hercules nudus stans d. clavam, s. exuvias leonis.* AR. I. (ex Museo Elect. Saxon.)

Numus totus Thasius dempta epigraphe, pro solito ΗΡΑΚΛΕΟΥΣ. ΣΩΤΗΡΟΣ in hanc, quam propositam vides, transformata. Vocem ΧΑΡΑΚΤΗ deficiente Ρ recte Caryus interpretatur *notam impressam*, nempe monetam hanc auctoritate et nomine Cotyos signatam, at prohibet fabrica turpiter barbara credere, eam ab ipsis Thasiis signatam, verum a Thracibus barbaris mediterraneis sumpto a Thasiorum moneta, qua tum nulla magis communis fuit, exemplo, ac servato religiose metallo, pondere, ac typis. Diximus supra in Thaso, officinas barbarorum monetarias passim ad Thasiorum exemplar suos feriisse numos, quod ipsum praesente exemplo copiose confirmatur. Interca dubitat Froelichius, an vere in hoc numo praetensa isthaec lectio contineatur, et non potius literae barbarae, quae saepe in Thasiorum numis comparent, ejus scripturae speciem praferant [b]).

AR. RRRR. AE. R.

RHOEMETALCES II.

Rhascuporidis F. beneficio Tiberii paternum regnum aufert, quod paterni cri-

---

z) de Ponto L. II. el. 9. a) Sylloge I. p. 82. b) ad Num. reg. vet. p. 48.

minis expers fuit, quo V. C. 800 fraude uxoris caeso Claudius Thraciam in provinciam redigit, sed quod alii factum demum a Vespasiano statuunt, ut dixi supra in prolegomenis ad Thraciae numos.

N u m u s.

ΓΑ .... ΜΑΝΙΚΩ. ΣΕΒΑΣΤΩ. *Caput Caligulae laur.* ✕ - - - ΤΣ. ΡΟΙΜΗΤΑΛΚΑΣ. *Vir peregrino habitu stans ab imperatore sellae curuli insidente aliquid accipit.* AE. I. (Cary.)

AE. RRRR.

P A E O N I A.

Regio Macedoniae et Thraciae circa Axium fl. contermina urbes binas, regem unum numis insignes complexa est. Vrbes *Nysam* et *Pantaliam*, quae nomini suo situm EN ΠΑΙΩ. addunt, supra in Thracia indicavi, quod locus is opportunior visus.

Nomine Paeoniae universae numum edidit Combius ex Hunteriano: *Caput Jovis* ✕ ΠΑΙΩ. *Caput geminum barbartum Jani intra lauream.* AE. III. Exstat idem in museo Caesareo, et alter geminus in museo Neumanni nostri, sed neuter propositam a Combio epigraphen offert; mihi vero hi numuli videntur esse ex eorum genere, quos magistratus Romani nominibus inscriptos in Panormi moneta solemus recitare. Supersunt ergo unius Audoleontis numi.

AVDOLEON rex.

Natus patre Agide Paeoniae regnum imperante Philippo II. et Alexandro M. sed Macedonibus obnoxium tenuit. Filium habuit Aristonem, cujus insignis virtus in pugna ad Arbela Alexandro cumprimis probata fuit. Habuit etiam filiam Pyrrho regi collocatam. Haec omnia fusius exposita vide a Froelichio [c]).

N u m i.

Caput juvenile adversum galeatum. ✕ ΑΤΔΩΛΕΩΝΤΟΣ. *Equus gradiens, in area monogramma ex* Α *et* Τ. AR. II. III. (Mus. Caes.) In alio: *Equus dimidius cum simili monogrammate.* AR. III. (Mus. Caes.)

Caput Jovis laur. ✕ ΑΤΔΟΛΕΩΝΤΟΣ. *Equus gradiens cum sessore dimidio galeato, in area triquetra introrsum cusa.* AR. I. (Mus. Caes.)

Vt priores numi elegante sunt fabrica, ita posterior insigniter barbarus, et ejusdem rationis, cujus sunt ii, qui eodem utrinque typo nomen ΦΙΛΙΠΠΟΤ scriptura recta vel retrograda exhibent. Omnes hos fabricatos esse a barbaris ejus tractus montanis, qui Graecae arti aditum negavere, indubitatum. Verum de hoc argumento agetur alibi copiosius, et monuerunt jam varia Froelichius [d] et Neumannus [e]).

c) ad Num. reg access. nova. p. 39. d) l. c. e) num. pop. p. 136.

* * *

Caput Herculis imberbe leonis exuviis tectum. ӿ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΥΔΩΛΕΩΝ-- *Juppiter aetophorus sedens d. aquilam, s. hastam, in area solitum monogramma* AT. AR. I. (Pembrock P. II. tab. 42.)

Numus illustris, quo docemur, Audoleontem fuisse Alexandro M. superstitem, quod jam docuit Diodorus Siculus f), et monetam signasse iisdem typis, quibus Alexandri numi sunt insignes, secutum nempe exempla Seleuci, aliorumque, quos recensebimus in moneta Alexandri. Numus est rarissimus, et necdum in museis Austriacis conspectus, in quibus Audoleontis numi non magnopere rari putantur.

AR. R.

MACEDONIA.

Totius regionis nomine numi complures cusi sunt cum argentei, tum aenei. Aurei, quorum unum per levem conjecturam huc revocat Pellerinius, dubii sunt.

Epigraphe: ΜΑΚΕΔΟΝΩΝ.

Typi:

Caput Jovis. ӿ *Fulmen.* — *Caput Panos cornu e fronte turgente.* ӿ *Tridens.* — *Caput Apollinis.* ӿ *Lyra.* — *Caput muliebre.* ӿ *Prora navis.* — *Caput Sileni adversum.* ӿ *Corona hederacea. etc.* AR. AE. (Mus. Caes.)

Sileni caput occurrere frequentius reor propterea, quod teste Herodoto g) creditum fuit Macedonibus, Silenum apud se in hortis Midae captum.

* * *

Etiam anepigraphi argentei propter typum equi et galeae huc referuntur, quoniam cum iisdem typis exstant numi Archelai Macedoniae regis, nisi sunt Metropolis Thessaliae, quam vide.

Postremorum Macedoniae regum tempora loquuntur autonomi illi, qui clypeos certae formae in orbem dispositos offerunt, quos *Macedonicos* jure vocamus propterea, quod in hujus regionis numis frequenter reperiuntur, non tamen solis, nam iidem habentur in moneta Antiochi I. Syri, Paesti Lucaniae, Callatiae Moesiae inf., Philadelphiae Lydiae, quin et in denario gentium Caeciliae et Quinctiae, et numo Herodis M.

AR. AE. R.

Macedonia Romana.

Macedonia victo Perseo Romanis subjecta numos insignes procudit novae servitutis testes, inscripto nimirum magistratu ex urbe in novam hanc provinciam misso.

ΜΑΚΕΔΟΝΩΝ, (*in binis Pellerinianis additur:* CAE. PR. *vel* SI.) *Caput juvenile nudum passis crinibus, retro* Θ. ӿ AESILLAS. Q. *Cista, clava, mensa, omnia intra lauream.* AR. I.

Caput anticae nonnullis Alexandri M. visum est, quod adfirmare difficile nullo

f) L. XX. §. 19. g) L. VIII. §. 138.

ejus certo indicio. CAE. PR. notat CAE*cilium*, vel quemcunque alium, provinciae PR*aetorem*, ut in aversa est AESILLAS. Q*uaestor*. Haec vox cum aperte Latina sit, ipsi vero hi numi bilingues a Macedonibus jam Romanis sint signati, mirum videatur, eruditum Dutens ex litera L hujus vocabuli sumere exemplum veteris Lamda Graeci [h]), deceptus nimirum judicio Montfauconii, qui numos similes propter eandem hanc literam L, tum et S pro Λ et Σ inter numos antiquissimos, qui nobis ex vetustate supersunt, habuit [i]). Cista et clava ad cultum Bacchi et Herculis per Macedoniam eximium, mensa ad notandam praetoris vel quaestoris potestatem, cujus frequentia habemus in numis Cyrenaicis exempla, revocatur.

* * *

Caput juvenile tectum galea alata superne in volucris caput exeunte. Ӿ ΜΑΚΕΔΟΝΩΝ. ΤΑΜΙΟΥ. ΓΑΙΟΥ. ΠΟΠΛΙΛΙΟΥ. *intra coronam quernam.* AE. III. (Mus. Caes.)

Similis adversa. Ӿ ΓΑΙΟΥ. ΤΑΜΙΟΥ. ΠΟΠΙΛΛΙΟΥ. *intra quernam.* AE. III. (Wilde Tab. X. n. 59.)

Similis adversa. Ӿ ΓΑΙΟΥ. ΤΑΜΙΟΥ. *Equus pascens.* AE. III. (Wilde l. c. n. 61.)

Caput Bacchae hedera coronatum. Ӿ ΤΑΜΙΟΥ. ΓΑΙΟΥ. *Hircus stans, juxta monogramma.* AE. II. (Vidi Vindobonae in museo privato.)

Caput ut in numo I. Ӿ ΜΑΚΕΔΟΝΩΝ. ΤΑΜΙΟΥ. ΛΕΥΚΙΟΥ. ΦΟΛΚΙΝΝΙΟΥ. *intra quernam.* AE. III. (Wilde l. c. n. 60.) In alio simili scriptum: ΦΟΛΚΙΝΝΙΩ. (Mus. Caes.)

Caput adversae in his numis esse herois Persei multum in Macedonia et Thessalia observati, dicetur in numis Philippi V. Macedoniae regis. Aversae alios provinciae quaestores sistunt, Graecis ταμιας, de quorum gente nonnulla memoranda. Prior est

ΓΑΙΟΣ. ΠΟΠΛΙΛΙΟΣ, quo Graeco scribendi modo haud dubie indicatur *C. Publilius.* Nimirum ut *Publius* Graecis fuit ΠΟΠΛΙΟΣ testibus numis Nicomediae, in quibus legitur: ΕΠΙ. ΠΟΠΛΙΟΥ. ΟΥΙΤΕΛΛΙΟΥ, sic Publilius Graecis ΠΟΠΛΙΛΙΟΣ, quo modo et tribus *Publilia*, fere constanter sic scripta in marmoribus, etsi in ea scribenda varient codices, in marmore Gruteriano dicitur ΠΟΠΛΙΛΙΑ [k]). Ab hoc Publilio diversum non puto quaestorem numi secundi Wildiani, sed qui ΠΟΠΙΛΛΙΟΣ dicitur, quod mendosae metathesi literae Λ tribuendum videtur, etsi certum sit, exstitisse Romae etiam gentem Popilliam. Neque diversum puto quaestorem numi III. item Wildiani, etsi, quod non alias factum norim, solo is praenomine ΓΑΙΟΥ memoretur. Fuit autem gens Publilia partim patricia [l]), partim plebeja. In numis Onubae Baeticae inter magistratus municipales legitur Q. PVBLILI*us.* Alter

ΛΕΥΚΙΟΣ. ΦΟΛΚΙΝΝΙΟΣ, id est: *L. Fulcinius*, hac etiam gente Romae cognita. Vide Glandorpium.

---

h) Explic. de quelq. méd. p. 191. i) Palaeogr. p. 121. k) pag. 503. l) Liv. L. V. c. 12.

* * *

De numis aeneis: ΚΟΙΝΟΝ. ΜΑΚΕΔΟΝΩΝ cum capite Alexandri M. agetur in numis hujus regis.

Quatuor Macedoniae.

Aemilius Paullus captam bello Persei universam Macedoniam in IV. regiones divisit teste Livio m), quam divisionem comprobant quoque numi.

Eam Begerus, et hunc secutus Froelichius male stabiliunt ex numulis exiguis argenteis, quorum aversae area in IV. partes secta literas MA. includit, quos pertinere Massiliam in hujus numis docuimus.

Regio I.

Complectebatur teste Livio supra citato, quod agri inter Strymonem et Nessum est, tum ex Thracia ipsa Aenum, Maroneam, Abdera; trans Strymonem Bisalticam omnem cum Heraclea Sintica. Ejus caput Amphipolis.

Caput Dianae inter scuta Macedonica. Ӿ ΜΑΚΕΔΟΝΩΝ. ΠΡΩΤΗΣ. *Clava, per aream varia monogrammata, omnia intra coronam quernam.* AR. I.

Horum numorum numerum secundum myriades metire. Non raro multa eorum millia Transilvania et Walachia eodem loco defossa post tot secula ejiciunt. Cur prima haec Macedonia tantis abundet opibus reliquis egenis, ex ipsa ejus natura petendum. Secundum citatam ex Livio divisionem continebat haec pars Scaptesylen et Datum veteres Thasiorum fodinas, atque ut idem prosequitur: *prima pars habet - - multas frugum proprietates et METALLA* n). Numos tanta copia signatos communem fuisse vicinorum etiam barbarorum monetam, eo facile colligitur, quod numi similes eodem pondere, metallo, ac typo, sed fabrica barbara, perinde ac in Thasiorum moneta reperiuntur.

Regio II.

Sita inter Strymonem et Axium addita parte Paeoniae. Ejus caput Thessalonica o).

Caput Dianae inter scuta Macedonica. ӾΜΑΚΕΔΟΝΩΝ. ΔΕΥΤΕΡΑΣ. *Clava, in area monogramma, omnia intra coronam quernam.* AR. I.

Singularem hunc numum sibi Smyrna missum, servari in suo museo iterato testatur Cuperus p). Alibi ipsam ejus imaginem proponit q). Eundem ex Cuperi museo aliquoties citat Spanhemius r). Rara sane Cuperi fortuna, cui numum similem nancisci contigit, quando mihi, cui plura id genus millia ex Transilvania et Hungaria inferiore vario tempore adlata sunt, videre nondum licuit inscriptum ΔΕΥΤΕΡΑΣ. Pellerinius numum ex museo regis Galliarum laudat cum epigraphe ΜΑΚΕΔΟΝΩΝ. ΔΕΥΤΕΡΑΣ absque tamen mentione typi et metalli s). Eum alibi argenteum II. formae adserit t).

Caput Herculis imberbe. Ӿ ΜΑΚ. vel: ΜΑΚΕΔΟΝΩΝ. Β. *Eques lento gressu*

m) L. XLV. c. 29. n) Cap. 30. o) Livius l. c. p) Lettres p. 306. 500. q) Diss. de elephant. Exercit. II. c. 5. r) Praest. num. T. I. pag. 652. Orb. Rom. pag. 198. s) Rec. T. I. pag. 177. t) Rois pag. 25.

dextera elata. AE. II. (Pellerin., Mus. Caes.)

Hos propter additum B huc pertinere contendit Pellerinius [u]. Istud si verum, huc etiam pertinebit sequens:

Caput Persei alatum intra coronam. ℞ ΓΑΙΟΥ. ΤΑΜΙΟΥ. Β. *Equus pascens*. AE. (Wilde tab. X. n. 61.)

Regio III.

Axium inter et Peneum, tum Bora monte clausa, addita parte Paeoniae, Edessa, et Berhaea [x]. Ejus caput Pella.

Hujus regionis numus nondum compertus.

Regio IV.

Trans Boram montem, una parte confinis Illyrico, altera Epiro. Ejus caput Pelagonia [y].

Caput Jovis. ℞ ΜΑΚΕΔΟΝΩΝ. ΤΕΤΑΡΤΗΣ. *Clava et bina monogrammata intra coronam quernam*. AE. II. (Mus. Caes.)

Insignem hunc numum, nunc musei Caesarei, jam olim ex museo Granelliano S. J. vulgavit Froelichius [z]. Vnicum non adfirmavero, nam similem alium jam citavit Cuperus ex museo consulis Britanniae apud Smyrnam [a].

Imperatorii.

Inscripti ΜΑΚΕΔΟΝΩΝ. exstant ab Augusto usque ad Gordianum. Augusti numus est in Theupoli. Rarissimum Vitellii edidit Pellerinius [b].

Ab Augusto usque ad Vespasianum plerumque scriptum reperitur: ΣΕΒΑΣΤΟΣ. ΜΑΚΕΔΟΝΩΝ. typo *clypei*. Inde a Domitiano, et deinceps ΚΟΙΝΟΝ. ΜΑΚΕΔΟΝΩΝ. variis typis.

ΑΛΕΞΑΝΔΡΟϹ. ΜΕΓΑϹ. *Caput Alexandri M. radiatum*, in numo M. Aurelii. (Vaill.)

* * *

Neocoratus: Observatur primum in numis Caracallae, et quidem statim geminatus: ΚΟΙΝΟΝ. ΜΑΚΕΔΟΝΩΝ. Β. ΝΕΩ. *Alexander Bucephalum domans*, vel: *Clypeus*. (Vaill.) At in numo Diadumeniani neocoratus tantum simplex: ΚΟΙ. ΜΑΚЄΔΟΝΩΝ. ΝЄΩΚΟΡΩ. (Pellerin. Mel. II.) In numis sequentium imperatorum nulla amplius neocoratus fit mentio. Additus hic neocoratus titulus multum servit ad definiendam aetatem numorum aeneorum Alexandri M. post ejus excessum signatorum, quos vide descriptos in moneta hujus regis.

AE. C.

ACANTHVS.

Maritima versus Strymonem, quo loco ducta fossa excludere montem Atho, et committere utrumque mare tentavit Xerxes.

Autonomi.

Sine epigraphe. Leo bovem depascens, superne Θ. ℞ *Quadratum incusum quadripartitum*. AR. I. (Mus. Caes.)

ΑΚΑΝ. ΑΚΑΝΘΙΟΝ. *Leo bovem*, in aliis *aprum depascens*. ℞ *Quadratum incusum, quadripartitum*. AR. I. (Pellerin.)

---

u) Rec. I. p. 177. et Rois p. 25. x) Livius l. c. y) Livius l. c. z) Animadv. in num. urb. a) Lettres p. 306. b) Lettres p. 6.

His numis opportune usus est Barthelemyus in praeclaro suo tentamine palaeographiae numismaticae [c]).

Caput Apollinis. ☧ ΑΚΑΝΘΙΟΝ. *Lyra.* AR. III. (Pellerin.)

Caput Palladis. ☧ ΑΚΑΝ. *scriptum intra radios rotae.* AE. III. (Hunter.)

Apparet ex his reliquiis, tum ex testimonio Plutarchi, Acanthiorum apud Delphos thesaurum commemorantis [d]), opulentam fuisse vetustissimo aevo eorum urbem.

AR. RRR. AE. RRRR.

A E G A E.

Mediterranea a Pella in ortum, olim dictae *Edessa*, sed quia hanc ducibus capris cepit Caranus, nomen in *Aegas* commutavit, fuitque haec urbs regum sedes, dum a Philippo Amyntae Pellam transferretur, sic tamen, ut vetere instituto reges ibi sepelirentur.

Hactenus numorum sterilis habita. Levavit inopiam Pellerinius, eique largitus est insigne tetradrachmum: *Caput Apollinis.* ☧ ΑΙΓΑΙΕΩΝ. *Juppiter nudus stans d. extenta aquilam, s. hastam, omnia intra quernam.* AR. I. Addidit binos aeneos inscriptos: ΑΙΓΑΕΩΝ typo *capri.* Sed enim vereor, ut proprium sit hoc donum. Nempe non satisfaciunt modi, quos ibi ad discernendos numos multiplicium Aegarum suggerit. Inscriptio posterior reperitur in numis, qui certo sunt Aegarum Aeolidis, ergo et citati aenei his tutius dabuntur. Fabrica memorati tetradrachmi cum Jove stante intra quernam videtur convenire cum fabrica plurium urbium Asiae minoris maritimae, Cymes, Lebedi, Myrhinae, Smyrnae, quae simili forma argenteos maximi moduli plerosque cum corona, et Smyrna quidem cum querna, signaverunt, ut adeo praecipiente analogia jure Aegis Aeolidis tribui posset, ut in his quoque dicetur. Ad haec videtur verisimile, ea aetate, qua hic numus cusus est, jam praevaluisse nomen antiquum Edessae. Certe jam omnes Augusti numi in hac urbe signati posterius hoc nomen obtinent. Huc tamen forte pertinent numi antiquissimi: *Capra anterioribus pedibus flexis et respiciens.* ☧ *Quadratum incusum* AR. III. (Mus. Caes.) Capra hoc gestu occurrit etiam in numis Archelai I. Item alius, quem olim edidi [e]): ΑΙΓΑΙΟΝ. *(retrograde) Caput Jovis.* ☧ ΑΙΓ. *Capra dimidia.* AR. III.

A M P H A X V S.

Amphaxitis regio fuit in intimo recessu sinus Thermaici, sic vocata ab interluente Axio.

Autonomi.

Caput Herculis imberbe. ☧ ΑΜΦΑΞΙΩΝ. *intra coronam quernam.* AE. II. (Pellerin., Liebe.)

Epigraphe indicat, aut fuisse in hac regione urbem dictam *Amphaxus*, cujus tamen veteres non meminere, aut eos, qui ἀμφ' Ἄξιον, *circa Axium*, ut revera hanc vocem dirimit Stephanus, habitabant, dictos fuisse *Amphaxios*, et

c) B. L. T. XXIV. p. 30. d) de Pyth. orac. e) Num. vet. p. 201.

ita hos numos communi gentis nomine percussos.

AE. RRR.

AMPHIPOLIS.

Sita in insula, quam ostiis suis Strymon efficit, unde et nomen traxisse videtur, ἐπ' ἀμφοτερα περιῤῥέοντος τȣ Στρυμονος, ut ait Thucydides f). Fuit urbs illustris, Atheniensium colonia, et secundum legem Aemilii Paulli Macedoniae I. caput. At vetus urbi nomen ἐννεα ὁδοι, *novem viae*, quia Phyllis ejus loci regina, quo die Demophoontis ex pacto adventum exspectabat, novies ad mare cucurrisse ferebatur, quam fabulam latius exponit Hyginus g), et ad quam saepe adludit Ovidius h).

Autonomi.

Magno exstant numero.

Epigraphe constans: ΑΜΦΙΠΟΛΙΤΩΝ, vel parcius ΑΜΦΙ. In aeneo IV. formae musei Caesarei, etsi nequaquam valde vetusto, legitur βȣςροφηδον ΑΜ—ΙΦ.

Typi insigniores:

Caput juvenile adversum laureatum. ✕ *Lampas ardens intra quadratum.* AR. I. et forte unicus ex hoc metallo. (Pellerin.)

* * *

Caput juvenile tectum galea alata superne in volucris caput exeunte. ✕ ΑΜΦΙΠΟΛΙΤΩΝ. *intra quernam.* AE. II. (Mus. Caes.)

Caput muliebre adversum alatum. ✕ *Pallas stans d. Victoriolam, s. hastam cum clypeo.* AE. II. (Mus. Caes.)

Caput numi prioris certum est Persei, quale jam vidimus in autonomo Macedonum, et de quo agetur latius infra in numis Philippi V. Haec sententia amplius confirmatur capite Medusae numi sequentis, quae ad Perseum jure pertinet, quin et typo Palladis, quam in Persei cum Gorgone pugna suas habuisse partes constat. Vide numos Sebastenorum Phrygiae.

* * *

ΑΜΦΙΠΟΛΙΤΩΝ. *Mulier sedens d. Victoriolam, s. hastam.* ✕ ΡΩΜΗ. *Miles stans d. Victoriolam, s. hastam.* AE. II. (Mus. M. Ducis.)

Numum depictum vide in meis Numis vet. Scripto juxta ΡΩΜΗ tempora Romana testatur, cujus exempla jam vidimus in numis Locrorum Epizephyriorum, et videbimus in moneta Thessalorum, rarum tamen in numis Graeciae Europaeae.

* * *

ΑΜΦΙΠΟΛΙϹ. *Caput muliebre velatum turritum.* ✕ ΑΜΦΙΠΟΛЄΙΤΩΝ. *Miles stans.* AE. II. (Hunter.)

Epigraphe anticae genium urbis notat, aversae populum.

* * *

Caput Jani geminum barbatum. ✕ ΑΜΦΙΠΟΛΙΤΩΝ. *Duo Centauri in diversa currentes, quorum unus s. elata vas vinarium jactat, alter ramum.* AE fere I. (Mus. Caes. et editus in mea Sylloge I.)

f) L. VI. c. 102. g) Fab. 59. h) Art. amat. L. III. 37. Remed. v. 55 et 591.

Eandem utrinque imaginem offerunt numi Thessalonicae jam inde a Goltzio cogniti. At constat etiam, utrique urbi saepe communes fuisse typos. Janus, Romanum numen, in monetam utriusque urbis arcessitus, suspicari facit, signatos tum, cum Macedonia Romanis paruit.

* * *

In numis aliis: *Clava*, *spica*, *equus gradiens*, *bos cornupeta*, *raptus Europae*, de quo proxime, *caper*. Singularis typus in nonnullis: *Duo hirci coniscantes*, qui est etiam in moneta Thessalonicae, et haud dubie ad Panos cultum per Macedoniam vulgatum pertinet, de quo agam in numis Antigoni I. Haec hircorum pugna dicta Graecis κυρηβασια. Vide schol. Aristoph. ad Equit v. 272. et Suidam.

AR. RRRR. AE. C.

Imperatorii.

Frequentes ab Augusto usque ad Saloninam.

Epigraphe constans: ΑΜΦΙΠΟΛΙΤΩΝ.

Omnes hi numi a Spanhemio, Vaillantio, et multa sequacium turba tributi fuere Amphipoli, olim Thapsaco, obscurae Palmyrenes urbi, quorsum eos invitabat typus tauri Europam rapientis, qui in his numis, saltem sub primis imperatoribus, plerumque occurrit. Harduinus, Froelichius [i]), Pellerinius [k]) rectius huic nostrae Amphipoli tribuunt, cum quod illa ignobilis fuit, haec clara, tum quod idem typus in numis quoque urbium Europaearum non infrequens est. Quid si mulier tauro vecta non esset Europa, sed potius Diana, cujus Amphipoli stetisse templum nomine Tauropolae, constat ex Diodoro Siculo [l]), et epigrammate Antipatri Thessalonicensis. Veheretur ergo tauro suo, ut alias cervo suo. Res dubio vacaret, si liceret niti fide numi Goltziani cum epigraphe ΙΚΑΡΙΩΝ, in quo similis est typus, et similis causa capiendae Dianae Tauropolae, ut videre est apud Spanhemium [m]). Sane teste vetere scholiasta [n]) Diana dicta Ταυροπολα etiam propterea, ὁτι ἡ ἀυτη τῃ σεληνῃ ἐστι, και ἐποχειται ταυροις, *quod eadem cum luna est*, *et tauris vehitur.* Ad propositum redeo. Si numi hi essent Amphipolis Syriae, ad eandem revocandi essent etiam autonomi citati cum eadem inscriptione ΑΜΦΙΠΟΛΙΤΩΝ. Verum aliud jubent typi in his propositi: clava intra quernam, Perseus, Medusa, qui in Macedonum moneta sunt obvii. Argumentum fortius suppeditat fabrica tota ex Macedonum ingenio; aliud ab analogia continuo expediam, ut taceam, numos id genus complures mihi ex Macedonia adlatos.

* * *

ΚΑΙΣΑΡ. ΣΕΒΑΣΤ. *Caput Dianae, pone pharetra.* ✠ ΑΜΦΙΠΟΛΕΙΤΩΝ. *Statuae duae basi insistentes*, *et dexteram attollentes*, *quarum dexterior paludata*, *s. seminuda.* AE. II. (Pellerin Mel. II. pag. 1.)

---

i) IV. Tent. p. 197. k) Rec. II. p. 182. l) L. XVIII. c. 4. m) ad Callim. in Dian. v. 187. n) ad Sophocl. Ajac. mast. v. 172.

ΤΙ. ΚΛΑΥ. ΣΕΒΑΣ. *Statua imperatoris basi insistens et paludata d. elata, s. sceptrum cum aquila.* ⅹ ΑΜΦΙΠΟΛΙΤΩΝ. *Europa tauro vecta.* AE. II. (Pellerin Mel. II. p. 24. Mus. Caes.) Adde similem Tiberii in Morellii Impp.

Signa gestu et cultu simillimo comparent etiam in numis coloniae Philippensis, quae fuit ejusdem Macedoniae I. urbs, qua typorum concordia perspicuum fit, priorem Augusti numum hic propositum esse hujus Amphipolis Macedoniae. Cumque numi sequentes Claudii et Tiberii similes offerant statuas, et in aversa raptum Europae, perspicuum quoque fit, etiam alios numos, qui eundem raptum sistunt, esse ejusdem Amphipolis. De typo statuarum vide proximos Philippos. Ex capite Dianae conjicio, numos ΜΑΚΕΔΟΝΩΝ. ΠΡΩΤΗΣ, in quibus ejus deae caput simili cultu conspicitur, apud eandem hanc urbem signatos, quae praeterea Macedoniae I. urbs princeps exstitit.

* * *

ΤΙΤΟϹ. ΚΑΙ --- ΙΑΝΟϹ. ΚΑΙϹ. *Titus et Domitianus paludati stantes dexteris elatis, in medio eorum aquila super obelisco.* ⅹ ΑΜΦΙΠΟ. *Raptus Europae* AE. II. (Pellerin Lettres p. 7.)

* * *

Duo centauri vas malis refertum una sustinent, in numo Caracallae. (Arigoni.)

Typum hunc, quo certamina Pythia indicantur, explicatum vide in numis Laodiceae Syriae coloniae.

* * *

Literae solitariae. Pellerinius cum in area numi Commodi videret solitarium Γ, et juxta templum, credidit indicari sacrificia pro salute Commodi tertium peracta o). Sed eadem litera exstat in numo Augusti musei Caesarei, in quo hic pacificatoris habitu equo vehitur. In area numi Caracallae apud Arigonium comparet C, verius opinor Є. Similes literas per Thraciae urbes saepe vidimus nullo certo sensu.

AE. C.

ANTIGONIA.

Aeneus ΑΝΤΙΓΟΝΕΩΝ soli Goltzio memoratus. (in Graecia.)

APHYTIS.

In peninsula Pallene. Cogniti tantum *Autonomi:*

Caput Jovis Ammonis. ⅹ ΑΦΥ. ΑΦΥΤΑΙ. *Aquila una, vel binae.* AE. II. III. (Haym, Pellerin, Pembrock.)

Narrat Pausanias, Ammonem impense ab Aphytaeis cultum, quod hujus monitu Lysander Laco obsidionem solvit p). Vide et Plutarchum q). Vicina Cassandrea eundem Jovem amavit.

AE. RRR.

ATHOITAE.

Ducto nomine a monte Atho Chalcidices, cujus umbra in ipsam Lemnum porrigitur. *Autonomum* ΑΘΩΙΤΩΝ unus Goltzius edidit. (in Graecia.)

---

o) Suppl. IV. p. 4. p) L. III. c. 18. q) in Lysandro c. 20.

BERHAEA.

Vrbs clara ab Aegis in meridiem, non tamen ejus numi alii comperti, quam cum capite Alexandri M.

ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ. *Caput Alexandri M. galeatum.* ☧ ΚΟΙΝ. ΜΑΚΕ. Β. ΝΕΩ. ΒΕΡΑΙΩΝ. *Vir seminudus ad aram sacrificans, juxta mensa, super qua binae ludorum urnae, retro columella, cui imposita urna, in area* ΕΟC. AE. II.

Hunc numum pro unico edidit Pellerinius [r], at exstat idem in museo M. Ducis, ut olim indicavi [s]. Alterius similis meminit Froelichius [t], sed vadem non citat. Similem alium, nisi quod vox ΒΕΡΑΙΩΝ abest, indicavit Harduinus [u], et qui exstat etiam apud Hunterum [x]. Numi hi veram urbis lectionem edocent, cum ab auctoribus omnibus passim Βέροια, vel Βέῤῥοια scribatur, a Latinis *Beroea*, at in numis Βεραια. Memoratur Livio legatus Philippi Macedoniae regis Crito Beroeaeus [y]: sed in hoc verbo ingens est codicum dissensus, quorum tamen unus satis vicine habet *Berraeus.*

De typis utriusque partis hic non ago, cum copiosi similes alii, dempto ΒΕΡΑΙΩΝ et ΕΟC, cum capite Alexandri M. exstent, de quibus opportunius agetur in numis hujus regis.

Epochae annus ΕΟC, unicum exemplum in numis Graeciae Europaeae. Eum Harduinus nulla idonea causa ab anno V. C. 706, sive aera Caesareana ducit, Froelichius ab V. C. 691, seu Pompejana. Infra in numis Alexandri M. ab ejus morte signatis verisimile dicam, ducendum ab anno V. C. 693, aut uno ex proxime sequentibus.
AE. RRR.

BISALTAE.

Populus circum Strymonem.

Autonomus:

ΒΙΣΑΛΤΙΚΟΝ *(retrograde). Vir nudus pileatus et binas hastas gerens equum gradientem comitatur, in area volucris.* ☧ *Quadratum incusum quadrifariam sectum.* AR. m. m. (Hunter.)

Insignis est hic numus, cum quod ex vetustissimis unus est, tum quod mole conspicuus, et ejus gentis, cujus hactenus numum non vidimus, nisi Goltzianum, quem mox citabo. Vetustatem arguit opus rudius, et inscriptum possessivum, et quidem retrograde, ΒΙΣΑΛΤΙΚΟΝ. Sic et Livio ea regio dicitur *Bisaltica* [z]. Reliqua fabrica et typus plane sunt ex indole antiquissimae Macedonum monetae. Numus hic simillimus est numo Alexandri I. apud Pellerinium, nisi quod in hoc epigraphe regis est in aversa.

* * *

Typus similis. ☧ ΒΙΣΑΛΤΙΩΝ. *Areola quadrata in quadrato incuso.* AR. fere II. (Hunter.)

Ad hunc numum advertit Combius: *cuneo labente literae in hujus numi aversa parte obscurae sunt.* Numum praeterea ait esse similem illi, quem exhibet Be-

---

r) Rois. p. 23. Rec. I. p. 181. s) Num. vet. p. 65. t) Notit. elem. p. 45. u) Opp. sel. p. 99. x) Tab. 35. y) L. XXIII. c. 39. z) L. XLV. c. 29.

gerus in *Spicilegio antiq. p.* 32, sed qui idem est Goltzianus, captus ex Goltzii tab. XXIV. Nisi igitur in numo Hunteriano saltem una alterave litera est integra, unde doceamur primum, esse in numo epigraphen, neque oculis fucum factum, deinde, residuas eas literas revera sese adcommodare praetensae inscriptioni ΒΙΣΑΛΤΙΩΝ, suspicari non desinam, Combium Goltzii dictata secutum, quem jam satis constat, quando in numo epigraphen aut non reperit, aut in vitiato non distinxit, pro libidine aliquam finxisse. Non adridet etiam gentile ΒΙΣΑΛΤΙΩΝ. Vetustissimis quibusque cum Graecis, tum Latinis populus hic dicebatur Βισαλται, secundum quod scribendum ΒΙΣΑΛΤΩΝ. Vnus, quod norim, Stephanus et Βισαλτης, et Βισαλτιος attulit. Hunterianus ergo hic numus aut est anepigraphus, ut plures Macedonici vetustioris commatis, aut forte inscriptum ΑΛΕΞΑΝΔΡΟ., aut ΒΙΣΑΛΤΙΚΟΝ, vel saltem ΒΙΣΑΛΤΩΝ.
AR. RRRR.

BOTTIAEA.

Modica regio circa ostia Axii, in qua Pella teste Herodoto sita fuit.

Autonomi.

Horum tres a solo Pellerinio editi variante inscriptione: ΒΟΤΤΑΙΩΝ, ΒΟΤΤΙΑΙΩΝ, ΒΟΤΤΕΑΤΩΝ. Typi: *Caput Herculis*, in alio: *Mercurii.* ✠ *Equus pascens.* — *Caput Apollinis.* ✠ *Lyra.* AE. II. III.
AE. RRR.

CASSANDREA.

In peninsula Pallene, olim Potidaea, a Cassandro rege novum nomen nacta.

Colonia deducta ab Augusto, ut addita IVL. AVG. videntur docere, hoc nomine signavit numos.

Autonomi.

Tria signa militaria, quorum medio inscriptum AV. ✠ CASSANDREA *intra lauream.* AE. II. (Pellerin Rec. I. p. 184.)

Equus cum palmae ramo. ✠ CASSANDRE. *intra coronam.* AE. II. (Pembrock.)
AE. RRR.

Imperatorii.

Horum copiosi vulgati a Claudio usque ad Philippum.

Epigraphe: COL. CASS. at plerumque: COL. IVL. AVG. CASSANDREN. — COLONIA. CASSANDRIA.

Typus fere constans: *Caput Ammonis*, cujus videtur cultum communem cum vicina Aphyte habuisse. Rarius alios typos videas, eosque ignobiles.
AE. C.

DIVM.

In Pieria ad sinum Thermaicum, qua in urbe jubente Alexandro statuae eorum manu Lysippi positae sunt, qui in praelio ad Granicum interiere [a]). Eas loco motas, *turmam statuarum equestrium*, Q. Metellus victo Pseudophilippo Romam transtulit, frontique aedium suarum imposuit [b]).

---

[a]) Arrianus L. I. c. 17. [b]) Vellejus L. I. c. 11.

Coloniae tantum nomine exstant numi a Trajano usque ad Saloninam.

Epigraphe: COL. IVL. AVG. DIENSIS. D. D. vel: COL. IVL. DIENSIVM. D. D. Videtur adeo a J. Caesare deducta, quia in nonnullis τo AVG. supprimitur, sed aucta ab Augusto.

Typus potior: *Pallas stans.*

AE. R.

EDESSA.

Pervetus Macedoniae urbs, dicta subinde *Aegae*, quas vide, resuscitavit tamen nomen pristinum, et signati complures

Imperatorii

ab Augusto usque ad Tranquillinam. Lapsum Pellerinii, qui numum inscriptum: ΣΕΒΑΣΤΗ. ΕΔΕΣΣΑΙΩΝ, Juliae Augusti F. tribuit, indicabimus in numis hujus Juliae.

Epigraphe: ΕΔΕΣΣΑΙΩΝ. *Typus* solitus: *Roma spoliis insidens coronatur a muliere retro stante, s. cornu copiae tenente.*

Antiquarii vetustiores numos sic inscriptos misere confudere. Harduinus hos omnes tribuit Edessae Mesopotamiae. Minime omnium ferendus Vaillantius, qui plerosque, quos in catalogo [c]) tribuit Edessae Macedoniae, eo loco, quo numos ipsos describit, ad Edessam Syriae vocat. Interea etsi utraque urbs suam habeat monetam, pronum est, ac minime ambiguum discrimen. Edessa Mesopotamiae usque ad Caracallam demptis aliquot intervallis proprios habuit reges plerosque dictos Abgaros; non igitur interea temporis credibile est, eam urbem monetam cum imperatoris capite signasse. Iis pulsis Edessa deducta colonia, ac tum se coloniam in numis fere constanter appellavit. Haec jam pridem vidit, docuitque eruditus Bayerus [d]).

AE. R.

HERACLEA SINTICA.

Autonomos duos insignes tetradrachmos edidit Pellerinius (Rec. I. p. 182):

Caput Palladis. ☧ ΗΡΑΚΛΕΩΤΩΝ. *Clava, in area Victoria volans, et monogrammata, omnia intra quernam.* AR. I.

Vt per fabricam et typum aversae facile hos numos Macedonicos putamus, sic dubitatur tamen, quoniam plures fuere in Macedonia Heracleae, utri harum sint tribuendi. Pellerinius eam praefert, quae fuit in Lyncestide, quoniam, ut ait, reliquis fuit celebratior, et secundum Ptolemaeum caput Lyncestidis. At fuerit istud Ptolemaei aevo, illa certe aetate, qua numi hi signati sunt, vix a veteribus memoratur. Mallem igitur Heracleam, quae Sintices caput fuit, et saepe veteribus nominata. Praecipuam vero rationem puto, quod eandem habent aversam, quae est in numis ΜΑΚΕΔΟΝΩΝ. ΠΡΩΤΗΣ. Fuit autem haec Heraclea non modo in Macedonia I., sed vicina etiam Amphipoli, in qua dictos Macedonum numos signatos supra in Amphipoli verisimile diximus. Ad haec Macedonia I., ut abundavit metal-

c) Num. Graec. p. 195.

d) Hist. Osrhoen. p. 122.

lis, ita et copiosiores prae aliis ejus regionis partibus tetradrachmos fudit.

* * *

Caput Apollinis. X ΑΔΑΙΟΥ. ΗΡ. Σ. *Tripus.* AE. II. (Mus. Caes. Pellerin.)

Caput Herculis. X ΑΔΑΙΟΥ. ΗΡ. Σ. *Clava.* AE. II. (Pellerin.)

Pellerinius monogramma ΗΡ. Σ. exsolvit in *Heraclea Sintica.* Non repugno. Moneo tantum, idem compendium ΗΡ. Σ. exstare etiam in numo Faliscorum Etruriae apud Pellerinium [e]). Adaeum Macedonem Beraeum Persei ad Gentium legatum prodit Polybius [f]).

* * *

Caput Herculis barbatum in leonis exuviis. X ΗΡΑΚΛΕΙΑ. *scriptum intra duo quadrata, quorum interius quadrifariam dividitur.* AR. III. (Hunter.)

Typus aversae, qui obvius est in antiquioribus Macedoniae numis, suadet, numum hunc ad Macedonicam aliquam Heracleam pertinere.

AR. et AE. RRR.

M E N D E.

In peninsula Pellene.

Autonomi:

Silenus asello vectus. X ΜΕΝΔΑΙΗ. *Diota intra quadratum.* AR. III. (Pellerin., Mus. Caes.)

Typus ad nobile vinum Mendaeum adludit, cujus honorifica in veterum coenis mentio, sic ut Alciphron illud appellet Μενδησιον νεκταρ [g]). Vnde sanctum potoribus jusjurandum: μα Δια τον Μενδαιον [h]). Ejus meritum in majus auxit Hermippus apud Athenaeum [i]), tracto ex deorum latrina testimonio: Μενδαιῳ μεν ενȣρȣσι και θεοι αυτοι.

AR. RRRR.

NEAPOLIS.

Maritima in Macedonia adjecta.

Autonomi.

Persona lingua ejecta. X *Quadratum incusum.* AR. III. (Mus. Caes.)

Eadem adversa. X ΝΕΟΠ. *Caput muliebre.* AR. III. (Mus. Caes.)

Hos numulos antiquarii olim Neapoli Campaniae perperam tribuerunt, cujus numi longe alia sunt fabrica et typo. Huc igitur sine dubio vocandi. Similes personae sunt etiam in numis Populoniae Etruriae, tum Abydi et Parii Mysiae, de quibus vide, quae ad numos Populoniae disserui.

Caput Bacchi, pone thyrsus. X ΝΕΑΠΟ. *Botrus.* AE. III. (Mus. Caes.)

Nolim certo adfirmare, hunc numum ad hanc Neapolim pertinere. In museo Hunteriano tribuitur Neapoli Cariae, sed causa non additur. Malim priorem, quia Bacchus in Macedonia et Thracia praevalet.

AR. C.

OLYNTHVS.

Ad Isthmum Pellenes, urbs nobilis, ac potens, et Demosthenis eloquentia famam nacta.

---

e) Rec. I. tab. X. f) Exc. leg. LXXVI. g) L. III. ep. 5. h) Athenaeus L. I. p. m. 29. i) L. I. p. m. 29.

Autonomus.

Caput Herculis imberbe in leonis exuviis. ✠ ΟΛΥΝ. *Clava, caduceus.* AE. III. (Mus. Caes.)

Numum hunc insignem, et hactenus unicum hujus urbis cognitum ante aliquot annos museo Caesareo intuli. Jure is Herculem jactat, quia urbs ab Olyntho Herculis F. nomen traxit teste Stephano. Athenaeus item Olynthum Herculis et Bolyae filium ait, ejusque adhuc ibi exstare monumentum [k].

Olynthi etiam autonomum ex museo Ainslieano citat Abbas Sestinus [l], sed quia eum non describit, ignoro, an idem sit cum praesente.

* * *

Alius cum epigraphe: ΟΛΥΝΘΙΩΝ. ΚΑΙ. ΤΟΡΩΝΑΙΩΝ. ΟΜΟΝΟΙΑ. est in sola Goltzii Graecia.

AE. RRRR.

ORTHAGORIA.

Autonomi.

Caput Dianae adversum. ✠ ΟΡΘΑΓΟΡΕΩΝ. *Galea.* AR. I. (Sestini Lettere T. IV. p. 97.) AR. III. (Pellerin.) AE. III. (Pembrock, Vitzai.)

Omnium primus Haymius similem protulit (Tom. II. p. m. 166.), verum cum in eo legeret ΟΡΑΓΡΕΩΝ, nihil sani exsculpere potuit. Fuit autem Orthagoria, serius dicta Stagira, Aristotelis patria, cujus, quod sciam, mentio tantum fit in ἀποσπασματιοις geographicis, quae sunt inserta Tomo IV. Geogr. min. p. 42, ubi legitur: Ορθαγορια και Σταγειρα, ἡ νυν Μακρη, quod et pagina sequente repetitur. Maroneam Thraciae etiam dictam *Ortaguream*, tradit Plinius. Ex hac Orthagoriae pro Stagira inscriptione remotam numo aetatem tribuit Pellerinius; at contrarium docent fabrica numi, et ΩΝ pro ΟΝ positum. Videtur urbs, ut plures aliae, vetus nomen resuscitasse, aut vetere nomine in numis usa.

Pellerinius numum suum dicit argenteum, at quos ego viderim, aut ab aliis citatos repererim, sunt aenei.

AE. RR.

OSSA.

Obscurum in Bisaltis oppidum. *Autonomum* argenteum edidit Paciaudus: (Animadv. phil. pag. 75.) *Equus gradiens cum rectore.* ✠ *Quadratum majus et minus, intra utriusque lineas, ut auctor legit;* ΟΣΣΙΩΜ. Quam vocem esse urbis nomen is adserit. Verum terminatio in ΩΜ, si modo talis vere in numis habetur, et non potius ΟΜ, uni fuit Italiae propria, et si in numo praesente spectetur literarum ordo, legendum potius ΣΙΩΜΟΣ, quod adeo haud dubium videtur magistratus nomen. Verisimile est, numum hunc deberi Maroneae Thraciae.

PELLA.

Mediterranea inter Axium, et Ludiam fluvios. Vrbs munitissima, et inde a Philippo Amyntae F. regum sedes.

k) L. VIII. p. m. 334. l) Lettere P. II. p. 107. et 119.

Autonomi:

Caput juvenile laur. ꭗ ΠΕΛ. *intra lauream.* AR. III. (Mus. Caes.)

ΠΕΛΛΑ. *Caput muliebre.* ꭗ ΠΕΛΛΗΣ. *intra lauream.* AE. II. (Pellerin.)

Verisimile est, *το* ΠΕΛΛΑ partis anticae indicare mulierem *Pellam*, juxta quam scripta haec vox, exemplo simili frequente in numis urbium Asiae minoris. Istud ut verum sit, tamen neque mythologia, neque historia quidquam de Pella quapiam sufficit.

* * *

Caput juvenile cornutum hedera coronatum acutis auribus, pone pedum. ꭗ ΠΕΛΛΗΣ. *Pallas pendentibus ex humero alis gradiens d. hastam intorquet.* AE. II. (Pellerin., Mus. Caes.)

Caput anticae Panos est, aut unius e comitibus. In numis coloniae Pellae Syriae Pan typus est obvius; ex quo patet, Syram hanc Pellam a Macedonica non modo nomen, sed et Panos cultum traxisse.

* * *

Caput Palladis. ꭗ ΠΕΛΛΗΣ. *Bos pascens.* AE. II. III. (Mus. Caes.)

Confirmat hic typus, quod in *Pella* observat Stephanus, Pellam olim dictam βουνομον, id est: *pascendis bobus aptam.* Et Vlpianus m): Πελλη δε πατρις Φιλιππου ἐκληθη δια το ὑπο βοος ἑυρησθαι την προσηγοριαν, πελλης το χρωμα, ὁ ἐστι, τεφρωδες κατα την Μακεδονων φωνην. *Pella Philippi patria, sic dicta est a bove, quae colore* πελλη *fuit, id est, secundum Macedonum linguam, cinericio.*

* * *

ΠΕΛΛΑΙΩΝ. *Caput muliebre* ꭗ ΠΕΛΛΑΙΩΝ. *Victoria gradiens.* AE. I. (Pellerin.)

Caput anticae esse Octaviae sororis Augusti censet Pellerinius suadente istud numo, qui inter imperatorios mox describetur.

AR. RR. AE. C.

Imperatorius.

Vnus vulgatus a Pellerinio (Mel. II. p. 3.):

ΠΕΛΛΑΙΩΝ. *Caput muliebre.* ꭗ M. ANT. AΥΤ. Γ. KAI. AΥΤ. *Victoria gradiens.* AE. I.

Paullo ante monui, caput anticae in hoc et superiore autonomo Pellerinio videri esse Octaviae. At potius credam esse deae Libertatis, nam in numis Thessalonicae, qui huic plane sunt similes, juxta caput muliebre legitur ΕΛΕΥΘΕΡΙΑΣ.

AE. RRRR.

Coloniae nomine cogniti numi ab Hadriano usque ad Philippum, quos plerosque vide apud Wilde n). Vaillantius deductam a Julio, amplificatam ab Augusto autumat, quoniam IVL. AVG. inscribitur. Verum ut continuo vidimus, mortuo jam Julio, nomine M. Antonii et Octaviani, nulla coloniae vel mentione, vel indicio signavit numos. Ergo sese *Juliam Augustam* scripsit, sive quod jam a Julio designata fuit colonia, sive quod Augustus per adoptionem Julius quoque vocabatur. Ab Vlpiano dicitur *colonia Augustana* o).

m) Ad Demosth. de fals. leg. n) Sel. num. tab. XXII. o) L. I. de Censib.

Epigraphe: COL. IVL. AVG. PELLA.

Typi: Vir rupi insidens d. capiti admota, s. fistulae innixus, in area saepe pedum.

Mirum, a Vaillantio virum hunc passim dici Apollinem, qui fistulam tanquam victi Marsyae indicem jactat. Haec septem cicutarum fistula, et adstitutum pedum certum nobis Pana sistunt, et talis etiam fingitur in numis Arcadiae, et Caesareae Paniados. Quid quod pastoritium hunc deum etiam supra in autonomo vidimus, et infra quoque in numo vicinae Thessalonicae, et regis Antigoni I. sumus visuri, certo indicio, veterem fuisse ejus dei religionem non apud hanc modo urbem, sed passim per Macedoniam.

In aliis: *Mulier capite tutulato sedens d. ori admota.*

AE. R.

PHILIPPI.

Trans Strymonem in Macedonia adjecta. Vrbs vetusto nomine *Crenidae*, deinde *Datum*, aedificata secundum alios a Callistrato Atheniensi, secundum alios colonia Thasiorum, sed ab instauratore Philippo Amyntae dicta *Philippi*, quae omnia vide apud Diodorum [p]), Scylacem [q]), Appianum [r]), Eustathium [s]). Strabo Crenidas et Datum diversas urbes facit. Ceterum urbs a Bruti et Cassii clade famigerata. Chronicon Parium conditam a Philippo statuit V. C. 397.

Autonomi.

Caput Herculis imberbe in leonis exuviis. ☧ ΦΙΛΙΠΠΩΝ. *Tripus, in area caput equi.* AV. (Mus. Christinae.)

Alius, sed infra tripodem ΗΡΑ., *in area clava.* AR. I. (Pellerin.)

Alius variis per aream attributis. AE. III. (Mus. Caes.)

Primum ex his aureum olim edidi [t]). Supra in Thasi moneta proposui numum huic tam utriusque faciei typo, quam metallo simillimum, et sola inscriptione ΘΑΣΙΟΝ. ΗΠΕΙΡΟ. diversum, quo nomine intelligi dixi Thasios Thraciae continentis, et veteres Dati colonos, quibus a Philippo ejectis cusa deinde moneta, sed novo nomine Philipporum. Fuit autem Datum auri ferax, ut est apud Strabonem [u]), et Diodorum [x]). Fuere praeterea Philippi ad montis Pangaei radices siti, quem auri venis divitem dixere Herodotus, Strabo, Plinius. Sed de his auri fodinis agam pluribus in moneta Philippi II. Quod ad typum attinet, potest Hercules cum tripode componi; nam is saltem aliquamdiu eum Apollini vi ablatum usurpavit, ut docent mythologi, ac praeterea judice Libanio Hercules non minus vates, quam sagittarius fuit [y]). Vox ΗΡΑ. in citato tetradrachmo videtur principium magistratus.

AV. AR. RRRR. AE. RR.

Coloniae numi frequentiores ab Augusto usque ad Caracallam.

Imperatorii.

VIC. AVG. *Victoria gradiens.* ☧ CO-

p) L. XVI. c. 3. et 8. q) pag. m. 27. r) Bell. civ. L. IV. s) Dionys. v. 517.
t) Num. vet. p. 67. u) in Excerpt. L. VII. x) l. c. y) Tom. II. orat. IV. p. 183.

HOR. PRAE. PHIL. *Tria signa militaria.* AE. III.

Obvii hi numi sub ipso videntur Augusto signati, docentque, cohortem praetoriam emeritam in militiae praemium ab Augusto huc traductam, quo modo teste Plinio z), in Africa fuit Gunugi colonia Augusti *deducta cohorte praetoria.*

* * *

COL. AVG. IVL. PHILIP. *Signa duo super basi, cui inscriptum:* DIVVS. AVG., *dexteras attollentia, quorum dexterius paludatum, sinisterius seminudum,* in numis Claudii et sequentium impp.

COL. AVG. IVL. PHIL. IVSSV. AVG. *Caput Augusti laur.* X *Signa eadem, sed dexteriori adscriptum :* AVG. DIVI. F., *sinisteriori:* DIVO IVLIO. AE. I. (Pellerin Rec. I. p. XXVIII. Mus. Caes.)

Posterior hic numus rarissimus praecedentes obvios, in quorum explicatu varie peccatum, egregie illustrat. Docet enim primo, statuam dexteriorem paludatam esse Augusti, sinisteriorem a summo ad medium nudam Julii, nempe specie divinitatis, qui inter deos relatus jam erat. Deinde coloniam deductam ab Augusto; nam in statuarum sede locus dexterior, ceu honorificentior Augusto tanquam fundatori datus, quam legem videmus etiam in inscriptione servatam; nam cum in aliarum coloniarum numis legatur: COL. IVL. AVG., in hac una COL. AVG. IVL.

Docemur praeterea, has statuas revera exstitisse Philippis, et jam sub Augusto dedicatas, et harum typum, ut revera erant, in numos translatum; nam nisi fuissent opus perpetuum, in numis sequentium imperatorum statua quoque Augusti, qui deorum item chorum auxit, efficta fuisset seminuda. Denique verba IVSSV. AVG. vel notare, easdem has statuas Augusti jussu dedicatas, haud dubie in memoriam victoriae ad Philippos relatae, et sumptae de Julii interfectoribus vindictae, vel ejus jussu deductam coloniam. Ad monetam ea referri non possunt, cum tum scribi solitum fuerit: PERMISSV. AVG.

Videntur haec signa magno fuisse apud Philippenses in honore, et quadam religione sacra, cum in eorum moneta non compareat alius typus dempto numo Commodi, in quo lupa gemellos lactans. (Vaill.) *AE. R.*

PYDNA.

In Pieria ad sinum Thermaicum clade Persei nobilitata.

Autonomi.

Caput Dianae. X ΑΙΩΝ ΠΥΔΝ *Noctua.* AE. III. (Pellerin. Suppl. III. p. 103.)

Observanda in hoc numo insolens scribendi lex, quae bustrophedon proprie dici nequit, sed parte priore recta, altera retrograda. Multum remotae vetustatis non videtur propter literam Ω jam receptam.

z) L. V. pag. 244.

Caput Herculis imberbe. ℞ ΠΥΔΝΑΙΟΝ. ΠΥΝΔΑΙΟΝ. ΠΥΔΝΑΙΩΝ. *Aquila serpentem depascens.* AE. III.

Numos hos eximie raros recenset Wildius [a]), additque, circa Thessalonicam repertos anno Christi 1685 in suum museum migrasse. Simillimi his sunt aenei sola inscriptione ΑΜΥΝΤΑ pro ΠΥΔΝΑΙΩΝ diversi.

AE. RRR.

STOBI.

Vrbs mediterranea in Pelagonia, et notum *municipium*, quod Romanorum munus numi omnes hactenus editi profitentur.

Autonomus:

Victoria globo insistens d. coronam, s. tropaeum. ℞ STOBENSIVM. *Bos gradiens.* AE. III.

Numum hac una causa memorabilem, quod hactenus autonomus unicus est, olim ex museo M. Ducis vulgavi [b]).

AE. RRRR.

Imperatorii.

Obvii a Vespasiano usque ad Elagabalum.

Epigraphe in nonnullis STOBENSIVM tantum, subaudi: *municipium.* In reliquis: MVNIC. STO. STOB. STOBE. STOBEN. STOBENS. STOBENSI. STOBENSIVM. STOBENVM. STOBENIVM. Lege de hujus urbis gentili disserentem Liebeum [c]).

Typi: in numis gentis Flaviae et Trajani est *templum* 4. *columnarum*, *intra quod idolum stans.* In reliquis variant, *Victoria* plerumque aversam occupante.

AE. C.

THESSALONICA.

Olim vocata *Therma*, in intimo recessu sinus Thermaici. Nominis mutati causa varie proditur, alii a victis ibi a Philippo Amyntae Thessalis, quos inter Julianus Aug. [d]), alii a Thessalonica Cassandri uxore Philippi II. filia repetunt, in qua sententia fuit Strabo. Constantinus Porphyrog. narrat, Philippum Amyntae victis ibi Thessalis idem nomen et filiae et urbi dedisse [e]). Straboni consentit Zonaras, addito, olim Emathiam fuisse dictam [f]). Fuit urbs illustris, et caput Macedoniae II. Hujus urbis historiam enarravit Belleyus [g]).

Autonomi.

Epigraphe: ΘΕ. (Pellerin.) ΘΕΣΣΑΛΟΝΙΚΗΣ. ΘΕΣΣΑΛΟΝΙΚΕΩΝ.

ΚΑΒΕΙΡΟΣ. *Caput juvenile laur.* ℞ ΘΕΣΣΑΛΟΝΙΚΕΩΝ. *Aquila, omnia intra quernam.* AE. II. (Pellerin.)

ΘЄCCΑΛΟΝΙΚΗ. *Caput muliebre velatum turritum.* ℞ ΚΑΒЄΙΡΟC. vel ΚΑΒΙΡΟC. *Cabirus habitu curto stans d. clavum, aut quid simile, s. malleum attollit, in nonnullis pro pedibus incus.* AE. III. (Mus. Caes.)

Eadem adversa. ℞ ΚΑΒЄΙΡЄΙΑ. ΠΥΘΙΑ. ΦΙ. *Vrna prominente palmae ramo.* AE. II. (Pellerin.)

a) Sel. num. p. 4. b) Num. vet. p. 67. c) Goth. num. p. 320. d) Orat. III p. 107. e) Themat. L. II. §. 4. f) L. XII. c. 26. g) B. L. T. XXXVIII. hist. p. 121.

Stabilitum in hac urbe Cabirorum cultum, quem arcessitum e Phoenicia praecipua religione exercuit Samothracia, hi numi testantur, stabilitis etiam ludis *Cabireis*, quos soli Thessalonicae numi memorant. Et constituti hujus hoc in oppido cultus testem habemus Firmicum Maternum h). *Hunc eundem*, inquit, *Macedonum colit stulta persuasio. Hic est Cabirus, cui Thessalonicenses quondam cruento cruentis manibus supplicabant.* Quae ad Cabiros attinent, fusius disputabuntur in numis Tripolis Phoeniciae. Typus Cabiri non absimilis illi, qualem numus alter offert, est etiam in numis Romanis Claudii Gothici adscripto: DEO. CABIRO., quem ipsum Thessalonicae causa illis insertum in hujus Augusti moneta dicemus.

Numus postremus per ludos *Philadelphia* sese aetate Caracallae cusum profitetur.

* * *

Caput Jani geminum barbatum. ☧ ΘΕΣΣΑΛΟΝΙΚΗΣ. *Duo Centauri in diversum equitantes.* AE. II. (Goltz. Theup. Arigoni.)

Numen Romanum monetae Graecae illatum suspicari facit, numos hos signatos, quando urbs jam Romanis paruit. Iidem typi sunt etiam in numo Amphipolis.

* * *

Caput Jovis laur. ☧ ΘΕΣΣΑΛΟΝΙΚΗΣ. *Duo hirci coniscantes.* AE. II. (Mus. Caes.)

Vide de hoc aversae typo numos Amphipolis.

* * *

Pan nudus gradiens d. elata, s. pedum super humero tenet, ex quo dependet hinnulus, in area astra solis et lunae ☧ ΘЄCCΑΛΟΝΙΚЄΩΝ. *intra lauream.* AE. (Arigoni.)

Typus per lepidam Panos formam eximie jucundus. In numis vicinae Pellae, cum quibus monetae Thessalonicensi spectatis typis multum convenit, Pan frequens.

* * *

ΘЄCCΑΛΟΝΙΚΗ. *Caput muliebre velatum turritum.* ☧ ΘЄCCΑΛΟΝΙ. ΜΗΤ. Β. ΝЄ. *Apollo Actius stans d. plectrum, s. lyram columnae impositam.* AE. III. (In meis Num. vet. p. 68.)

Ex addito ΜΗΤ. Β. ΝЄ. apparet, numum signatum circa Decii tempora, ut ex sequentibus patebit, etsi numus pro ea aetate non inelegantis sit operis.

* * *

ΜΑΡΚΙΑ. *Caput muliebre laureat.* ☧ ΘΕΣΣΑΛΟΝΕΙΚ. *Equus gradiens ore palmae ramum tenens.* AE. III. (Pellerin. Suppl. IV. p. 44.)

Aenigma partis anticae neque index hujus numi expedire tentavit.

AE. C.

Regius.

Cassandri, quem vide in hujus moneta.

Imperatorii.

Magno sunt numero, et quidem primorum etiam Augustorum, et eorum familiae, quorum plerosque collectos

h) De Error. prof. relig. p. m. 426.

vide apud Wilde [i]). Incipiunt cum J. Caesare, sed jam deo, et porriguntur usque ad Valerianum, cujus numi sunt in museo Caesareo, et Arigonio.

Epigraphe: ΘΕΣΣΑΛΟΝΙΚΗ. ΘΕΣΣΑΛΟΝΙΚΕΩΝ.

Typus potior: *Victoria*, nimirum cum adlusione ad urbis nomen. Dissimulatis reliquis obviis commemorandi:

ΘΕϹϹΑΛΟΝΙΚΕΩΝ. ΕΛΕΥΘΕΡΙΑϹ. *Caput muliebre.* ℞ M. ANT. AYT. Γ. KAI. AYT. *Victoria gradiens.* AE. I. (Pellerin. Mel. II. p. 3.) Idem est in Caesareo, sed in hoc est Σ pro C.

ΑΓΩΝΟΘΕΣΙΑ. *Caput muliebre simile.* ℞ ANT. KAI. *intra coronam.* AE. II. (Pellerin. Rec. III. p. XXIX. Mus. Caes.)

Non mihi satis cum Pellerinio convenit, opinante, capite muliebri utriusque numi exhiberi Octaviam Octaviani sororem. Credo, dictum caput, quale sit, satis nobis explicari addito ΕΛΕΥΘΕΡΙΑΣ, *Libertatis*, perinde ac in denariis Bruti et Cassii uno alterove antea anno in eodem tractu signatis simile caput muliebre esse Libertatis ex addito LIBERTAS intelligimus. Plinius Thessalonicam appellat *liberae conditionis* [k]). Ergo hanc suam libertatem sic jactabant in numis Thessalonicenses, ut Amiseni aliique. Numum huic simillimum, nisi quod deest vox ΕΛΕΥΘΕΡΙΑΣ, edidit etiam Pella.

Numum alterum Pellerinius causa fabricae, et quod item M. Antonium, et Octavianum inscriptos habet, jure Thessalonicam refert. De nomine ΑΓΩΝΟΘΕΣΙΑ, quod hic tantum numus memorat, lege disputantem Pellerinium [l]), et quae disseremus in tractatu de ludis.

* * *

ΚΑΒΙΡΟϹ. *Cabirus stans*, ut in autonomis, in numis Caracallae, (Theup.) et Getae. (Pellerin.)

Apollo nudus stans d. lauri ramum, s. lyrae innixus, quae imposita est columellae, cui serpens obvolvitur, juxta arcus, pro pedibus urna ludorum, et mala victoris Pythii praemia, Gordiani. (Pellerin. Suppl. IV. p. 9.)

Typus memorabilis, quod pleraque Apollinis attributa sistit, de quibus vide plura apud Pellerinium (l. c.)

* * *

Ludi:

ΑΓΩΝΟΘΕΣΙΑ. Vide supra.

ΚΑΒΕΙΡΕΙΑ. ΠΥΘΙΑ. ΦΙλαδελφεια in autonomo citato.

ΕΠΙΝΙΚΙΑ. ΚΑΒΕΙΡΙΑ. — ΟΛΥΜΠΙΑ. — ΠΥΘΙΑ., in numis Gordiani. (Mus. Caes. Vaill.) Ludos Pythia indicat etiam *tripus*, *super quo 5 mala, hinc et inde urna ludorum*, Valeriani. (Mus. Caes.) Eadem mala in numo praecedente vidimus.

Praetensum ΚΕϹΑΡΕΙΑ in numo Gordiani apud Theupoli verisimiliter in ΚΑΒΙΡΕΙΑ corrigendum.

ΑΚΤΙΑ. ΠΥΘΙΑ. Β. Philippi sen. (Vaill.)

* * *

Neocoratus nullam certam legem sequitur.

Β. ΝΕ. in numis Alexandri Sev. (Vaill.)

---

i) Sel. num. tab. 13. 14. k) L. IV. §. 17. l) Rec. III. p. XXIX.

In numis Gordiani aut nulla ejus mentio, aut tantum simplicis: ΘΕССΑΛΟΝΙΚΗ. ΝΕΩΚΟΡΟϹ. (Mus. Caes.) vel, quod singulare: ΝΕΩΚΟΡΑ. (Pellerin Mel. II. p. 202.) In numis Philipporum neocoratus quoque simplex. In numo Herennii duplex: ΜΗΤ. Β. ΝΕΩΚ. (Pellerin.) In numo Valeriani alio neocoratus nullus, (Arigoni) in alio musei Caesarei duplex, sic: ΘΕССΑΛΟΝΙΚΗ. Β. Ν. In numis Gallieni, sed coloniae nomine, partim Β. ΝΕ., partim Γ. ΝΕ., ut dicetur.

Secundum Vaillantium [m]) Thessalonica primum neocoratum accepit a Gordiano, alterum a Valeriano. Duplex peccatum, quorum alterum viro erudito ignoscimus, quoniam Herennii numus serius fuit detectus. Alterum minus venia dignum, cum ipse sub Alexandro numos binos citaverit neocoratu II. notatos.

* * *

Metropolis: hanc dignitatem urbi concessam a Valeriano censuit Vaillantius [n]). At jam sub Decio hoc fuisse honore insignem docet numus Herennii in neocoratu citatus. Metropolis mentionem etiam supra in autonomo vidimus. Metropolim Macedoniae testatus est etiam Julianus [o]), aliique inferioris aevi scriptores. Quin etiam saltem honoris causa jam Augusti aetate dicta est μητηρ πασης Μακεδονιης ab Antipatro Thessalonicensi [p]).

AE. C.

Colonia dicitur in numis Valeriani ejusque familiae. Cum exstent ejusdem imperatoris numi absque mentione coloniae, dubium non est, deductam eam Valeriano imperante. Refert Zosimus [q]), sub hoc Thessalonicam a Scythis gravi obsidione pressam periculum suorum virtute civium evasisse. Vnde verisimile est, coloniae jura sibi promeritam.

Epigraphe Graeca, qua lingua haec una colonia, et Philippopolis Thraciae usae sunt, cum reliquae Graeciae Europaeae coloniae Latina constanter uterentur.

ΘΕССΑΛΟΝΙΚΗ. ΜΗΤ. ΚΟΛΩ. Valeriani. (Vaill.)

ΘΕССΑΛΟΝΙΚΗ. ΜΗΤΡ. ΚΟ. Β. ΝΕ. Gallieni. (Vaillant. Pellerin Suppl. IV. p. 12.)

ΘΕССΑΛΟΝΙΚΗ. ΜΗ. ΚΟ. Γ. ΝΕ. Gallieni. (Pellerin.)

ΘΕССΑΛΟΝΙΚΗ. ΜΗ. vel ΜΗΤΡ. ΚΟ. Β. ΝΕ. vel Γ. ΝΕ. Saloninae. (Vaill. Pellerin.)

Typus illustrior: *Vir nudus*, in aliis *mulier capite tutulato stans d. sigillum Cabiri tenet.* (Pellerin. Suppl. IV. p. 12.)

Ludi ΠΥΘΙΑ inscripti urnae, Gallieni et Saloninae, de quo, ut et de *Metropoli* actum supra.

Litera solitaria Δ in numis Gallieni et Saloninae, (Pellerin.) nullo certo sensu ut in numis urbium Thraciae.

AE. RR.

TORONE.

Ejus numus soli Goltzio cognitus.

---

m) Num. Graec. p. 218. n) in Colon. sub Valeriano. o) Orat. III. p. 110. p) Brunck Anal. T. II. p. 112. q) L. I.

TRAELIVM.

Exstant numuli:

Caput Mercurii petaso tectum. ✕ ΡΑΙ-ΛΙΤΝΟ. *Balaustium.* AE. III. (Pellerin, et Hunter in numis Rhodi.)

Primus Pellerinius numum similem Rhodum, quippe causa balaustii, vocavit, cujus deinde judicium secutus est auctor musei Hunteriani. Dubium movit cl. Cousineryus nationis Gallicae Thessalonicae procurator, qui datis ad me literis, missoque similium numorum exemplari uno testatus est, eorum complures repertos juxta Amphipolin, ceterum non sibi constare de urbe adfinis nominis per hunc tractum, cui numi hi tribui possent. Istud ipsum cum a Cousineryo edoceretur abbas Sestinus, sic statuit: epigraphen numi non esse legendam ΡΑΙ-ΛΙΤΝΘ, sed ΤΡΑΙΛΙΟΝ. Jam vero d'Anvillium juxta Amphipolin constituisse oppidum *Triullum*, quod nomen cum satis adfine sit nomini ΤΡΑΙΛΙΟΝ in numo expresso, videri pro Triullum scribi oportere *Traelium*, vel *Traillium*, hosque numos huic tribuendos. Haec ille r). Quas causas qui idoneas arbitrabitur, is sibi persuadeat quoque, stetisse in hoc tractu urbem dictam Triullum, veteribus omnibus ignotam, si tabulam Peutingerianam demas, numosque adeo similes huic tribuendos. Idem vir eruditus etiam numos inscriptos TRIA. huc refert, de quibus egimus in numis Serdicae Thraciae. Mihi hactenus omnes id genus numi in incertis putandi videntur.

VRANOPOLIS.

In cacumine montis Athus teste Plinio s), cujus conditorem Athenaeus prodit Alexandrum Cassandri fratrem t), qui, quod norim, soli hujus urbis meminere.

Autonomi.

ΟΥΡΑΝΙΑΣ. ΠΟΛΕΩΣ. *Mulier capite tutulato globo insidens d. hastam.* ✕ *Sine epigraphe. Astrum.* AE. III.

Numum integerrimum edidi ex museo ill. Com. Vitzai u). Ejus similem jam protulit Pellerinius, sed cum in eo legere sibi videretur ΛΟΚΡΩΝ, eum perperam Locris Ozolis adjudicavit. Mulierem partis anticae conjecto esse Venerem Vraniam, a qua videtur urbi nomen inditum, de quo plura disserui loco laudato. Dixi, etiam astrum partis aversae ad eandem Vraniam referendum, quod etiam confirmat Sozomenus, cum narrat x), in Aphacis certo die ignem per quandam invocationem e vertice montis Libani decurrentem instar stellae in vicinum amnem sese immersisse, et hunc ignem ajebant esse Vraniam, ita enim ipsi Venerem appellant. Ceterum fieri poterat, ut urbs per situm coelo admota Vranopolis a conditore vocaretur.

AE. RRR.

---

r) Lettere p. 123. s) L. IV. c. 10. t) L. III. p. 98. u) Num. vet. p. 70. x) Hist. eccl. L. II. c. 5.

REGES MACEDONIAE.

Longam horum regum seriem a vetustissimis temporibus deductam memoriae prodiderunt scriptores veteres, ex quorum testimoniis, etsi saepe dissonis et fluctuantibus, praecipue quae ad temporum rationem pertinent, eorum historiam et successionis legem descripsere Reinerus Reineccius, Petavius, Spanhemius, Froelichius, aliique, quorum nos insignes conatus in judicium non vocamus, quoniam non in historiam, sed numos crisin intendimus, a numis vero neque chronologiae, neque successionis ratio, sicubi luxata est, sanari potest, quia notis epochae, aliisque indiciis fere destituuntur.

Juvat Macedoniae reges ab ejus regni exordio secundum Froelichii catalogum y) compendio commemorare. Horum primi aut pecunia signata caruere, aut haec ad nostram aetatem non pervenit. Alii numi huic illive perperam sunt tributi, conficti alii, ut in singulis docebimus.

* * *

CARANVS Argivus ex Herculis stirpe, et ab hoc sextus decimus ex oraculi Delphici monitu novas sedes quaerere jussus huc commigrat, occupatam Edessam Aegas appellat, quod capras domum remeantes per nebulam secutus custodes fefellit, et una cum his receptus urbe potitus est z). Factum illud creditur circa annum ante V. C. 16. ante Christum 768. Moritur V. C. 14. fundata stirpe in Alexandri M. liberis desitura, quod sic in vulgus fuit creditum, ut non dubitaret Isocrates in sua ad Philippum II. oratione perpetuo hunc ejus cum Hercule sanguinis nexum praedicare, ut nunc mittam testimonia alia, quae suis locis commemorabuntur. Hinc toties in regum Macedoniae numis caput Herculis occurrit.

COENVS. TYRIMAS. PERDICCAS. I. fere nomine tantum cogniti.

ARGAEVS. Hujus numum ΑΡΓΕΙΟΥ. ΒΑΣΙΛΕΩΣ, quem ex Scaligero citat Harduinus a), commentitium puta. Alium magis eruditum, nimirum magis ad leges artis numariae exactum, sed palam spurium, Constantinopoli ante annos aliquot missum servat museum Caesareum: ΑΡΓΑΙΟΥ. *(retrograde) Equus gradiens, infra quem clava.* ✠ *Quadratum incusum quadripartitum.* AR. II.

PHILIPPVS I. mortuus creditur V. C. 172. Huic Froelichius tribuendos conjicit argenteos nonnihil barbaros: *Caput Jovis.* ✠ *Eques adstituta barbara Philippi epigraphe* b). Perperam, nam esse Philippi II., in hoc docebimus.

AEROPAS, vel EVROPVS.

AMYNTAS. I. mortuus circiter V. C. 265. Commemorandus hoc loco numus:

y) Notit. elem. p. 128. z) Justin. L. VII. c. 1. a) Opp. sel. p. 27. b) Notit. elem. pag. 128.

Pagurus. ✕ BAME *sine typo.* AE. III.
MT☐T
M

De numo hoc scite disserit Cl. Wise c): editum esse a Begero et Spanhemio, ab utroque tribui Amyntae I., quia tam typo, quam literarum forma differt a numis Amyntae II. Hos minus confidenter secutum Montfauconium d). Sed ab his male lectam epigraphen, nempe BAMIM-T☐TM, cum tamen in praesente numo, cujus similes duos possidet David Bosanquet mercator Londinensis, legatur sic, ut supra descripsimus. Ergo Amyntae I. tribui non posse, praesertim cum dubitari queat, an tunc temporis permissum fuerit Macedoniae regibus, inscribere nomen suum monetae, cum teste Polybio e) Macedones ab antiquo aequalem cum regibus suis habuerint potestatem. Dubium augere praefixum B pro Βασιλεως, qui titulus ante Philippum II. in Macedoniae regum moneta non occurrit. Ipsum numi opus tam remotam aetatem non olere. Elementum O quadratae formae, quod ad demonstrandam tantam antiquitatem maximi momenti putant, etiam serius fuisse usurpatum, nam comparere in simulacris Hermaeis Phocionis, Speusippi, in numis Arsacidarum &c. Haec praeclare vir eruditus contra Begerum et Spanhemium, etsi ipse denique, cui vere tribuendi sint, ignoret. Aliquanto serius idem dubium occupavit Froelichium, qui recte adserit f), numis Macedonicis aliam esse speciem, aliam epigraphen, nempe: AMTNTA. Vtrum vero, quod timide suspicatur, tribuendus sit Amyntae Galatae, dubitari potest.

ALEXANDER I.

Amyntae I. F. cognomento *Dives*, vir multis virtutum ornamentis praeditus. Fratrem habuit MENELAVM, qui et *Tharraleos* dictus, sororem GYGAEAM. Mortuus secundum alios V. C. 309, secundum alios serius, at secundum Chronicon Parium V. C. 291.

N u m i.

Vir pileatus eques lento gressu d. binas hastas. ✕ ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΤ *intra quadratum incusum.* AR. I. (Mem. B. L. T. XXIV. p. 48.)

Vir pileatus s. duo jacula gestans equum frenatum gradientem comitatur. ✕ ΑΛΕ-ΞΑΝΔΡΟ. *scriptum circa quadratum quadrifariam divisum.* AR. m. m. et I. (Pellerin, le Bret.)

Forma literarum, terminatio plerumque in O, quadratum incusum, omnia, longum horum numorum aevum testantur, neque cogniti alii regum Macedoniae numi his antiquiores. Nihil obstat, quo minus equitem partis anticae ipsum regem statuamus, nam pileo usus est etiam Gentius vicini Illyrici rex, nimirum nondum recepto tum diademate, et veteres Macedonas gestasse pileos, tradit Dio Chrysostomus g). ΑΛΕΞΑΝΔΡΟ gignendi casus est pro ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΤ, ut et ΑΡΧΕΛΑΟ, de quo proxime. O positum pro OT archaismus purus putus est, cujus exempla obvia sunt in mar-

c) Mus. Bodl. p. 112. d) Palaeogr. Graec. p. 121. e) L. V. c. 27. f) Not. elem. p. 139. g) Orat. 71. de cultu corp.

moribus vetustissimis omnium Graeciae nationum, Amyclaeis Fourmontii, Sigeo, et in vetustissimis Atheniensium, quae edidere Sponius [h]), Chandlerus [i]), et Taylor [k]). Ejusdem legis sunt ΜΑΥΣΣΟΛΛΟ, ΠΙΞΟΔΑΡΟ in numis regum Cariae. Hanc regulam confirmat Athenaeus [l]), qui agens de poculo literato, in quo scriptum ΔΙΟΝΥΣΟ, addit, in hac voce desiderari elementum Υ, quoniam Achaei utebantur litera Ο non solum ea facultate, qua nunc pollet, sed etiam cum diphthongum significabat, Ο tantum pingentes. Eodem modo Philoxenus a Dionysio ex Italia in Siciliam revocatus rescripsit Ο, *non*, pro ΟΥ. Vide Suidam in Φιλοξενȣ γραμματιον, aliosque proverbiorum scriptores. Hunc, quem dixi, archaismum retinuere Dores et Aeoles, sic tamen ut ΟΥ mutarent in Ω serius inductum. Sic in marmore Cretensi apud Reinesium [m]): ΤΩΣ. ΚΩΡΗΤΑΣ pro ΤΟΥΣ. ΚΟΥΡΗΤΑΣ. et passim Dores: *μωσα*, *ὠρανος*, pro *μȣσα*, *ȣ̓ρανος*. Alias tamen Dores etiam ΟΥ in Ο breve mutavere; sic obvium in numis ΣΥΡΑΚΟΣΙΩΝ pro ΣΥΡΑΚΟΥΣΙΩΝ. Quadratum partis aversae Begerus [n]) et Froelichius [o]) temere de figura Macedoniae quadrata capiunt. Sin istud, etiam quadratae fuere Abdera, Maronea, Thasus, Amphipolis, Acanthus &c. Alia de hoc quadrato, remotae antiquitatis indice, alibi docuimus. (Prolegom. gen. Vol. I. p. LXIV.)

Ab hoc Alexandro incipiunt illustria tetradrachma regum Macedoniae. Testatur vero etiam Herodotus, eidem huic regi ex vicina Macedoniae fodina in singulos dies singula argenti talenta venisse [p]). Vnde reor, *Divitis* ei cognomen fuisse inditum.

AR. RRRR.

PERDICCAS II.

Alexandri F. moritur secundum Chronicon Parium V. C. 334.

Numus.

Equus Ж ΠΕΡΔΙΚ. *Galea in areola quadrata.* AR. Ex museo Cary. (Maffei Ant. Gall. p. 112.)

Rarissimum hunc numum jure huic Perdiccae tribuemus, quoniam simillimum alium mox videbimus in moneta filii Archelai. Numos aeneos alios, quos Froelichius eidem obtulit, esse Perdiccae III., in hoc docebo.

AR. RRRR.

ARCHELAVS I.

Perdiccae II. filius, caede fratris ad regnum designati imperat. Rebus in Macedonia praeclare constitutis obit V. C. 354.

Numi:

Eques pileatus binas hastas tenens. Ж ΑΡΧΕΛΑΟ. *(in aliis sine epigraphe.) Caper dimidius intra quadratum.* AR. I. (Froelich. Reg. vet. p. 1. Pembrock.)

---

h) Misc. pag. 315. i) Inscript. ant. pag. 37—42. k) Marm. Sanvdic. l) L. XI. p. m. 466. m) Syntagm. T. I. pag. 501. n) Thes. Br. T. I. p. 220. o) Not. elem. pag 129. p) L. V, §. 17.

Eadem adversa. X *Sine epigraphe. Quadratum quadripartitum* AR. I. In aliis: *Leo dimidius intra quadratum.* AR. III. (Mus. Caes. Pellerin.)

Equus currens. X ΑΡΧΕΛΑΟ. *Galea, omnia intra quadratum.* AR. III. (Pellerin.)

Caput imberbe tenui filo redimitum. X ΑΡΧΕΛΑΟ. *Equus gradiens pendentibus habenis.* AR. I. (Mus. Caes.)

Protome barbata diademata. X - - ΕΛΑΟΥ. *Equus gradiens intra quadratum incusum.* AE. III. (Haym. T. II. p. m. 11.)

Numi loco I. descripti tam typo partis anticae, quam fabrica simillimi sunt numis Alexandri I. avi. Capri rationem supra in Carano dedimus.

Quos altero loco vides anepigraphos, Pellerinius eidem Archelao tribuit propterea, quod similis antica est in certis ejus numis. At juxta hanc legem possunt etiam esse Alexandri I.

Tertio similes sunt numi alii argentei III. formae; nisi quod omnis in his epigraphe abest, quorum similem edidit Neumannus noster q), et propter hanc typorum et fabricae concordiam eidem Archelao tribuere non dubitavit. De his redibit mentio in numis Metropolis Thessaliae.

Quartus et quintus postremus non leves objiciunt difficultates. Suntne unius ejusdemque Archelai, an diversorum? Sin illud, cur in priore est imberbis, in altero prolixe barbatus? Cur tantopere abludunt vultus lineamenta? Atque hanc unam fuisse rationem existimo, cur mentem mutaret Froelichius, numumque Haymii cum vultu barbato tribueret Archelao I., reliquos Archelao II. Verum an satis conspirat fabrica, quam exhibet numus IV., cum aetate Archelai II., qui fuit Philippi II. frater? Jam ad barbam quod attinet, ut de typis judicari recte possit, nosse primum oporteret, utrum hac aetate Macedones barbam aluerint, an eam abjecerint? Sed in hoc video discordia veterum testimonia. Ante Alexandrum M. inusitatam in Graecia rem fuisse novaculam, ac hujus primum aetate radendae barbae inolevisse consuetudinem, pluribus Chrysippi testimoniis comprobat Athenaeus r). Suffragatur et Plutarchus, perhibens s), Alexandrum militum suorum radi barbas jussisse, ut difficilius in praelio ab hostibus capi possent. Atqui et Synesius citat Ptolemaeum Lagi, quem, ait, quia rei gestae interfuit, rem non ignoravisse, et quia rex fuit, non mentitum, haec scilicet scribentem: Alexandrum cum videret, suos a Persis barba comaque prehensos retineri ac trucidari, ante praelium ad Arbela omnes Macedonas missis tonsoribus novacula radendos curasse t). Et alio loco refert Plutarchus de Philippo Amyntae, patre Alexandri M., Antipatri quemdam amicum, inquit, in judicum collegium cooptaverat, sentiens autem, eum barbam caputque tingere, removit eum u). Contra Plutarchus de eodem no-

q) Num. pop. T. I. p. 147. r) L. XIII. p. m. 565. s) in Theseo p. m. 3.
t) Encom. calvit. p. 79. u) Αποφθεγμ. βασιλ. p. m. 178.

stro Archelao x): Archelaus rex garrulo tonsori, cum humeris linteum circumdaret, quaerenti: quomodo te tondebo? (πως σε κειρω;) respondit: tacens. Ergo ex his testimoniis habemus Graecos, et privatim Macedonas ante Alexandrum M. partim barbatos, partim imberbes, aut saltem tonsos. In numis, quos hactenus citavimus, virorum Macedonum vultus tam sunt imberbes, quam esse solent, quos novacula pervasit, in solo aeneo Haymiano Archelai caput amplam barbam promittit, ut adeo in hac barbae causa neque numi inter se, neque veterum dictata conspirent. Ad diadema quod attinet, communis est antiquorum scriptorum doctrina, quam jam attigi in numis Gelonis et Hieronis I. Syracusarum regum, ab Alexandro M. demum diadematis usum fuisse invectum. At quo pacto haec vera esse potest, cum jam capita Archelai, Pausaniae, et Amyntae II., qui omnes Alexandrum M. praecessere, in numis diademata conspiciamus? Juvat animadvertere, diadema, quod reges post Alexandrum M. gestare sunt soliti, latius fuisse ligamen in occipite in nodum collectum, cujus extremitates in humeros longius defluxere, a quo longe differt diadema conspicuum in numis argenteis regum Macedoniae, qui Alexandrum praecessere, quod tenue tantum filum est circulo finitum nullo in humeros exitu. At ab his rursum differt laudatus saepe aeneus Haymianus, in quo diadema est ejus formae, cujus sunt illa, quae comparent in numis regum, qui post Alexandrum regna tenuerunt. Adde, quod in eodem hoc numo non caput tantum regis proponitur, ceu in argenteis horum regum aliis, sed protome. Qui tantus ac tot in causis a reliquis dissensus posset de ejus numi fide dubium injicere, praecipue cum alter similis nondum promulgatus sit, nisi eum adcurati Haymii auctoritas tueretur. Ceterum proposuisse haec dubia satis esto, relicta aliis judicandi cura, sitne filum illud, quo in argenteis caput regis redimitur, vere diadema regium putandum, et fortasse verisimile, caput sic revinctum et imberbe esse potius numinis cujuspiam, quam regis.

AR. RRR. AE. RRRR.

PAVSANIAS.

Filius Aeropi, qui exstincta Archelai stirpe regnum occupavit. A morte patris annum unum regnat dejectus ab Amynta II., quod factum V. C. 360 tradit Diodorus y). Amynta mortuo regnum iterum invadit z).

Numus:

Caput imberbe diadematum. ℞ ΠΑΥΣΑΝΙΑ. *Equus gradiens intra quadratum.* AR. I.

Praestantem hunc numum in Macedonia haud ita pridem effossum in museum suum intulit eruditus, mihique amicissimus Cousineryus vicarius Galliae consul Thessalonicae, postea museo regis Galliarum cessit.

AR. RRRR.

---

x) l. c. p. 177. et de Garrulitate. y) L. XIV. c. 84. 89. z) Aeschines de fals. legat. p. 399.

* * *

AMYNTAS II.

Menelai, secundum alios Philippi Tharralei filius. Exstincta in Oreste Archelai filio linea recta, et everso Pausania, qui partem tenuit, Macedoniam totam sibi subjicit. Variam primum fortunam expertus regnum subinde quiete tenuit, mortuus V. C. 385.

Numi:

Caput imberbe diadematum. ✠ AMΥΝΤΑ. *Equus gradiens defluo ad terram freno.* AR. I. (Maffei Ver. ill. P. III. p. 262.)

Caput Herculis barbatum leonis exuviis tectum. ✠ AMΥΝΤΑ. *Equus in quadrato.* AR. I. (Mus. Caes. Pembrock.)

Caput idem, sed imberbe. ✠ AMΥΝΤΑ. *Aquila stans intra quadratum.* AR. I. (Beger.)

Caput idem imberbe. ✠ AMΥΝΤΑ. *Aquila serpentem depascens.* AE. III. (Mus. Caes.)

Constans in his numis lectio AMΥΝΤΑ, nempe Dorice pro AMΥΝΤΟΥ. Quare jure Harduinus Goltzii numum suspectum vocat, in quo posterior hic modus praetenditur [a]). Quod Harduini judicium inique infringere tentat Spanhemius commemorando numos varios, in quibus certa lectio ΒΑΣΙΛΕΩΣ. AMΥΝΤΟΥ [b]). Nam numos omnes sic inscriptos esse Amyntae Galatae, suo loco docebimus, quos in plerisque catalogis passim cum Macedoniae regum numis temere mixtos videmus.

Quod ad typos attinet, proponitur Hercules, quia ab hoc reges genus duxere ut diximus in Carano. Equus in quadrato typus vetus. At novus aquila serpenti inimica, quam offert etiam Chalcis Euboeae, et numi urbium Siciliae, tum et Pydnae urbis Macedoniae. Eundem typum habuit annulus Arei Spartanorum regis teste Josepho [c]).

AR. RR. AE. R.

* * *

Habuit Amyntas II. ex variis uxoribus filios VII.

Amyntae II. filii ex EVRYDICE.

ALEXANDER II. post patrem annum unum regnat.

PERDICCAS III.

Post fratris mortem regnat. Moritur in pugna V. C. 394.

Numi:

Caput Herculis imberbe leonis exuviis tectum. ✠ ΠΕΡΔΙΚΚΑ. *Equus gradiens, infra clava.* AR. I. (le Blond ex mus. Pellerin. p. 4.)

Eadem adversa. ✠ ΠΕΡΔΙΚΚΑ. *Leo gradiens*, rarius: *Bos cornupeta.* AE. III. (Pellerin., Mus. Caes.)

Numos similes aeneos Froelichius tribuit Perdiccae II. aut saltem inter hunc et tertium anceps fuit, confidenter Pellerinius tertio largitus est, quam viri praeclari sententiam invicto argumento confirmo. Fuit Venetiis in museo illustris patricii Jacobi Gradenigo numus AE. III.

a) Chron. vet. test. b) T. I. p. 377. c) Ant. L. XII. c. 5.

bis percussus. In hoc ex vetere matrice superant literae AMYNT. scriptae in orbem. Reliquum totum est opus matricis recentioris, nimirum: ΠΕΡΔΙΚ - - *Leo gradiens*, ut in numo citato. Certum igitur, praecessisse Amyntam, secutum Perdiccam. Ergo si numus hic esset Perdiccae II., necesse foret, nomine AMYNT. intelligi Amyntam I., sed cujus non exstant numi. Cum ergo nomen illud certo sit Amyntae II., posteriorem, atque adeo tertium.

Praetereo numos Goltzii inscriptos ΠΕΡΔΙΚΚΟΥ. vel ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΠΕΡΔΙΚΚΟΥ, in quibus non modo epigraphe ΠΕΡΔΙΚΚΟΥ pro ΠΕΡΔΙΚΚΑ, sed et titulus ΒΑΣΙΛΕΩΣ offendunt.

AR. RRRR. AE. R.

* * *

PHILIPPVS II. tertius Amyntae II. filius, de quo infra.

Amyntae II. filii ex GYGAEA.

ARCHELAVS II., ARCHIDEVS, MENELAVS, omnes a fratre Philippo II. eversi.

Amyntae II. filius ex concubina.

PTOLEMAEVS dictus *Alorites*, quia apud Alorum oppidum natus. Sub Alexandro II. fratre regnum aliquamdiu administrat, illudque hoc mortuo ipsum triennium retinet. A fratre Perdicca III. e medio tollitur.

Ejus numum Goltzius, sed unicus, totum moris Macedonici, vulgavit: *Caput Herculis*. Ӿ ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΥ. ΑΛΩΡΙΤ. *Equus intra quadratum*. AR. Esse confictum, vel inde satis patet, quia cognomina, nisi honorifica, addi regibus nunquam consuevere.

PHILIPPVS II.

Tertius, ut dictum, Amyntae II. filius. Obses a Thebanis juvenis detentus, sed quod ipsum illi ad futuram gloriam profuit, quod tum ab Epaminonda ad virtutes et belli scientiam informatus fuit. Mortuo fratre Perdicca regnum adit V. C. 395, illudque victis vicinis populis seu stabilit, seu amplificat. Dum incautius in Methones Thraciae obsidione versatur, oculum amittit sagitta ab Astere quodam excussum. Majora subinde agitans urbes Chalcidicas invadit, captamque Olynthum evertit. Bello sacro contra Phocenses templi Delphici praedones feliciter confecto magnam et pietatis et fortitudinis laudem ab omni Graecia aufert, in sanctius propterea Amphictyonum concilium admissus. Tam subita ex vicino incrementa, et Graecorum libertati inimica ut reprimerent, ad se pertinere rati Athenienses, hortatore cumprimis Demosthene arma sumunt, sed victi ad Chaeroneam gratiam tamen a victore obtinent. Consentiente Graecia dux adversum Persas Corinthi creatus praemissis jam in Asiam copiis in medio victoriarum et felicitatis cursu in nuptiis Cleopatrae filiae a Pausania satellite occiditur V. C. 418. IX. Kal. Febr. anno regni XXV. aetatis XLVII. Haec compendio ex Reineccio.

Fuit princeps omnibus belli pacisque artibus summus, tum eloquentia, artibusque elegantibus eximie praestans, atque inter omnes Macedoniae reges uno

filio minor habitus. Gloriae supra modum cupidus, cujus desiderio perinde habuit, sive astu et cuniculis, sive aperto Marte vinceret, jam mansuetudine, jam duritie, ut res postulare visa, in hostes aeque ac socios usus. Neque ferreis magis, quam aureis armis opportune nixus dictante nimirum oraculo, quod consulenti datum refert Suidas:

Αργυρεαις λογχαισι μαχȣ, και παντα κρατησεις.

Argenteis hastis pugna, et omnia subiges

in eumque dictum est illud Horatii [d]):

diffidit urbium
Portas vir Macedo, et subruit aemulos
Reges muneribus.

Quare et Valerio Maximo magis Graeciae mercator, quam victor dictus [e]). Atque his artibus potentis regni fundamenta jecit pater, filio propediem operis totius gloriam absoluturo. Vide de hoc plura apud Justinum [f]).

Vxor I. OLYMPIAS Neoptolemi Molossorum regis filia, ex qua nati ALEXANDER III. MAGNVS: et *Cleopatra* nupta avunculo Alexandro Epiri regi, quo in Bruttiis caeso, cum Ptolemaei nuptias ambiret, jussu Antigoni Sardibus interficitur. Ipsa Olympias apud filium gratiosa, hoc mortuo a Cassandro Pydnae obsessa, et ad mortem adacta. Ejus vitia abnormia ac virtutes collectas vide a Reinero Reineccio [g]).

Olympiadi numum inconsulto tribuit Wildius [h]), in cujus utraque facie omnis epigraphe extrita. Videtur is verius esse Titianae Pertinacis. Praetereo ejus reginae numos alios cognitae fraudis. Tamen ejus exstat numus, sed aevi multo serioris, quia contorniatus, cum epigraphe: OLIMPIAS. REGINA, quem descriptum dabimus in tractatu de numis contorniatis.

Ex concubinis proles illustriores: ARIDAEVS, *qui Philippi* nomine successit fratri Alexandro. Ei mater *Philinna* saltatrix Larissaea. *Thessalonica* nata e Nicasipoli Pheraea, subinde Cassandri matrimonio juncta, a proprio filio Antipatro caesa.

N u m i:

Praecedentium Macedoniae regum inopiae succedunt ingentes Philippi II. opes copiosis aureis argenteisque numis comprobatae, ut adeo ab his quoque affatim doceamur, Macedoniam antehac obscuram hoc demum imperante coepisse illustrari. Cum regnum adiret, tam rara fuit aurea ejus supellex, ut ea omnis constaret exigua aurea phiala, quam ipse cubans pulvinari semper subdidit, ut testatur Athenaeus [i]). Tantorum causa incrementorum non modo fuit tracta ex captis urbibus praeda, quae tum plus abundabant auro, ex quo ingentes Apollinis Delphici thesauri a Phocensibus direpti sunt, quam ipsam adfluentis tum largius auri causam adfert Athenaeus [k]), verum etiam fodinae nobilis metalli feraces bello acquisitae. Occupasse eum *au-*

[d]) Carm. L. III. Od. 16. [e]) L. VII. c. 2. [f]) L. VII. c. 8. [g]) Pag 552. [h]) Sel. num. tab. II. n. 11. [i]) L. VI. p. m. 231. [k]) l. c.

raria in Thessalia, *argenti metalla in Thracia*, narrat Justinus [l]). Plura ad rem opportuna memorat Diodorus [m]), nimirum ad Crenidas profectum Philippum urbem habitatorum frequentia amplificatam de se *Philippos* appellasse, quin et auri fodinas, quae per regionem illam erant, perquam tenues hactenus, operum structuris eo provexisse, ut reditum plus mille talentorum funderent. Addit continuo, cusum a Philippo ex hoc auro *νομισμα χρυσουν, το προσαγορευθεν ἀπ' ἐκεινου Φιλιππειον*, *numum aureum*, *a se* Philippicum *dictum*. Romani quoque numos hos passim cognitos dixere *Philippos*, cujus exempla, ut alios mittam, passim habes apud Plautum.

Quanta horum Philippi numorum olim exstiterit copia, vel ex una praeda metiri licet, quam per intervalla Romani post suas in Graecia victorias collegere. Vno Livio teste Quinctius in urbem intulit, et in triumpho ostentavit Philippeos 14514 [n]). Scipio Asiaticus 140000 [o]). M. Fulvius 12422 [p]). Cn. Manlius 16320 [q]). Adde incredibilem eorum numerum, qui jam olim in alios usus fusi fuere. Refert idem Livius [r]), a legatis Pamphyliae populo R. oblatam coronam auream ex viginti millibus Philippeorum factam. Ex tam immensa numorum sic appellatorum copia suspicari jure licet, etiam aureos Alexandri M. et Philippi Aridaei Philippeorum nomine venisse, quod retentum fuit etiam in successoribus ab institutore Philippo II., qui eos primus flavit, quae opinio firmatur eo, quod aureorum Alexandrinorum rarius fiat mentio, etsi aureorum Alexandri M. ingens perinde exstet copia. Quare cum Horatius ineptam in Choerilum poetam Alexandri M. liberalitatem narrat, ab hoc non Alexandrinos, sed Philippos datos refert [s]):

Gratus Alexandro regi magno fuit ille
Choerilus, *incultis qui versibus et male natis*
Rettulit acceptos, *regale numisma*, *Philippos.*

Eodem modo hodieque in Hispania numi quidam dicuntur Philippi a primo institutore, quocunque nomine sit rex, cujus imperio feriuntur. Horum Philippeorum adhuc inclinante imperio R. fit mentio. Audi sancientem Vlpianum [t]): *Si autem aurum et argentum signatum legatum est*, *id paterfamilias videtur testamento legasse*, *quod ejus aliqua forma est expressum*, *veluti quae* Philippi *sunt*, *itemque numismata*, *et similia.* Et fecit incredibilis haec Philippeorum copia, ut passim antiquitus quicunque aurei cujuscunque vel aevi, vel principis dicerentur Philippei. Narrat Lactantius [u]), Sybillam a Tarquinio Prisco pro libris suis petiisse C. Philippeos. Nemo tam rudem faciet Lactantium, ut ignoraret, Tarquinii aetate existere nondum potuisse numos a Philippo Amyntae cusos. Teste Trebellio [x]) scripsit Valerianus

---

l) L. VIII. c. 3. m) L. XVI. c. 8. n) L. XXXIV. c. 52. o) L. XXXVII. c. 59. p) L. XXXIX. c. 5. q) L. XXXIX. c. 7. r) L. XLIV. c. 14. s) L. II. ep. 1. v. 232. t) Digg. L. XXXIV. Tit. II. §. 27. u) de falsa relig. c. VI. x) in Claudio.

Aug. procuratori Syriae: *dabis Claudio Philippeos nostri vultus annuos CL.*, id est, numos aureos Valeriani imagine insignes.

Verum in tanta numorum copia, qui ΦΙΛΙΠΠΟΥ vel ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΦΙΛΙΠΠΟΥ inscriptum offerunt, oritur duplex quaestio implicata admodum, I. suntne numi omnes sic inscripti hujus Philippi II., et an non horum pars vindicanda Philippo III. Aridaeo? II. sin istud, quod habemus κριτηριον, quo utriusque regis numi distinguantur? Vtraque quaestio a plerisque antiquariis in examen vocata et varie disputata, cujus dissidii summa capita et nos in judicium vocabimus.

Harduinus [y]), eumque secutus Froelichius [z]) censuere, numos inscriptos simplice ΦΙΛΙΠΠΟΥ esse tribuendos Philippo II., at inscriptos ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΦΙΛΙΠΠΟΥ Philippo Aridaeo, atque istud propterea, quod primus videatur fuisse Alexander M., qui regis titulo propalam esset usus. Necesse non est, refutandae causae allatae immorari. Etenim Philippus II., qui angustum hactenus Macedoniae regnum in eam majestatem evexit, quemadmodum amplificare illud novis incrementis, ita addere sibi titulum potuit a majoribus propter opum tenuitatem in monumentis publicis omissum, praecipue cum regis appellatio ei a nemine scriptorum veterum, et ne quidem a coaevo et inimico Demosthene negaretur, ipse praeterea Philippus palam regio nomine utatur in literis publicis ad Athenienses datis, quibus praefigitur: Βασιλευς Μακεδονων Φιλιππος Αθηναιων τη βουλη και τω δημω χαιρειν [a]), quin et ipse Archelaus, qui annos complures Philippum nostrum praecessit, ab Euripide synchrono in epistolis, quae ei vulgo tribuuntur, dicatur βασιλευς. Verum haec quomodocunque habebunt, productum a viris eruditis discrimen petitum ab inscriptione ΦΙΛΙΠΠΟΥ et ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΦΙΛΙΠΠΟΥ obtinere non potest propterea, quoniam utroque modo promiscue inscribuntur numi usque eo fabrica, et pondere sibi similes, ut necesse sit, eos unius ejusdemque regis numos habendos, nisi malis etiam distinguere aureos, argenteosque Alexandri M. numos, quorum alii simpliciter ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ, alii ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ inscribuntur, et eadem lege binos Alexandros circumspicere.

Aliorum judicia si spectes, hi adeo fuere in Aridaeum liberales, ut, quod jure queritur Pellerinius, qui quaestionem hanc prolixius agitavit [b]), vix habiturus sit Philippus II. numos aureos, si numi ii omnes, quos eruditi per varias conjecturas Aridaeo vindicant, essent revera ejus regis, cum tamen, vt supra docuimus, satis constet, Philippum Amyntae ingente copia numos aureos feriundos curasse. Horum fallacia judicia satis sese ipsa evertunt.

Dum injurios in Philippum II. antiquarios queritur Pellerinius, ipse rursum injurius est in Aridaeum, cum nullum videtur agnoscere velle numum ejus

---

[y]) in Chron. vet. test. p. 574. [z]) Not. elem. p. 140. [a]) Demosth. de Corona. [b]) Rois. p. 7.

nomine signatum. Causam adfert, quod imperantibus Philippo II. et Alexandro M. tanto numero signata fuit moneta, ut necesse non fuerit eam ferire nomine Aridaei. Verum isthoc pacto difficultatem denique effugimus, non expedimus, et laborabit magnopere Pellerinius, si, quod intendit, volet eruditis persuadere. Enimvero ut certum est, fuisse Aridaeum regem nomine magis, quam re, et omnem penes duces potestatem, tamen vel ideo, quod post Alexandri mortem annis sex et amplius rex agnitus fuit, in monetam jus habuit, neque istud tum adhuc negatum, nondum ausis ducibus palam in regium nomen involare, quod interea animo ac spe conceperant.

Inter haec ambigua quae denique tenenda sententia, paucis explicatum eo. Adfirmare non dubito, ut patris, ita et filii Aridaei nomine cusam pecuniam, et utriusque discriminandae rationem non esse desperatam. Hanc antequam expedio, necesse est, commemorare primum compendio numos Philippi II. certos, quibus semotis confidentius de incertis liceat judicare.

Caput Apollinis laur. X ΦΙΛΙΠΠΟΥ. *Figura in citis bigis.* AV.

Caput Jovis laur. X ΦΙΛΙΠΠΟΥ. *Eques vario cultu.* AR. I.

Aureos hos argenteosque numos absque dubio esse Philippi II., patebit ex iis, quae infra in eorum explicatu monebo. Eorum tantus est numerus, ut, etsi reliquos omnes demas, qui alios typos exhibent, tamen per se soli satis comprobent, quaecunque de ejus regis opibus, et numis aureis, dictis *Philippis* memoriae prodita, et supra commemorata sunt. Magnas principis opes non comprobat varietas typorum, sed copia numorum superstes. Erant, qui inde ab adito regno non variarent typos, cujus exemplum in aurea et argentea moneta suppeditant Lysimachus, et Tiberius Augustus. Sed jam ad incertos convertamur.

Caput Palladis galeatum. X ΦΙΛΙΠΠΟΥ., *vel* ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΦΙΛΙΠΠΟΥ. *Victoria stans d. lauream, s. tridentem.* AV.

Caput Herculis imberbe. X ΦΙΛΙΠΠΟΥ., *vel* ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΦΙΛΙΠΠΟΥ. *Juppiter aetophorus sedens*, AR. I. III.

En tibi, si inscriptionem demas, luculentos Alexandri M. numos. Esse unius ejusdemque Philippi, seu *το* ΒΑΣΙΛΕΩΣ addatur, seu omittatur, propter aequabilem prorsus fabricae rationem indubitatum, ut agnovit etiam Pellerinius. Sed enim utri hos Philippo largiemur? Cum certa ratio desit, pugnandum conjecturis. Eccas! Certum est, hos typos aut adhiberi coeptos sub Philippo II. et deinceps sub Alexandro continuatos, aut inductos ab Alexandro, et continuatos sub Philippo Aridaeo. Sin primum, citati numi erunt Philippi II., sin alterum, Aridaei. Huc igitur universa quaestio redit, sitne magis verisimile, a Philippo II., an filio Alexandro invectos. Ajo vero, magis probabile, id ab Alexandro factum. I. Pronum est credere, juvenem hunc regem, cui patris res non magnopere adrisere, in moneta mutasse typos patrios, et bigis substituisse Victoriam, qualem descriptus modo numus aureus exhibet. Si typus hic jam fuisset a patre constitutus, et retentus ab Alexandro, mirum

sane videatur, non etiam ab eodem retentum alterum typum bigarum. At lectum semel ab Alexandro thema perseverasse sub Aridaeo plane credibile, cui neque innovare multa per animi imbecillitatem libuit, neque perque praepotentes duces licuit. Eodem modo verisimile etiam, ab eodem Alexandro ex moneta argentea ejectum solitum Philippi II. equitem, huic suffectum Jovem aetophorum, et eadem lege, ut de aurea moneta diximus, ab Aridaeo retentum. II. Constat de eximio Alexandri in Palladem adfectu, ut in ejus numis dicetur; ex quo verisimile, Palladis caput ab hoc, non patre lectum. III. Citati Philippi numi cum Jove aetophoro non modo typo, sed et nitore fabricae et pondere cum obviis Alexandrinis prorsus conspirant, unde manifeste arguere licet, monetae modum sub Alexandro inchoatum in fratre durasse. At quos supra citavi certos Philippi II. numos, praesentibus et operis perfectione et pondere multum sunt inferiores. IV. Constat, Seleucum I. Syriae, Lysimachum Thraciae, Demetrium Macedoniae, Areum Spartae reges etc. Alexandri M. numos aureos et argenteos proxime esse imitatos signando in his caput Palladis et Victoriam, tum caput Herculis et Jovem aetophorum addito suo ipsorum nomine. Eodem ergo modo verisimile quoque est, Aridaeum monetam suam ad exemplar monetae fraternae cudere perrexisse. V. Insigne argumentum, hos numos ad Aridaeum pertinere, proponam infra in ejus moneta ex numo a Lyciis signato, quo loco et plura alia producentur, quae sententiam hanc illustrant, sed quae hic brevitatis causa praetereo.

Apparet ex his, quae dixi, in numis Philippi II. certis omitti constanter titulum ΒΑΣΙΛΕΩΣ, in numis, quos esse Aridaei dixi, perinde ac in Alexandri numis jam addi, jam omitti. Ex quo patet, nondum certo constare, sitne Philippus II. in moneta publica regio titulo usus, etsi, ut supra monui, rex palam dictus est. Ejus in numis dissimulati ratio obscura, tamen non citra exemplum. Hiero II. rex a suis palam agnitus regis tamen nomine in moneta sua constanter abstinuit. Agathocles Siculus regis nomen aperte in numis professus est, at diademate, quod regis est insigne, uti ausus non fuit. Contra in Macedoniae regibus usque ad Alexandrum M. major in efferendo regis nomine reverentia. Ejus ratio ut nobis ignota, ita haud dubie ex varia subjectorum populorum opinione, et ab his metu repetenda. A vero non abhorret, fuisse Philippum in jactando frequentius superbiusque regis titulo circumspectiorem, quod conciliare sibi Graecos huic nomini inimicos volebat, sive ut hos quoque incautiores opprimeret, sive ut sibi bellum in Persas meditanti promptius servirent. At captum semel ab Alexandro titulum Aridaeus, qui in fratris jura omnia successit, nulla invidia retinuit, etsi, ut diximus, fratris exemplo non semper in numis addidit.

Secundum has conjecturas, de quibus eruditi, ut lubet, judicabunt, alios hoc loco numos Philippo II. non dabo, nisi

qui illi ex certis indiciis sunt tribuendi. Cui secus visum fuerit, numos reliquos Philippi nomine notatos ex Philippi Aridaei moneta capiat.

Numi Philippi II. aurei.

Caput Apollinis laur. X ΦΙΛΙΠΠΟΥ. *Figura in citis bigis d. porrecta scuticam tenet, in area serpens, vel fulmen, diota, galea, apis, tridens etc.* AV. III. AR. II. (Mus. Caes.)

Ex aureis Philippi hi maxime obvii, argentei similes rari. Ingens eorum numerus dubitare non sinit, Philippo II. tribuendos, et esse eos ipsos, quos fuisse appellatos *Philippos* supra diximus. Huc accedit insignis auctoritas Plutarchi haec docentis c): *Φιλιππος τας εν Ολυμπιᾳ νικας των ἁρματων ἐνεχαραττε τοις νομισμασιν*, *Philippus victorias in Olympicis curru relatas numis insculpsit.* Quo die natus Alexander, eodem Philippus pater nuncium accepit victoriae certaminis Olympici, ad quod quadrigarum currus miserat, ut narrant Justinus d), et Plutarchus e). Frustra igitur sunt, qui citas aversae bigas ad victoriam Phocensem referunt.

Fuere, qui hos numos esse Philippi Aridaei censerent, quoniam caput anticae propter juventutis modum magis huic, quam patri competit. Verum non reflexere animum, Philippum quoque secundum annos natum fere XXII. regnare coepisse, et nescio, cur eo capite nolint Apollinem agnoscere, praecipue cum videamus, Macedoniae reges plerumque deorum effigies, non suas, numis intulisse. Perperam nonnullos capilli curti ab Apolline avertunt, cum eum hoc cultu conspiciamus in numis obviis Syracusarum. Istud si apud animum suum reputasset Begerus, necesse non fuerat solicitare Justinum narrantem, Philippo in Methones obsidione oculum dexterum sagitta ejectum, idque factum saltem propter oculum dexterum in dubium vocare propterea, quod hic oculus in his numis illaesus compareat f). Quod si daremus etiam, veram in his exhiberi Philippi effigiem, an non credibile, contractum istud oculi vitium ab artificibus dissimulatum potius, quam patefactum?

Exstant etiam id genus aurei frequentes, sed opere barbaro, nimirum a barbaris ad elegantium imitationem effícti, cujus mercis deinceps quoque fiet mentio.

Si quos numos alios aureos voles huic Philippo applicare, eos inter numos Philippi Aridaei quaere.

Numi Philippi II. argentei.

Caput Jovis laur. X ΦΙΛΙΠΠΟΥ. *Vir pileatus eques lento gressu d. elata.* In aliis: *Vir diadematus eques lento gressu d. oblongum ramum. In utrisque per aream varia monogrammata, et sigilla.* AR. I.

Horum numorum non copia, sed eluvies. Esse Philippi II., dubitare non sinit typus equitis. In numis praecedentium regum obvii sunt equi, et equites,

c) In Alex. p. m. 666. d) L. XII. 16. e) l. c. f) Th. Br. T. I. p. 238.

et quidem etiam pileati, quos adeo typos Philippus noster illis proximus adhuc retinuit. Ex hujus generis numis multi sunt opere nonnihil barbaro, perturbatis etiam et male consutis epigraphes literis; in quibus legas: ΦΛΠΠ. ΦΙΛΠΥ. ΙΛΠΟΥ. ΙΛΙΛ. et similia absurda. Eos verisimile est in montanis Illyrici, et mediterraneis Thraciae urbibus Philippo obnoxiis percussos. Minus commode Froelichius hos numos propter opus rudius Philippo I. tribuendos censet g). In vetustissima Graeciae moneta labor nequaquam rudis est, aut barbarus, qualis apparet in his, de quibus agimus, numis, sed rigidus et ingratus. At sunt alii cum eodem utrinque typo extreme barbari, quos in eorum classem reponimus, qui a vicinis barbaris, quales fuere Daci, secundum monetae Philippeae exemplar signati haud dubie sunt.

Argenteos alios, si quos forte huic Philippo tribuendos putas, ut et aeneos, vide in moneta a me Philippo Aridaeo adjudicata.

ALEXANDER III. MAGNVS.

Regnum a patre omnibus copiis praeclare stabilitum, et exercitum longo bellorum usu ac victoriis illustrem nactus non minus virtute, consilio, felicitate quam temeritate et hostium socordia incredibili eo pervasit, quo vix credibile videatur posse humanam conditionem pertingere. Natus V. C. 398 post annos XX. ad regnum patris morte vacuum vocatus quo minus statim in Persas moveret, Thebanorum et Atheniensium motibus retentus, his in gratiam revocatis, illis urbis excidio multatis, cum modico exercitu in Asiam trajicit, et famigeratis tribus ad Granicum, Issum, Arbela victoriis Persarum imperium, et quidquid a mari Caspio ad Oceanum porrigitur, sive armis, sive nominis terrore sibi subjicit. Redux Babylonem sive intemperantia, sive propinato ab Antipatro veneno exstinguitur V. C. 430, die XXVIII. Junii, aetatis anno XXXIII. regni XII. mense VI., cum antea detractum digito annulum Perdiccae, velut ex ducibus dignissimo tradidisset. Alium de anno mortis calculum vide in Corsinii Agonisticis h). Corpus etsi in Ammonis templo condi vivus praecepisset, delatum primum Memphim, subinde a Ptolemaeo Philadelpho Alexandriam reductum amplissimo sepulcro illatum est. Princeps erat omnibus seu naturae, seu fortunae subsidiis ad maxima quaeque destinatus. Praeterquam enim quod ingenium attulit maximarum rerum capax, nobilibus insuper Aristotelis praeceptis ad res cognoscendas, praeclaris patris domi militiaeque exemplis ad eas perficiendas mature est imbutus. Tam praeclaram indolem et instituta incredibilis quidam felicitatis nusquam interruptae cursus evertit denique, cujus infausti partus fuere ambitio supra, quam credi potest, immoderata, qua mortalem genituram erubuit, Jovisque se filium professus est, animus adversum sana consilia obstina-

g) Not. elem. p. 128. h) Diss. III. §. 9.

tus, ira praeceps, saepe iis quoque, quos amicissimos habuit, fatalis, mores denique ex Macedonica duritie et frugalitate in Persicam mollitiem luxumque versi, ut adeo et hoc in fortunae beneficiis putari debeat, quod citius ex hac vita migravit, quam, quod evenire pronum fuit, alteram fortunam potuit experiri. Reliquit regnum ut subitis atque inconsultis incrementis tumidum, ita in exitium suapte praeceps, nullo certo designato herede, aut iis, qui heredes natura fuere, seu per aetatem immaturis, seu per imbecillitatem imparibus. Ergo effrenata ducum cupiditas in nobilissimae hereditatis rapinam concitata civilibus deinceps bellis tres orbis partes involvit, Graecorum libertati, cujus tuendae causa arma sumpta, multo magis funestis, quam si Persa incolumis stetisset.

Vxores quatuor habuit, ex quarum binis factus pater, quae cum sufficere non viderentur, concubinas aluit omnino CCCLX., si fides Curtio [i]), et Diodoro [k]).

Vxor I. *Barsine* Artabazi F., ex qua natus HERCVLES, qui evocatus a Polysperchonte, ut repeteret paternum regnum, quod vi Cassander retinuerat, Macedoniam validis copiis invadit, verum ipso, qui evocaverat, Polysperchonte magnis promissis corrupto in convivio interficitur annos natus XVII.

Vxor II. *Roxane* Oxyartae Persae F., mater ALEXANDRI postumi, qui captus a Cassandro cum matre et avia Olympiade Amphipolin in custodiam datus, ejusque ibi jussu veneno sublatus est.

Vxor III. *Parysatis* Occhi F. Vxor IV. *Statira* Darii Codomani F. In uxorum catalogo aliquantum variat Arrianus [l]).

Numi:

Vt certa historicorum fides, sic et numorum superstitum copia regis hujus potentiam ingentes opes complexam depraedicat. Sed enim quo vitio laborant omnes regum numi, pro tanta hujus monetae ubertate exigua varietas, et tenue ad philologiae studia emolumentum. Soli argentei per urbium, in quibus signati fuere, typos et decurtata nomina fastidium levant. Illud in Alexandro singulare, quod non vivi modo, verum et mortui nomine, et quidem multis ab excessu saeculis pecunia signata est, quam quidem separato articulo complectar, praemissa, quae eo vivo lucem vidit.

Numi aurei.

Caput Palladis galeatum. X ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ, vel: ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ. *Victoria stans d. lauream, s. tridentem, in area fulmen, serpens, tridens, vel similia, tum et monogrammata, et literae solitariae.* AV. I. et II.

En numos olim staterum Alexandrinorum nomine cognitos, et si numerum spectes, ipsis Philippi aureis viliores.

Pallas nunc primum in Macedoniae regum numis comparet. Ei Alexandrum singulari religione fuisse adfectum, do-

i) L. VI. c. 6. k) L. XVII. c. 77. l) L. VII. c. 4.

cet Strabo, cum narrat, hunc regem post pugnam ad Granicum ad Minervae templum, quod apud Ilium stetit, profectum, multisque illud donariis auxisse [m]. Factum istud ante dictam pugnam perhibet Diodorus [n]. Et erat Macedoniae regibus causa vetus observandae Minervae, quod ad Herculem et Perseum genus suum retulere, quem utrumque in Palladis fuisse tutela constat. Quare et in regia urbe Pella ab iis aedificatum templum Minervae, cui cognomen Alcidae fuit, et cui a Perseo rege ante pugnam cum Romanis C. hostiis sacrificatum narrat Livius [o]. Ipse vero Alexander, ut in ejus commentariis post mortem repertum, bina ei templa magnis sumptibus exstruenda destinaverat, unum apud Ilium, alterum apud Cyrrhum Macedoniae [p]. Atque cognitus hic Alexandri in Minervam adfectus causa videtur fuisse, cur Craterus in praelio adversus Eumenem tesseram suis dederit Minervam et Alexandrum [q]. Fuere, qui caput in horum numorum antica propositum esse ipsius Alexandri putarunt, quae sententia pridem explosa hodie nonnisi apud illos perfugium reperit, quibus novissimorum artis nostrae magistrorum lucubrationes sunt ignotae. Potius tenendum videtur, non exstare certum Alexandri numum ejus effigie insignem, qui illius adhuc vivi aetate signatus sit, de quo agetur in sequentibus. Palladis cultui impensiori sociasse alterum Victoriae, binis locis testatur Curtius, quae jam adverterunt eruditum Begerum, nimirum ante praelium ad Issum *Jovem*, *Minervam*, *Victoriamque propitiatum* [r]. Alibi *victimas Minervae ac Victoriae caesas* refert [s]. Addo insigne testimonium aliud ex Athenaeo narrante, in celebri Ptolemaei pompa traductum currum ab elephantis tractum, in quo erat aureum Alexandri signum adsistentibus utrinque Victoria et Pallade [t]. Enimvero cum inde a puero omnium primam duceret laudem bello partam, huic deae cumprimis litandum fuit. At cur eadem Victoria tridentem manu gestet, cum de Victoria ejus regis maritima alicujus momenti non constet, quaesitum. Opinor, nihil aliud perpetuo hoc typo indicari, quam victorias transmarinas ab Alexandro inde a regni aditu primum intentas, deinde quaesitas.

Minuta attributa, monogrammata, vocabulorum initia, quae horum numorum aream insident, explicare atque evolvere, conjecturarum opus est a meo instituto prorsus alienum.

Vtrum cum iisdem utrinque typis exstent numi argentei, quaeri potest. Revera horum unus tertiae formae est in museo Caesareo. Verum cum hic operis sit nonnihil maligni, et satis barbarae epigraphes literae, verisimile videtur, fuisse olim per fraudem auro obductum,

m) L. XIII. p. m. 886. n) L. XVII. c. 17. 18. o) L. XLII. c. 51. p) Diodor. L. XVIII. c. 4. q) Plut. in Eumene cap. 6. r) L. IV. c. 13. s) L. VIII. c. 2. t) L. V. p. m. 202.

certe reliquis hujus typi numis omnibus aureis hic unus legem dictare non potest.

Complures hujus classis aurei sunt in museo Caesareo operis canore barbari. Hos a finitimis barbaris signatos esse ad imitationem eorum, quos culta Graecia fudit, saepe alias dictum.

Iisdem utrinque typis habemus etiam numos Philippi Aridaei, (ex aliorum sententia Philippi II.) et Antigoni Asiae regis, atque hos item aureos tantum. Generatim in regum numis singula metalla certos suos habuere typos.

Quos numos Plinius *Victoriatos* dicit, et ex Illyrico mercis loco Romam advectos, esse hos ipsos Alexandri M., verisimile est, quo de argumento agam in tractatu de numis consularibus [u]).

* * *

Caput Palladis galeatum. Ӿ ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ. *Arcus*, *clava*, *diota*. AV. IV. (Pembrock. P. II. tab. 51. Mus. Theup.)

Similes huic sunt numi aurei Philippi nomine notati, quos Aridaeo adscribo, suntque minuti, nonnisi grana 33. adpendentes. Rarissimi sunt numi Alexandri aurei, in quorum aversa alius est typus quam Victoriae. Praesens numus Palladis et Herculis cultum profitetur, qui fuere amica Alexandri numina.

Numi argentei.

Caput imberbe leonis exuviis tectum. Ӿ ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ. vel: ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ. *Iuppiter seminudus sedens d. aquilam, s. hastam, in area varia attributa, monogrammata, vocum principia, notae numerales, magistratus.* AR. I. III.

Longum horum numorum agmen, et fere unicus typus saltem in coaevis ex argento regis hujus numis, quemadmodum aurei, ut vidimus, fere tantum hinc caput Palladis, inde Victoriam exhibent. Et placuit idem typus nonnullis quoque posteriorum regum, ut Philippo Aridaeo, Demetrio, Lysimacho, etiam exterorum, ut Seleuco I., ejusque filio Antiocho I., quin et Mithridati Pontico [x]), Areo Spartano, et Audoleonti Paeoni, quod fecere sive ex adfectu adversus tantum regem, sive quod ejus vellent etiam in monetae modo esse imitatores. Magistratus in nonnullis adduntur, sic: ΕΥΘΥΔΑΜΑΣ. ΦΙΛΙΠΠΟΣ. ΑΘΕΝΙΚΩΝ. ΑΙΝΗΤΩΡ. ΙΑΣΩΝ. etc., cujus exempla suppeditant etiam argentei Lysimachi. Quantus eorum sit numerus, argumento esto, quod in uno museo Caesareo id genus numi exstant septuaginta plures, et diversi omnes, quamque fuerint olim per omnes late terras, et intimos etiam Asiae recessus sparsi, inde patet, quod teste Pellerinio eorum plures ex Pondichery in Galliam sunt deportati [y]). Artis elegantia jam et veteribus probata fuit, nam eos Zeno apud Diogenem Laertium vocavit εὐοφθάλμους καὶ περιγεγραμμένους, *pulchros aspectu et nitide circumscriptos*, et rudioribus Atti-

---

u) Cap. III. §. 3. x) Pellerin. Mel. I. pag. 104. y) Mel. I. pag. 147.

cis opponit [z]). Sintne hujus generis aurei quoque, jure potest dubitari. Ex hoc metallo unus est in museo Pembrock [a]), de cujus fide non disputo. Aeneos aliquot vidi genuinos, sed eos olim argentea bractea fuisse vestitos licet suspicari.

Illustris haec numorum Alexandri classis non pauca offert animadversione digna, quae juvat in plures articulos dispescere. Animadvertendi I. typi, II. urbes, id quibus hi numi signati; III. notae arithmeticae, IV. numi similes barbari.

I. Typi:

Antica, ut dixi, caput imberbe leonis rictu opertum exhibet. Eo alii Herculem, alii Alexandrum ipsum cultu Herculis propositum contendunt. Posteriori sententiae adhaesit etiam Pellerinius, sed parum validis eam argumentis stabilivit [b]). Nequaquam magnae molis eam penitus evertere, et confidenter adserere, indubitatam esse Herculis effigiem. Etenim, ut praeclare jam advertit Neumannus noster [c]), caput eodem cultu, quin et eadem plane oris lineamenta offerunt numi regum, qui praecessere, puto: Amyntae II. et Perdiccae III. Quid quod idem omnino vultus est in tetradrachmis inscriptis nomine ΦΙΛΙΠΠΟΥ, quae ipse Pellerinius patri Philippo censet tribuenda. Ergo ut eadem gens, sic et facies, licet aetate dispari, fuit avo, patri, ac filio? Huc accedit, quod non modo in his regum numis, sed et in numis urbium Macedoniae, Amphipolis, Philipporum, Pydnae, ad haec in numis urbium extra Macedoniam sitarum, ceu Coorum, Leucadis quin et remotissimarum Gadium simillima occurrunt capita. An et in his non Herculem, sed Alexandrum nobis fingemus? Quare si in his numis caput leone tectum dicendum est Alexandri, neque in aliis inficiandus erit aut Amyntas, aut Perdiccas, aut Philippus. Aut si in his, quod volunt adversarii, agnoscendus Hercules stirpis per Caranum auctor, idem etiam agnoscendus erit propter eandem causam in numis Alexandri. Nolim mihi opponi numos aeneos, Caracallae, ut infra statuam, aetate signatos, in quorum nonnullis certum Alexandri caput rictu leonis obtegitur, nam in his, ut videbimus, certa etiam habemus ejus regis lineamenta. Non dissimulo testimonium Constantini Porphyrogenetae [d]), *quare*, ait: *loco diadematis*, *vel coronae*, *vel purpurae regiae leonis exuviis caput amiciunt*, *easque coronae*, *vel ornamenti loco habent*, *et omni gemma pretiosiores putant*, και μαρτυς ἀξιοπιστος, addit, ἀυτο το νομισμα τȣ Μακεδονος Αλεξανδρȣ τοιαυτῃ εἰκονι καλλωπιζομενον, *et certum ejus argumentum est ipse numus Alexandri Macedonis simili imagine insignitus.* Si vir bonus hoc Alexandri numo intellexit aeneos sub Caracalla cusos, de quibus infra, non repugno; in argenteos, de quibus hic sermo, communem certe cum Spanhemio, Pellerinio, aliisque

z) L. VII. c. 1. §. 19. a) P. I. tab. 2. b) Rois. p. 59. c) Num. pop. p. 156. d) De Them. L. II. them. 2.

errorem errat. Mihi indubitatum videtur, in numis synchronis et Philippi, et Alexandri M. non horum effigies, sed suorum numinum haberi, atque istud tanto certius in Alexandro, qui teste Horatio [e]):

Edicto vetuit, ne quis se praeter Apellem
Pingeret, aut alius Lysippo duceret aera
Fortis Alexandri vultum simulantia.

Idem edictum prodidit Apulejus [f]).

Ex eadem causa, ex qua Herculem numis intulit, nempe ut hujus sese *ἀπογονον* profiteretur, signavit in aversa Jovem, nam per heroem Perseum ipsum etiam superum regem in majoribus numeravit, de quo vide, quae infra in moneta Philippi V. monebo. Juppiter hic Nicephorus haud dubie est Bottiaeus ille, seu cultus in Bottiaea Macedoniae regione, in qua sita Pella, cujus honori Alexander aram etiam statuit apud Orontem, ubi deinde condita Antiochia, cujus etiam numi ex eadem causa eundem saepe Jovem Nicephorum sistunt. Ceterum Alexandri adfectum in utrumque hoc numen comprobat, quod is victis trans Istrum Getis *Δι Σωτηρι, και Ηρακλει* sacra fecit [g]), item quod in Asiam appulsus mox constituit aras *Διος Αποβατηριυ, και Αθηνας, και Ηρακλεες* [h]).

II. Vrbes, in quibus hi numi signati.

In hoc argumento post infelices aliorum conatus, quos inter nominandus Panelius [i]), praeclare versatus est insignis Pellerinius [k]). Coeptam ab eo telam prosecutus novis subinde accessionibus et animadversionibus auxi [l]), quos modo Pellerinii meosque conatus in compendium contractos lectori ob oculos sisto.

Id genus numi in parte aversa praeter typum principem, intelligo, Jovem aetophorum, varia minuta sigilla offerunt. Horum non pauci typos singulares, et nonnisi certis urbibus proprios offerunt, ut adeo dubitari non possit, in his eos urbibus, quarum praeferunt insignia, fuisse cusos, praecipue cum non raro juxta ipsarum urbium literae *ἀρχαιυσαι* una, duae, tres, quin et quatuor adstituantur. At sunt in horum numero plurimi alii, qui, quod literas solitarias et monogrammata vaga, aut typos pluribus communes urbibus offerunt, non perinde possunt figi. His omissis eas solum urbes aut populos in subjecto catalogo complectar, quarum certa aut verisimilia insignia his Alexandri numis continentur.

* * *

ACE Palaestinae. Hanc indicant literae עך Phoenicio charactere exaratae in AV. et AR. [m]) Vterque numus tam aureus, quam argenteus est etiam in museo Caesareo.

ACHAIA. Huc referri posset numus Goltzianus, in quo monogramma AX in Achaeorum numis obvium. At cum idem

e) L. II. ep. I. v. 239. f) In Florid. sub init. g) Arrian. Exp. Alex. L. I. pag. 11. h) Ibid. L. I. p. 24. i) Remarq. sur. les. prem. vers. des Maccab. k) Rois p. 13. Mel. I. p. 109. l) Num. vet. p. 70. m) Barthelemy Lettre aux aut. du journ. des Savans. Pellerin Rois. p. 12.

in aliarum quoque urbium numis occurrat, conjecturam dubiam facit.

ALEXANDRIA TROAS. Equus pascens, typus hujus urbis solitus. Si numus hic vere huc pertinet, necesse est cusum fuisse, cum urbs adhuc Sigiae nomen obtineret, nisi forte, quod existimant aliqui, id genus numi mortuo etiam Alexandro signati sunt. Numum edidi ex museo M. Ducis in meis Numis vet.

ANTIOCHIA Syriae. Huic Pellerinius tribuit numos typo lyrae, rami, caducei [n]. At sunt hi typi nimium vagi.

APAMEA Syriae. Ambigui quoque sunt numi, quos Pellerinius propter cornucopiae et thyrsum huc vocat [o].

ARADVS insula. In hac certe signati sunt numi, qui literas AP. in monogrammate, et juxta palmam exhibent, quos sistit Pellerinius [p]. Minus tuto huc pertinent, qui tantum apim, vel acrostolium offerunt.

ASCALON Palaestinae. AΣ scriptum in area numos ei similes vindicat. Ea urbs binis his literis plerosque suos numos inscripsit. Sunt apud Pellerinium [q], et Pembrock. [r].

CEA Cycladum una. Lupus dimidius [s]. Idem typus in ejus autonomis, quanquam cum idem sit quoque in numis Argorum, et Epidauri, judicium sit dubium.

CHIVS insula. Sphinx diotae insidens [t]. Typus in ejus, et tantum unius moneta tritus. Adduntur varia magistratuum nomina [u].

CLAZOMENAE Ioniae. Aries, aut aper alatus [x]. Vtrumque animal offerunt numi ejus autonomi.

COLOPHON Ioniae. Lyra addito KO-ΛO. Numus eximius, quem edidi ex museo Caesareo in meis Num vet.

CORINTHVS Achaiae. Pegasus volans addito KO. Numus est Goltzianus, qui si vere exstat, Corintho adimi nequit.

COS insula. Forte huc pertinet numus musei Caesarei, in quo scriptum lege KOI., ut conjeci in meis Numis vet.

CYME Aeolidis. Vas monotum ejus formae, quae tantum in numis hujus urbis comparet [y].

DARDANVS Troadis. Gallus, qui etiam est in ejus autonomis [z], quanquam et Carystii Euboeae eodem typo usi fuerint.

EPHESVS Ioniae. Apis ejus typus obvius [a]. Sed Aradus litem movet eodem quoque typo usa.

ERYTHRAE Ioniae. Clava, arcus pharetrae junctus addito EPY. [b] Haec eadem omnia habentur in autonomis. Fuere etiam aliae Erythrae Boeotiae, at verisimile, hunc numum ad Ionias potius referendum, quia pleraeque Ioniae urbes similes Alexandro numos dedicavere.

---

n) Mel. I. p. 127. o) Ibid. pag. 129. p) Ibid. pag. 125. 126. q) Mel. I. pag. 115. r) P. II. tab. 53. s) Pellerin. Mel. I. p. 132. t) Pellerin. Mel. I. pag. 111. u) Mus. Duane. x) Pellerin. Mel. I. p. 112. 132. y) Pellerin. Rois. pag 13. Mel. I. pag. 131. z) Pellerin. Mel. I. p. 132. a) Pellerin. Mel. I. p. 126. b) Pellerin. Mel. I. p. 111.

EVBOEA. Caput bovis, et ET. in Goltziano. Eadem sunt in autonomis.

LAMPSACVS Mysiae. Equus marinus c). Idem typus regnat in autonomis. Praestantiorem alium edidi ex Mediceo, in quo praeter equum marinum lampas ardens, et Λ. Teste Mela *Lampsacus Phocaeis appellantibus nomen ex eo traxit, quod consulentibus, in quasnam terras potissimum tenderent, responsum erat, ubi primum fulsisset, ibi sedem capesserent.* Ergo huc etiam refero copiosos alios, qui lampadem ardentem addito Λ offerunt, sed in his Pellerinius Amphipolim Macedoniae mavult d). Quin et testatur Cl. Cousineryus datis ad me literis, tetradrachmos similes, in quorum area est lampas, frequenter reperiri in Macedonia.

LAODICEA Syriae. Huc Pellerinium invitant scorpius et noctua e).

LEVCAS Acarnaniae. Acrostolium et ΛET. in Goltziano.

MAGNESIA Ioniae. Flexus Maeandri, et MA. f) In alio, iidem flexus, et caput equi g).

METHYMNA Lesbi. Lyra et ME. In alio: Arion delphino vectus h). Sunt hi typi in autonomis quoque.

MILETVS Ioniae. Leo retorto collo astro intentus addito monogrammate MI. i)

MYLASA Cariae. Tridens, et MY. in monogrammate k).

MYRINA Aeolidis. Diota adstituto MYP. in monogrammate, aut literis solutis MYPI. l).

PELLA Macedoniae. Pallas d. hastam intorquet, s. fulmen. Numum huc vocat Neumannus, quia hoc habitu Pallas in Macedonia et Thessalia celebris exstitit m).

PRIAPVS Mysiae. Priapus Herma n), quanquam et Lampsaco tribui posset, quae prae Priapo hujus deastri cultu infamis fuit, ut dixi in meis Numis vet. p. 76.

PRIENE Ioniae. Tridens, et ΠPI. BI., quem edidi ex museo Caesareo additis animadversionibus, quas vide in meis Num. vet. p. 76.

RHODVS insula. Balaustium additis PO. et variis magistratuum nominibus o).

SELEVCIA Pieriae. Similem numum propter fulmen huc refert Pellerinius p). Incertum.

SMYRNA Ioniae. Bos turgente gibbo Pellerinio judicium sufficit q), verum hic typus pluribus Asiae urbibus placuit. Certius est in museo Pembrock r), in quo solitum Smyrnae monogramma.

TARSVS Ciliciae. Caput juvenile tectum galea in rostrum desinente. Numum edidi ex museo Caesareo, eumque nonnullis conjecturis, quas fuse olim exposui s), Tarsum traduxi.

---

c) Pellerin. Mel. I. p. 132. d) Rois. p 14. e) Mel. I. p. 128. f) Pellerin. Mel. I. p. 121. g) Numi vet. p. 75. h) Pellerin. Mel. p. 113. i) Pellerin. l. c. k) Pellerin. ibid. p. 14. l) Pellerin. l. c. pag. 130. m) Pop. et urb. pag. 150. n) Pellerin. Mel. I. pag 132. Goltz. o) Pellerin. Mel. I. p. 111. Goltz. p) Mel. I. pag. 129. q) Mel. I. pag. 112. r) P. III. tab. 53. n. 67. s) Num. vet. pag. 76.

TENEDVS insula. Mus. Similem edidi ex museo M. Ducis. Apud Tenedum cultus Apollo Sminthius, sic dictus a muribus, ut olim post alios praecepi [t]. In alio: Securis bifida [u]. Typus obvius in ejus insulae moneta.

TEOS Ioniae. Diota addito THI. Hunc certum ejus urbis numum edidi ex Caesareo [x]. Minus certus alter, quem Pellerinius propter typum gryphi huc adigit; nam is quoque in Abderae, Phocaeae, Assi, et Smyrnae moneta reperitur.

Omitto attributa alia, qualia sunt, *lunula*, *botrus*, *caduceus*, *corona*, *aratrum*, *tridens*, *galea*, et monogrammata varia, quae, quoniam cum multis urbibus fuere communia, signa sunt fallacia, nisi cum literae urbis ἀϱχαικαὶ suppetias veniunt, ut in nonnullis hic descriptis vidimus.

Animadversiones.

Restituo eas ipsas, quas in eodem argumento olim proposui [y].

Hujus generis numum certae fidei in Graecia Europaea, aut ad eam adnumerata insula signatum fuisse, hactenus non constat. Ajebam, certae fidei; nam quos supra recensui, Corinthi, Euboeae, Leucadis, ii harum et literas ἀϱχαικὰς, et propria symbola rite praeferunt, eos tamen in nullo museo, praeterquam Golziano, reperire licuit, cui tantum non tribuo, ut ejus unius praeconio definiri quidquam posse existimem. Dixi insuper: non constare certo. Nam etsi dubium non sit, complures in Macedonia cusos, et ad horum exemplum reliquos in urbibus Asiaticis signatos, nullum tamen vidi hactenus, quem ex certis indiciis in Macedonia percussum adserere possim. De iis tantum loquor, qui caput Herculis in una, et Jovem sedentem in altera parte exhibent, et argentei sunt. Juvat hoc loco in vulgus docere, quod me laudatus supra Cousineryus multorum in Macedonia annorum hospes, et longa adeo experientia edoctus per literas monuit, Alexandri tetradrachma, quae in Macedonia effodiuntur, crassioris esse metalli, et operis minus elegantis, at quae ex variis causis in Asia minore cusa constat, eorum ampliores esse orbiculos, et operis, quod Gratiae suum esse vellent.

Ii, de quorum natali solo constat, signati sunt in urbibus inde a Propontide legendo litus Asiae minoris, Palaestinae, forte et Syriae, comprehensis insuper aliquot adjacentibus insulis, et in urbibus quidem aut maritimis, aut a mari exiguo intervallo remotis. Earum, quae Euxino adjacent, nullus compertus, et generatim, quae Ponti, Bithyniae, et Pergami regibus paruere, uti neque urbium magis mediterranearum, quantumlibet illustrium, quales fuere Sardes, Tralles, Laodicea, et Apamea Phrygiae. In ora Asiae minoris inde ab Rhodo usque ad Tarsum id genus numi ignoti. Sed nulla regio prae Ionia Alexandri observantior, nam omnium ejus urbium, quarum habemus monetam,

t) Num. vet. p. 81. u) Dutens Explic. p. 104. x) Num. vet. p. 82. y) Num. vet. p. 83.

numi hujus regis imagine insignes detecti sunt, si Ephesum, et Phocaeam demas, quarum numismata Alexandrina dubia videri possint, et Lebedum, sed quae a Lysimacho diruta fuit [z]. Sane totum illud Asiae litus plurimis Alexandro beneficiis fuit obstrictum; frequentabatur enim coloniis Graecis, quae cum finitimis Persis bello fere semper sunt collisae, atque hae solae in causa fuere, cur bis a Persis transmisso exercitu in Europa sit belligeratum. Et cum Ionibus quidem vetus simultas, qui saepe unitis viribus Lydiam adflixerunt. Quare eae nationes, et Iones cumprimis Alexandrum tanquam servatorem suum dei instar venerabantur, et narrat Strabo [a], supra Clazomenios esse lucum Alexandro dicatum, et ludos indici communitati Ionum, qui *Alexandrea* vocantur. Expensus hic Strabonis locus facit, ut credam, hos Alexandri numos a civitatibus Ioniae velut symbolam collatos, ut necessariis ad ea ludorum solennia sumptibus servirent. Quod tamen minime obest, quo minus in mutui commercii usum venire potuerint, nam aequati pondere et forma monetae Macedoniae, quae tum communis erat, eundem quoque valorem et fidem obtinebant.

Eodem exemplo et aenei extra Macedoniam signati sunt, quod docent aenei cum epigraphe Phoenicia, de quibus infra.

III. Notae arithmeticae.

Praeter memorata sigilla in his Alexandri numis obversantur etiam literae variae, una pluresve, quarum alias indicare urbem, in qua cusae sunt, modo dixeram. Verum sunt aliae sic conjunctae, ut arithmeticarum intuentibus speciem offerant. Tales sunt in numis Ascalonis literae: ΙΑ. ΙΒ. ΙΣ. Κ. ΚΓ. ΚΕ. ΚΗ., quos citat Pellerinius [b], et museum Pembrock. [c]. In numis Magnesiae ΚΓ. [d]. In aliis habentur literae ΔΛ. ΛΘ. et ΒΣ [e].

De similibus literis disserens Panelius in dissertatione, cui titulus: *Remarques sur les premiers versets du I. livre des Maccabées*, cum non dubitaret, iis veros regni annos indicari, ac praeterea vivo Alexandro omnes hos numos signatos, vi numi literis ΔΛ notati veritus non est adserere, Alexandrum nequaquam annos XII., quod plerisque visum historicis, sed saltem annos XXXIV. imperando exegisse. At jam praeluserat viro erudito Harduinus, qui ex ejusdem generis literis triginta annos regnantis Alexandri confidenter collegit [f], etsi quod facile fuit viro varii ingenii, aliter rursum sentiat in chronologia veteris testamenti [g]. Panelii sententiam dum solidis argumentis impugnat Pellerinius [h], sic de his literis opinatur: eas esse revera arithmeticas, sic tamen ut habeant naturam epochae ductae ab initio regni

---

z) Pausan. in Attic. a) L. XIV. pag. 644. b) Mel. I. pag. 116. c) P. II. tab. 53. d) Pellerin. Mel. I. tab. II. n. 9. e) Pellerin. Rois. pag. 19. Mus. Lefroyan pag. 158. f) Ad Plinii T. I. p. 673. g) pag. 575. h) Mel. I. p. 115, et Rois p. 18.

Alexandri, et continuatae etiam tum, postquam in vivis esse desiit. Satis enim constare divinos ei honores habitos, ejusque memoriam aris, templis, et ludorum solennibus celebratam, in quorum sumptus hanc pecuniam feriri, et conferri solitam, atque hunc morem diu durasse, ut liquet ex numo, qui annum ΒΣ, seu CCII. offert.

In hoc dissidio mediam lubet inire viam, sic ut utriusque sententiae partem existimem tenendam, partem minus verisimilem. Facile mihi cum Pellerinio convenit, arithmeticis his notis non indicari annos regni Alexandri. At eo nequaquam mihi cum viro erudito convenit, quod eas certum statuit esse epochae indicium, numosque hos adeo post regis nostri excessum signatos. Tot habemus in variarum urbium numis sparsas per aream literas, quae ut arithmeticae esse possunt, tamen, quod constat, epochae annos non notant. Exemplo sunt numi Cyrrhi, aliique ejus tractus, in quibus plerumque notae solitariae arithmeticae observantur, quin tamen ad epocham exigi possint, atque ut luculentiore exemplo utar, in numis Aradi passim cognitis, tam argenteis, quam aeneis praeter certos epochae numeros observantur alii ΘC. ΠC. CN. ΦΞ etc. quos hactenus certe constat, ab epocha deduci non posse, et aliud nobis hactenus incompertum indicare, forte quid adfine notis LXI. CXX. CCCVIII. etc., quales obvii sunt in numis consularibus. Quod vero plurimum persuadet, hos numeros ab epochae juribus arcendos, est, quod in iis comparent cum modici Η, ΙΑ, ΙΖ, tum aucti, ut ΒΣ. Nequaquam verisimile, aut institutum istud feriundae in Alexandri memoriam monetae in ea Graecorum levitate, et rerum apud eos conversione tot annos durasse, aut duorum omnino saeculorum intervallo in his numis fabricae modum (nam simillimi omnes sunt operis) et literarum formam nullas vices passam, quam constantiam nulla numorum series intra tot annorum spatium potest jactare. Accedit denique, quod similes notae arithmeticae, ut ΛΓ, leguntur etiam in numo ejus generis apud Magnesiam Ioniae signato, quem recitat Pellerinius [i]), nullo alio hactenus exemplo, urbem Ionicam epochae annum monetae suae inscripsisse dempta forte Epheso in suis cistophoris.

Ergo cum nulla nobis lex imponatur statuendi, id genus numos ultra Alexandri mortem porrigendi, malim eorum natales ipsis ejus regni annis finire, eosque ad exemplar eorum, quales in Macedonia prodiverunt, in urbibus Asiae, quae omnes ejus imperio paruerunt, percussos opinari.

IV. Numi similes barbari.

Paucis me expedio. Vt in numos patris Philippi, et ipsos etiam aureos Alexandri barbarorum artem involasse diximus, ita similem fortunam argentei hi regis nostri numi sunt experti, quorum multi extremam barbariem redolent. Non satis ad haec animum advertit Pelleri-

[i]) Mel. I. p. 121.

nius, quando ejus farris unum propter literarum adfinitatem Thessalonicae vel Thespiis signatum est suspicatus [k]). Alii habentur, in quibus eadem artis perfectio, at epigraphes literae seu barbarae, seu, ut mitius loquar, Graecae peregrinis mixtae, cujus generis duplex exemplar proposuit Pellerinius [l]). Eos existimo in Pamphylia, aut vicino tractu cusos, quibus in terris non quidem fuisse artis, sed linguae Graecae corruptelam, patebit ex iis, quae ad numos Aspendi et Selges disseremus.

* * *

Caput Herculis imberbe leonis exuviis tectum. Ӿ ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ. *Hinc aquila cum sceptro transverso, illinc clava erecta, et juxta tria mala, omnia intra coronam, cujus media pars proxima aquilae est laurea, media altera juxta clavam querna.* AR. I. (Mus. Caes.)

Thema perelegantis hujus numi, ut praecedentes argentei, in Jovis et Herculis cultu occupatur. Jovis est aquila et sceptrum summi imperii insigne, Herculis clava et mala Hesperidum. Vt attributa, sic et corona in utrumque numen divisa. Jovi competere lauream, notum. Eidem ut sacra quoque quercus, sic tamen et Herculi. Sane in numis inscriptis ΜΑΚΕΔΟΝΩΝ. ΠΡΩΤΗΣ, tum et Sardium obviis aeneis Herculis clavam corona quoque querna ambit. Sacra vero et illi quercus, quod sub hac exustus flammis, positoque, quod hominis erat, deum induit, ut ait Callimachus: ὑπο δρυϊ γυια θεωθεις [m]), ac propterea insignem aram musei Capitolini, quae dedicata est *Herculi Victori*, praeter alia attributa exornat corona querna [n]).

* * *

Caput Herculis imberbe in leonis exuviis. Ӿ ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ. *Arcus et clava.* AR. IV. (Mus. com. Vitzai.)

Similis argumenti numos in aeneis continuo videbimus.

Numi aenei.

Hi quoque per copiam viles, exigua varietate. Ex his multi ambigui, et varia eruditorum judicia experti. Neque enim omnes, qui ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ inscribuntur, necessario sunt Alexandri M., nam et Alexander IV. Cassandri F. in Macedonia regnavit, ut dicetur. Enumerabo hoc loco omnes, cum eos, qui per certas causas possunt Alexandro M. tribui, tum eos, quos eruditi alii huic ipsi, alii alteri cuipiam Macedoniae regi amant largiri, sic ut eos commemorasse contentus liberum in re incerta judicandi locum cuivis relictum velim.

* * *

Caput Herculis imberbe leonis exuviis tectum. Ӿ ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ, rarius: ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ. *Clava, arcus, pharetra, tum per aream varia minuta sigilla, et monogramma* ΑΡ, *aut similia.* AE. III. (Mus. Caes.)

---

k) Suppl. pag. 11. l) Rois tab. II. n. 4. 5. m) in Dian. v. 159. n) Mus. Cap. T. IV. tab. 61.

Hercules tritum in Alexandri numis argumentum. Similes numos in Macedonia fuisse cusos, dubium non est, sed non sola. Vulgavit Pellerinius horum similem, sed qui solito nomini ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ Phoenicias quoque literas conjungit, quales apparent etiam in ejus aureis et argenteis, ut diximus. Qui numus insignis docet primum, aeneos quoque in urbibus externis ad exemplar Macedonicum fuisse signatos, deinde, omnes id genus numos ad Alexandrum M. jure referri, quia alteri cuidam ejusdem nominis Macedoniae regi in Phoeniciam juris nihil fuit. S. Chrysostomus in Catechesi II. ad illuminandos, quae est Tomo II. p. 243, invehitur in eos, qui per superstitionem aenea Alexandri M. numismata capitibus et pedibus illigant. Si numi similes etiam in Phoenicia et Syria signati sunt, erant in vulgus parabiles.

* * *

Caput Herculis imberbe leonis exuviis tectum. ✠ ΑΛΕΞΑΝΔΡȣ, vel ΒΑ. ΑΛΕΞΑΝΔΡȣ. *Clava, arcus, pharetra.* AE. III. (Wilde Sel. num. tab. III.)

Eadem fabrica, et iidem typi, quales in praecedentibus, numos hos eidem Alexandro tribuendos docent. At tum mirabor, jam Alexandri aetate valuisse ȣ pro ΟΥ, quae sigla tertio demum, quod sciam, post Christum saeculo coepit usurpari, ut patet ex numis imperatoriis Moesiae et Thraciae. Jure adeo quaeritur, utrum recte viderit Wildius, qui hosce edidit. Mihi videre similem non contigit. Vide simile compendium paullo infra in numis Alexandri ab hujus morte signatis.

* * *

Caput Herculis imberbe leonis exuviis tectum. ✠ ΒΑ. *Clava, arcus, pharetra.* AE. III. (Mus. Caes.)

Cum id genus numi, quorum tres sunt in museo Caesareo, dempto epigraphes modo praecedentibus prorsus sint similes, dubitari vix potest, et hos esse Alexandri M., et divisa utraque litera legendum Βασιλεως Αλεξανδρȣ. Huic geminum edidit Wildius, nisi quod epigraphen conficit solum ΒΑΣΙ. o). Vereor, ne reliqua epigraphe auctoris oculum fugerit; nam vix credam, genericum tantum regis nomen in numo propositum omisso proprio.

* * *

Commemorandi denique numi alii regum Macedoniae.

Caput Palladis. ✠ ΒΑ. *Prora navis addito saepe monogrammate* ΑΡ., *bipenni etc.* AE. III. (Mus. Caes.)

Caput Medusae inter clypeos Macedonicos ✠ ΒΑ. *Galea dependente utrinque crista.* AE. III. (Haym. T. II. tab. 2. Pellerin Additions.)

Fulmen inter clypeos Macedonicos ✠ ΒΑ. *Similis galea.* AE. III. (Mus. Caes.)

Caput juvenile leonis exuviis tectum. ✠ ΒΑ. *Eques lento gressu, infra monogramma.* AE. III. (Mus. Caes.)

o) Tab. III. num. 17.

Omnes id genus numos hoc loco collectos proposui, ut de iis omisso meo judicio arbitrari lector pro libitu possit. Literas BA. in proxime praecedentibus verisimiliter significare Βασιλεως Αλεξανδρȣ mox vidimus. Vtrum literae BA. significent idem in numis praesentibus, sintque hi aut Alexandri M., aut Alexandri IV., an non potius Antipatri, vel Antigoni, examen est, nonnisi in conjecturas inutiles abiturum. Existimat Neumannus, tribui eos posse Antigono Dosoni, ne hic princeps, qui decennio Macedoniae praefuit, suis fraudetur numis, quando non suppetunt alii, quos illi jure tribuamus. Illud certissimum, nullam numorum classem tot habere ambigua, quot habet ea, quae regum est.

Numi Alexandri M. ab ejus morte signati.

Argenteos plures a Pellerinio propter adstitutas notas arithmeticas in hanc classem exigua veri specie repositos supra indicavimus. At sunt plures alii, quos certis indiciis ab ejus morte signatos potest evinci, alii, quos indiciis verisimilibus eodem referendos censeo. Sunt vero:

Caput Alexandri diadematum cum cornu arietis. X ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ. *Leo gradiens.* AR. IV. (Haym. T. II. pag. 13. item Catalogue raisonné pag. 2. quanquam in hoc posteriore abest cornu.)

Caput Alexandri nudum sursum spectans. X ΑΛΕΖΑΝΔΡȣ. *Cupido in leone eques.* AR. (Schläger de numo Alexandri M.)

Numos hos operis, ut inter omnes convenit, elegantissimi Alexandro coaevos non existimo, cum quod ejus certam effigiem offerunt, quam in certis coaevis non observamus, tum quod pondere a solita ejus aetatis moneta multum differunt; nam nonnisi grana XX. aut XIII. perhibentur adpendere. Horum alter per literarum formam Z pro Ξ ȣ pro ΟΥ Alexandri aetate sane indignus, etsi binos aeneos cum sigla ȣ prodat Wildius, sed quam lectionem jure in dubium revoco, ut supra diximus. Vidi Romae in museo Christinae aureum his similem, et nitidissimae item fabricae, sed quem continuo, quod ponderis et laminae exilis est, et literarum forma recentioris aevi, ab Alexandri aetate removendum suspicabar. Parum ergo feliciter Schlägerus numum suum esse Alexandro ipsi synchronum edixit, sic ut etiam conjicere non vereatur, ejus matricem esse a Pyrgotele elaboratam p). Enimvero operis elegantia non semper amicam artibus aetatem probat, cum habeamus aureos Postumi, Victorini, Tetrici summae elegantiae. Neque felicius comprobare est adnisus, posse Alexandri aevo competere scriptum Z pro Ξ, et compendium ȣ pro ΟΥ q). Sed jam typos persequamur.

Prior numus exhibet caput diadematum et arietis cornu conspicuum. Diadema obvium est in sequentibus aeneis.

---

p) l. c. pag. 2. q) l. c. pag. 59.

Cornu arietis vix in alio certo monumento adstituitur. Hujus causam expedit Clemens Alexandrinus [r]): *Volebat autem*, ait, *et Alexander Ammonis filius videri, et corniger a sculptoribus fingi;* verum teste Zonara [s]) tantum inter barbaros divinum suum genus est professus, non item inter Graecos. Corruptos ab eo Ammonis sacerdotes, ut Jovis se filium proclamarent, testantur omnes, qui ejus res gestas memoriae prodiderunt. Narrat vero etiam Athenaeus [t]), revera eum nonnumquam gestare solitum et vestem Ammonis purpuream, et cornua tanquam deum. At enim is, qui sese hominem negavit, quam fuit alienus a patris Philippi modestia, qui his se verbis admoneri quotidie a puero voluit: Φιλιππε, *ἀνθρωπος εἰ, Philippe, homo es!* [u]) Etiam passos et horrentes crines sistit citatus Schlägerianus, tum et aenei, quos infra describam, et tales eos fuisse indicat Aelianus [x]): *την μεν γαρ κομην ἀνασεσυρθαι ἀυτῳ, arrectam ejus fuisse comam.* Qui ejus formam regis plenius nosse cupiet, legat totum hunc Aeliani locum, et adeat Solinum [y]), et Plutarchum [z]). Denique erecto in coelum vultu fingitur passim in iisdem aeneis. Hoc eum gestu fuisse a Lysippo in aere fictum, docet insigne epigramma Archelai in Analectis Brunckii [s]), cujus etiam posteriorem partem memorat Plutarchus [b]):

Τολμαν Αλεξανδρυ *και ὁλαν ἀπεμαξατο μορφαν*

Λυσιππος. Τιν' *ὁδι χαλκος ἐχει δυναμιν;*

Αυδασευντι *δ' ἐοικεν ὁ χαλκεος ἐς* Δια *λευσσων·*

Γ*αν ὑπ' ἐμοι τιθεμαι,* Ζευ· *συ δ'*Ολυμ*πον ἐχε.*

Audaciam Alexandri, et totam expressit formam

Lysippus. Quemnam aes istud habet significatum?

Loquenti similis est hic aeneus Jovem suspiciens:

Terram ego mihi subjicio, Juppiter Tu tibi Olympum habe.

Eodem suspicientis gestu Constantinum quoque Magnum, qui Alexandri similis videri voluit, fuisse in numis effictum, in ejus moneta docebimus.

Leo partis aversae Alexandri ab Hercule originem facile indicat. Eodem consilio et M. Antonius IIIvir leonem monetae suae intulit, quod ab Antone Herculis F. trahere genus videri voluit. Potest etiam leo adludere ad somnium, quo vidit Philippus pater, sese uxoris Olympiadis uterum obsignare annulo, cui insculptus leo [c]), quo de argumento vide plura in citata Schlägeri dissertatione [d]). Is, qui Cupidinis specie leone vehitur videtur esse genius Herculis, noto veteris superstitionis instituto, cuivis numini suum genium, qui alatus semper fingitur, adsignantis. Idem argumentum est in celebri gemma a Protarcho scalpta, quam vide in gemmis a Stoschio editis. Cete-

r) Protrept. pag. 47. s) L. IV. cap. 10. t) L. XII. p. m. 537. u) Aelian. V. H. L. VIII. c. 15. x) V. H. L. XII. cap. 14. y) Cap. 14. z) De Fort. Alex. Orat. II. a) Tom. II. pag. 58. b) de Fort. Alex. Orat. I. c) Plut in Alex. cap. 2. d) pag. 23.

rum speciosam magis, quam veram puto Schlägeri explicationem, qui hoc typo Alexandri cum Roxane nuptias celebrari credidit e).

* * *

ΑΛΕΖΑΝΔΡΟΣ, *rarius* ΑΛΕΖΑΝΔΡȣ.

Caput regis diadematum, et coelum suspiciens, vel:

Caput regis diadematum horrentibus capillis, vel:

Caput regis leonis exuviis tectum, vel:

Caput regis galeatum.

Epigraphe aversae: ΚΟΙΝΟΝ. ΜΑΚΕΔΟΝΩΝ. ΝΕΩ. vel ΝΕΩΚ. In aliis: Β. vel ΔΙC. ΝΕΩΚ. vel: ΝΕΩΚΟΡ. In alio apud Patinum, sed ut reor, monetarii lapsu: ΚΟΙΝΟΝ. ΜΑΚΕΔΟΝΩΝ. Β. ΔΙC. ΝΕΩΚΟΡΩΝ. (Num. impp. p. m. 12.)

Typi:

Duo templa, in quorum medio urna ludorum. (Mus. Caes.)

Cista semiaperta, ex qua serpens emergit. (Panel.)

Alexander eques citato cursu leonem hasta impetit. (Wilde.)

Alexander adsurgentem Bucephalum domans. (Liebe.)

In aliis obviis: *Juppiter aetophorus sedens, — Pallas Nicephora sedens, — — Leo gradiens, — Vir eques citato cursu etc.*

ΚΟΙΝΟΝ. ΜΑΚΕΔΟΝΩΝ. *Mensa, super qua duae ludorum urnae inscripto:* ΟΛΥΜΠΙΑ. ΑΛΕΞΑΝΔΡΙΑ., *in area annus* ΒΝC. (Spanheim T. I. pag. 382. Patin.)

ΚΟΙΝΟΝ. ΜΑΚΕΔΟΝΩΝ. *Leo gradiens, superne clava, et annus* ΕΟC. (Hunter T. I. tab. 35.)

ΚΟΙΝ. ΜΑΚΕ. Β. ΝΕΩ. ΒΕΡΑΙΩΝ. *Vir seminudus ad aram sacrificans, juxta mensa, super qua binae ludorum urnae, retro columella, cui imposita urna, in area* ΕΟC. (Pellerin Rois p. 22. Mus. M. Ducis.)

Sunt hi numi omnes AEnei II. formae. Argenteum unus produxit Begerus, eumque praeterea anno ΚΗC notatum f), sed de cujus aut fide, aut lectione jure dubitem. Habes id genus numos apud Gessnerum g), Hunterum h), in museo Caesareo.

Numi hi multis ab Alexandri morte annis, ut inter omnes convenit, sunt signati, at quando, inquirendum. Harduinus annum ΕΟC, qui in numo postremo Berhaeorum legitur, ab anno V. C. 706, nempe pugnae Pharsalicae deducit, quo admisso consequitur, numum signatum V. C. 980 imperante Alexandro Sev. Ex quo arguit Pellerinius i), aliique, etiam reliquos id genus omnes, quos modo recitavi, quoniam fabrica, volumine, typis prorsus conspirant, eodem imperante percussos. Addunt argumenta alia, nimirum numos aliarum urbium Macedoniae cum hujus imperatoris capite simili esse fabrica, ab hoc Alexandrum M. singulari quodam modo, atque instar dei observatum, quod in ejus templo apud Arcam Phoeniciae natus esset, cujusque propterea nomen ipsum

---

e) l. c pag. 53. f) Thes. Palat. pag. 120. g) in Regg. Maced. h) tab. 34. 35.
i) Rois p. 22, 24.

adoptasset. Quae adeo causa fuerit, cur Macedoniae urbes in Alexandri Sev. gratiam veteris sui regis imaginem in numis suis resuscitaverint.

Sed enim non vereor confidenter contra Pellerinium adserere, omnes hos numos non Alexandri Severi, sed Caracallae aevo deberi. Causam praecipuam ab inscriptionis modo repeto. Nam in solis numis Caracallae, inscriptis: ΚΟΙΝΟΝ.ΜΑΚЄΔΟΝΩΝ additur Β. ΝЄΩΚΟΡΩΝ, perinde ac in his, de quibus agimus; at in numis cum capite Alexandri Sev. nulla amplius neocoratus fit mentio. Non autem verisimile est, monetarios omissuros fuisse ejus mentionem in numis Alexandri Sev., quam studiose addidere in numis cum capite Alexandri M., quos adserunt ejusdem imperatoris aetate signatos. Argumentum, quod Pellerinius pro Alexandro Sev. ex singulari ejus in hunc regem adfectu capit, multo acrius pro Caracalla pugnat, de cujus insano in juvenem Pellaeum amore Dio, Herodianus, Spartianus innumera congessere testimonia. Et Dio quidem perhibet [k]), ab eo Alexandrum M. appellatum fuisse orientalem Augustum, scriptumque aliquando ad senatum, hujus regis animam in suum corpus subintrasse, quam ob causam nihil erat benevolentiae, quod non Macedonibus propter hunc regem impertiret, dictumque propterea per ludibrium fuisse Φιλαλεξανδρότατον. Narrat Victor, cum corpore Alexandri M. conspecto MAGNVM atque ALEXANDRVM se jussisse compellari, quam MAGNI appellationem confirmant etiam ejus consecrationis numi. Eodem praeterea teste adsentantium fallaciis eo est perductus, ut truci fronte, et ad laevum humerum conversa cervice, quod in ore Alexandri notaverat, incedens fidem vultus simillimi persuaderet sibi. Et quod cumprimis huc facit, narrat Herodianus, Caracallam, cum in Thraciam Macedonibus conterminam venisset, continuo Alexandrum evasisse, ejusque memoriam omni modo renovasse, statuis et imaginibus per omnes urbes erigi jussis, quas inter refert etiam nonnullas ridicule depictas, quae uno corpore duas facies praeferrent, Alexandri M. et Caracallae [l]). Tum enimvero perspicuum est, eo jubente celebrata apud Philippopolin Thraciae certamina ΑΛЄΞΑΝΔΡЄΙΑ, quae toties in ejus urbis numis Caracallae capite insignibus memorantur, quorum tamen in nullo Alexandri Severi numo fieri mentionem videmus. At Macedonas cognito hoc Caracallae in Alexandrum adfectu libenter arripuisse occasionem aviti regis sui memoriam restituendi, et in aliis numis signasse hujus Augusti caput, in aliis regis, velut unum idemque esset et Caracalla, et Alexander M. Conjectura Pellerinii capta ex concordia fabricae cum numis Alexandri Sev. propterea nihil evincit, quod ea intra quinquennium, quod inter Caracallam et Alexandrum intercessit, ma-

k) L. LXXVII. §. 7, 9. l) in Carac.

gnopere variare non poterat, et si typorum concordiam spectamus, a Caracalla rursum stare oportebit, nam Alexander Bucephalum domans, qui saepe in his Alexandri numis proponitur, tantum etiam in Caracallae numis in Macedonia signatis, non alterius imperatoris occurrit.

Ex quo patet, annum ЄOC in Berhaeae numo, quod arbitrarie constituerat Harduinus, ad aeram Pharsalicam exigi non posse. Froelichius eum cum epocha Pompejana connectit [m], in qua quidem sententia annus ЄOC in Caracallae imperium recte incidit, verum non satis rationis reperio, cur Berhaea aeram Pompejanam usurparet. Verisimile est, eam propria epocha ex quacunque causa usam, et forte ducta ab anno V. C. 693, aut uno ex proxime consequentibus, sicut numus, de quo agimus, signatus sit V. C. 967, quo anno constat Caracallam in Thracia Macedoniae finitima commoratum. Praestat in his incertis non magnopere esse curiosum, nam tum indagandum etiam foret exordium aerae, quam offert annus BNC in horum uno, tum et annus KHC in numo altero, si modo sit genuinus, sed de quo difficile est quid certi statuere.

Ad inscriptionem et typos quod attinet, ipsa literarum in his forma, Z pro Ξ, et ȣ pro OT in parte antica, horum numorum seros natales arguit. Ipse vero Alexander per diadema ut rex, per exuvias leonis ut Herculis abnepos, per galeam ut heros proponitur. Alexandrum nonnunquam gestare pellem leonis, et clavam instar Herculis solitum, tradit Athenaeus [n]). Causam horrentium capillorum et vultus sursum erecti paullo supra exposui.

Occasione ludorum a communi Macedonia obitorum hos fuisse signatos numos, satis evincunt vocabulum KOINON, mentio neocoratus, et ipsorum ludorum OΛTMΠIA, et qui in ejus regis honorem constituti fuere, AΛЄΞANΔPЄIA.

Alexander cum leone ex equo pugnans, nimirum in memoriam ejus facti, quo leonem solus interemit, ut tradit Curtius [o]), quam deinde pugnam, opus Lysippi, dedicatum Delphis refert Plutarchus [p]).

Rex Bucephalum domans. De singulari hoc equo haec Gellius [q]), et Plinius [r]), fuisse patria Thessalum, emptumque talentis XIII., et sortitum nomen Bucephali sive ab aspectu torvo, sive a signo capitis bovini armo impressi. Commendatur praeclara ejus in herum fides; nam Alexandrum in India in medium hostium agmen inconsultius progressum multis jam confixus telis, et paene exsanguis perrupto globo extulit, et tum demum defectus viribus concidit. Ejus ergo honori rex in iisdem locis urbem Bucephalon condidit. Vide plura de hoc equo testimonia apud Wilde [s]). Certiorem Bucephali effigiem teneremus ex

m) Not. elem. p. 45. n) L. XII. p. m. 537. o) L. VIII. c. 1. p) in Alex. c. 40. q) L. V. c. 2. r) L. VIII. §. 64. s) Num. sel. p. 12.

numo, quem depictum stitit Gessnerus in suis regum Macedoniae numis [t]), in quo infra equitem ipsa vox BOΥKE. legitur, cujus similem quoque, et pro genuino agnitum edidit Vallemontius, sed cujus fidem jure impugnavit Baudelotius, quanquam non impune. Vide utriusque acre dissidium in Memor. Trevolt. Majo 1707.

In numo Berhaeae typo duarum urnarum indicatur utrumque certamen supra memoratum, tertia vero urna columellae imposita opinor indicari urnam cinerariam ipsius regis (nam hoc modo hae in veterum monumentis fingi solebant) cujus honoribus hi ludi peragebantur.

* * *

ΑΛΕΞΑΝΔΡΟϹ. ΜΕΓΑϹ. ΜΑΚΕΔΟΝΩΝ. *Caput Alexandri M. radiatum*, in numo M. Aurelii. (Vaill.)

* * *

Neque in Macedonia solum honores sibi postumos meruit Alexander, sed et in urbibus Asiae. Exstant numi Nicaeae Bithyniae nomine M. Aurelii et Commodi percussi, in quorum aversa: ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΝ. ΝΙΚΑΙΕΙϹ. (Vaill. Mus. Christinae.) — In aliis numis, quos in Apolloniae Cariae moneta enumero, legitur ΑΛΕΞΑΝΔΡΟϹ. ΚΤΙϹΤ. ΑΠΟΛΛΩΝΙΑΤ., et proponitur *regis caput leonis rictu tectum*. In numo Sagalassi Pisidiae: ΑΛΕΖΑΝΔΡΟϹ.

Etiam in Contorniatis ejus duravit memoria. Horum bini sunt in museo Caesareo, in quorum uno: ALIXANDER. (sic) *Caput regis leonis exuviis tectum*. In alio: ALEXANDER MAG. MACEDON. *Ejus caput diadematum, et sursum versum*. Alios similes vide in hac numorum classe.

Denique huc etiam pertinerent numi illi, quos in ejus regis gratiam percussos ab Alexandro Severo memorat Lampridius [u]): *Alexandri habitu numos plurimos figuravit, et quidem electreos aliquantos*. Verum cum auctor parum idoneus, tum quod similes hactenus comperti non sunt, orationis fidem elevant.

AV. AR. AE. C.

PHILIPPVS III. Aridaeus.

Philippi II. ex Philinna saltatrice Larissaea filius mortuo V. C. 430 fratre Alexandro post varia dissidia praesens ab exercitu rex acclamatur adoptato tum primum *Philippi* nomine, Perdicca, cui annulum rex moriens tradiderat, regni procuratore designato, quod ipse animi angustioris, et tantarum rerum incapacis esset. Fratris funus eximia pompa et apparatu, quem late descripsit Diodorus [x]), in Aegyptum deducit. Mortuo Perdicca in Macedoniam redux in Antipatri, deinde Polysperchontis, qui post hujus mortem res ibi procurabat, et uxoris Eurydices potestate fuit. Hujus machinis cum ademptus Polysperchonti exercitus traderetur Cassandro

t) Tab. V. n. 21. u) in Alex. Sev. x) L. XVIII. c. 26. seq.

Antipatri filio, iratus ille Olympiadem Alexandri M. matrem ex Epiro, in qua hactenus latuerat, una cum Alexandro postumo Alexandri M. ex Rhoxane filio in Macedoniam reducit, quae conversis in se ex pristinae fortunae recordatione omnium animis facile Philippum in potestatem suam redigit, et per impotentiam muliebrem una cum uxore inter dirissimos cruciatus enecat V. C. 437, cum regnum umbratile annos VI. menses IV. tenuisset. Haec ex Diodoro et Justino.

Numi:

Secundum ea, quae supra in Philippi II. moneta dixi, Aridaeo tribuendi videntur numi sequentes:

Caput Palladis galeatum. Ӿ ΦΙΛΙΠΠΟΥ, vel: ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΦΙΛΙΠΠΟΥ. *Victoria stans d. lauream, s. tridentem.* AV.

Caput Herculis imberbe leonis exuviis tectum. Ӿ ΦΙΛΙΠΠΟΥ, vel ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΦΙΛΙΠΠΟΥ. *Juppiter aetophorus sedens, per aream varia attributa, inter quae prora navis, supra quam* ΛΥ. AR. I. et III. (Mus. Caes. et alibi.)

Literis ΛΥ. in numis saepe indicari *Lycios*, in moneta urbium Lyciae docebimus. Constat praeterea, navim esse obvium typum in numis Phaselidis Lyciae, quo verisimile fit, quemadmodum id genus Alexandri M. numos per varias urbes signatos diximus, ita praesentem Lyciis natales suos debere. Istud si verum, certum est, numum hunc Aridaeo, non Philippo II. tribuendum, cui nihil unquam in Lyciam juris fuit, quo argumento ea, quae supra in Philippo II. de numis ad Aridaeum pertinentibus disserui, non parum confirmantur.

* * *

Caput Herculis imberbe leonis exuviis tectum. Ӿ ΦΙΛΙΠΠΟΥ. *Leo dimidius, infra fulmen.* AV. IV. (Pembrock P. I. tab. II. et P. II. tab. 51.)

Eadem adversa. Ӿ ΦΙΛΙΠΠΟΥ. *Clava, arcus, diota, in alio pro hac tridens.* AV. IV. (Pembrock P. II. tab. 51. Mus. Caes.)

Eadem adversa. Ӿ ΦΙΛΙΠΠΟΥ. *Tridens, juxta globulus.* AV. IV. (Mus. Caes. editus in mea Sylloge I. p. 83.)

Caput Apollinis laur. Ӿ ΦΙΛΙΠΠΟΥ. *Fulmen, et caput leonis.* AV. IV. (Pellerin Rois tab. I.)

Perpetui in rarissimis his numis typi attributa Jovis et Herculis, quae numina cum in Alexandri quoque moneta perpetuum typum faciant, et in hac quoque, ut supra indicavimus, exstet numus certus Alexandri, qui tam pondere, quam typo simillimus est secundo hic descripto, verisimile est, omnes hos numulos huic Philippo tribuendos, retentis nimirum in moneta fratris typis secundum ea, quae supra in Philippi II. numis disserui.

* * *

Caput juvenile diadematum Ӿ ΦΙΛΙΠΠΟΥ, *rarius:* ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΦΙΛΙΠΠΟΥ. *Eques citato cursu variis per aream attributis, aut literis.* AR. III. AE. III. (Mus. Caes.)

Obvios hos numos propter aetatem

juvenilem, quam caput anticae praefert, Aridaeo tribuendos puto, qui revera admodum juvenis diem obiit. Si essent Philippi II., saltem in horum nonnullis provectior aetas indicaretur.

AV. R. AR. AE. RR.

CASSANDER.

Filius ejus Antipatri, qui ab Alexandro in Persas profecto rebus Macedoniae et Graeciae praepositus commissam sibi provinciam magna auctoritate rexit, eamque mortuo etiam rege retinuit, et cum annos natus LXXX. supremum sibi diem imminere sentiret, excluso filio Cassandro Polysperchontem Macedoniae et familiae regiae curandae praeposuit. Quod aegre ferens Cassander negatum sibi jus armis vindicare parat tanto majore fiducia, quod ab ipso Aridaeo adversus Polysperchontem evocatus fuit. Ergo impetratis ab Antigono copiis Macedoniam ingressus, cum interea caesum ab Olympiade, quam iratus Polysperchon ex Epiro accivit, cum familia Aridaeum reperiret, versis in hanc armis captam Pydnae interficit, Rhoxanen cum filio Alexandro postumo Amphipoli arcte custodit V. C. 438, utroque quinquennio post sublato Macedoniam securus retinet. Restabat ex Alexandri progenie unus Hercules sibi ex Barsine natus, annumque jam agens XVII., quem Pergami hactenus educatum in Macedoniam ad patris regnum recuperandum arcessit Polysperchon, verum effecit ingentibus promissis Cassander, ut juvenis ab ipso, qui evocaverat, proditus e medio tolleretur V. C. 445, cumque eo et Alexandri, et Heraclidarum stirps, quae inde a Carano Macedoniae imperavit, tumulo infertur. Regno in hunc modum per continuatas caedes parto ac stabilito, et potentium aemulorum insidiis virtute juxta ac artibus elisis moritur ex aqua intercute V. C. 458.

Vxor *Thessalonice* Philippi II. filia, cujus miseram fortunam in proximo Antipatro intelliges. Ex ea suscepti filii Philippus IV., Antipater, Alexander IV., qui sibi ordine successere. Haec ex Diodoro, Justino, Pausania.

Numi:

Caput Herculis imberbe leonis exuviis tectum. X ΚΑΣΣΑΝΔΡΟΥ. *Leo procumbens.* AE. III. (Mus. Caes.)

— ΑΣΑΝΔΡΟΥ. *Caput Palladis galeatum.* X ΘΕΣΣΑΛΟΝΙΚ. *Equus liber currens, in area clava.* AE. II. (Pembrock P. II. tab. 53.)

Videntur signati hi numi, antequam in regium nomen involasset Cassander. Numus alter signatum se Thessalonicae profitetur, de qua urbe, dicta antea *Thermae*, haec Strabo y): *κτισμα δ' ἐστιν Κασσανδρου ὅς ἐπι τῳ ὀνοματι της ἑαυτου γυναικος, παιδος δε Φιλιππου του Αμυντου ὠνομασεν. Opus vero est Cassandri, qui eam ex nomine uxoris suae, filiae Philippi Amyntae appellavit.* Sic et Potidaeam de nomine suo Cassandream dixit.

---

y) L. VII. in excerpt.

* * *

Caput Herculis imberbe leonis exuviis tectum. X ΒΑΣΙΛΕΩΣ.ΚΑΣΣΑΝΔΡΟΥ. *Vir nudus lento equo vectus.* In aliis: *Leo gradiens.* AE. III. (Mus. Caes.)

Galea. X ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΚΑΣΣΑΝΔΡΟΥ. *Pilum hastae.* AE. III. (Haym.)

Galea. X Κ *intra quadratum.* AE. III. (Mus. Caes.)

Jam sese regem profitetur, nimirum ex quo Antigonus victo navali pugna Ptolemaeo signum extulit. Tamen Cassandri moderationem collaudat Plutarchus pristino more suo scribentis epistolas, etsi ipse rex passim scriberetur et diceretur [z]). Propter typum galeae tertium quoque numum Cassandro tribuit Neumannus, sic ut *το* Κ partis aversae sit litera princeps vocis Κασσανδρȣ [a]), cujus praeclaro judicio facile subscribo.

* * *

Caput diadematum barbatum. X ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΚΑΣΑΝΔΡΟΥ. ΜΑΚΕΔΟΝΩΝ. *Juppiter nudus stans d. fulmen intorquet, s. extenta* - - AE. (Pembrock P. II. tab. 53.)

Mirus hic numus visus Froelichio, quoniam hac aetate barbam non aluere Macedones [b]). Similem difficultatem supra in Archelai I. numis objectam vidimus. Difficile est de numo non viso ferre judicium.

AE. C.

PHILIPPVS IV.

Cassandri filius natu maximus. Patri succedit quidem, sed paullo post tabe absumitur [c]).

N u m i :

Caput Herculis imberbe leonis exuviis tectum. X ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΦΙΛΙΠΠΟΥ, *vel* ΒΑ. ΦΙ. *Vir nudus lento equo vectus, d. elata.* AE. III. (Mus. Caes. Liebe p. 104.)

Huic Philippo numos hos tribuendos puto, quia tam fabrica, quam typis cum Cassandri patris numis conspirant. Cum regnum certo capessiverit, verisimile non est, eum numis caruisse.

AE. R.

ANTIPATER.

Alter Cassandri F. fratri mortuo succedens regnum matris Thessalonicae caede auspicatur vitam etiam per ubera materna deprecantis. Causa parricidii fuit, quod in regni divisione plus fratri minori Alexandro quam sibi favisse videretur. Non multo post idem Alexander scelus caeso fratre expiat [d]). Ejectum ab Alexandro, occisum a Lysimacho socero tradit Justinus [e]).

N u m i :

Numos Goltzii inscriptos: ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΝΤΙΠΑΤΡΟΥ. tum denique recipiendos censeo, cum ab alio quopiam promulgatos intelligam.

---

z) in Demetr. p. m. 896. a) Num. pop. P. II. pag. 146. b) Not. elem. pag. 140.
c) Pausan. L. IX. p. 725. Justinus. d) Pausan. e) L. XVI. c. 2.

Eidem Antipatro Liebeus Wildium secutus largitur numos, in quibus comparet monogramma ANTI., sed quos rectius Antigono Gonatae tribuendos suspicor, ut in hoc dicetur. Antipater ergo certis numis caret.

ALEXANDER IV.

Ad vindicandam matris caedem Demetrium Antigoni Asiae regis filium advocat, mox ipse ab eodem, quem socium adsciverat, e medio tollitur [f]).

Numi:

Caput juvenile diadematum. ✠ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΛΕΞΑΝΔΡ. *Eques nudus citato gressu, in area bipennis.* AE. III. (Mus. Caes. Haym.)

Quo minus hos Alexandro M. tribuam, causa est, quod in hujus certis numis ejus caput non reperitur. Hoc permisso alteri Alexandro opportunius adcommodari non poterat, ut jam conjecit Haymius.

AE. R.

FAMILIA ANTIGONI.

Exstincta Antipatri stirpe in Macedoniam invasit Demetrius, eamque posteris transmisit, in quorum postremo Perseo regnum istud illustre desiit. Fuit hic Demetrius filius Antigoni Asiae regis, cujus hoc loco numos, etsi Asiae debitos, lubet recensere, cum quia ipse Macedo fuit, et pater stirpis regiae, tum quia idoneum in Asiae provinciis locum non reperio, quo ejus regis numi opportune figerentur. Commode etiam sic moneta patris jungetur monetae filii, praecipue cum et utriusque typi conspirent.

ANTIGONVS Asiae rex.

Natus in Macedonia per Temenidas ab Hercule ducere originem credebatur [g]), atque ob hanc causam existimo Alexandrum M. a Seneca hujus Antigoni dici nepotem [h]). Philippo II. et Alexandro M. in omni militia socius [i]) hoc mortuo in celebri provinciarum divisione Phrygiam majorem sortitus est [k]). Inter varia bella, quae cum Alexandri ducibus gessit, illud sibi ad gloriam illustre fuit, quo Ptolemaeum cum foederatorum classe prope Citium et Salaminem Cypri V. C. 448 vicit. Quo successu elatus regem se filiumque Demetrium a populo appellari jussit, cujus mox exemplum secuti sunt Ptolemaeus, Seleucus, Cassander, et Lysimachus [l]). Post haec cum turbare non desineret, a foederatis regibus bello petitus collatis ad Ipsum Phrygiae signis victus caesusque est V. C. 453.

Numi:

Caput Palladis galeatum. ✠ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΝΤΙΓΟΝΟΥ. *Victoria stans d. tridentem.* AV. III. (Froelich Ann. Syr. p. 11. ex mus. Fawkener.)

Caput hispide comatum ac barbatum,

---

f) Pausan. Justinus. g) Reinecc. in regib. Maced. pag. 99. h) de ira L. III. cap. 22. i) Justin. L. XVI. c. 1. k) Ibid. L. XIII. c. 4. l) Ibid. L. XV. c. 2.

redimitum corona incertae rationis. ✠ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΝΤΙΓΟΝΟΥ. *inscriptum prorae navis, cui insidet Apollo nudus d. arcum praetendens, in imo monogramma.* AR. I. (Mus. Caes. Dutens.)

Caput simile corona hederacea redimitum. ✠ *Eadem aversa, sed praeterea pone Apollinem tridens navi infixus, in imo delphinus.* AR. I. (Winckelmann Anmerk. in fronte operis.)

Numum primum aureum ab Antigono cusum secundum exemplar numorum aureorum Alexandri M., intuenti patet. Pluribus istud regibus placuisse, diximus in ejus regis numis.

Sequentes argentei plura offerunt observatu digna. Caput numi prioris Froelichius esse Neptuni censuit. Facile consentio cum viro erudito propter cultum capitis horridiorem, qui vulgo tribui Neptuno consuevit, nimirum apposite ad maris indomiti ferociam, cui imperavit, unde et omnis ejus soboles saeva, truculenta, inhospitalis. Rite etiam Neptunus cum aversa connectitur, cujus, ut dicetur, typus ad victoriam maritimam adludit. Confirmant istud numi filii Demetrii, similis utrinque argumenti et explicatus, nisi quod in his non caput tantum Neptuni est, sed totus ipse stans, et tridentem intorquens. Corona, qua caput redimitur, videtur esse ex herbae cujusdam marinae genere. Dutensius contextam ex corymbis putat, verum ubi corymbi, ibi hederae folia, ut passim videre est in numis cistophoris, et alibi; ad haec corymborum multo alia est forma, quam quae in id genus numis exhibetur. At enim satis apparet, virum eruditum fuisse a Winckelmanno in partes tractum. Hic in suo caput Panos vidit, sed argumenta, quae adfert, aut fallunt, aut nihil probant m). Novi, coronam hederaceam Pani quoque competere, ut patet ex numis Panticapaei, sed certae Panos imagines cornu capiti adstituunt, aut aures porrigunt, ut videre est in numis Arcadum, et horum urbis Megalopoleos, Antigoni I. Gonatae, Pellae Macedoniae, Panticapaei etc. Ergo cum deos sola plerumque discernant attributa, mallem dicere Bacchum propter hederam, et Indicum propter barbam, quo modo et Bacchum Indicum in numis Tarenti, et Naxi Siciliae hedera redimitum videmus. Firmat sententiam Herodianus, qui narrat n), hunc ipsum Antigonum Διονυσον παντα μιμȣμενον, και κισσον μεν περιτιθεντα τῃ κεφαλῃ ἀντι καυσιας και διαδηματος Μακεδονικȣ, θυρσον δε ἀντι σκηπτρȣ φεροντα, *Bacchum in omnibus imitatum capiti pro causia et diademate Macedonico imposuisse hederam, et thyrsum pro sceptro gestasse.* Ergo cum tum nondum caput suum inserere numis auderet, quod ab Alexandri successoribus serius factum, Bacchi, quem praecipue observaverat, caput intulit, et quidem Indici, nam speravit, praecipue post insignem ad Cyprum victoriam navalem, se omnes socios reges debellaturum exemplo Bacchi a victoriis Indicis celebrati.

m) l. c. pag. 99. n) in Commodo.

Typus navis in parte aversa ad eandem, quam dixi, victoriam haud dubie pertinet, ut et typi similes in numis filii Demetrii. Apollinis sedentis causa obscurior. Apollinem sedentem cum arcu habemus etiam in numo Nicoclis Paphiorum regis. Et habuere Cyprii observandi Apollinis causas luculentas, ut olim disputavi [o]). Ipse modus Apollinis navi insidentis arguit, Antigonum huic quoque deo victoriam acceptam tulisse. Forte juxta in litore stetit templum Apollinis, qui Antigonum mari pugnantem sic respexit, ut idem serius Octavianum ad Actium desuper respexit.

AV. RRRR. AR. RR.

DEMETRIVS. I.

Filius Antigoni. Quia acer erat in capiendis urbibus, dictus πολιοϱκητης, *expugnator urbium*, vel, ut explicat Seneca [p]), *egregiam artem quassandarum urbium professus.* Patri primum in bellis omnibus egregiam operam praestitit, et relata V. C. 448 de Ptolemaeo et foederatis insigni ad Cyprum victoria navali causa fuit Antigono patri, cur is palam regium nomen usurparet, et eundem honorem filio quoque impertiret. Victus subinde una cum patre a foederatis Ptolemaeo, Seleuco, Lysimacho, Cassandro apud Ipsum Phrygiae, qua in pugna patrem amiserat, perdita Syria et magna parte Asiae Athenas transmittit, evocatusque ab Alexandro Cassandri F. Macedoniae rege, ut sibi adversus fratrem Antipatrum subsidio esset, specie ferendi auxilii Alexandrum ipsum interficit, et V. C. 461 Macedoniam rege vacuam sibi subjicit. Bello idcirco a Pyrrho Epirota petitus inita cum hoc pace recuperandae Asiae causa bellum ingens molitur, verum praeventus a regibus foederatis, ejectusque e Macedonia, quam annos VI. tenuerat, cum turbare in Asia non desisteret, captus a Seleuco, et liberali in Syria custodia detentus moritur V. C. 470. Cineres ab Antigono F. apud Demetriadem Thessaliae a se nominatam conditi.

Vxor *Phila*, ex qua natus *Antigonus*, qui post varias vices Macedonia recuperata regnum stirpi suae cum Perseo exiturae reliquit.

Vxores et familiam reliquam vide apud Plutarchum [q]). Illustrior *Stratonice* filia, primum Seleuci I. deinde Antiochi I. uxor. De *Lamia* famoso ejus scorto vide Aelianum [r]), Alciphronem [s]), ac praecipue Plutarchum in ejus vita.

N u m i :

Mulier alata navi insistens tuba, quam d. tenet, canit, s. scipionem ☧ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ. *Pallas gradiens pendente ex utraque manu ala d. hastam intorquet, s. clypeum praetendit, in area monogramma in formam bipennis.* AV. II. (Editus in meis Num. vet. p. 84. ex museo M. Ducis.)

---

o) Num. vet. p. 241. p) de Const. sap. c. 5. q) in Demetrio. r) V. H L. XII. c. 17. s) L. II. epist. I.

Eadem adversa. In aliis: *Victoria d. coronam, s. palmam tenet.* Ӿ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ. *Neptunus nudus gradiens d. tridentem intorquet, et sinistram praetendit strophio obvolutam, cujus duae extremitates dependent, in area* Α, *et monogramma circulo inclusum.* AR. I. (Pembrock) AR. III. (Mus. Caes.) In area Haymiani est ΑΘΕ. AR. III. (T. II. p. m. 97.)

Caput regis diadematum, et cornu taurino horrens. Ӿ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ. *Neptunus seminudus saxo insidens d. acrostolium, s. tridentem.* In aliis: *Neptunus nudus d. pede saxo insistens s. tridentem, per aream varia monogrammata.* AR. I. (Mus. Caes.)

Caput regis tenui filo revinctum. Ӿ *Aversa ut in numo II.* AR. III. (Mus. Caes.)

Caput Herculis imberbe leonis exuviis tectum. Ӿ ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ. *Juppiter aetophorus sedens, in area clava.* AR. I. (Pellerin.)

Generatim ad hos numos praemonendum, omnes videri signatos tum, cum Macedoniam obtineret Demetrius, quod apparet ex monogrammatis, quae simili forma obvia sunt in numis tam urbium, quam regum Macedoniae.

Typi Neptuni, mulieris alatae tubam animantis, et Victoriae, praecones sunt memoratae supra victoriae maritimae, ex qua Demetrio maximum nomen, et titulus regius accessere. A cerritis Atheniensibus fuisse dictum Neptuni filium, late narrat Athenaeus t). Ad mulierem in his numis alatam quod attinet, video ab antiquariis passim Victoriam dici sive illam, quae lauream cum palma gerit, sive alteram, quae tubam animat. Priorem esse Victoriam, quis inficiabitur? At cur alteram, quae tuba canit, Victoriam passim dicant, ignoro. Alae certam Victoriam non faciunt, nam secus et Nemesin, Auroramque dicere Victoriam oportebit. Quid vero Victoriae cum tuba saltem secundum certa monumenta? Si ergo Auroram a Victoria sui distinguunt equi, Nemesin frenum, rota, gryphus, nescio, cur non et tuba aliam a Victoria deam eloquatur. Equidem existimo, certam nobis hoc signo Famam proponi non ignobile sane illam numen, cujus meminere poetae praestantissimi, vetustissimique. De ea Hesiodus in postremis versibus carminis, quod Opera et Dies inscribitur:

Φημη δ' ȣ τις παμπαν ἀπολλυται, ἡντινα πολλοι
Λαοι φημιζȣσι, θεος νυ τις ἐστι και ἀυτη.
Fama vero nulla prorsus perit, quam multi
Populi divulgant, quippe dea quaedam est et ipsa.

Atqui Famae tanquam deae stetisse Athenis aram, testis est Pausanias u), tum et Aeschines perhibens, a majoribus aram Athenis positam Famae, ut maximae deae x). Neque vero et populo orbis victori ejus ignotum numen, quando teste Plutarcho y) ejus aedes Romae stetit ad novam viam, regione adeo urbis XII.

t) L. VI. p. m. 253. u) L. I. c. 17. x) Orat. in Timarch. p. 279, et de Fals. leg. p. 418. y) de Fort. Rom.

Alas habuit ex eadem causa, ex qua Mercurius et Iris; nimirum ut hi nuncii, sic et nuncia Fama teste jam ipso Homero [z]).

μετα δε σφισιν Ὀσσα δεδῄει,
Οτρυνȣσ᾽ ἰέναι, Διος ἀγγελος.

interque ipsos fama accendebatur,
Incitans ire, Jovis nuncia.

Quo praeeunte passim a poetis et *nuncia*, et, quod sequitur, *pennata* dicitur. Sic aves apud Aristophanem sese extollentes inter alia crepant [a]): Φημη γ᾽ὑμιν ὀρνις ἐστι, *Fama vobis avis est.* Et Nonnus [b]):

Ηδη δ᾽ ἐνδα και ἐνδα δι᾽ ἀστεος ἱπτατο Φημη
Αγγελος ἀυτοβοητος κ. τ. λ.

Jam vero hinc et hinc per urbem volitabat Fama
Nuncia per se clamans.

Et Virgilius [c]):

Interea pavidam volitans PENNATA per urbem
NVNCIA FAMA ruit.

Nota est ejusdem Famae alatae descriptio apud eundem Maronem [d]), cui adde Nasonem [e]). Atque ut Famae, sic et Infamiae alas tribuerunt poetae. Silius Italicus [f]):

et atris
Circa te semper volitans Infamia pennis.

Famae convenire tubam, et quidem apte in causa praesente, cum vellet Demetrius suae laudes victoriae per universum orbem strepere circumferri, nemo negaverit. Alata quoque Siren in denario gentis Petroniae tuba canit, sed diversa causa, haec ut delectet, Fama, ut promulget. Addo denique, Famam eodem modo tuba canentem proponi etiam apud Pembrock [g]). Famae complura miracula lege apud Plutarchum [h]).

De Pallade numi I. hoc cultu incedente agetur in numis Thessalorum.

Numum secundo simillimum, eumque aureum edidit Goltzius, in quo praeter regis nomen praetenditur inscriptum ΔΗΜΗΤΡΙΕΩΝ, qui si vere exstitit, apud Demetriadem Thessaliae se cusum profitetur. In area numi Haymiani dixi, legi ΑΘΕ. Constat ex Plutarcho et Athenaeo supra laudatis, fuisse Athenienses Demetrio propter praeclara in se collata beneficia jure obstrictos, praecipue quod eos a Cassandri ac Ptolemaei jugo liberavit, ac propterea immodicos illi in communi laetitia honores decrevisse, quos ibi enumerat Haymius, inter quos adeo recenset etiam numum praesentem ejus nomini dedicatum. Istud fide adcuratissimi Haymii; at in simili et integerrimo musei Caesarei legitur tantum Α; juxta quidem est Ο, sed intus est monogramma, ut adeo pro Θ haberi non possit. Elementum Ε prorsus abest.

In numis III. et IV. sistitur caput regis diadematum, et tauri cornu armatum. Adoptanda videtur Spanhemii sen-

z) Il. B. 93. a) in Avib. v. 721. b) Dionys. L. XLVI. v. 1. c) Aen. L. IX. 473. d) Aen. IV. 173 seq. e) ex Ponto L. IV. ep. 4. v. 12. f) Punic. XV. 96. g) P. II. tab. 58. h) in Aemilio cap. 24, 25.

tentia, censentis [i]), Demetrium hujus sibi animalis cornu addidisse Bacchi causa, quem is in omnibus tam belli, quam pacis studiis proxime aemulari conatus est, ut testantur Diodorus [k]), et Plutarchus [l]). Quin ipsum ejus patrem Antigonum eodem modo fuisse in Bacchum adfectum, diserte tradit Herodianus supra in patris numis citatus. At Bacchum non minus cum cornibus arietis fuisse propositum, quemadmodum vidimus in Lysimacho, et videbimus in numis Cyrenes, sed etiam tauri, abunde dixi in dissertatione de tauro cum facie humana Campaniae numis adjecta. Quoniam Seleucus I. Demetrii gener tauri cornua in numis jactat, videri posset socerum in generi praepotentis gratiam eodem cultu usum. At verisimile dixi, hos Demetrii numos signatos tum primum, cum Macedoniam obtineret, sed tum jam inimico fuisse in Seleucum animo constat.

Etiam argenteum III. formae, in quo: ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ typo noctuae, hujus esse regis, et signatum Athenis conjicit Pellerinius [m]), sed hic verisimiliter aliorsum pertinet, et inscriptum nomen videtur esse magistratus.

AV. RRRR. AR. R.

PYRRHVS, LYSIMACHVS, SELEVCVS.

Exacto V. C. 467 Macedonia Demetrio regnum inter se partiuntur Pyrrhus Epirota et Lysimachus. Anno sequente pulso etiam Pyrrho solus illud obtinet Lysimachus. Hoc V. C. 472 in Phrygia victo caesoque Seleucus Macedonia potitur, sed paullo post a Ptolemaeo Ceranno interficitur.

Numos Pyrrhi vide in numis regum Epiri, Lysimachi in numis regum Thraciae, Seleuci in numis regum Syriae.

PTOLEMAEVS Ceraunus.

Ptolemaei Soteris filius, a patre succedendi spe exclusus Seleuco sese adplicat, verum, ut diximus, benefactorem perfide interimit, et Macedoniam invadit. Gallis duce Belgio vicina infestantibus obviam temere progressus conserta pugna occumbit circiter V. C. 473. Propter singularem in rebus agendis celeritatem dictus Κεραυνος, *Fulmen* [n]).

* * *

Ei hactenus tributi fuere numi aenei, in quorum aversa: ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΥ. ΒΑΣΙΛΕΩΣ typo *fulminis*, quo credebatur, ad ejus nomen adludi. Verum praeclare evicit Pellerinius, quoniam in omnium horum area comparet monogramma ΜΑΓ., eos Ptolemaeo II. Philadelpho restituendos, signatosque ejus nomine in Cyrenaica, quo tempore frater illius uterinus *Magas* eam provinciam administravit, ut dicetur.

Alius argenteus inscriptus: ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΥ. ΚΕΡΑΥΝΟΥ inter Goltzii fallacias amoliendus.

i) T. II. p. 399. k) L. XX. cap. 92. l) in Demetr. pag. 889. m) Rec. I. pag. 144. n) Pausan. L. I. c. 16.

MELEAGER, ANTIPATER, SOSTHENES.

Meleager et Antipater in his turbidis Macedoniae reges memorantur ab uno Eusebio, quorum illum menses duos, hunc mensem cum semisse regnasse perhibet.

Sosthenes unus ex regni primoribus cum Macedonum reliquiis, qui ex postrema clade evasere, patriam adversus Gallos egregie tuetur. Oblatum a suis regis titulum aspernatur, uno ducis nomine contentus. Cum biennio rempublicam sustentasset, a Brenno cum ingente Gallorum exercitu adventante facile victus regnum victori cedere cogitur o).

* * *

Omnium horum trium, etsi aut paucorum tantum dierum, aut ne reges quidem fuere, numi tamen reperti sunt, aurei perinde, ac argentei, verum, quod caput est, ab uno tantum Goltzio, videlicet: ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΜΕΛΕΑΓΡΟΥ — ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΝΤΙΠΑΤΡΟΥ — ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΣΩΣΘΕΝΟΥ.

ANTIGONVS I. Gonatas.

Demetrii Poliorcetae filius cognomento *Gonatas*, quod apud Gonatas Thessaliae educatus fuerat p), insignis a pietate in patrem nominis, quem a Seleuco captum redimere omnibus modis, semetipsum obsidem offerens, adlaboravit. Rex in Macedonia agnitus bis a Gallis, Pyrrho, ejusque filio Alexandro regno exactus turbatum ipsos XXXVI. annos habuit imperium, mortuus V. C. 512.

Vxor *Phila*, Seleuci I. filia, e qua natus *Demetrius II.* q)

Numi:

Caput virile imberbe turgentibus e fronte binis cornibus, aure acuta, pone pedum; aream ambiunt septem scuta astris insignita. X ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΝΤΙΓΟΝΟΥ. *Pallas gradiens pendente ex utraque manu ala d. fulmen intentat, s. clypeum praetendit, in area galea dependente utrinque crista, et variae literae.* AR. I.

Spanhemius r), et Begerus s) consentiunt, capite anticae exhiberi Antigonum ipsum, sed hoc nomine II., eumque ornatum Panos cultu. Rationem addit Begerus, data regi ejus dei attributa, quia pro Arcadibus, quibus is praesidet, adversus Cleomenem Spartanum pugnavit, quod late persequitur Polybius; quin non abhorrere a vero, numum ipsum ab Arcadibus signatum. Haec eruditi IIviri. At falluntur nimio. Etenim ut novi, addita saepe fuisse regibus, quae deorum fuere propria, tamen caput numi praesentis propter aurem manifeste acutam nequaquam regis est, sed ipsius Panos. Fuisse hujus dei cultum per Macedoniam vulgatum, docemur numis communi Macedonum nomine vulgatis, aliisque ejus regionis urbium, ceu Pellae,

o) Justinus, Eusebius. p) Euseb. in Chronico, Athenaeus L. IX. p. m. 400. q) Reineccius. r) T. I. p. 385. s) Th. Br. T. I. p. 247.

in cujus numis coloniae nomine cusis Pan sedens typus obvius, atque eodem puto pertinere capros coniscantes, qui sunt in numis Amphipolis et Thessalonicae. Notum etiam Aegas, vetustam Macedoniae urbem, a capris Pani sacris traxisse nomen, notusque in mythologia Aegipan Jovis ex Aega Panos uxore filius [t]). At cur Antigonus Gonatas ejus dei imaginem, quod neque hactenus, neque postea a regibus Macedoniae factum, tam magnifice jactet, certam reperio causam. Narrat Pausanias [u]), Brennum cum Gallorum exercitu ad diripiendum Apollinis templum Delphos profectum nulla apparente causa tanto terrore perculsum, ut conversis repente vestigiis turbatisque ordinibus cum suis omnibus ne uno quidem elapso internecione caederetur. Jam vero satis constat, omnem metum nullo certo auctore immissum *Panicum* ἀπο τȣ Πανος fuisse dictum. Addit eodem loco Pausanias: *τα γαρ ἀπο αἰτιας ȣ̓δεμιας δειματα ἐκ τȣτȣ (Πανος) φασι γινεσθαι*, *terrores enim a nulla causa ortos a Pane ajunt injici.* Idem observat scholiasta ad Euripidis Πανος ὀργας [x]), et Cornutus [y]). Inconsultum hunc metum teste Dionysio Hal. [z]). Romani Fauno imputavere, sive cum insolitae species oculos hominum exterrent, sive voces divinae aures eorum percellunt. Sed Faunus a Pane vix differt. Causam, cur timoris hujus auctor creditus fuerit Pan, vide apud Anonymum de Incredibilib. in Opusc. mythol. Gallei p. 89. Quin et Pana ludum sibi quaerere ait Val. Flaccus, cum injecto noctu terrore totos exercitus et armenta ruere in diversa, perque montium saltuumque avia videt [a]). Ergo cum hujus quoque Gallorum trepidationis auctor Pan vulgo crederetur, satis causae fuit, cur Antigonus ejus dei, cujus beneficio liberata Graecia, et ipse paternum regnum recuperavit, effigiem monetae imprimendam curaret. Vide huc pertinentia etiam ad numum sequentem. Hoc ex Pausania captum argumentum si valet, dubitari nequit, insignes hos numos esse Antigoni I., non, quod alios censuisse diximus, alterius.

Commodus hic locus agendi de cornibus hircinis, quae reges Macedoniae galeae inserere consuevere. Ea non solum commemorat Plutarchus, cum narrat, Pyrrhum agnitum ex *cristis illustribus et cornibus hircinis* [b]), tum et Livius perhibens [c]), Philippum V. in pugna ad Sicyonem in arborem impetu equi illatum, cornu alterum galeae praefregisse, quod ab Aetolo quodam repertum, regio hoc insigni passim cognito, famam interfecti regis vulgavit, sed eadem haec cornua oculis subjicit denarius L. Marcii Philippi, qui pictum sistit caput Philippi V. Macedoniae regis tectum galea ad mentum clausa, ex cujus vertice bina hircorum cornua protuberant. Adde galeam cornu praefixam in numis Tryphonis Syriae regis, quos vide. Verisi-

t) Hygin. Astron. L. II. c. 13. u) L. X. c. 23. x) Medea v. 172. y) de Nat. deor. c. 27. z) L. V. p. 290. a) Argonaut. L. III. v. 48 seq. b) in Pyrrho p. 389. c) L. XXVII. c. 33.

mile videtur, ejus rei causam petendam ab ipso Carano, qui ducibus capris Edessam cepit, cujus tam firma deinceps fuit memoria, ut reges posteri capras in exercitu constanter alendas curarent, et fuisse adoptata a regibus horum animalium insignia, quibus regnum debuere. Ex quo creverit etiam in ipsum Pana Macedonum adfectus, cui hirci caprique sacri fuere.

Numum hunc, ejusque similes cusos in Macedonia dubitari nequit; nam Pallas hoc cultu, ut dicetur in Thessalorum numis, passim sese effert in moneta Macedoniae et Thessaliae, deinde galea hujus formae jam occurrit in area tetradrachmorum Alexandri M., frequentius vero in aeneis Antigoni nostri, de quibus mox, et Philippi postremi, ut et monogramma HP. fere Macedoniae proprium dici potest.

* * *

Caput Palladis galeatum. ℞ BA. *Vir nudus imberbis et caudatus turgentibus e fronte binis cornibus tropaeum statuit, in area monogramma literis* ANT. *conflatum, plerumque adstituta galea, rarius pro hoc aliae literae.* AE. III. (Mus. Caes.)

ΒΑΣΙ. *Galea dependentibus utrinque cristis.* ℞ ANT. *(in monogr.) intra clypeos Macedonicos.* AE. III. (Liebe p. 104. Mus. Caes.)

Horum prior saepius editus, semper male descriptus; nam novem ejus generis, qui sunt in museo Caesareo, signum illud, quod statuendo tropaeo occupatur, per luculenta cornua et caudam certum Pana efficiunt. Monogramma ANT. ad nomen regis pertinere, eo facile colligitur, quod reliquis per aream notis variantibus illud constanter idem est, idque tanto certius, quia monogramma similis naturae in numo secundo certum regem notat. At quaeri potest, utrum literae ligatae ANT. *Antipatrum*, an *Antigonum* intelligi velint. Antipatrum Cassandri F. maluit Liebeus [d]), verum praeferendum esse Antigonum Gonatam propterea dubitari nequit, quod in superiore tetradrachmo, quod totum Antigoni nomen scriptum exhibet, ejusdem Panos imago, ut in praesente, objicitur, deinde quod sertum ex clypeis Macedonicis contextum in nullo certo superiorum Macedoniae regum numo comparet.

Pan tropaeum statuens, nimirum ut ego explico, de Gallis Graecia et Macedonia exactis, praeclare confirmat ea, quae ad primum Antigoni numum disserueram. Incessit tamen religio a Pausania diserte testante [e]), neque Philippum, neque filium Alexandrum, neque quemquam successorum Macedoniae regum de Graecis barbarisve debellatis erexisse tropaeum. At non raro Diodorus statuti a Macedonibus tropaei meminit, ut advertit Wesselingus [f]), etsi pro Pausania stet, et Diodorum ἀκυρως locutum existimet. Quidquid erit, typus

---

d) Goth. num. p. 104. seq. e) L. IX c. 40. f) ad Diodori L. XVI. c. 4.

numi praesentis, quoniam deus istud praestare fingitur, Macedonum verum morem, neque stabilit, neque evertit, et imago tantum est victorum barbarorum, quorum tanta fuit immanitas, et ad ferendam agendamque Graeciam cupiditas, ut potuissent sibi Macedones putare permissum, in communi gentis laetitia receptam legem infringere.

Numum alterum, ut per monogramma ANT. manifestum est, esse Antigoni, ita minus certum, sitne potius primi, an secundi. Istud certum, ad postremos Macedoniae reges pertinere numos, qui sigilla, aut monogrammata regum offerunt clypeis Macedonicis inclusa.

De galea, quam numus II. exhibet, forma aeris Campani, pendente utrinque crista, aliquid monendum. Cum ea saepe in numis regum Macedoniae occurrat, in iisque non raro typum principem faciat, necesse est, fuisse eam operimentum non ex vulgaribus unum, sed regale ac spectandum. Tamen ad illud explicandum non satis valent monumenta residua, et testimonia scriptorum. Vidimus supra, memorari a Plutarcho galeam ex cristis illustribus et cornibus hircinis, at in hac desunt cornua. Denarii L. Marcii Philippi offerunt cornua hircina, at desunt cristae, quae galeam nostram insigniunt. In numis Tryphonis Syriae regis comparet galea in apicem desinens, et hircino cornu armatum, quae conformatio ab omnibus hactenus notis abludit. Vnum adhuc proditur capitis integumentum apud Macedonas usitatum, *causia*, de qua haec Eustathius g): Καυσια κατα τον Παυσανιαν πιλος ἠν πλατυς, ὁν οἰ Μακεδονικοι, φησι, βασιλεις ἐφορουν, λευκον ἀυτῳ διαδημα περιειλουντες, *causia secundum Pausaniam pileus fuit latus, quo, ait, reges Macedonum usos, candido illud diademate ambientes.* Eodem modo Plutarchus, cum narrasset, M. Antonium dedisse filio Ptolemaeo crepidas, chlamydem, et causiam diademate redimitam, addit, hunc fuisse cultum successorum Alexandri h). Athenaeus, cum solitum Alexandri M. habitum describit, ait, eum gestasse την καυσιαν ἐχουσαν το διαδημα, *causiam diademate redimitam* i). Denique et Herodianus culpat Antigonum Asiae regem, quod hedera uteretur ἀντι καυσιας και διαδηματος Μακεδονικου, *pro causia et diademate Macedonum* k). Verum non regum solum, sed et aliorum Macedonum gestamen fuisse causiam, aliorum testimoniis docemur. Eam Pollux nullo ad reges respectu vocat πιλον Μακεδονικον l). Causiae Crateri, qui fuit unus ex ducibus Alexandri, meminit Plutarchus m), et Arrianus n). Epigramma Antipatri Thessalonicensis causiam generatim vocat *habilem veterum Macedonum armaturam*, καυσιη, ἡ τοπαροιθε Μακηδοσιν ἐυκολον ὁπλον o). Quid quod Demetrius rex, ut insequentem Pyrrhum certius falleret, regium amictum causia et humili lacernula mu-

g) Ad Odyss. A. h) in Anton. pag. 941. i) L. XII. p. m. 537. k) in Commodo. l) L. X. §. 162. m) in Eumene p. 586. n) apud Photium cod. 91. p. m. 126. o) Brunck Anal. Tom. II. p. 111.

tavit [p]). Genium Macedoniae in notis numis Hadriani, et in denario C. Antonii Macedoniae procos. lato pileo, qualis a Pausania describitur, et haud dubie causia opertum videmus. Apud Plutarchum [q]) Phayllus Argivus uxorem juvenem chlamyde et causia Macedonica induit, ut esse unus ex pueris regis Antigoni ministris putaretur. Causiae a nautis gestari solitae meminit Plautus [r]). Ex quibus patet, fuisse causiam promiscuum inter Macedonas gestamen, sic tamen, ut regium discerneret diadema. Enimvero et causias purpureas memorat Plutarchus, easque inter praecipua regum munera refert [s]). Haec latius exposui, quoniam video, a nonnullis antiquariis varias galeas, quae in regum Macedoniae numis occurrunt, causias putari, ut dicemus infra in numis Philippi postremi. Certe harum nulla ejus formae est, quae causiae secundum citata testimonia tribuitur.

Ad galeam nostri numi ut redeam, credo, eam aliud non fuisse, quam illustrius regum Macedoniae gestamen. Sane galea Alexandri M., quam in ejus vita describit Plutarchus [t]), illi, quam hi numi offerunt, fuit simillima, nimirum illustris τῃ χάιτῃ, ἡς ἑκατερωθεν εἱστηκει πτερον λευκοτητι και μεγεθει θαυμαστον, *crista, cujus utrinque stabant pinnae candore, et magnitudine mirabiles.*

* * *

Numi: ΑΝΤΙΓΟΝΟΥ. ΓΟΝΑΤΟΥ ex Goltzii mala officina prodivere.

AR. RR. AE. C.

DEMETRIVS II.

Antigoni Gonatae ex Phila filius V. C. 512 paternum regnum adit, illudque retinet usque ad annum V. C. 523.

Vxor *Phthia* Alexandri Epirotae filia, e qua natus Philippus V.

Numi:

ΒΑΣΙ. *Galea cristata.* ✠ *Monogramma constans, ut videtur, literis* ΔΗΜΗΤΡ. *intra scuta Macedonica.* AE. II. (Wilde tab. III. n. 19. Mus. Caes. Pellerin Addit. p. 52.)

ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ. *Galea cristata.* ✠ *Astrum inter scuta Macedonica.* AE. III. (Neumann.)

Si monogramma memoratum recte in has literas resolvitur, dubium non est, similes numos huic Demetrio esse tribuendos, quoniam, ut saepe diximus, corona ex scutis Macedonicis contexta regum posteriorum est. Eidem succurrit numus alter plene scripto regis nomine.

AE. RR.

ANTIGONVS II. Doson.

Judicio Reineccii natus Alcyoneo, qui fuit filius Antigoni Gonatae ex concubina. Philippo Demetrii II. filio adhuc impu-

p) Plutarch. in Pyrrho p. 389. q) in Ερωτικῳ p. 760. r) in Mil. glor. Act. IV. sc. IV. v. 42. s) in Eumene p. 588. t) Cap. 16.

beri datus primum tutor, subinde propter virtutis opinionem rex proclamatur. Inita cum Achaeis societate in Cleomenem Spartae regem arma movet, et quod hactenus nemini concessum, Spartam ipsam expugnat, et omissa omni vindicta libertate iterum donat. Post multa praeclare ac liberaliter facta in bello adversum barbaros ex sanguinis profluvio obit V. C. 533. Per convicium dictum Δωσωνα, tradit Plutarchus, quia, quod promiserat, non repraesentavit [u]).

Numi:

Hi vix dignoscuntur, nisi forte aliqui, quos in Antigono Gonata, aut in aeneis Alexandri M. descripseram, huc pertinent.

PHILIPPVS V.

Demetrii II. filius, quod Graecas civitates atrocius vexaverat, et cum Hannibale foedus iniverat, collisus cum Romanis a T. Quinctio Flaminino ad Cynoscephalas debellatur. Moerore exstinguitur, quod filium Demetrium ficto crimine a fratre Perseo delatum mori jussit, V. C. 575.

Numi:

Caput regis diadematum. Ⅹ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΦΙΛΙΠΠΟΥ. *Pallas gradiens d. fulmen vibrat, s. clypeum, in area monogramma.* AR. I. (Mus. Theup.)

Aversam similem mox in Antigono Gonata vidimus.

* * *

Caput regis diadematum modeste barbatum. Ⅹ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΦΙΛΙΠΠΟΥ. *Clava intra coronam quernam.* AR. fere I. et II. (Mus. Caes. Pembrock P. II. tab. 54.) In alio: *Hercules stans d. cornu, s. clavam, et exuvias leonis.* AR. II. (Pellerin.)

Caput Jovis, pone signum incusum Hermam referens. Ⅹ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΦΙΛΙΠΠΟΥ. *Hercules nudus gradiens d. clavam super humero, s. exuvias leonis.* AE. II. (Sestini Lettere P. II. p. 108.)

* * *

Caput juvenile tectum galea alata in volucris caput exeunte, pone harpa, intra scuta Macedonica. Ⅹ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΦΙΛΙΠΠΟΥ. *Clava intra coronam* AR. I. (Pembrock l. c.)

Eadem adversa. Ⅹ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΦΙΛΙΠΠΟΥ. *Galea, cui imminet astrum.* AE. III. (Pellerin Additions p. 53.)

Caput juvenile tectum galea in volucris caput exeunte. Ⅹ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΦΙΛΙΠΠΟΥ. *Harpa intra coronam.* AE. III. (Mus. Caes.)

Caput juvenile tectum galea alata. Ⅹ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΦΙΛΙΠΠΟΥ. *Equus currens.* AE. III. (Mus. Caes.)

Caput juvenile tectum galea in volucris caput exeunte, pone harpa. Ⅹ ΒΑ. ΦΙ. *Aquila arboris trunco insistens.* AE. III. (Haym. T. II. p. m. 11.)

Omnes hi numi typos offerunt, qui ad Perseum Jovis et Danaes filium, ejusque

---

u) in Aemil. c. 8. et in Coriolano.

historiam pertinent. In eorum antica comparet ipse tectus galea, quae est Αϊδος κυνη, *Orci galea*, adstitutis praeterea alis et harpa sibi a Mercurio permissis, cum in Gorgonas proficisceretur. Simillima galea tegitur Perseus in numis Iconii Lycaoniae, Aegarum Ciliciae, et Amphipolis Macedoniae. Ad haec comprobanda nolo repetere, quae olim ad numos similes apud Sinopen Paphlagoniae et Iconium Lycaoniae signatos liberaliter sum commentatus [x]), quae omnia ad praesentes quoque numos illustrandos valent, quibus in commentariis ostendi etiam, quam longe a scopo hactenus aberraverint ii, qui hos Philippi numos explicandos sibi sumpsere. Etenim Haymius capita, quae sunt in numis III. et V., dixit esse Philippi Amyntae, galeam, qua ea teguntur, esse causiam Macedonum, de qua egi in Antigono II., harpam pro cultro victimario habuit in taurobolii sacris usitato etc. [y]). In eadem sententia fuit Froelichius [z]), utriusque viri eruditi errori praeludente Cl. de Boze [a]). Quin ipse adhuc Pellerinius in postremo suo opusculo, quod *Additions* inscripsit, caput galeatum, quod numus II. exhibet, dixit esse ipsius Philippi Demetrii II. filii. Nihil vero in his numis certius Perseum comprobat, quam harpa, ensis genus, nonnisi Perseo, atque, ut in Valeriani Aug. numis comprobabimus, Saturno proprium, cujus qui volet formam ad omnes apices descriptam nosse, adeat Achillem Tatium [b]). Aquila, quae in nonnullis aversam facit, ad Jovem utique Persei parentem refertur, quae omnia Persei attributa binis versibus complexus est Nonnus [c]):

Και κυνεην Αϊδαο φερων, και Παλλαδος ἁρπην,
Και πτερον Ερμαωνος ἐχων, και Ζηνα τοκηα.

Et galeam Orci gestans, et Palladis harpen,
Et alas Mercurii habens, et Jovem parentem.

At modo, quid Philippo cum Perseo heroe, expediendum. Reges Macedoniae voluisse videri per Caranum Argivum ab Argivis et Perseo descendere, multi tradidere. Eos sane facile cum Perseo connectemus, cum secundum Diodorum Hercules ipse, a quo genus duxere, Perseum in majoribus numeraverit [d]). Etenim mater Herculis Alcmena, hujus pater Electryon, hujus Perseus [e]). Et secundum haec jure Admetus Herculem sic appellat apud Euripidem [f]):

Χαιρ' ὠ Διος παι, Περσεως τ' ἀφ' αἱματος,

Salve, o Jovis fili, et a Persei sanguine prognate.

Atque haec causa est, cur Alcmena ab Euripide vocetur νυμφα Περσηϊς, *Virgo ex Persei genere* [g]), et a Theocrito

x) Num. vet. p. 172. et 271. y) Thes. Brit. T. II. p. m. 11, et 18. z) Not. elem p. 143. a) B. L. T. II. p. 443. b) Erot. L. III. c. 7. c) Dionys. L. XXV. v. 55. d) L. IV. §. 9. e) Diodor. l. c. Schol. Euripid. in Hecuba v. 884. f) in Alcest. v. 509. g) Herc. fur. v. 801.

περσηΐον αἱμα, *Persei sanguis* [h]), et Achilles Tatius Perseum et Herculem dicat Αργειους δυο συγγενεις, *Argivos duos consanguineos* [i]). Non igitur fallax Plinius, qui Perseum in Alexandri M. atavis putat [k]), nam et teste Arriano [l]) huic Macedonum regi quaedam exstitit cum Perseo et Hercule aemulatio, quod ab utroque genus duceret. Alibi narrat idem [m]), Alexandrum Mallensibus Ciliciae tributum remisisse, quod hi Argivorum essent coloni, ipseque ab Heraclidis Argivis oriundum se perhiberet. Neque vero recens haec fuit Pellaei juvenis ambitio; jam enim et Alexander I. Macedoniae rex, cum certaturus in Olympia prohiberetur a Graecis, quod barbarus esset, Argivum se palam professus est [n]). Jure igitur Philippum Amyntae sic adloquitur Isocrates [o]): Αργος μεν γαρ ἐστι σοι πατρις, ἧς δικαιον τοσαυτην σε ποιεισθαι προνοιαν, ὁσηνπερ των γονεων των σαυτου. *Argos quidem tibi patria est, cui eandem te curam, quam tuis ipsius parentibus, impendere aequum est.* Fuisse Perseum Argivorum regem, et apud Argos eximie cultum, quis ignorat? Quare et in Argorum numo, qui est in museo Caesareo, fingitur aquila harpae insistens; nimirum, ut in numis Philippi mox descriptis, harpa refertur ad Perseum, aquila ad ejus patrem Jovem.

Sed enim, inquies, quid haec per Caranum a Perseo petita stirps ad Philippum nostrum, quando Caranidarum genus cum Alexandri M. sobole exstinctum est? Istuc ibam. Si fides Polybio [p]), tanta ejus fuit arrogantia; ut non contentus nobili stirpe, quae jam inde ab Antigono Asiae rege titulo regio conspicua fuit, plurimum tamen adlaboraret, ut de Alexandri et Philippi genere videretur prognatus. Istud cum persuadere voluit, ultro genus suum cum Perseo et Argivis copulavit, atque hinc factum, ut, cum idem Philippus Argos venisset, curatio Heraeorum et Nemeorum suffragiis populi ad eum deferretur, quia, ut addit Livius, qui haec perhibet [q]), *se Macedonum reges ex ea civitate oriundos referunt*, quod et Argivis creditum infra commemorat [r]). Ac denique ne per solam ambitionem in Caranidarum se stirpem intrusisse videatur Philippus, verisimile est, Antigoni quoque genus, etsi non eadem cum Alexandro M. stirpe, ab Heraclidis Temenidis descendisse, de quo vide prolixe disputantem Reinerum Reineccium [s]). Ergo ne cui esset praeclarum suum genus ignotum, ceu Alexander Herculem, sic is Perseum in moneta sua proposuit, cujus nempe abnepos esset, quae insania stirpem a Perseo usque deducendi non modo hac aetate, sed multo etiam posteriore inhaesit iis, qui Argivi domo fuere. Ita enim leges in marmore, quod edidit Maffeius [t]): ἁ

---

h) Idyll. XXIV. v. 72. i) Erot. L. III. c. 6. k) L. XV. §. 13. l) L. III. c. 3. m) L. II. c. 5. n) Herodot. L. V. c. 22. o) Orat. ad Philipp. p) L. V. c. 10. q) L. XXVII. c. 30. r) L. XXXII. c. 22. s) pag. 99. t) Mus. Veron. p. XLIII.

πολις ἁ των Αργειων Τ. Στατιλιον Λαμπριε υἱον Τιμοκρατη Μεμμιανον, ΠΕΡΣΕΩΣ ΚΑΙ ΔΙΟΣΚΟΥΡΩΝ ΑΠΟΓΟΝΟΝ κ.τ.λ. *Vrbs Argivorum T. Statilium Lampriae filium Timocratem Memmianum*, ***PERSEI ET DIOSCVRORVM ABNEPOTEM*** *etc.* quod ante Hadriani imperium non fuisse dedicatum liquet, quia in eo mentio fit ludorum Αντινοειων ἐν Μαντινειᾳ, *Antinoiorum Mantineae.* Denique observandum et istud, quod quemadmodum Alexander M. filium ab Hercule generis auctore Herculem, ita suum Philippus a Perseo Perseum appellavit.

In numo II. habetur hinc caput Persei, inde galea astrifera, verius pileus Dioscurorum. Nimirum ut in citato marmore Maffeiano Statilius Argivus dicitur Persei et Dioscurorum abnepos, ita eodem jure Philippus Dioscuros in majoribus ponit, et publice observat. Dioscuros quidem apud Lacones ortos vetus fama prodidit, verum fuisse Lacones Argivis cognatos alias probavi [u]).

* * *

Caput Herculis imberbe leonis rictu tectum. ℞ ΒΑ. ΦΙ. *Vir nudus eques lento gressu d. elata.* AE. III. (Mus. Caes.) In alio: *Duo capri decumbentes.* AE. II. (Mus. Caes. Theup.)

Caput Herculis barbatum eodem cultu. ℞ ΒΑ. ΦΙ. *Pallas gradiens d. hastam intorquet, s. clypeum.* AE. III. (Mus. Caes.)

Vide alios cum ΒΑ. Φ. in museo Caesareo.

Vidimus supra in numo hujus Philippi certo epigraphen ΒΑ. ΦΙ. Videbimus item in moneta Persei numum, qui typo simillimus est priori ex his descripto, addito etiam solo ΒΑ. ΠΕ. Quare dubium non est, numos omnes sic inscriptos esse hujus Philippi.

* * *

Caput juvenile radiatum. ℞ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΦΙΛΙΠΠΟΥ. *Fulmen intra quernam, superne monogramma* ΔΙ. AE. II. (Mus. Caes.)

Numum hunc alii Philippo Syriae regi, alii huic nostro tribuunt. Auctor musei Theupoli eum Andrisco, seu Pseudo-Philippo, qui exacto Perseo Macedoniam turbavit, largitur. Istud certum, Macedoniae potius id genus numos tribuendos propter monogramma ΔΙ. in Macedonum moneta obvium, et habeo auctorem gravem Cousineryum, eos frequentes reperiri in Macedonia.

AR. RR. AE C.

PERSEVS.

Philippi V. filius, patre in fratris Demetrii caedem inducto, in quem Macedonum studia inclinaverant, regnum adeptus, quod Romanis, eorumque sociis infensum se ubique praeberet, ab his bello petitus apud Pydnam a L. Aemilio Paullo vincitur, captusque in insula Samothrace cum filiis Philippo, et Alexandro, et filia Romam in triumphum abducitur V. C. 586, cum regnum in

u) Num. vet. p. 79.

annum XI tenuisset. Macedonia in provinciam redigitur, rex Albae in libera custodia consenescit, de quo vide praecipue Diodorum [x]). Alii inedia vitam finivisse tradunt.

N u m i:

Caput diadematum modeste barbatum. ҲΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΠΕΡΣΕΩΣ. *Aquila fulmini insistens intra coronam quernam, per aream varia monogrammata.* AV. I. (Mus. M. Ducis.) AR. I. (Mus. Caes.)

Caput juvenile tectum galea alata in volucris caput exeunte, pone harpa. ҲΒΑ. ΠΕΡ. *(posterior vox in monogrammate.) Aquila trunco arboris insistens.* AE. III. (Mus. Caes. Lieb. p. 107.)

Caput Herculis imberbe leonis rictu tectum. Ҳ ΒΑ. ΠΕ. *Vir nudus eques lento gressu d. elata.* AE. III. (Pellerin.)

Omnes hos numos in moneta patris explicatos reperies.

AV. RRRR. AR. RRR. AE. R.

T H E S S A L I A.

Regio, ut urbium antiquae famae, ita et numorum ferax. Ex his aureus hactenus nullus compertus. Argentei prae aeneis frequentiores. Generatim moneta, quae ubivis gentium ante Philippum Amyntae feriri solebat, si Italiam mediam demas, pleraque argentea fuit. Revera argentei urbium Thessaliae satis remotam aetatem redolent. Ab eodem Philippo Thessalia Macedonibus servire coacta, ejus urbes sive per impotentiam, sive amissis per mutatam reip. formam juribus cessavere signare monetam eo tempore, quo maxime monetae aeneae usus invaluit.

Typus in ejus urbium numis frequentior *equus*. Thessalorum rei equestris studium a veteribus in paucis celebratum, et tam antiqui nominis, ut cum fabulis connectatur. His docemur, primum sonipedem in Thessalia prognatum, et ab ejus incolis Lapithis edomitum [y]): ex quo ortam de Centauris Thessalis fabulam conjicit Palaephatus [z]). Satis constat, Philippum Amyntae non ob aliam magis causam ejus regionis occupandae flagrasse cupiditate, quam ut exercitui suo robur Thessalorum equitum adjungeret [a]). Et vero ex monitu oraculi teste scholiasta Homeri [b]) primas laudes tulere.

Ιπποι Θεσσαλικοι, Λακεδαιμονιαι τε γυναικες,
Ανδρες θ', οι πινεσιν ύδωρ καλης Αρεθουσης.

Equi Thessalici, et Lacedaemoniae mulieres,
Virique, qui bibunt aquam pulchrae Arethusae.

---

x) L. XXXI. Eclog. 2. y) Lucan. L. VI. 396. z) de Incredib. §. 1. a) Iustin. L. VII. c. 6. b) ad Il. B. V. 763.

At proprius unis Thessalis typus est: in adversa *equus*, in aversa *vir nudus pileo a tergo pendente, qui ferocientem taurum cornibus retinet.* Est hic hactenus cognitus ex numis Larissae, Pelinnae, Perrhaebiae, Pharcadonis, Pherarum, Triccae. Censuit Liebeus c), eo exhiberi Herculem tauri, vel Acheloi domitorem. At pileus a tergo pendens, isque Thessalicus, ut dicetur infra in numis Larissae, hominem agrestem facit rei pastoritiae vacantem, quo studio longe excelluisse Thessalos, notum, nisi quis velit typum ad veterem fabulam vocare, quam prodidere Palaephatus d), et Servius e), regnante Ixione cum ferocientes tauri omnia late vastarent, adversum eos egressos juvenes Thessalos, cum urgere feras non desisterent, dictos *Centauros*, ὁτι τȣς ταυρȣς κατεκεντȣν, *quod tauros stimulis exagitassent*, unde nata Centaurorum fabula. Cum dixi, equum et taurum frequenter in Thessalorum moneta typos facere, commode occurrit, quod de iis Aegisthus apud Euripidem praedicat f):

Εκ των καλων κομπȣσι τοισι Θεσσαλοις
Ειναι τοδ', ὁςις ταυρον ἀρταμει καλως,
Ιππȣς τ' ὀχμαζει.

Inter praeclara facinora jactant apud Thessalos
Hoc esse, quisquis taurum dissecat recte,
Et equos regit perite.

De Thessalorum tauros domandi, et cum iis pugnandi peritia, tum etiam de agone, qui ταυροκαθαψια appellabatur, vide doctissimum Prideaux ad marmor, quod est in Oxoniensibus XXXVII., varias vero hujus exercitii imagines offerunt numi contorniati.

Imperatorii urbium, quod mirum, saltem certi non habentur, nisi communi Thessaliae nomine.

Autonomi.

Caput equi cum freno. ☧ ΘΕ. *Planta.* AR. IV. (Mus. Caes.)

Ex hactenus editis Thessalorum nomine numus hic videtur antiquissimus. Cum simili typo exstant numi Scotussae, ex quo efficitur, numum hunc non ad Thebas, ut visum Froelichio g), aut aliam urbem ab his literis incipientem, sed ad Thessalos pertinere. Typus item equi nequaquam Boeoticus, sed Thessalicus est.

* * *

Caput Jovis laur., in aliis querna redimitum, addito nonnunquam magistratu. ☧ ΘΕΣΣΑΛΩΝ. *Pallas gradiens pendentibus ex humero alis d. hastam intorquet, s. clypeum praetendit; adstituuntur plerumque duo magistratus.* AR. II.

Obvii sunt id genus numi. De Pallade, hoc, quem descripsi, cultu incedente nonnihil commemorandum. Ea constanter in his numis fingitur dependente utrinque a collo et humero ala. Phaenomenon istud commonefecit ejus, quod praeter plures alios grammaticos veteres refert Suidas

c) Goth. num. p. 206. d) l. c. e) ad Georg. III. 115. f) in Electra v. 815.
g) Cimel. Vind. p. XXXVIII.

Θετταλικαι πτερυγες. Τȣτο ἐιρηται δια το πτερυγιον ἐχειν τας Θετταλικας χλαμυδας, ἁιπερ ἐισιν ἁι ἑκατερωθεν γωνιαι, διατο ἐοικεναι πτερυξι. *Thessalicae alae. Hoc dictum, quia Thessalicae chlamydes utrinque angulos quosdam habent, qui alis similes sunt*, visumque, angulos hos in his Thessalorum numis a Palladis humero pendentes revera esse illud, quod Suidas *alas Thessalicas* appellat, atque istud tanto magis, quod eodem cultu frequens est Pallas in numis urbium et regum Macedoniae, ut Demetrii I, Pyrrhi, ejusque filii Alexandri, qui ipse quoque Macedoniam aliquamdiu tenuit, aliorumque. Praeterea dubium non videtur, Palladem hanc in his Thessalorum et Macedonum numis esse *Itonidem*, sic dictam ab Itone Thessaliae urbe, ab ipsis Macedonum regibus eximie observatam, quod olim comprobavi h). Animadvertere tamen hoc loco juvat, fasciam a collo ad utrumque latus dependentem non Palladi modo, sed aliis quoque diis in numis, iisque vetustissimis tribui. Simile indumentum jactat Neptunus in antiquissimis numis Posidoniae, alter item in numis Demetrii I. Macedonis, simulque obvolutam eo sinistram velut scutum objicit, quod penitius expendant ii, qui in rem vestiariam deorum inquirunt. Ceterum dum Palladem sic cultam Thessalicam appello, nequaquam intelligi volo, eam sic in solis Thessaliae numis comparere, nam et talem objiciunt numi Syracusarum, Atheniensium, et regum Syriae, sed quod sic in Thessalorum numis est frequentius obvia. Ita et clypeos certa lege in orbem dispositos vocamus Macedonicos, quamvis hi, ut in Macedonia observavimus, etiam in aliarum extra Macedoniam urbium numis compareant, et triquetram dicimus Siculam, etsi haec in Suessae, Veliae, quin et Selges numis occurrit.

* * *

ΟΜΟΝΟΙΑ. *Caput muliebre laur.* ✗ ΘΕΣΣΑΛΩΝ. ΡΩΜ. *Equus liber currens.* AE. III. (Pellerin.)

Nexum cum Roma indicat numus hic et propositam Thessalis cum gente orbis principe *concordiam.* Videtur pars hujus numi antica adludere ad beneficium, quo J. Caesar post victoriam Pharsalicam Thessalis libertatem dedit i).

AR. C. AE. RR.

Imperatorii.

Ab Augusto in familiam usque Gallieni porriguntur. (Mus. Caes. Pellerin, Theup.)

Epigraphe: in numis sub Augusto et Tiberio signatis est: ΘΕΣΣΑΛΩΝ. ΣΕΒΑΣΤΗΩΝ, (Pellerin Rec. III. p. 200.) nempe capto honoris vocabulo ab Augusto. Fuisse Thessalos promeritos, ut illis Augusteo nomine gloriari liceret, tanto magis miror, quod imperante Augusto grave adiverunt discrimen propterea, quod Petraeum vivum cremaverant k). Insolentior formula: ΔΟΜΙΤΙΑ-

h) Num. vet. p. 104. i) Plut. in Caes. c. 48. k) Plut de praecept. reip. gerend. p. 815.

NON. ΚΑΙΣΑΡΑ, vel ΑΔΡΙΑΝΟΝ. ΚΑΙCΑΡΑ. ΘΕCCΑΛΟΙ, (Pellerin. Mus. princ. Waldeck.) Deinceps constanter: ΚΟΙΝΟΝ. ΘΕCCΑΛΩΝ.

Typus potior: *Pallas hastam intorquens*, reliqui obvii. In numo Augusti: *Apollo Actius praegrandi lyra canens*, quem ex museo Caesareo alias edidi [l]).

Magistratus praetor: ΣΤΡΑΤΗΓΟΥ. ΑΝΤΙΓΟΝΟΥ, in numis Augusti et Liviae. (Mus. Caes. Pellerin l. c.) ΣΤΡΑΤΗΓΟΥ. ΛΥ--ΚΟΥΡΟΥ. vel ΛΥΚΟΥ. ΤΟ. Β. in numis D. Augusti, et Juliae Aug. (Pellerin l. c.) Esse hunc praetorem proprium urbis magistratum, in qua numi hi cusi sunt, non propraetorem Romanum, arguunt nomina Graeca, quod jam vidit Pellerinius.

Literae solitariae Α. Γ. Δ. etc. jam ab Augusto usque ad Gallienum.

AE. C.

AENIANES.

Autonomi exstant cum argentei, tum aenei, inscripti ΑΙΝΙΑΝΩΝ, vel ΑΙΝΑΝΙΕΩΝ plerumque typo *viri seminudi hastam ejaculantis*, etiam *vasis*, quos promulgavit Pellerinius. (Rec. I. tab. XIII. et XXVI.) Populus Aenianum nomine, aut quod huic adfine est, varias Graeciae plagas inhabitavit mutatis varia aetate sedibus, quod jam advertit Plutarchus [m]). Ergo ii, aut eorum pars in Thessalia versus sinum Maliacum, in Perrhaebia, in Molosside, et Aetolia consedisse leguntur, dicti *Aenianes*, *Aeneianes*, *Aenienses*. Vtrum Pellerinius numos similes recte per Aenianes Aetoliae, vel Acarnaniae, vel Thessaliae distribuerit, dubito.

AR. RR. AE. RRR.

ARNA.

Mediobarbus, et auctor musei Theupoli huic Thessaliae urbi largiti sunt numos Treboniani, quorum aversa inscribitur ARNASI. Verum vocabulum istud sanum interpretem nactum nondum est, de quo copiosius agam in numis hujus Augusti.

ATRAX.

Mediterranea ad Peneum.

Caput muliebre. ✕ ΑΤΡΑΓΙΟΝ, *Equus.* AR. III. (Pellerin, Pembrock.)

Equus currens. ✕ ΑΤ. *(in monogrammate) intra lauream.* *AR. III.* (a me editus ex mus. Savorgnan Num. vet. p. 85.)

AR. RRR.

CRANNON.

In Pelasgiotide.

Protome juvenilis pileata. ✕ ΚΡΑΝΝΩΝΙΩ — *Vir pileatus in citato equo.* AE. I. (Pembrock.)

Caput Jovis laur. ✕ ΚΡΑ. *Similis typus.* AE. III. (Haym. T. II. p. 147.)

Vtriusque faciei typus in Thessaliam et pastoritiam et equestrem invitat. Stra-

---

l) Sylloge I. p. 26. m) Quaest. Graec. 13 et 26.

boni dicitur Κρανων, sed et nonnullis geminato N scribitur. Gentile *Cranonius* apud Livium recte cum numi scriptura conspirat.

* * *

Caput Jovis laur. ℞ ΚΡΑΝΝΟΥ. ΕΦΥΡ. *Curriculum, cui impositum vas, utrique rotae insistit avis.* AE. III. (Haym T. II. p. 147.)

Eques pileatus citato cursu. ℞ ΚΡΑΝΝΟ. *Curriculum, cui imposita diota, utrique rotae insistit avis.* AE. III. (Ibid.)

Insignes hos numos praeclare explicat Haymius ex Antigono Carystio, perhibente [n]), in tabulis Crannoniorum hospitalibus, cum insigne urbis subjicitur, pingi solitos δυο κορακας ἐφ' ἁμαξης χαλκης, *duos corvos super aereo curru*, atque istud propterea, quia duobus plures nunquam ibi conspiciuntur. Addit, cum magna est siccitas, eum currum pulsari, et sic pluvias impetrari. Singulare est etiam ΚΡΑΝΝΟΥ. ΕΦΥΡ. numi prioris. Narrat Strabo, idque Homeri auctoritate confirmat, Crannonios dictos quoque fuisse *Ephyros* [o]). Ex his idem docent Eustathius et Stephanus.

AE. RRRR.

CTEMENAE.

Huic oppido, haesitans tamen, argenteum tribuit Pellerinius inscriptum ΚΤΗ., at eum esse Sinopes Paphlagoniae, suo loco docebitur. Alium inscriptum ΚΤΙΜΕΝΟϹ. ΑΝΙΝΗϹΙΟΙϹ., et huc perperam vocatum vide in Anineso Lydiae.

DEMETRIAS.

Maritima ad sinum Pagasaeum. Teste Strabone opus Demetrii Poliorcetae, qui Pagasarum, Iolci, aliarumque in proximo sitarum incolas in hanc contraxit.

Caput Dianae, ℞ ΔΗΜΗΤΡΙΕΩΝ. *Navis.* AR. III. (Pellerin.)

Fuit Demetrias navale, quin aliquamdiu et regia regum Macedoniae, ut tradit Strabo.

AR. RRRR.

Cum nomine *regis* Demetrii numum edidit Goltzius, (in Graecia.)

ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ. *Neptunus nudus tridentem intorquet.* ℞ ΔΗΜΗΤΡΙΕΩΝ. *Victoria super navi currens.* AV.

Simillimos ex auro et argento, nisi quod nomen populi in his abest, supra in moneta Demetrii I. recensui. Forte et in hoc vocabulum ΔΗΜΗΤΡΙΕΩΝ a Goltzio his artibus adsueto additum fuit.

DEMETRIAS SACRA.

Autonomi.

Caput muliebre turritum. ℞ ΔΗΜΗΤΡΙΕΩΝ. ΤΗΣ. ΙΕΡΑΣ. *Victoria gradiens.* In alio: *Fortuna stans.* AE. III. (Pellerin.)

Caput virile nudum. ℞ ΔΗΜΗΤΡΙΕΩΝ. ΤΗΣ. ΙΕΡΑΣ. *Mulier capite turrito rupi*

n) Hist mirab. c. 15.

o) L. VII. p. m. 508, et L. IX. p. 674.

insidens, *d. extenta*, *subtus fluvius emergens.* AE. II. (Hunter, Pellerin.)

Caput virile laur. ℞ ΔΗΜΗΤΡΙΕΩΝ. ΤΗΣ. ΙΕΡΑΣ. *Vir nudus stans d. hastam.* AE. III. (Hunter, Haym T. II. p. 124.) His addendus

Imperatorius.

ΘЄΟC. CЄΒ - - *Caput Augusti nudum.* ℞ - - - ΤΡΙЄΩΝ. ΤΗC. ΙЄΡΑC. *Victoria gradiens.* (Haym T. II. p. m. 221.)

Haymius numos Demetriadis, qui ΤΗΣ. ΙΕΡΑΣ addunt, esse Sicyonis edixit, quae teste Diodoro causa illustrium beneficiorum a rege Demetrio se Demetriadem vocavit. Non adrisit istud Pellerinio ea potissimum de causa, quia temporarium tantum istud nomen fuit, ac paullo post abjectum p), neque adeo dubitavit, eos Thessalicae huic Demetriadi largiri. At enim multa sunt, quae me ab adsignanda his numis urbe Europaea abstinent. Nam primum epigraphes modus: ΤΗΣ. ΙΕΡΑΣ, Europaeus non est. Novi, Nicopolin Epiri et Epidaurum in numis dictas ΙΕΡΑΣ, verum in his legas tantum: ΝΙΚΟΠΟΛΙΣ. ΙΕΡΑ, vel ΕΠΙΔΑΥΡΟΥ. ΙΕΡΑΣ. Quod si quis Larissam Thessaliae objiciat, cujus praetenditur numus inscriptus: ΛΑΡΙΣΣΑΙΩΝ. ΤΗΣ. ΙΕΡΑΣ, is noverit, etiam hunc a me ex Thessaliae finibus extorrem fieri, ad Larissaeos Seleucidis repedare jussum. Adde, scripturam sic ab Aquilone in meridiem tendentem, et in plures versus parallelos divisam, qualem hi numi sistunt, verum esse monetae Syrae, vel Ciliciae characterem. Nihil vero luculentius, esse hos numos Asiae, et quidem in Orientem vergentis, comprobat, quam typi eorumque modi. Caput muliebre hoc turrium cultu certus iterum est character Syriae et Ciliciae. At quod me praecipue permovit, ut Demetriadem Thessalicam respuerem, est urbis genius saxo insidens emergente subtus fluvio, quem modum in nullo urbis Europaeae numo reperias, at frequentissime in numis Syriae late sumptae, tum Ciliciae, et finitimi tractus. Denique nullo testimonio constat, Demetriadem Thessaliae dictam fuisse *sacram*, et quod amplius est, Demetrias haec sola esset Thessalicarum urbium, quae cum imperatoris capite numos feriisset, etsi hujus generis habeamus complures, sed communi ΘΕΣΣΑΛΩΝ nomine insignes. Atque hae, similesve rationes in causa fuerint, cur illustris Combius Demetriadem aliam a Thessalica diversam respexerit.

At vero quae haec Demetrias? Combius Demetriadem adsignat in Assyria sitam. Sed ab hac, ut verum fatear, graves me rationes absterrent. Praeterquam enim quod Assyria extra cyclum numismaticum posita est, si Parthicorum et paucorum aliorum regum numos demas, jam istud solum Demetriadem Assyriae excludit, quod in his numis habemus caput Augusti, cui Assyria nunquam paruit. Certum vero Augustum non modo habemus in citato imperatorio, sed eum agnosco etiam in citatis autonomis, in quorum antica dixi esse caput virile

p) Rec. I. p. 163.

nudum. At quam, inquies, dabis Demetriadem aliam, qui jam tres fastidis? Ajo, me istud ignorare, at non propterea, quod istud ignoro, numi hi erunt hujus, aut illius Demetriadis. Ajo etiam ex causis, quas proposui, esse Demetriadis cujuspiam in Syria vel Cilicia sitae. At nulla apud veteres mentio urbis intra hos fines sic dictae. Verum an non et hi reticuerunt, ut innumera alia exempla omittam, Nicopolin in Seleucide sitam, quam tamen numi ΝΕΙΚΟΠΟΛΕΙΤΩΝ. ΤΗϹ. ϹΕΛΕΥΚΙΔΟϹ. ΙΕΡΑϹ. absque dubio statuunt? Si numos inscriptos ORRA propter adjectas unciarum notas Italicos statuimus, etsi Orrae in Italia sitae nemo scriptorum meminerit, an verebimur, numos, qui aeque certa offerunt monetae Syrae criteria, urbi Syrae tribuere? Quid quod constat, multis per Syriam et Ciliciam urbibus duplex fuisse nomen, novo alio a Syromacedonibus indito, quas inter fuerit nostra quoque Demetrias, sic dicta haud dubie a Demetrio aliquo ex Syriae regibus, quae paullo post nomen adscititium abrogaverit, quo modo Sicyon Achaiae, propter Demetrii Antigoni filii beneficia Demetrias dicta, non multo post ad vetus suum nomen rediit q). Ea, quae disputavi, confirmavit nuper testimonium Sestini, narrantis, sibi horum similem ex vicinia Damasci adlatum r).

AE. RRRR.

ETHNESTAE.

Populus Thessaliae uni Stephano proditus. *Autonomum* argenteum ΕΘΝΕΣΤΑΙΩΝ edidit Goltzius, sed satis per se monet typus, esse Atheniensium numum.

GOMPHI.

In Estiaeotide.

Caput adversum Medusae passis crinibus. ☧ ΓΟΜΦΕΩΝ. *Juppiter sedens d. fulmen, s. hastam.* AE. II. (Pellerin.)

AE. RRRR.

GYRTON.

In Pelasgiotide.

Numi ΓΥΡΤΩΝΙΩΝ typo *equi gradientis.* AE. III. (Mus. Caes. Pellerin.)

AE. RR.

HERACLEA TRACHIN.

In Phthiotide ad sinum Maliacum.

Autonomos prodidit Goltzius:

Caput Herculis. ☧ ΗΡΑΚΛΕΟΥΣ.ΤΡΑΧΙΝΙΩΝ. *Hercules leonis exuviis insidens.* AE.

ΗΡΑΚΛΕΩΤΑΝ. *Caput Palladis.* ☧ ΤΡΑΧ. *Pegasus volans.* AV.

Horum similes complures vidi in omni metallo et insoliti ponderis, quos esse spurios omnes deprehendi, quos inter referendum etiam censeo aureum adpendentem grana 665, vel XII. nostrates aureos, quem editum video in opere: *Catalogue raisonné* edito Lipsiae 1774. pag. 62. Ejus auctor eruditus ac modestus etsi affabre elaboratum, et ad veterem modum plane exactum contendat, non tamen audet candide antiquum pro-

q) Diodor. Sic. L. XX. §. 102   r) Lettere p. 49.

fiteri, reclamantibus pluribus, qui videre. Similem se quoque vidisse testatur Harduinus [s]), an genuinum?

HIPPIAS.

Vide *Phalanna* ejusdem Thessaliae.

HOMOLIVM.

In Magnesia. V. Stephanum.

Caput Vulcani pileo solito tectum. ✕ ΟΜΟΛΙΕΩΝ. *Serpens in spiras contortus.* AE. III. Sunt bini in museo Caesareo.

AE. RRR.

LAMIA.

Ad fretum Euboeae et sinum Maliacum; pars Maliensium, quin secundum Scylacem Maliensium caput, quod et numis ipsis comprobatur, nam Maliensium et Lamiae numi typos habent simillimos. Ipsa Lamia celebre nomen adepta a bello Lamiaco, quod post Alexandri M. mortem adversus Antipatrum Macedoniae praefectum moverunt Graeci ad recuperandam libertatem.

ΛΑ. *Diota.* ✕ *Tripus intra quadratum incusum.* AR. III. (Mus. Caes.)

Est hic Lamiae antiquissimus mihi cognitus. Diotam similis formae omnes Lamiae argentei numi, ut et Maliensium exhibent.

* * *

Caput Bacchi hedera coronatum. ✕ ΛΑΜΙΕΩΝ. *Diota adstituto vase monoto minore.* AR. III. IV. (Mus. Caes.)

* * *

In aeneis eodem modo inscriptis vel perinde est *diota*, vel: *Vir nudus flexo genu sagittam emittens.* (Pellerin.)

AR. R. AE. RRR.

LAPITHAE.

ΑΠΟΛΛΩΝ. ΣΩΤΗΡ. *Caput Apollinis laur., juxta astrum.* ✕ ΛΑΠΠΙΘΩΝ. *Lyra intra lauream, superne variae literae.* AR. I. (Pellerin Rec. I. p. 167. Theupoli.) AE. II. (Mus. Caes. Beger etc.)

Hos numos plerique tribuunt Lapithis Thessaliae populo, qui circum Pindum et Othryn sedes habuere, verum haec gens magis poetis, quam historicis cognita. Fuit tamen in eadem Thessalia teste Stephano Λαπιθη πολις, ad quam referri possent hi numi. Verum et haec urbs, et populus Lapithae constanter Π simplice scribuntur, prima etiam syllaba a poetis correpta, at numi Π geminant. Quae causa fuit, cur Lappam Cretae urbem maluerit Patinus, quod minus verisimile. Si nomine ΛΑΠΠΙΘΩΝ, quod vero propius, intelligendi sunt Lapithae Thessaliae, jure Apollinem monetae inseruere, quia is teste Diodoro fuit gentis conditor [t]). Ceterum Lapitharum numum probae antiquitatis nondum mihi videre licuit, et ejus quoque, quem ex

---

[s]) Num. urb. ill. [t]) L. IV. c 69.

museo Caesareo citavi, parum mihi probatur fides.

LARISSA.

In Pelasgiotide, urbs vetusta, et cumprimis nobilis ad Peneum fl.

Vir nudus pendente retrorsum pileo taurum ferocientem cornibus retinet. ✠ ΛARI. ΛAPI. ΛAPIΣAI. ΛAPIΣAIA. *Equus liber currens.* AR. II. (Mus. Caes. Pellerin, Catal. d'Ennery.)

Vtriusque partis typi obvii sunt in argenteis urbium Thessaliae, ut dixi in prolegomenis ad hujus regionis numos, quae vide. Pileus, qui viro dependet, gestamen fuit Thessalis usitatum ad arcendum solem. Narrat Dio [u]), concessum a Caligula in theatris usum pileorum Thessalicorum, ne solis ardore laborarent spectatores. Apud Sophoclem Ismenes caput tegit ἡλιοστερης κυνη Θεσσαλις, *solem arcens galerus Thessalicus* [x]), et ποιμενικον πιλημα, *pastoralem pileum* dixit Callimachus teste scholiasta Apollonii [y]).

* * *

Caput muliebre adversum passis crinibus. ✠ ΛAPI, ΛAPIΣAIΩN. *Equus pascens.* AR. II. III. AE. III. (Mus. Caes. Pellerin.)

Caput incertum. ✠ ΛAPI. *Aquila harpae insistens.* AE. (Arigoni.)

Argentei hic descripti omnium maxime obvii. Numi alterius typus, perfrequens in numis Philippi V. et Persei Macedoniae regum, ad heroem Perseum aeque referendus, ex quorum numis ejus explicationem pete. Fuit vero Larissaeis observandi hujus Danaes filii justa causa. Nam is in hac urbe aliquamdiu vixit, et apud hanc Acrisium avum imprudens interfecit [z]). Praeterea haec urbs vocata *Argos Pelasgicum*, ut pluribus dicemus in numis Pherarum, ex quo satis apparet, fuisse deductam Argis Argolidis coloniam, quae urbs Persei fuit patria, et in numis suis eundem typum aquilae harpae insistentis offert. Sane communionem inter utramque hanc urbem etiam illud probat, quod Pausanias templum Jovis Larissaei apud Argos Argolidis stetisse adfirmat [a]). Quin et ipsam Argivorum arcem fuisse dictam Larissam, ait Strabo [b]), et Dionysius Halic. ipsum Argos Peloponnesi dictum Larissam adserit [c]). Ex quo consequitur, caput muliebre passis crinibus, quod frequentissime in argenteis Larissae occurrit, esse Medusae, cujus caedes Perseo veteri Larissae incolae tam honorifica fuit. Arigonius numum alterum perperam Larinum Italiae revocavit.

* * *

— API. *Mulier amphoram tenens a fonte revertitur.* ✠ *Equus gradiens.* AR. III. (Mus. M. Ducis.)

Illustris hujus numi argumentum in moneta sequentium Pherarum explicabitur.

---

u) L. LIX. § 7. x) Oedip. Colon. v. 318. y) ad L. IV. v. 972. z) Pausan. Corinth. Apollodor. L. II. c. 4. §. 4. a) Corinth. L. II. c. 24. b) L. IX. p. m. 672. c) L. I. c 21.

ΛΑΡΙΣΑ. *Mulier stans dexteram vultui admovet.* ℞ ΘΕΣΣΑΛΩΝ. *Figura seminuda sedens dextera super caput posita.* AE. IV. (Mus. cels. principis de Waldeck.)

Praestantissimus est hic numulus, qui, quod hactenus in Larissae moneta non observatum, Thessaliae etiam, in qua sita fuit, mentionem adjicit, qua obtinemus, ut de hujus numi natalibus dubitare non liceat, pluribus per tres orbis partes Larissis cognitis. Typorum explicationem non facile tentavero, nimium contractis in parvo numo figuris, etsi is totus nitidus et integer est.

* * *

Numos inscriptos ΛΑΡΙΣΑΙΩΝ. ΤΗΣ. ΙΕΡΑΣ esse Larissae Seleucidis, in hac probabimus.

AR. C. AE. R.

MAGNESIA.

Vrbs cum regione cognomine intercepta sinu Thermaico et Pagasaeo.

Autonomi inscripti ΜΑΓΝΗΤΩΝ plures vulgati, at urget difficultas, qui tribuendi sint huic Magnesiae, qui alteri in Ionia sitae. Ii, qui Centaurum sistunt, ad hanc, de qua agimus, possunt pertinere, quia hic typus Thessaliae urbibus propter stabulantes in ea hos bimembres proprius est, propter quam rationem huc quoque referri possent numi cum equi imagine. At fallere potest hoc judicium, quia Magnesia Ioniae fuit hujus colonia, et quod saepe factum, poterat uti iisdem cum matre typis. Magnesia Ioniae certos suos habet numos, nimirum qui Dianam Leucophrynen, vel Junonem Samiam offerunt, vel Maeandri meminere, ut ibi dicetur. Magnesia Lydiae nunquam adsitum montem Sipylum reticet. Pellerinius huc vocat argenteum, in cujus aversa figura arcum tenens navi insidet, nimirum propter similitudinem numorum Demetriadis. Quod si figura haec vere est Apollo, ut visum Cl. Neumanno, verissimile est etiam, ea navi indicari navim Argo in sidera relatam, ut vir eruditus ex Hygino acute conjicit d).

Imperatorii exstant cum capitibus Maximini, Gordiani, et Gallieni inscripti: ΑΡΓΩ. ΜΑΓΝΗΤΩΝ. *Navis Argo cum vectoribus Argonautis.* Hos Harduinus huic Thessaliae Magnesiae largitur, Vaillantius Ioniae. Revera ea navis in hoc Thessaliae tractu compacta fuit, et nominatim ea ab Ovidio *Magnetis* dicitur e), secundum quod valebit Harduini sententia. At altera Vaillantii eo fit verisimilior, quod urbium Thessalicarum nullam hactenus habemus certam monetam cum Augustorum capite, nisi communi Thessaliae nomine. Argonautarum autem typo perinde gloriari potuit Magnesia Ioniae, quia fuit Thessalicae filia.

MALIENSES.

Populus ad sinum, qui ab hoc *Malia-*

d) Num. pop. P. II. p. 30. e) Epist. Her. XII. 9.

cus dictus est, veteribus constanter dictus Μηλιεις, vel Dorice Μαλιεις, unde et Livii *ager Maliensis*. Semel Pausanias Μαλεεις [f]), quod librariorum culpae tribuo; nam idem in diversis aliis locis diserte Μαλιεις. Suspecta etiam oratio Stephani, et talis etiam ipsa visa erudito Blondio [g]), sic disserentis: ΜΑΛΙΕΥΣ πολις επωνυμος των Μαλιεων. Raro occurrit urbis nomen Graecum in ευς finiens, Μαλιευς vero dictum populum, qui tractum illum occupabat, ex plurimis habemus testimoniis, neque verisimile, idem fuisse nomen Μαλιευς et urbi, et oppidano, ut adserit Stephanus. Fuisse tamen praeter populum dictum Maliensem etiam urbem nomine adfini, praeter citatum Stephani testimonium videtur innuere Diodorus [h]). Etenim cum populos Graecos enumerat, qui post Alexandri M. excessum contra Antipatrum Macedoniae praesidem coivere, inter eos refert etiam: Μηλιεις πλην Μαλεων, *Malienses demptis Malensibus*. Sed enim est, quod suspicer, hunc Diodori locum in mendo cubare, sanandumque legendo: Μηλιεις πλην Λαμιεων, cujus plures habeo causas. Jam enim in priore vocabulo peccavere codices, cum in iis aut Ηλιεις, aut Μιληεις legeretur, quibus sana critice sufficit, quod oportuit, Μηλιεις. Deinde cum constet, Lamiam fuisse partem Maliensium, quin et horum caput, ut supra in hujus numis dictum pronus fuit error scribendo Μαλεων pro Λαμιεων. Denique si praetensa haec Malea ausa fuit aliud tentare quam universo coetui Maliensi visum fuit, necesse est, fuisse illustriorem quandam ejus gentis urbem, ac tum mirum, praeteritam a Strabone, Plinio, aliisque, qui minutissima ejus tractus oppida recensuere. Negligendos ergo jure puto nonnullos grammaticos sive rudes, sive incurios, sive a librariis pariter corruptos, qui urbis cognominis meminere, v. g. scholiasten ad Sophoclis Trachinias haec monentem [i]): Μηλιεις εθνος Θετταλικον, Μηλια δε η πολις καλειται, *Melienses gens Thessalica, Melia vero urbs vocatur*, et similiter ad Philoctetae versum 4, in quo forte pro Μηλια legendum item Λαμια. Etiam scholiasta ad Aristophanem [k]): Μηλος πολις Θεσσαλιας citato Thucydide; sed non advertit grammaticus, Thucydidem indicato loco agere de Melo insula. Quod vero rei caput est, non obscure eruitur ex eodem Diodoro, Lamiam, quam in Maliensibus sitam comprobant numi et scriptores, in eo bello a Macedonibus stetisse; nam mox infra idem narrat [l]), Antipatrum praelio victum Lamiam perfugisse, ejusque se moenibus clausisse, ex quo *Lamiaci* nomen huic bello obtigit. Quare recte dixerit Diodorus, cum Graecis se junxisse Malienses πλην Λαμιεων, *demptis Lamiensibus*. Haec prolixius proponere placuit propter controversos quosdam Maliensium numos, de quibus mox.

f) L. X. p. 816. g) B. L. T. XL. p. 88. h) L. XVIII. c. 11. i) v. 197. k) Aves v. 186. l) L. XVIII. §. 12.

* * *

Caput Bacchi hedera redimitum. X ΜΑΛΙΕΩΝ. *Diota adstituto vase minore monoto.* AR. III. (Pellerin.)

Numos huic pondere, metallo, et utriusque partis typis simillimos supra in Lamia vidimus, ex quo apparet, Lamiam fuisse cum Maliensibus connexam.

* * *

Caput Palladis. X ΜΑΛΙΕΩΝ. *Vir nudus stans sagittam emittit.* AE. III. (Mus. Caes. Pembrock.)

Sagittarii quoque typus in Lamiae moneta compertus.

* * *

Praeter certos hos Maliensium numos sunt alii, de quibus inter antiquarios non convenit, sintne his, an Melo insulae tribuendi, quo in dissensu cum eorum potius adhaeream sententiae, qui eos Melo insulae adjudicant, opportunius visum, in Meli illos moneta commemorare, quorsum lectorem remitto.

AR. AE. RR.

METROPOLIS.

In Estiaeotide.

Autonomos binos, quorum unus aureus, argenteus alter, edidit Goltzius inscriptos ΜΗΤΡΟΠΟΛΙΤΩΝ, et diverso magistratu; in singulis est *galea intra quadratum*, et in uno *Pallas adversa stans*, altero *equus gradiens.* (in Graecia tab. XX.) Harduinus eos huic Thessaliae urbi adscribit, et recte istud, si vera est lectio. Pellerinius similes numos argenteos vulgavit, sed anepigraphos, eosque Macedoniae tribuit, cum in similibus legatur ΑΡΧΕΛΑΟΥ, nempe regis Macedoniae. (Rec. T. I. p. 178.) Verisimile videtur, Goltzianos quoque dempto magistratu fuisse anepigraphos, eisque, quod Goltzio familiare, adfictam epigraphen ΜΗΤΡΟΠΟΛΙΤΩΝ.

MINYAE.

Populus pervetustus, a quo Argonautis *Minyarum* nomen factum [m]. Stephanus: Μινυα, πολις Θετταλιας, et Plinius: *in Thessalia Orchomenus*, *Minyeus antea dictus*, quem male videtur carpere Cellarius, quod Orchomenum, qui in Boeotia est, in Thessalia constituat; nam hic et Stephanus antiquam videntur legem secuti, juxta quam eadem haec Minya et Orchomenus fuere pars Thessaliae, aut saltem huic contigui. Orchomenum enim Boeotiae non inserit Homerus, sed seorsim sub Minyarum nomine recenset, ut binis locis Strabo testatur [n]. Pausanias uno loco Minyas Orchomeniis finitimos facit [o], alio ait, Minyae filium fuisse Orchomenum, quo regnante urbs *Orchomenus*, et populus *Orchomenii* appellati, mansisse tamen Minyarum cognomen, quo ab Orchomeniis Arcadiae distinguerentur [p].

Autonomos binos his Minyis tribuit Pellerinius.

---

m) Strabo p. m. 435. n) pag. m. 616. 635. o) L. II. p. 178. p) L. IX. p. 783.

MIN. *Equus gradiens, retro racemus.* ☧ *Quadratum incusum.* AR. III.

Caput Fauni barbatum hedera redimitum. ☧ MINT. *Diota, supra botrus.* AE. III.

AR. AE. RRRR.

MOPSIVM.

Vrbs Pelasgiotidis juxta Strabonem et Stephanum.

Caput adversum barbatum. ☧ ΜΟΨΕΙΩΝ. *Vir nudus d. gladium tenens Centaurum impetit arreptum utraque manu saxum illidere parantem.* AE. II.

Narrat Strabo, urbi nomen factum a Mopso Lapitha, qui una cum Argonautis navigavit. Quare in capite adversae ipsum video Mopsum conditorem, et in aversa non Pirithoum, vel Theseum, ut censet Pellerinius, sed ipsum rursus Mopsum, nam et hunc Ovidius inter Lapithas memorat, qui cum Centauris in Pirithoi, et Hippodamiae nuptiis manus conseruere q):

Nec tu credideris tantum cecinisse futura
Ampyciden Mopsum. Mopso jaculante biformis
Occubuit.

Hunc ab expeditione Argonautica reversum aedificasse Mopsuestiam Ciliciae tradit Marcellinus r), nisi forte hunc Mopsum Ampyci F. et Argonautam confundit cum Mopso Apollinis et Mantus filio vate, et Mopsuestiae Ciliciae conditore, qui duo ex plurium aliorum sententia diversi fuere.

Similis numus editus jam est in museo Theupoli, at ibi inique legitur: ΜΟΨΕΑΤΩΝ, et propterea altero errore tribuitur Mopsuestiae.

AE. RRRR.

OETAEI.

Oeta mons Thessaliam in meridiem finiens, et ab ortu in occasum porrectus. Vrbis etiam cognominis meminit Stephanus, quam fuisse Maliensium adserit, quod etiam variis locis innuit Sophocles s). Meminit et Diodorus των περι την Οιτην κατοικϑντων, *qui circum Oetam habitant*, quos Lacedaemonii V. C. 355 sedibus suis exegere t), serius tributos Oetaeis agros Heracleensium Trachiniae a Jasone Pheraeo u). Iterum memorat Oetaeos, qui Alexandro M. mortuo in Macedonas conjuravere x). Non ignobilem fuisse gentem, eo conjicies, quod inter gentes Amphictyonidas recensita fuit teste Aeschine y).

* * *

Caput leonis pilum hastae ore tenens. ☧ ΟΙΤΑΙΩΝ. *Hercules nudus stans capite radiato, utraque manu clavam tenet.* AR. III.

Elegantissimum hoc numismation Neumannus noster ex museo suo vulgavit additis praeclaris animadversionibus. Proponit nempe aversa Herculem, postquam

q) Metam. L. XII. 455. r) L. XIV. cap. 24. s) in Philoctete t) L. XIV. cap. 38. u) L. XV. c. 57. x) L. XVIII. c. 11. y) de fals. leg.

in eodem monte Oeta flammis absumptus est, ea specie, qualem deorum esse decet, exuto nimirum omni, quod mortale fuit, quod omne Callimachus binis vocabulis complectitur, cum illi Hercules dicitur γυια θεωθεις [z]. Et debuit esse grata Oetaeis ejus facti memoria, quod talis surrexit ex iis cineribus, in quos maximus orbis heros apud se resolutus fuit. Teste Livio [a]) Man. Acilius cos. victo ad Thermopylas Antiocho M. *ipse Oetam ascendit, Herculique sacrificium fecit eo loco, quem pyram, quod ibi mortale corpus ejus dei sit crematum, appellant.* Eximie hic numus illustrat Sophoclem [b]), apud quem chorus Philocteti spem facit propediem rediturum πατρῳαν προς ἀυλαν Μηλιαδων Νυμφαν, Σπερχειοτε παρ᾽ ὀχθαις, ἱν᾽ ὁ χαλκασπις ἀνηρ θεοις πλαθει πασι ΘΕΙΩΙ ΠΥΡΙ ΠΑΜΦΑΗΣ, Οιτας ὑπερ ὀχθων, *patriam in terram Maliensium Nympharum, et Sperchii ad ripas, ubi aereo clypeo munitus vir* (Hercules) *ad deos omnes transit DIVINO IGNE COLLVCENS in vertice Oetae.* Videtur nomine Οιταιου δαιμονος, quem in proverbiis prodidere Zenobius, et Diogenianus, idem hic Hercules in Oeta consecratus intelligendus.

* * *

Caput Apollinis laur. X ΟΙΤΑΙΩΝ. *Venabulum, mandibula apri, botrus, monogramma.* AE. II. (Pellerin, Pembrock.)

Duo clypei, et totidem hastae. X ΟΙ. *Pharetra, arcus, mandibula apri.* AE. II. (Pellerin.)

Lubet causam signatae in his numis mandibulae apri Calydonii ex mythologis inquirere. Calydon Aetoli F., a quo Aetoliae nomen inditum, filiam habuit Protogeneam, ex qua et Marte nascitur Oxylus [c]). Oxyli filius Andraemon Amphissam in Locris Ozolis condit, ut testatur Aristoteles apud Harpocrationem, Dryopenque uxorem ducit, quae jam ex Apolline gravida paullo post Amphissum enixa est, qui postea ad Oetam montem urbem huic cognominem aedificavit [d]). Egregie cum hac mythologorum doctrina conspirant numi Amphissensium et Oetaeorum, quorum simillimae aversae apri Calydonii mandibulam et venabulum objiciunt, nimirum utraque urbe hoc typo conditorem Aetolum et mutuum inter se nexum palam confitente. Oetaei praeterea Apollinem in numis signarunt, quod is Amphissi conditoris sui pater est habitus.

AR. RRRR. AE. RRR.

OTHRYTAE.

Autonomum edidi ex museo Caesareo (Num. vet. p. 89.):

Equus dimidius. X ΟΘ. *Typus dubius, forte ara, ex qua flammae adsurgere videntur.* AE. III.

Vt typus equi Thessaliam eloquitur, sic in hac nihil huc pertinens memorari video praeter montem Othryn, nulla

z) in Dian. v. 159. a) L. XXXVI. c. 30. b) in Philoct. v. 731. c) Apollod. L. I. c. 7. §. 7. d) Antonin. Liberal. Metam. 32.

tamen adstitutae urbis cognominis facta mentione. At verisimile est, monti adsitum fuisse oppidum, ejusque accolas dictos fuisse Othrytas, ut Oetae Oetaeos, Athus Athoitas, Aetnae Aetnaeos, Tmoli Tmolitas, Massicytis Massicytenses, quod et eximius hic numus praeclare comprobat. Mox vidimus, Oetaeos quoque suum nomen binis tantum literis OI. indicasse. *Othryoneos* prodit Plinius, sed sitos in Macedonia. Scholiastes Theocriti ad Idyll. III. v. 45: *Othrys*, inquit, *est mons Thessaliae, super quo urbs Phylace, cui imperavit Iphiclus.*

AE. RRRR.

P A G A S A E.

Ad sinum cognominem.

Autonomus ΠΑΓΑΣΑΙΩΝ scriptum intra coronam hederaceam apud solum Goltzium, qui numus si verus est, est potius Parii Mysiae. (Sestini Lettere T. III. p. 28.)

P E L I N N A.

Secundum Stephanum in Phthiotide, sed Cellarius Estiaeotidi inserendam ducit.

Vir nudus gradiens pendente retrorsum pileo taurum cornibus retinet. ℞ ΠΕ. *Equus liber currens.* AR. III. (Pellerin.)

Typus plane Thessalicus numum hunc absque dubio Pelinaeum facit, praecipue cum aptior alter locus a ΠΕ. incipiens in Thessalia non reperiatur, cui hic esset numus tribuendus.

* * *

Eques citato cursu. ℞ ΠΕΛΙΝΝΑ. *Vir armatus cum hasta et clypeo irruens.* AR. AE. (Haym, Hunter.)

AR. RRRR. AE. RRR.

PERRHAEBIA.

Vir nudus taurum dimidium prehensis cornibus retinet. ℞ ΠΕΡΑ. *Equus dimidius.* AR. III.

Praeclarum hunc numum, et hactenus unicum ex museo Em. Cardinalis Borgia vulgavi [e]). Ex typis continuo patet, esse Thessalicum, ut supra in Prolegomenis ad numos Thessaliae dictum. Epigraphe ΠΕΡΑ. eum esse regionis Perrhaebiae indicat sic dictae ab incolis Perrhaebis, quorum pars habitavit in septemtriones ad Olympum montem, pars in meridiem ad Pindum. Vide Strabonem et Scymnum Chium [f]). Scriptores veteres in exarando regionis hujus vocabulo plerumque geminant Ρ, quod in hoc numo simplex est. At fuere etiam, quibus simplex placuit. Quid quod Homerus syllabam primam corripuit certo simplicis Ρ argumento [g]). Vide de hoc plura in citatis meis commentariis. Compendium ΠΕΡΑ. pro ΠΕΡΑΙ. ejusdem est rationis, cujus est scriptum ΕΥΒΟ. pro ΕΥΒΟΙ.

AR. RRRR.

P H A C I V M.

Circa amnem Apidanum.

Caput virile incertum. ℞ ΦΑΚΙΑΤΩΝ. *Eques.* AE. (Arigoni.)

AE. RRRR.

---

e) Sylloge I. in Parergis. f) v. 577. et 614. g) Il. B. 749.

PHALANNA.

In Pelasgiotide.

Autonomi: ΦΑΛΑΝΝΑ. ΦΑΛΑΝΝΑΙΩΝ. Typi: *Caput virile nudum.* ✠ *Caput muliebre reticulo tectum.* (Mus. Caes.) *Equus gradiens.* (Beger.) *Lupus.* (Hunter.)

Ad hanc urbem Wildius diu fluctuans tandem adegit autonomum inscriptum ΙΠΠΙΑΣ, quia ait Stephanus, Phalannam olim Hippiae nomen tulisse [h]). At hic numus est Cymes Aeolidis, ut in hac probabitur.

Numum alium Phalannae nomine inscriptum vide in Phalanna Cretae.

AE. RRR.

PHARCADON.

In Estiaeotide. Straboni scribitur *Pharycadon*, Stephano *Pharcidon*, ait tamen, Theopompo dici *Pharcadon*, cum quo postremo conspirant numi.

ΦΑΡΚΑΔΙΟΝ. *Pallas stans.* ✠ *Equus gradiens.* AR. III.

Numum hunc vetustate insignem edidi ex museo M. Ducis. (Num. vet. p. 90.)

ΦΑΡΚΑΔΟ. *Equus dimidius saliens.* ✠ *Vir nudus pileo post tergum defluo dimidium taurum cornibus retinet.* AR. III. (Pellerin.)

AR. RRR.

PHARSALVS.

In Phthiotide cum campis civili Romanorum sanguine foede rigatis.

Autonomi in antica constanter *caput Palladis*, vel *ejus protomen adversam* offerunt. ✠ ΦΑΡ. ΦΑΡ. ΦΑΡΣ. Typi: *Caput equi*, vel: *eques*, *etiam hastam in adstantem hostem vibrans.* AR. AE. (Mus. Caes. Haym, Pembrock, Pellerin.)

* * *

Caput Palladis, *pone* ΤΗΙΩ. ✠ ΦΑΡ. *(retrograde.) Eques citato cursu d. hastam super humero*, *in imo:* ΤΕΛΕΦΑΝΤΟ. *(retrograde.)* AR. III. (Haym T. II. tab. 23.)

AR. RR. AE. RRR.

PHERAE.

Vrbs perantiqua in Pelasgiotide, ab Alexandri tyranni, qui Amyntae II. aetate urbem tenuit, crudeli dominatu cognita.

Vir nudus taurum reluctantem cornibus retinet. ✠ ΦΕΡΑΙΟΝ. *Equus liber currens intra quadratum.* AR. III. (Liebe p. 206.)

Numus propter vetustatis longae indicia insignis. Typorum explicationem pete ex prolegomenis ad hujus regionis numos.

* * *

Caput muliebre adversum laureatum. ✠ ΦΕΡΑΙΩΝ. *Mulier equo currenti insidens praelongam facem utraque manu tenet.* AE. II. (Hunter.)

Singularis est typus partis aversae. Mulierem face instructam quam aliam statuemus, nisi Cererem, cujus propter

h) Num. sel. p. 75.

causas notas propria fax? ac tum typus commonefacit ejus, quod narrat Pausanias [i]): Neptunum Cereris amore insanientem, dum filiam amissam quaeritaret, vitium deae offere meditatum. Quod illa amantis consilium cum persentisceret, in equam sese convertit eodem cum armentis convictu usa. At deus marinus fraude intellecta, ne mulieris artibus victus videretur, equum et ipse mentitus imprudentem in retia trahit, ex quo consortio exactis mensibus natus famigeratus equus Arion. En verisimile numi argumentum, in quo exprimendo istud solum contra Pausaniae narrationem mutavit artifex, quod Cererem non equam, sed deam finxit, eo, ut videtur, consilio, ut vis deae illata certius intelligeretur. Qua ratione fabula haec, quam in Arcadia contigisse tradit Pausanias, cum Pheris connectatur, ignoro. Idem alibi narrat, fuisse apud Phigalenses Arcadiae signum Cereris capite equino [k]). Similem aversam habet numus Antonini, quem edidit Buonarrotius, qui multum laborat, ut ex hac equite Faustinam faciat Dianae specie vectam [l]).

* * *

Caput muliebre. ꭓ ΦΕΡΑΙΟΝ. *Fons ex leonis rictu promanans.* AR. III. (Mus. M. Ducis.)

Argumenti causa conjungo numum Larissae:

ΛΑΡΙ. *Mulier stolata amphoram genui impositam tenens revertitur a fonte, qui ex leonis faucibus profluit.* ꭓ *Equus gradiens, supra quem parvum caput animalis.* AR. III. (Mus. M. Ducis.)

In praeclara haec duo M. Ducis cimelia late olim philologiae causa commentatus sum [m]), ex quo tentamine haec compendio excerpo. Vterque numus fontem sistit, quem fuisse magni apud veteres nominis vel istud testimonio est, quod numorum praeconio commendari meruit. Et vero narrat Strabo [n]), in media Pherarum urbe fluxisse fontem dictum *Hypeream*, celebratum quoque Pindari, et Sophoclis carminibus, quos ibi citavi. Sed et ejus meminit Homerus, Hectore sic Andromachen compellante [o]):

Και κεν ἐν Αϱγει ἐϰσα πϱος ἀλλης ἱϛον ὑφαινοις;
Και κεν ὑδωϱ φοϱεοις Μεσσηιδος, ἠ Υπεϱειης;

Et Argis cum eris, cum alia telum texas?
Et aquam feras ex fonte Messeïde, vel Hyperea?

Argorum cum meminerit Homerus, credidere nonnulli etiam veterum, quos inter Valerius Flaccus, et Messeiden et Hypeream in Peloponneso fluxisse, ne uno servitio cogeretur Andromache lanificium exercere Argis, altero haurire aquam ex dissita in Thessalia Hyperea. Sed enim Homerus eo versu non Argos Peloponnesi, sed quod alio loco *Pelasgi-*

---

i) L. VIII. p. m. 649. k) L. VIII. p. 686. l) Osserv. p. 42. m) Num. vet. pag. 86. n) L. IX. p. 439. o) Il. Z. v. 457.

cum vocat, intelligit, quod situm in Thessalia copiosis veterum testimoniis comprobatur. Ex quo indubitatum, hanc Homeri Hypeream esse eandem, quae ab aliis apud Pheras constituitur.

Consequitur etiam, alterum Homeri fontem Messeidem inde procul distare non potuisse. Eum et Plinius in Thessalia locat [p]), et Strabo ipsi Hypereae vicinum facit [q]). Si vera sunt aliquot veterum scholiastarum oracula, quae indicavi, Thessalicum illud Argos idem fuit cum Larissa, quibus insigne pondus addit Lucanus [r]):

Atque olim Larissa potens, ubi nobile quondam
Nunc super Argos arant.

Cum ergo certum sit, Homericum illud Argos esse in Thessalia, verisimile est, a Poeta hanc Larissam notari, et fuisse Messeiden celebrem ejus urbis fontem, quem adeo, perinde ac Hypeream, in conjuncto Larissae numo expressum conspicimus. Facilior Homerum explicandi ratio erit, si cum Strabone statuamus [s]), Argos hoc Pelasgicum non fuisse urbem, sed Thessalorum campum Peneo, Thermopylis, Pindo interceptum, qua in regione cum et Pherae et Larissa steterint, verba Homeri pronum hunc explicatum habent: *Et cum in Argis Pelasgicis captiva sedebis, regione Thessaliae, et Achilli obnoxia, an volupe tibi erit, sub alienae imperio telam texere, et ferre aquam sive ex fonte Messeide, qui est Larissae, sive Hyperea, qui Pheris?* Lege etiam, quae Dionysius Halic. de Pelasgis Argivis in Thessaliam commigrantibus perhibet [t]).

Juvat ad propositum Larissae numum advertere, cum typus mulieris a fonte cum amphora reducis tam belle cum Homeri verbis conspiret, verisimile videri, voluisse Larissaeos ad hoc Hectoris vaticinium adludere, et signasse Andromachen istud servitium reipsa subeuntem, urbibus nimirum Graecis omnem ab Homero de se factam mentionem honorificam putantibus.

AR. AE. RRR.

PROERNA.

In Phthiotide.

Autonomum argenteum obtulit Pellerinius, ΠΡΩΑΝΩΝ. *Clava.* At haec urbs scribitur Πρόερνα Straboni, *Proerna* Livio, Πρόαρνα Stephano, ut adeo nondum liqueat, numum huc pertinere.

PYTHIVM.

In Pelasgiotide, aliis inter Macedoniae urbes putantibus.

Autonomum aeneum produxit Pellerinius (Rec. I. tab. XXXII, n. 53.): *Caput Palladis* ☧ ΠΥΘΙΕ. *Pilei Dioscurorum medio cornucopiae.* Simillimum ex Hunteriano edidit Combius, nisi quod is in suo legeret ΠΥΘΙΣ, et pro cornucopiae videret caput gryphi. Eos uterque auctor huic Thessaliae Pythio largitus est. Quoniam pilei Dioscurorum, tum et gryphus

p) L. IV. §. 15. q) L. IX. p. m. 660. r) L. VI. 355. s) L. V. p. m. 221, et L. IX. p. 431. t) L. I. c. 17.

obvii sunt in numis Phocaeae Ioniae, necesse erit, utrumque hunc numum procul a Thessalia habere, et Phocaeae restituere.

SCOTVSSA.

In Pelasgiotide.

Equus dimidius. ✗ ΣΚΟ. *Planta mihi ignota.* AR. II. (Mus. Caes. Pellerin.)

Typus equi monet, hos numos ad hanc Scotussam pertinere, non ad alteram Strymoni adsitam in Macedonia adjecta, et probatur ex Thessalorum numo cum simili plantae typo a me supra memorato. Numos hujus Scotussae omnes necesse est perantiquae esse fabricae, nam eam excisam ab Alexandro Pheraeo V. C. 382 refert Pausanias u).

AR. RRR.

THIBROS.

Obscura urbs, et Stephano ex solo Lycophrone nota, cui Pellerinius aeneum inscriptum ΘΙΒΡΩ. typo *clavae*, *arcus*, *et pharetrae* largitur, nescio an satis tuto.

TRICCA.

In Estiaeotide.

Aries dimidius. ✗ ΤΡΙ. *intra quadratum.* AR. III.

Ex Triccae numis hactenus notis antiquissimus. Eum edidi ex museo Savorgnan. (Num. vet. p. 90.)

* * *

Vir nudus rejecto post tergum pileo taurum dimidium cornibus retinet. ✗ ΤΡΙΚΚΑΙΟΝ, *etiam retrograde. Equus dimidius saliens.* AR. III. (Mus. Caes.)

* * *

Caput muliebre. ✗ ΤΡΙΚΚΑΙΩΝ. *Aesculapius sedens d. pateram, ex qua serpentem adsurgentem pascit, s. hastam.* AE. II. (Mus. M. Ducis.)

Testibus Strabone x), et Themistio y) stetit Triccae antiquissimum Aesculapii templum, atque adeo per religionem sacrum, ut ad ejus formam, quod idem alibi narrat z), aliud in Gerenia Messeniae aedificaretur. Ejus ibi cultus causa exstitit, quod oppidanis natum apud se hunc deum creditum fuit a). Idem Aesculapius apud hanc urbem medicorum numerum auxit, natis ibi ex se Podalyrio et Machaone b). Vide de hoc argumento plura in meis Numis vet. p. 91, quo loco numum hunc vulgavi.

AR. RRR. AE. RRRR.

INSVLAE

juxta Macedoniam et Thessaliam.

HALONESVS.

Macedoniae adsita.

Caput muliebre velatum adversum ✗ ΑΛΟ. ΦΙΛΙΠ. *Aquila serpentem depascens.* AE. III. (Pellerin.)

Idem aversae typus est in numis Amyntae II. Macedoniae regis, et vicinae Chalcidis Euboeae. Vtrum *το* ΦΙΛΙΠ.

---

u) L. VI. c. 4. x) L. IX. p. m. 437. y) Orat. XXVII. p. 333. z) L. VIII. pag. 360. a) Strabo L. XIV. p. 647. b) Dictys Cret. L. I.

proprium urbis magistratum, an Philippum II. notet, incertum. Istud ex Stephano constat, Athenienses et Philippum hujus insulae causa collisos fuisse. Impugnatam a Khellio lectionem ΑΛΟ. pro ΧΑΛ. iterato tuetur Pellerinius c).

IRRHESIA.

De numis huic tributis vide Irenem insulam Argolidis.

PEPARETHVS.

Juxta montem Atho.

Autonomi:

Epigraphe: ΠΕ. ΠΕΠΑ. ΠΕΠΑΡΗ. ΠΕΠΑΡΗΘΙ. Typi: *Pallas hastam vibrans.* ✠ *Noctua.* — *Caput Bacchi* vel *Jovis* ✠ *Diota.* AE. III. (Pellerin, Hunter, Mus. Caes.)

Peparethum Sophocles vocat εὔβοτρυν, *feracem uvarum* d), et Peparethi vinum laudibus effert Plinius e). De eadem Ovidius f): *nitidaeque ferax Peparethus olivae.* Habes hinc explicatos typos Bacchi et Palladis.

Similem Arigonius perperam *Pegis* tribuit.

* * *

Caput Apollinis ✠ ΠΕ. *(in monogr.) Caput arietis, omnia intra lauream.* AE. III. (Mus. Caes.)

Combius in catalogo musei Hunteriani similem Peparetho tribuit, sed vereor, ut numus hic, aliique omnes solo ΠΕ. inscripti, quos huic insulae largiuntur antiquarii, huc vere pertineant.

* * *

Numus Goltzii ΠΕΠΑΡΗΘΙΩΝ cum obscoeno viri et Centaurae typo conspectus alibi non est.

AE. RR.

Imperatorii:

Cum capite Augusti editi sunt a Vaillantio et Morellio. (Thes. impp. T. I. p. 432.)

Epigraphe: ΠΕΠΑΡ. vel ΠΕΠΑΡΗΘΙΩΝ. Typus: *Caput Jovis.*

AE. RRRR.

SCIATHVS.

Magnetidi Thessaliae opposita.

Caput muliebre. ✠ ΣΚΙΑΘΙ. *Caduceus.* AE. III. (Pellerin.)

AE. RRRR.

LIBVRNIA.

ALVONA.

Autonomum dubium huc refert Pellerinius inscriptum ΘΕΙΣ. ΑΛΤΟΝ. typo *clavae.* (Rec. T. I. p. 75.) Alium inscriptum ΑΛΤ. eidem huic urbi tribuit Combius, sed quem potius credam tribuendum Alyziae Acarnaniae, quam vide.

c) Suppl. I. p. 63. d) Philoct. v. 555. e) L. XIV. c. 7. f) Met. L. VII. v. 470.

JADERA.

Non existimo, hujus urbis unquam exstitisse monetam, etsi eam promulgarint Goltzius, Ligorius, Spanhemius. Vide Harduinum in Numis urbium illustr. sub *Jadera.*

DALMATIA.

Communis gentis, ejusve urbium moneta non exstat. Et vero pecunia signata omnino caruisse Dalmatas, narrat Eustathius g).

Sunt tamen aenei III. formae, qui metallorum hujus regionis meminere inscripti: METAL. DELM., quos omnes recensebo et explicabo in classe monetae Romanae sub finem numorum Trajani.

ILLYRICVM.

AMANTIA.

Maritima versus Epirum.

Caput Jovis. ☧ ΑΜΑΝΤΩΝ. *Fulmen, omnia intra lauream.* AE. II. (Pellerin. Mus. Caes.) Alios vide in Theupoli.

AE. RR.

APOLLONIA.

Maritima, et ejus tractus nobilissima. Scriptores eam dixere Corinthiorum et Corcyraeorum coloniam, sed Corcyraeorum fuit proxime, quod et manifestant numi, at Corinthiorum ἀνεκαθεν, nam ipsi Corcyraei Corintho fuere oriundi.

Autonomi:

ΤΙΜΟΚΡΑΤΗΣ. *(vel aliter) Bos vitulum lactans.* ☧ ΑΠΟΛ. ΦΙΛΟΚΛΕΟΣ. *(vel aliter.) Area quadrata in quatuor partes secta.* AR. III.

Numi hi drachmae pondere obvii sunt, quibus conjungimus Dyrrhachenos propterea, quod pondere, metallo, typis, inscripto duplice magistratu, quorum unus constanter in recto, alter in gignendi casu, ut ovum ovo sunt simillimi. Solum discrimen, praeterquam quod in his ΑΠΟΛ., in illis ΔΥΡ. legatur, est, quod in Dyrrhachenis bos vitulum lactans corpus in Orientem convertit, et Occidentem respectat, quam legem constanter in his video observari, demptis nonnullis didrachmis, sed qui vetustioris sunt fabricae. At Apolloniae bos vertitur in Occidentem, et respicit in Orientem, quae tamen lex Apolloniatas minus strinxit, nam sunt nonnulli, in quibus bos Dyrrhachenorum morem sequitur. In his utriusque partis typus ex Corcyrae, quae et Apolloniae, et Dyrrhachii mater exstitit, ingenio est, in

g) ad Dionys. Perieg. v. 95.

cujus numis utrumque videas argumentum, quod in hujus insulae numis pertractabitur.

Disserendum etiam, quam habeat significationem in utriusque urbis numis magistratus notatus hinc in recto, inde in obliquo. Erant, qui more in Graecis recepto adstitutam patris mentionem opinabantur, quos inter video Froelichium [h]) sic ut hinc ΤΙΜΟΚΡΑΤΗΣ, illinc ΦΙΛΟΚΛΕΟΣ indicet Timocratem Philoclis filium. At istud verisimile non est; nam in solo museo Caesareo exstant numi Dyrrhacheni VIII., in quorum antica legitur ΑΛΚΑΙΟΣ variantibus in aversa nominibus in gignendi casu, quae in hac sententia indicarent totidem patres, quorum quivis *Alcaeum* aliquem habuisset filium reipublicae muniis admotum. Idem valeat de Menisco, Xenone, Perigene, Stephano, Sostrione, Philone, quorum quivis alia habet in aversa sociata nomina. Accedit, rara esse in numis exempla additae patris mentionis, praecipue ut filius in una facie memoretur, patre in aliam trajecto. In Patrarum Achaiae, et Erythrarum Ioniae numis pater et filius eadem facie exarantur. Sed quid externa commemoro, quando adsunt domestica? Est in museo Theupoli argenteus hujus Apolloniae, in cujus antica: ΑΝΤΙΟΧΟΥ. ΤΟΥ. ΒΑΡΧΙΔΟΥ. (forte ΒΑΚΧΙΔΟΥ.) Repudiata igitur jure hac sententia sic ea vocabula explicanda censeo, ut utrumque notet urbis magistratum diversa auctoritate praeditum, et in eo, qui in gignendi casu effertur, subaudire oporteat praepositionem ΕΠΙ. Nam si certum est, eandem subaudiri debere in ejusdem Apolloniae numis, in quibus unius tantum magistratus fit mentio, ceu in argenteo proxime sequente ΑΙΝΕΑ, aut in aeneis inscriptis: ΕΥΠΟΛΕΜΟΣ-ΧΟΥ, aliisque variis Dyrrhachenis, nescio, cur istud adplicari non possit, ac debeat in his, de quibus agimus, numis, etsi aliud quoddam alterius viri nomen in altera numi parte existat. Plenam huic sententiae lucem adfundunt numi Smyrnae, in quorum una parte est v. c. ЄΠΙ. ΜΥΡΤΟΥ, in altera: CΜΥΡ. ΡΗΓЄΙΝΟC. Igitur *το* ΕΠΙ, quod in Smyrnae numis propalam est, in Apolloniae et Dyrrhachii numis subaudiri debet.

* * *

ΑΙΒΑΤΙΟΣ. *Bos vitulum lactans.* ☓ ΑΠΟΛ. ΧΑΙΡΗΝΟΣ. *Quadratum, intra quod monticulus ignivomus, et pedum.* AR. III. (Mus. Caes.)

ΑΠΟΛΛΩΝΙΑΤΑΝ. *Pedum.* ☓ ΑΙΝΕΑ. *Monticulus ignivomus.* AR. III. (Mus. M. Ducis.)

ΔΩΡΙΟΝΟΣ *(vel aliter.) Caput Apollinis laur.* ☓ ΑΠΟΛ. ΑΝΔΡΟΜΑΧΟΣ. *(vel aliter.) Tres virgines stolatae junctis manibus chorum ducentes medio monticulo ignivomo.* AR. III. (Mus. Caes. Pellerin.)

Mons ignivomus intra lauream. ☓ ΑΠΟΛΛΩΝΙΑΤΑΝ. *Lyra.* AE. (Arigoni.)

h) Not. elem. pag. 30.

Illustres duo numi priores a me primum reperti atque editi [i]) simul, cujas esset tertius jam pridem cognitus, docuere. Ex iis, quae ibi fuse disserui, pauca excerpo. Monticulum ignivomum, quem hi numi sistunt, esse collem Apolloniae vicinum, visum saepe flammis collucere, ac propter miraculum istud per religionem sacrum, ex copiosis certisque veterum testimoniis comprobavi. Simile prodigium observari prope Phaselidem Lyciae narrat Ctesias in Indicis teste Photio [k]). De Argaeo Cappadociae idem testantur numi et scriptores. Commode in numo III. adstant tres virgines, quae quoniam chorum ducunt, certae sunt Nymphae. Et vero ex iisdem auctoribus constat, eum locum dictum *Nymphaeum*, id est: *fanum, seu delubrum Nympharum*, ut explicat Suidas [l]). Quam inique aut Pellerinius numum hunc Apolloniae Thraciae adscripserit, aut Winckelmannus pro Nymphis tres Horas dixerit, abunde ibi, tum et in mea Sylloge I. demonstravi. Ea, quae dixi, etiam a numis imperatoriis comprobari mox intelliges.

Male is, qui postremum Arigonianum pinxit, arbores putavit, quod reipsa flammae sunt ex collis superficie promicantes.

* * *

Numi Apolloniae reliqui fere omnes sunt aenei. Epigraphe constans: ΑΠΟΛΛΩΝΙΑΤΑΝ, Dorica pro more ejus tractus, et fuere Apolloniatae per Corcyraeos Corinthii, et quod sequitur, Dores. Vix aberraveris, si numos omnes sic Dorice inscriptos huic Apolloniae tribues, ut dicetur mox in imperatoriis. Typi: *Caput Apollinis*, *Dianae*, *Bacchi*, *Jovis*, in aversa *attributa varia*. Magistratus in his quoque, sed tantum simplex, ut ΕΤΠΟΛΕΜΟΣΧΟΤ. (Mus. Caes.)

AR. C. AE. R.

Imperatorii.

Cum plures numero Apolloniae exstiterint, huc referendos omnes censeo, qui Doricum ΑΠΟΛΛΩΝΙΑΤΑΝ inscribunt, neque enim alias Apollonias, quotquot numos signasse constat, dialecto Dorica usas novimus, etsi Vaillantius eundem Dorismum in numis Apolloniae ad Rhyndacum videat, in quibus multo adcuratior Pellerinius semper vidit ΑΠΟΛΛΩΝΙΑΤΩΝ. Hac lege habemus hujus urbis numos ab Augusto usque ad Moesam, quin et Gallienum, cujus numum mox dabo.

Typi illustriores sunt:

Tres Nymphae chorum ducentes, *in imo Nymphaeum ardens*, in numo Caracallae. (Pembrock P. III. tab. 81, Theupoli.)

Vtriusque musei auctor illud, quod in imo est, aram aut dixit, aut in numi imagine finxit. Ex his, quae in autonomis diximus, liquet esse Nymphaeum.

---

i) Num. vet. p. 91. k) Cod. 72. l) in Νυμφαιον.

Magistratus: ЄΠI.KΛATΔIOT.POT-ΦOT. AΠOΛΛΩNIATAN, in numo M. Aurelii. Vaillantius numum Apolloniae Lyciae tribuit, causam non addit. Ex lege epigraphes huc pertinet.

ΛTOPKA. *Scriptum infra templum 8 columnarum, in cujus aditu figura militaris stans*, in numo Gallieni m. m. (Mus. princ. Waldeck). Non dubito esse nomen magistratus in Dorico gignendi casu.

AE. R.

BYLLIS.

In litore infra Apolloniam.

Caput Palladis Ӿ BTΛΛIONΩN. *Clava intra lauream.* AR. III. (Pellerin.)

Caput Jovis. Ӿ BTΛΛIONΩN. *Cornucopiae, cui implexus serpens.* AE. III. (Pembrock.)

AR. Goltzianus. AE. RRRR.

DAORSI.

Populus Illyrici dictus Plinio *Daorizi*, Straboni Δαοριζοι, Vellejo *Daorisi*, quos difficili bello perdomuit Tiberius m). Livio in dandi casu *Daorseis* n), fors ἀρχαϊκως pro *Daorsis*, ut in numo Augusti *servateis*, pro *servatis*, Appiano Δαρσοι o).

Caput virile imberbe pileo tectum. Ӿ ΔAOPΣΩN. *Navis.* AE. III. (Mus. Caes.)

Eximius hic numus a me olim editus p) ejusdem est fabricae et typi cum numo Gentii Illyrici regis, de quo infra, ut adeo et praesens numus absque dubio sit Illyrici, et Daorsorum, etsi non appareat litera ἀρχαικσα Δ, quae excidit matrice nimis sinistrorsum aberrante. Caput etiam anticae per oris lineamenta ipsum Gentium refert. Revera Daorsos fuisse Gentio subjectos, et hoc victo immunitate donatos, tradidit Livius q). Numus simillimus nuper ab Exc. Comitissa Bentinck editus integrum vocabulum ΔAOPΣΩN exhibet r).

AE. RRRR.

DYRRHACHIUM.

Maritima, qua proximus in Italiam trajectus. Olim dicta *Epidamnus*, serius Dyrrhachii nomen praevaluit, non tamen indita a Romanis hac appellatione, quibus *Epidamni* vocabulum velut in *damnum* ituris omen fuisset visum, etsi in hoc conspirent Plinius, Mela, Festus, et more suo nugetur Plautus s):

Propterea huic urbi nomen Epidamno inditum est,
Quia nemo ferme huc sine damno divortitur.

Si novum dare urbi nomen placuisset Romanis, dedissent ex lingua sua, quod fecere passim alibi, non Graeca, et si omen sinistrum fuisset causa mutandi nominis, non suffecissent nomen alterum aeque obscoenum *Dyrrhachii*, quod *malas cautes* notat, mali sane, si portum spectes, ominis. Istud adeo verum, ut teste Appiano t) e converso Corcyraei multo ante ex hac sinistri nominis causa mallent hanc urbem pro Dyrrhachio vocare Epidamnum. Plurimum autem

m) L. II. c. 115. n) L. XLV. 26. o) Illyric. c. 2. p) Num. vet. p. 95. q) l. c. r) Suppl. au Catal. p. 154. s) Menaechm. Act. II. sc. 1. t) bell. civ. L. II.

hanc ipsorum veterum sententiam labefactant numi fideles, quorum multi antiquissimi operis jam inscribuntur ΔΥΡ. cusi profecto ea aetate, qua fere ignota Romanis adhuc fuit Graecia.

Epidamni nomine, quod tamen vetustius fuisse perhibetur, nullam habemus monetam; numi omnes, qui superant, etiam antiquissimi Dyrrhachium vocant, cujus rationem expeditam non habeo, sed mire etiam discrepant scriptores, cum hujus urbis meminere. Plerique Epidamnum et Dyrrhachium unam eandemque urbem faciunt, addito plerumque: *Epidamnus, quae nunc Dyrrhachium.* Strabo sic vocatam dicit a peninsula, cui Dyrrhachii nomen fuit, et cui insedit. Pausanias [u]) Dyrrhachium ab Epidamno paullo remotum facit. Dio nutat, sitne urbs una, an duae [x]). Omnium explicatissime istud persequitur Appianus [y]). Narrat, Epidamnum a rege cognomine prope mare aedificatam. Ejus nepotem Dyrrhachum conditae urbi addidisse navale appellatum de nomine suo. Huic in bello opem tulisse Herculem, cultum propterea a Dyrrhachenis tanquam alterum conditorem. Fuisse serius Dyrrhachenos a finitimis barbaris urbe pulsos adscitis Corcyrensibus, a quibus ominis causa urbs dicta Epidamnus, revixisse denique veterem appellationem Dyrrhachii. Variantes has sententias nunc componere non instituo; ad me tamen pertinuit comprobare ex numis, Dyrrhachii nomen fuisse pervetustum, neque illud a Romanis inditum.

Autonomorum ingens copia. Spectandi primum:

Argentei crassiores pervetusti, inscripti ΔΥΡ. rarius ΔΥΡΑ., neque alia urbis epigraphe in numis etiam serius signatis obtinet. Typus: *Bos vitulum lactans.* ※ *Horti Alcinoi*, qui typus cum sit Corcyra tractus, de eo in hujus insulae numis agam. Fuisse autem Dyrrhachium Corcyrensium coloniam, abunde docent veteres, et definite Strabo, eam Κερκυραιων κτισμα appellans. Quin cum a finitimis barbaris gravius vexarentur Epidamnii, hi matris Corcyrae opem implorarunt, quod multis persequitur Thucydides, et Diodorus factum prodit ad annum V. C. 315. Quae causa fuit, cur metropoleos symbolis uterentur Dyrrhacheni.

Idem utrinque typus habetur in signatis serius drachmis, quae propter copiam contemnuntur, et dempto bovis situ simillimae sunt drachmis Apolloniae, quae ex eadem matre Corcyra Dyrrhachii soror fuit. In his gemini quoque magistratus, unus in recto, alter in obliquo, quorum centum omnino diversos solum museum Caesareum habet. Quae de his observanda sunt, jam praecepi in numis Apolloniae.

* * *

Caput Jovis. ※ ΔΥΡ. ΑΣΚΛΑΠΙΟΥ. *(aut aliter). Tripus intra lauream.* AE. III. (Mus. Caes.)

Caput virile nudum. ※ ΦΙΛΩΤΑ. ΔΥΡ.

u) Eliac. II. c. 10. x) L. XLI. y) l. c.

Clava caduceo juncta. AE. III. (Mus. Savorgnan.)

Prior obvius, posterior perrarus, quem olim edidi [z]). Clava, quae etiam saepe in area didrachmorum conspicitur, confirmat id, quod perhibet Appianus [a]), Dyrrhachenos Herculem conditorem ferre, *non quod Dyrrhachum abnegarent, sed ut ambitiose originem suam ad deum potius referrent.* Teste epigrammate Christodori condita fuit ab Herculis filiis [b]).

* * *

Caput Herculis. ✠ ΔΥ. *addito constanter* I. *Pegasus volans.* AR. IV. (Mus. Caes.)

Similem edidit Pellerinius, sed inscriptum ΔΥΡ [c]). In V. integerrimis musei Caesarei legitur tantum ΔΥ et I, sive littera istud est, sive aliud signum. Referendos tamen Dyrrhachium non dubito, praecipue cum testetur Pellerinius, suum sibi hodierna Ragusa adlatum. Typi fatentur Herculem conditorem, et Corinthum metropolin.

De didrachmis, in quibus hinc: ΔΥΡ. *Caput Palladis,* illinc *Pegasus volans,* agetur in Corintho.

AR et AE. C.

MONVNIVS REX.

ΒΑCΙΛΕΩC.ΜΟΝΟΥΝΙΟΥ. ΔΥΡΡΑ. *Horti Alcinoi, in area quid clavae simile.* ✠ *Bos vitulum lactans, superne maxilla.* AR. II.

Numum hunc edidit Pellerinius [d]), sed pridem ante descripsit auctor musei Theupoli, quem ipsum serius depictum restitui [e]). In eum olim commentatus Froelichius [f]) erudite conjecit, memoratum in hoc numo regem fuisse Dardanorum principem, quem Livius et Athenaeus male videntur dicere *Honunium,* vel *Menunium.* Haec eruditi viri sententia eo magis fit verisimilis, quia non modo constat, Dyrrhachium a vicinis barbaris vexatum, ut in ejus numis diximus, sed etiam illis nonnunquam parere fuisse coactum. Sane narrat Diodorus [g]), Epidamnum a Corcyraeis Glauciae Illyricano regi permissam. Potuit ergo esse tempus, quo et Monunio Dardano paruit, ejusque nomine monetam insignivit. Verum cum videam, etiam memorari a Goltzio numum Dyrrhachenum cum typis obviis, in quo recepto more bini leguntur magistratus, hinc ΜΟΝΟΥΝΙΟΣ, inde ΔΑΜΗΝΟΣ, quod quidem κειμήλιον dubiae fidei non est, cum simile alterum a se in Hungaria visum testetur Neumannus noster [h]), verisimile etiam, fuisse Monunium ex popularibus Dyrrhachenis [unum, solito primum in sua civitate magistratu functum, sed qui subinde, ut saepe factum, tyrannidem, quin et regium nomen arripuit, quod tanto magis est verisimile, quia narrat Aristoteles [i]), Dyrrhachenos uni totius reip. administrandae curam deferre solitos. Haec postquam scripsi, Cl. Schönwisner rei antiquariae Pestini docendae praefectus mecum communicavit numum Dyrrhachenum solitae formae et typorum, sed ae-

---

z) Num. vet. p. 96. a) l. c. b) Brunck Anal. T. II. p. 472. c) Lettres p. 197. d) Rois p. 33. e) Num. vet. p. 96. f) Reg. vet. num. anecd. p. 46. g) L. XIX. c. 78 h) Num. pop. p. 164. i) de Rep. L. III. c. 16.

neum, nimirum ut suspicor, animam argentei, etsi nullum argenti appareat vestigium. In ejus una parte est ΜΟΝΟΥΝΙΟΣ, in altera — ΑΔΙΑ - -

AR. RRRR.

SCODRA.

Hodie *Scuttari*, nonnihil a mari remotum. Plinio dicitur oppidum civium Romanorum, cujus et meminit Ptolemaeus nomine Σκοδρα. Livius situm prolixius describit [k]), aitque, fuisse Gentii regis velut arcem totius regni. Videtur haec urbs esse eadem cum illa, quam Appianus loco, ut conjicere licet, corrupto vocat Κοδροπολιν της Ιλλυριδȣς ἐν μεσῳ τȣ Ιονιȣ μυχȣ [l]), quam Octavianus et Antonius statuerunt limitem imperii inter se divisi, pro quo videtur legendum Σκοδροπολιν. Sic quae Istria, eadem et Istropolis, quae Trajana, Trajanopolis, quae Soli Ciliciae, et Solopolis. In marmore Gruteri invento apud hodiernum Scuttari legitur: REIP. SCODR [m]).

Caput Jovis. ✕ ΣΚΟΔΡΕΙΝΩΝ. ΚΑΛΛΗΝΟΣ. in alio: ΣΚΟΔΡΙΝΟΝ. - . - ΟΡΟΥ. *Navis.* AE. III.

Anecdotos hos numos possidet Venetiis Exc. Jacobus Gradenigo, et similes edidit Neumannus [n]). Similem aversae typum habet numus Daorsorum, quem vidimus, et sequentis Gentii.

AE. RRRR.

GENTIVS REX.

Gentius Illyrici rex saevus ac stolidus a Perseo postremo Macedoniae rege spe trecentorum talentorum ad socianda contra Romanos arma incitatus horum legatis in vincula conjectis mox violati gentium juris poenas dedit. Nam V. C. 586. victus ab Anicio praetore et ad deditionem coactus bello intra XXX. dies confecto cum tota familia Romam perductus est, quod unum bellum teste Livio prius perpetratum, quam coeptum, Romae auditum est. Haec ex Livio, Appiano, Plutarcho Froelichius, qui ejus numum primus protulit [o]).

Numus:

Caput imberbe pileo tectum. ✕ ΒΑCΙΛΕ - - ΓЄΝΤΙΟΥ. *Navis.* AE. III. (Mus. Caes.)

Hactenus alter hujus regis numus detectus non est. Supra monui, Daorsorum Illyrici numum, qui unicus item exstat in museo Caesareo, fabrica, metallo, volumine, utriusque faciei typo hujus esse simillimum. Etiam in proximae Scodrae numis ejusdem formae navis comparet. Quibus mutuis testimoniis praeclare omnium horum numorum statio comprobatur.

AE. RRRR.

INSVLAE ILLYRICI.

CORCYRA PARVA.

Hodie *Curzola*. De numis a Froelichio, aliisque huic tributis vide, quae in moneta Corcyrae magnae notabo.

---

k) L. XLIV. c. 31. l) Bell. civ. L. V. m) pag. 163. 3. n) Num. pop. T. II. p. 157. o) Reg. vet. num. p. 45.

DYSCELADVS.

Insula juxta Issam sequentem, memorata Apollonio p):

Ισσατε, Δυσκελαδος τε, και ἱμερτη Πιτυεια.

Sed vide de insulae hujus nomine, et, utrum existat, dubitantem Vossium apud Cellarium. Exstant *autonomi:*

Caput Herculis juvenis. ✠ ΔΥCΚΛΑ. *Victoria gradiens s. oblongum palmae ramum tenet.* AE. III. (Mus. Caes. Pellerin.)

Conjicit Pellerinius q), scriptum in his numis ΔΥCΚΛΑ pro ΔΥCΚΕΛΑ. At enim mera haec est conjectura, neque ea tanti, ut ex his numis aut liceat statuere, fuisse aliquam hoc nomine insulam, aut si fuit, eos revera huc pertinere.

AE. RR.

ISSA.

Nobilis Adriatici insula propter Illyricum teste Strabone, et Hirtio r).

Caput Palladis. ✠ ΙΣ. *(etiam retrograde) vel:* IC. *Caper stans:* in aliis: *Cerva stans.* AE. II. III. (Mus. Caes.)

Caput virile imberbe nudum ✠ ΙΣ. *Diota.* AE. III. (Neumann.)

Botrus. ✠ ΙΣ. *Diota.* AE. III. (Neumann P. II. tab. 5.)

ΙΣΣΑ. *Caput muliebre.* ✠ *Astrum.* AE. III. (Neumann, Mus. Vitzai.)

Numos hos per varias hactenus urbes ab ΙΣ incipientes pro varia antiquariorum libidine vagatos in hac tandem insula stabilire adnisus sum, vix amplius, ut reor, loco movendos s). Capri typus potior causa fuit, cur huc applicarem. Istud animal per has insulas celebre fidem faciente Plinio t): *Contra Tragurium Bavo, et capris laudata Brattia, Issa civium Romanorum.* Ipsum Tragurium a Graeco τραγος, *caper*, ei animali est synonymum, atque eadem haec insula Issae colonia fuit auctore Strabone: Τραγυριον Ισσεων κτισμα, *Tragurium ab Issensibus conditum*, ex quo verisimile fit, nomen a metropolitis Issensibus Tragurio factum, quod seu capris ea ora abundavit, seu caper ex quacunque causa Issae fuit symbolum. Vide de hoc plura in citato meo opere.

Numum postremum ΙΣΣΑ Neumannus Issae Lesbi tribuendum putavit u). A fabrica similium numorum rudior, et plane ex natura insularum hujus tractus videtur eos potius huic insulae vindicare.

* * *

Eodem loco, tum et in Catalogo musei Caesarei huic quoque Issae tribuendos putavi numos, in quorum antica est caput Jovis, in aversa seu caper, seu cervus, seu animal ex utroque mixtum, et qui inscriptum ΙΣ offerre visi sunt, et sunt aenei fere I. formae. Sed errorem abstergit similis alter musei Neumanni, in quo distincte pro ΙΣ legitur ΔΙ. Sunt ergo hi numi, ut certe hujus tractus suadente fabrica, ita urbis a ΔΙ. incipientis.

AE. R.

p) Argon. IV. v. 565. q) Suppl. I. p. 33. r) Bell. Alex. c. 47. s) Num. vet. p. 97. t) L. III. c. 30. u) Num. pop. P. II. p. 28.

PHARVS.

Insula Issae adsita, hodie *Liesina.*

Caput nudum imberbe. ℞ ΦA. *vel scriptura retrograda* ΦAP. *Diota.* AE. III. (Mus. Caes. III. Gradenigo.)

Caput juvenile spicis redimitum. ℞ ΦA. *Caper stans.* AE. III. (Mus. Caes. Arigoni.)

Idem, quod numis Issensibus, etiam his fatum obtigit a Froelichio Phaselidem Lyciae migrare jussis [x]). Vt in Pharum propenderem, impulit barbarum horum numorum opus a cultioris Graeciae ingenio alienum, tum vero quod a nobilissimo amico certior factus sum, frequentius eos in hodierna Liesina reperiri. Eos in Catalogo musei Caesarei jam Phari numis inserueram, cum judicium meum a viro ornatissimo Neumanno in opere suo, quod eodem tempore lucem vidit, confirmari cum voluptate vidi [y]). Ergo numum alterum Arigonius injuste Psamatho Laconiae tribuit.

Cum in Issae Pharo vicinae numis saepius caper conspiciendum se praebeat, suspicabar aliquando, huc referri posse numos cum epigraphe ΠAPI. et capro stante. Auxit conjecturam, quod hanc Pharum Scymnus Chius Pariorum maris Aegaei opus dixit [z]), tum et Strabo eam olim vocatam Parum adserit [a]), de quo vide plura, quae in meis Numis veteribus p. 98. notavi. At cum videam, conjecturam hanc minus probari viris cordatis, non gravate eam omitto.

* * *

Eidem insulae Pellerinius tetradrachmum obtulit inscriptum FAPIAIΩ-typo *semivolucris, et semivirginis.* Plures id genus numi sunt etiam in museo Caesareo, et constat etiam, esse ex eorum classe, qui copiose ex Transilvania una cum inscriptis BIATEC etc.: ad nos perferuntur. Alioqui et similem mercem nequaquam reperiri in insula Liesina, testatus est vir nobilissimus, qui, quae in hoc tractu longo usu didicit, benevole mecum communicavit.

AE. RR.

EPIRVS.

Universae gentis nomine *autonomi* copiosi et insignes habentur.

Capita jugata, Jovis corona querna redimitum, Junonis corona fastigiata. ℞ AΠEIPΩTAN. *Bos cornupeta intra quernam.* AR. I. (Mus. Caes.)

Caput Jovis corona querna redimitum, addito in nonnullis magistratu, ut: ΛΥΣHN. ΦOP. *vel* MΥPTIΛOΥ. *etc.:* ℞ AΠEIPΩTAN. *Aquila stans intra quernam.* AR. II. (Mus. Caes.)

Epigraphe, ut in his, sic et in omni-

x) Not. elem. p. 85. y) Num. pop. p. 173. z) Vers. 425. a) L. VII. p. m. 315.

bus aliis Dorica pro ΗΠΕΙΡΩΤΩΝ. Jovis effigies et attributa propter Dodonam in Epiro sitam in hujus regionis moneta frequentior. Typus in aversa numi primi sive adludit ad taurum Jovis victimam, sive ad boum in Epiro excellentiam. Ovidius apri Calydonii mensuram definiens ait [b]): *quanto majores herbida tauros non habet Epiros.* Mos corona numi oram claudendi generatim in Epiri urbibus valuit, propagatus etiam in adsitum Illyricum.

* * *

Duo pilei Dioscurorum. X ΑΠΕΙΡΩΤΑΝ. *scriptum inter radios astri.* AR. III. (Mus. Ill. Bar. Bruckenthall.)

Videbatur numus commemorandus propter insolentiam typi in urbibus Epiroticis. Eum edidi in meis numis veteribus.

* * *

Caput Jovis X ΑΠ., *in nonnullis in monogrammate. Fulmen intra quernam.* AE. II. III. (Mus. Caes. et Neumanni.)

Similem numum Pellerinius perperam Patris Achaiae tribuit [c]).

* * *

In reliquis aeneis: *Pilum hastae — Fulmen — Tripus, semper corona typum ambiente.*

* * *

Huc etiam referri solent sequentes:

ΑΡΓΕΑΔΗΣ. *Caput Jovis laur.* X ΜΕΝΕΔΗΜΟΣ. ΙΕΡΕΥΣ. *Protome Dianae.* AE. I. (Mus. Caes.)

ΜΕΝΕΔΗΜΟΣ. ΙΕΡΕΥΣ. *Caput Jovis laur.* X ΑΡΓΑΛΟΗΣ. *Aquila stans intra quernam.* AE. II. (Pellerin Suppl. II. pag. 93.)

Prior numus cognitus jam fuit Pellerinio [d]), et Khellio [e]), at in utroque nomen ΑΡΓΕΑΔΗΣ male sanum, quod in Caesareo est integerrimum. Quare et numum serius restituendum duxi [f]). Vterque quo numum referret, non reperit. Alterum subinde nactus Pellerinius hunc et praecedentem Epiri numis propter typum aquilae corona clausae, quoniam is in hoc tractu obvius est, inserere non dubitavit. Gnaviter istud, at nondum liquido. Si merx Epirotica, cur haec sola Dorismo abstinet? Scribendum sane tum fuerat: ΑΡΓΕΑΔΑΣ. ΜΕΝΕΔΑΜΟΣ.

AV. Goltziani. AR. AE. R.

AMBRACIA.

Ad sinum cognominem, urbs nobilis et Pyrrhi regia.

Caput muliebre velatum. X AM. AMBP. *Meta intra lauream.* AR. (Pellerin.) AE. III. (Mus. Caes.)

Meta intra lauream obvius est typus in numis urbium Epiri, quanquam ejus certam causam ignoremus. Cur maluerit Pellerinius dicere obeliscum [g]), non satis video.

---

b) Metam. VIII. 282. c) Suppl. IV. p. 40. d) Rec. III. tab. CXVII. e) Adpendic. II. f) Num. vet. p. 100. g) Rec. I. p. 79.

* * *

Caput virile barbatum cum cornu et collo tauri. ӿ AMBP. *Bos cornupeta.* AE. III. (Pellerin.)

Caput simile. ӿ AMBP. *Pagurus, in alio tridens.* AR. AE. (Goltz.)

Miratur Pellerinius, proponi in numis Ambraciae manifestum Acheloum, cum tamen urbs non huic Acarnaniae fluvio, sed alteri adsita fuerit, qui jam Arachtus, jam Arethon veteribus dicebatur. Suspicatur istud factum propterea, quod forte, etsi dissitus, tamen ex Epiro ortum ducit. Verior ratio videtur, quoniam aliquo tempore Ambracia revera Acarnaniae urbibus accensebatur. Ita Strabo h): *Sunt et aliae urbes, Palaerus, Alyzia, Leucas, Argos Amphilochium, Ambracia.* Sic et Mela eam oppidis Acarnaniae miscuit i), ex quo apparet, quodam tempore saltem aliquam utriusque regionis urbibus fuisse communionem.

* * *

Caput Jovis. ӿ AMBP. *Gryphus, infra* ΑΡΧΙΑΔΑΣ, *aut aliter.* AE. III. (Mus. Caes.)

Caput Solis radiatum. ӿ AMBP. *Juppiter nudus gradiens fulmen intorquet.* AE. III. (Mus. Caes.)

Vterque numus et Jovis, et Apollinis cultum conjungit. Hunc numus alter aperte profitetur, sed neque in praecedente ambiguum, cum gryphum sacrum esse Apollini animal constet ex numis Tejorum Ioniae, Aureliopolis Lydiae, Gallieni inscriptis APOLLINI. CONS. AVG., tum Claudiano k), et Philostrato l).

* * *

Numos Ambraciae, qui una inscribunt ΑΡΙΣ., vide in numis Arisbae regis Epiri.

* * *

Numos inscriptos ΑΜΒΡΑΚΙΩΤΑΝ cum symbolis Corinthi, nempe capite Palladis, et Pegasi, eosque didrachmos, vide in numis coloniarum Corinthi. In numo simili musei Borgiani Veletris legitur ΑΜΠΡΑΚΙΩΤΑΝ, qua scriptura praeclare confirmatur oratio Stephani adfirmantis, reperiri etiam scriptum *Αμπρακιωτης* m), et sic etiam passim scribit Thucydides. Apertius Eustathius n): *το δε Αμβραξ εἰσιν οἱ ἀρχαικωτερον δια τȣ π γραφȣσι, και δια τȣτο και την χωραν Αμπρακιαν --- πλειων δε ἡ δια τȣ β γραφη.* Sic et Κανωβος et Κανωπος Aegypti urbs.

AR. RRRR. AE. R.

AORNVS.

Situ minus certo. Numum aeneum mutilum huc vocat Pellerinius, quod in eo legere sibi visus erat ΑΟΡΝΙΩΝ.

BVTHROTVM.

Maritima in Thesprotia.

Certus cum inscriptione Graeca nondum compertus. Ex autonomis editis unus est Goltzii, alterum Pellerinius huc

---

h) L. X. p. m. 691. i) L. II. c. 3. k) de VI. cons. Honorii c. 30. l) Vit. Apoll. L. III. c. 48. m) in Αμβρακια. n) ad Dionys. v. 493.

invitum traxit, quod in eo scriptum apparebat ΒΟΤΘΡΟ o). Verum hic est Thuriae Messeniae, ut ipse lapsum suum profitetur serius p). Alium numum cum capite Pyrrhi et epigraphe ΒΟΤΘΡΩΤΙΩΝ Goltzianum novimus.

* * *

Coloniae tamen nomine supersunt numi, iique partim *autonomi*, partim cum capite *Augusti*, quos, quoniam rariores sunt, operae pretium, ut editos reperio, recensere.

Antica incerta. ✠ C. PAET. QVIN. ITER. (Harduin.)

CAESAR. AVGVST. *intra quernam.* ✠ GRAECINVS. QVINQ. TERT. BVTHR. *Globus cum lituo.* (Maffei Ant. Gall. p. 117.)

BVTHR. *Tridens.* ✠ GRAECINVS. QVIN. PER - - *Pes humanus.* AE. II. (Pellerin Rec. I. p. 80.)

Fuit ergo hic Graecinus *quinquennalis tertium*, subinde *perpetuus*, si modo vere istud docet numus Pellerinii, qui in vocabulo PER est mutilus. Male similem epigraphen explicat Harduinus: QVINquennalia ITERum.

BVTHR. AVGVSTVS. *Caput Augusti.* ✠ P. POMPON. C. IVLI. IIVIR. Q. *Pons.* (Morelli Impp. T. I. p. 378.)

De hoc ponte Plinius: *Amnis Acheron - - - mille pedum ponte mirabilis omnia sua mirantibus.*

C. A. BVT. EX. DD. *Caput Augusti.* ✠ Q. NAEVIO. SVRA. HIP. IVL. NIGER. IIVIR. *Figura militaris stans d. adstitutum* B *majus contingere videtur.* (Morelli Impp. T. I. p. 417.)

AE. RRR.

CASSOPE.

Tres hoc nomine urbes in Epiro aut vicinia a geographis memorantur. Harum unam maritimam Ptolemaeus in Chaonia, Strabo in Thesprotia constituit, Stephanus in Molossis, cujus sententiam firmat numus mox citandus. Alteram Epiri Cassopen mediterraneam conficit Ptolemaeus, sed parum cognitam. Tertia sita in propinqua Corcyra e regione Cassopes Epiroticae maritimae. Ad quam harum trium sequentes numi pertineant, mox indagabimus.

ΜΟΛΟΣΣΩΝ *intra lauream.* ✠ ΚΑΣΣΩΠΑΙΩΝ. *intra lauream.* AE. III. (Mus. ill. Gradenigo.)

Dixi, Cassopen a variis auctoribus variis gentibus adjudicatam, quae geographorum discordia in pluribus Epiri urbibus observatur. Ex quo apparet, alia aetate aliae genti urbes fuisse contributas. Ergo quo tempore praesens numus signatus est, Molossis accensebatur.

* * *

ΣΩΔΑΜΟΣ. *Caput Jovis.* ✠ ΚΑΣΣΩΠΑΙΩΝ. *Aquila fulmini insistens, omnia intra quernam.* AR. III. (Mus. Caes.)

ΚΑΣΣΩΠ - - *Caput muliebre redimitum corona fastigiata floribus distincta.* ✠ *Aquila volans intra lauream.* AE. III. (Mus. Caes.)

---

o) Rec. I. p. 80. p) Suppl. I. p. 47.

Caput simile. Ӿ ΚΑΣΣΩ -- *Bos irruens.* AE. III. (Mus. Caes.)

Caput simile. Ӿ ΚΑΣΣΩΠΑΙΩΝ. *Serpens ab ara adsurgens intra lauream.* AR. III. (Mus. ill. Gradenigo.)

Caput juvenile incertum. Ӿ ΚΑΣΣΩΠΑΙΩΝ. *Diota intra lauream.* AE. III. (Ibid.)

Priores tres, qui ex museo Ilgneriano in Caesareum transivere, jam vulgavit ill. Comes Cristiani q). Horum primum esse Cassopes Epiroticae, persuadet typus plane Epiroticus. De numis sequentibus minus certum, an non aeque possint referri ad alteram cognominem in opposita Corcyra sitam. Epiroticam mavult nobilis antiquarius capto augurio ab aquila, inscripto magistratu, corona ambiente, quae omnia fuere Epirotis usitata. Vt hanc sententiam non impugno, quam et verisimiliorem puto, ita certum tamen est, haec omnia in Corcyrae quoque numis observari.

Numum secundo similem Pellerinius perperam Lappae Cretae tribuit, cujus auctoritas et mihi imposuit, cum numum similem, qui minus integer obtigerat, in Catalogo musei Caesarei eodem referrem.

AR. RRR. AE. RR.

CHAONIA.

Pars Epiri hoc nomine. Numi duo, argenteus, et aeneus, soli Goltzio conspecti, quorum ille inscribiturΧΑΩΝΙΑΣ, pro quo, ut ex typo apparet, certo legendum ΚΡΟΤΩΝΙΑΤΑΝ; alter ΧΑΩΝΙΤΩΝ. Notandum, tertium elementum a veteribus nunquam per Ω, constanter per O scribi, quare et secunda syllaba a poetis corripitur. Vide Stephanum in *Chaonia.*

DAMASTIVM.

Ignoraremus, quorsum pertineant sequentes argentei, nisi lucem accenderet Strabo, qui post recensitas varias Epiri gentes haec obiter: πλησιον δε πȣ και τα αργυρεια τα εν Δαμαστιῳ, *alicubi in vicinia et fodinae argenti, quae sunt Damastii.* Ex hujus ergo metalli proventu signati fuere numi:

Caput Apollinis laur. Ӿ ΔΑΜΑΣΤΙΝΩΝ. *Tripus.* AR. I. II. (Mus. Caes. Pellerin.)

Caput muliebre. Ӿ ΔΑΜΑΣΤΙΝΩΝ. *Serpens ex ara, cui insculptus caduceus, exsurgens.* AR. III. (Pellerin.)

Caput muliebre laur. Ӿ ΔΑΜ. - - - *Acisculus, caduceus.* AR. III. (Mus. Caes.)

Perperam numum ex descriptis primum Damasco Coelesyriae tribuerat Froelichius r), quem errorem re melius expensa pridem abstersit ill. Comes Cristiani s). Insignis est numus III., isque hactenus anecdotus, quia typo partis aversae comprobat id, quod de argenti fodinis apud Damastium sitis ex Strabone docui. Offert is malleum, qui altera parte in cuspidem abit, cujusque in latomiis, et metallis usus fuit. *Acisculum* dixere Latini, ut docebunt denarii

q) Adpendic. I. ad Gessn. r) Cimel. Vindob. s) Adpendic. I. ad Gessner.

Valerii Acisculi, qui causa adlusionis ad nomen instrumentum simile offerunt. Auctor anonymus in paraphrasi ad Dionysii Periegetae v. 1107, quae est apud Hudsonum [t]): μακελλα δε και δικελλα, και αμαρα, και σκαπανη ορυκτικα εισιν εργαλεια.

AR. RRR.

HORREVM.

Exstant autonomi elegantis fabricae.

Caput Herculis laur., *pone clava*, *intra coronam.* ✕ OPPI. *Centaurus citato cursu singulis manibus singulos ramos bacciferos jactat.* AE. III. (Mus. Caes. alibi.)

Pellerinius in simili legit OPPE., at ego in omnibus, quorum plures integerrimos vidi, constanter OPPI. Cui urbi suus tribuendus esset, verebatur decidere Pellerinius [u]). Neque ego hoc fortunatior. Conjeceram olim, cum simile numisma vulgarem [x]), posse competere Horreo Epiri oppido bis a Livio memorato, juvante judicium istud etiam corona, quae more Epirotico numi oram ambit, et Centauro forte ex vicina patria Thessalia huc aberrante. Accepi, id genus numos frequentius reperiri in magna Graecia. Si huc pertinent, quam in hac habemus urbem ab OPPI incipientem?

AE. RR.

MOLOSSI.

Hi Epiri partem constituerunt, suntque habiti ejus gens nobilissima teste Strabone [y]). Fuere enim ex illustri gente Aeacidarum, cujus auctor Pyrrhus Achillis filius, et fuit apud eos Dodonae oraculum vetus, et fama late inclytum.

Autonomos cum mentione hujus gentis binos primus vulgavi, quorum unum videre est in meis Numis vet. p. 101.

ΜΟΛΟΣΣΩΝ. *Fulmen.* ✕ *Fulmen intra coronam.* AE. III. (Ex museo Savorgnan.)

Fulmen Jovi Dodonaeo sacrum, ut modo indicavi.

Alterum numum, in quo Molossorum nomen legitur, vide supra in numis Cassopes.

AE. RRRR.

NICOPOLIS.

Condita ab Augusto ad sinum Ambracium, monumentum victoriae de M. Antonio et Cleopatra ad vicinum Actium, deductis eo vicinarum urbium fere desertarum incolis, ut testantur Strabo et Pausanias [z]). Eas enumerat Antipater coaevus, Leucadem, Ambraciam, Thyrreum, Anactorium, Argos Amphilochium [a]).

Autonomi:

ΝΙΚΟΠΟΛΕΩC. *Caput muliebre turritum.* ✕ ΙΕΡΑC. *Pharus*, *aut meta.* AE. III. (Pellerin.)

Priorem numum alias edidi [b]). Sive pharus in hoc est, sive meta, utrumque Nicopoli proprium, cum quod urbs fuit

---

t) Geogr. min. P. IV. u) Rec. III. p. 109. x) Num. vet. p. 100. y) L. VII. p. 324.
z) Eliac. I. c. 23. a) Brunck Anal. T. II. p. 117. b) Num. vet. p. 102.

maritima, tum quod in hujus suburbio singulis quinquenniis ludi Actiaci ab Augusto ejus victoriae ergo constituti magna religione acti fuere, de quibus vide Strabonem. Certius hos ludos indicat numus alter. De epitheto IЄPAC vide numos imperatorum.

* * *

Notandum, numum argenteum, quem Pellerinius ob monogramma NK, quod is in NIK. resolvit, ad hanc Nicopolin refert c), esse potius Cyrenes, aut certe non hujus urbis. Praeter fabricae elegantiam in id genus numis, quorum plures exstant in museo Caesareo, obest etiam, quod paucissimae fuere Graeciae urbes, et praecipue Europaeae, quae Augustorum aetate monetam argenteam signassent. Aeneum, qui eadem tab. XII. n. 13. exhibetur, esse Epidauri Argolidis, in hac dicetur.

AE. RRR.

Imperatorii.

Copiosi sunt ab Augusto usque ad Saloninam.

Epigraphe: NIKOΠOΛIC, vel NIKOΠOΛЄΩC, addito plerumque IЄPAC, de quo infra.

ΣEBAΣTOΣ. KTIΣTHΣ., vel: AYΓOYCTOC. KTICTHC. nempe: *Augustus conditor* urbis saepius occurrit. ΣEBAΣTOY. KTIΣMA. *(Augusti opus.)*

Caput Augusti nudum. X NIKOΠOΛIΣ. IEPA. *Victoria stans.* AE. fere II. Numus integerrimus. (Mus. Caes.)

IЄPA. NIKOΠO. *Caput muliebre turritum.* X CЄBACTOY. KTICMA. *(Augusti opus.) Augustus fere nudus sedens d. Victoriam, s. hastam.* (Mus. Caes. Arigoni.)

Typi: *Victoria* frequentius, nimirum ex nomine urbis NIKHΣ ΠOΛIΣ. — *Triremis*, ex memoria victoriae navalis. — *Porta urbis* etc. In nonnullis: *Apri caput telo transfixum*, quod forte mandibulam apri Calydonii notat, quam Augustus post victoriam Actiacam ex Tegea Arcadiae Romam transtulit, ut narrat Pausanias d). Incerti sensus est: *Mulier sedens d. spicas, infra quam tres figurae nudae se complexae expansis manibus natantium more*, in numis Philippi. (Arigoni, Theup.)

IЄPA, sic dicta propter religionem ludorum Actiacorum, de quibus actum. Hoc addito discernit sese ab aliis hoc nomine urbibus quatuor, quae numismaticae fuere. Antipatro supra laudato dicitur θειη πολις.

NAYAPXIΔOC nomine compellatur in numo Antonini (Mus. Caes.), et Alexandri Sev. (Vaill.)

ACYΛOY in numo Plautillae (Vaill.), cui tamen lectioni diffido, nam is titulus in nullo alio hujus urbis comparet, etsi horum copiosos vulgatos habeamus ex museis Theupoli et Arigoni, et ipse Vaillantius, qui numum promulgavit, eam reticet in catalogo urbium asylo gaudentium. Quod amplius est, titulum asyli nulli urbium Europaearum in numis datum video.

c) Tab. XII. n. 11. d) L. VIII. pag. 694.

* * *

Ad hanc Nicopolin videntur revocandi numi, qui sine urbis mentione inscriptum habent AKTIA intra coronam. Idem videtur significare A solitarium intra coronam in numis L. Aelii et Antonini, atque etiam hos esse hujus urbis, docent numi Treboniani et Gallieni apud Arigonium, in quibus praeterea scriptum IЄPAC. NIKOΠOΛЄΩC, etsi non dissimulem, posse numos similes Argos pertinere; ut in hac monebo. Fuere, qui το A legerent Αντινοεια. Similium numorum catalogum exhibet Neumannus [e]).

AE. C.

OMPHALE.

Autonomus ΩΜΦΑΛΙΤΩΝ apud solum Goltzium.

ORICVS.

In Chaonia ad fines Illyrici, cui a nonnullis inseritur.

Caput Apollinis. ☧ ΩΡΙΚΙΩΝ. *Meta, omnia intra lauream.* AE. III. (Mus. Caes.)

Singularem hunc numum alias vulgavi [f]). Fuisse Oricum Apollini devotam, et dictam *vicum Apollinarem*, praesens numus, et inscriptio Gruteri a me ibi proposita comprobant.

Froelichius ex inscriptione dubia numi autonomi exsculpere nomen Orici conabatur [g]), at nunc constat, numum illum esse Mileti, qui etiam est in museo Caesareo.

AE. RRRR.

PHOENICE vel PHOENICAPE.

Caput Dianae. ☧ ΦΟΙΝΙΚΑΠΕΩΝ. *(contractis* Π *et* Ε.) *Pilum hastae intra lauream.* AE. III. (Mus. Caes. et Gradenigo.)

Caput Jovis. ☧ *Eadem epigraphe. Fulmen intra lauream.* AE. III. (Mus. Gradenigo.)

Numi hi non solum typo sese Epirorotas profitentur, verum et in eadem Epiro repertos esse satis constat. Quare etsi urbis *Phoenicapes* nullus veterum meminerit, tamen Livius, Strabo, Ptolemaeus, Tabula *Phoenicen* in Epiro locant, et quidem in Chaonia alii, alii in Thesprotia. Quare dubium non videtur, numos hos ad hanc urbem, ut apparet, binominem, pertinere.

AE. RRR.

Imperatorii:

Exstant aenei III. formae.

ΦΟΙΝΕΙΚΑΙΩΝ. *Bacchus d. poculum, s. thyrsum*, in numis Neronis. (Vaill. Theup.) In alio simili: *Caput imberbe nudum.* (Theup.)

ΦΟΙΝΕΙΚΑΙΕΩΝ. ΠΕ. *in alio:* ΠΕΤ, *Caput virile incertum*, Neronis. (Panel Mem. Trev. Octob. 1737. Catal. d'Ennery p. 585.)

ΦΟΙΝΕΙΚΕΩΝ. *Trajanus in equo currente.* AE. II. (Vaill.)

Hos numos Vaillantius a Phoeniciis communi gentis nomine signatos dixit. At mihi nimium insolens visum gentile sive Φοινεικαιος, sive Φοινειχευς, quod

e) Num. pop. P. II. p. 146.

f) Num. vet. pag. 102.

g) Not. elem. p. 105.

utrumque in numis suis reperit vir eruditus, cum verum Phoeniciae gentile fuerit Φοινιξ, vel etiam Φοινικιος. Accedit, numos hos nihil ostentare ex ingenio numorum Phoeniciae. Quod si eodem referamus numos secundi loci, habebimus tertium gentile Φοινεικαιευς. At vel ex his ipsis secundi loci numis videri possit, in similibus omnibus legendum ΦΟΙΝΕΙΚΑΠΕΩΝ, Π et Ε contractis, perinde atque in autonomis mox descriptis legitur. In numis non satis integris fieri facile potest, ut non facile appareat subtilis tractus lineae, quae Π et Ε conjungit. Quidquid erit, rem iis magis expendendam relinquo, quibus numi similes praesto sunt.

AE. RRR.

THESPROTIA.

Pars Epiri. Nomen ΘΕΣΠΡΩΤΙΩΝ reperitur tantum in numis regis Pyrrhi a Goltzio editis.

REGES EPIRI.

Vt Macedoniae reges Perseum et Herculem, ita Epiri principes Achillem, ejusque filium Pyrrhum Neoptolemum gentis suae auctorem ferebant. Ex quo adsidua in his nomina Aeacidis, Pyrrhi, Neoptolemi. Omitto vetustos illos, qui ex hac stirpe mox inde a Trojae excidio imperavere, quorum seriem videsis apud Reineccium, persecuturus solum reges numis insignes.

Fuere regi Alcetae filii Neoptolemus et Arisbas. Neoptolemus fratrem regni consortem facit, et eundem moriens tutorem liberorum, inter quos praecipui *Alexander*, de quo infra, et *Olympias* Philippi Amyntae uxor, Alexandri M. mater.

ARISBAS.

A veteribus dictus Arymbas, Arysba, Arybas. Fratri Neoptolemo partem Epiri extorquet, subinde ejus liberorum tutelam sancte procurat, et Olympiadem Philippo Amyntae collocat.

Ex uxore Troade natus *Aeacides*, de quo infra.

Numi:

Caput Herculis imberbe leonis exuviis tectum. ℞ ΑΡΙΣ. *Clava et pharetra.* AE. III. (Pellerin Rois pag. 29. Mus. Caes.)

Caput Herculis simile. ℞ ΑΡΙΣ. ΑΜΒΡΑ. *Apollo nudus sedens d. arcum praetendit.* AE. III. (Pellerin Rec. I. p. 79.)

Horum priorem Pellerinius, quoniam simillimus est numis Macedonicis circum Philippi II. aetatem signatis, ac praeterea ex vetere Illyrico adlatus, huic Arisbae tribuere non dubitat. Sin jure istud, habemus verum regis nomen *Arisbae*, quem varie a veteribus proditum diximus. Haec cum alias constitueret vir eruditus, mirum, ab eodem το ΑΡΙΣ. numi alterius magistratum potius, et non etiam hunc

ipsum regem agnosci, cum nequaquam obstet addi nomen Ambraciae, in qua numus cusus, ut vidimus in numo Dyrrhachenorum scriptum regem Monunium.

Typus numi secundi offert hinc Herculem, inde Apollinem. Antoninus Liberalis narrat [h]), utroque deo inter se colliso, quod singuli Ambraciam suam vellent, judice denique Cragaleo oppidum Herculi tributum. Agnoscere ergo Ambraciotas, urbem esse Herculis, sic tamen, ut etiam Apollini, quem jam antea ob causas, quas ibidem refert, Σωτηρα dixere, sacrificia publice peragant.

AE. RRR.

ALEXANDER I.

Neoptolemi F. Mortuo tutore patruo Arisba juvenis regnum adit favente Philippo II. Macedone, qui ejus sororem Olympiam uxorem duxerat, cujus et factus est gener ducta ejus filia Cleopatra nuptiis fatalibus, inter quarum solennia socerum Philippum, dum ejus latus stipabat, a Pausania interimi cominus conspexit. Alexandrum M. sobrinum imitari gestiens versis in Occidentem studiis ducem sese Tarentinis in bello adversum Lucanos ac Bruttios praebuit, tanto cupidius externum istud bellum amplexus, quod consulenti responderat oraculum patrium Dodonaeum, caveret Acherusiam aquam, Pandosiamque urbem, nimirum ut quam maxime procul abesset Pandosia Epiri urbe, et Acheronte amni [i]). Multis praeliis victor, factusque inde elatior plus sibi ipso Alexandro aggressus videbatur, cum adserere non dubitaret, se, qui adversum Romanos iret, quasi in ἀνδρωνιτιν, Macedonem in Persas quasi in γυναικωνιτιν ivisse [k]). Barbaris bellum omni vi instaurantibus apud Acherontem fl. et Pandosiam in Bruttiis caesus, non quidem oraculum mendax, sed ineptum sese Oedipum comprobavit V. C. 428. Vide plura apud Froelichium dubia quaedam chronologica conciliare conantem [l]), et Cl. Nicolaum hujus regis vitam copiose enarrantem [m]).

N u m i :

Caput Jovis corona querna redimitum. ✗ ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ. ΤΟΥ. ΝΕΟΠΤΟΛΕΜΟΥ. *Fulmen intra astrum et pilum hastae.* AV. III. (Seguin Sel. num. p. 68.)

Caput adversum Solis radiatum crispis crinibus. ✗ ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ. -- ΟΠΤΟ -- *Fulmen.* AR. III. (Mus. Caes.)

Caput barbatum diadematum. ✗ ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ. ΤΟΥ. ΝΕΟΠΤΟΛΕΜΟΥ. *Fulmen, juxta aquila.* AR. I. (Theup.)

Aquila stans, juxta tripus. ✗ ΑΛΕΞΑ. ΤΟΥ. ΝΕ. *Fulmen intra lauream.* AE. III. (Mus. Caes.)

En numos hujus Alexandri omnes, quotquot innotuere. Aurei et argentei operis sunt perelegantis et delicati. Jovis Dodonaei honores eloquuntur aquila et fulmen saepe repetitum. Singularis elegantiae est caput Solis, quod sistit numus secundus, quem princeps Waldeckius studiis nostris

h) Met. c. 4. i) Livius L. VIII. c. 24. k) Gellius L. XVII. c. 21. l) Regg. vet. num. p. 32. m) B. L. Mem. T. XII. p. 339.

impense deditus museo Caesareo cesserat. Caput numi III., quod diadematum dicitur, ipsius regis videri potest, et tum unicum hoc esset exemplum capitis regii Epirotarum numis inserti. Merebatur sane insignis hic numus musei Theupoliani, ut plures ejus alii, aeri incisus proponi, ut certius conspecta capitis effigie possemus judicium ferre. Verisimile magis, caput illud non esse regis, sed Jovis, suadente istud aversae fulmine, cujus rationis sunt etiam typi in numo Pyrrhi sequentis.

AV. RRRR. AR. RRR. AE. R.

* * *

AEACIDES Arisbae F. post patruelis Alexandri mortem regno praeficitur, illustrius nomen ex filio Pyrrho, quam ex se adeptus. In bellis occumbit.

P H T H I A.

Cononis Thessali filia, Aeacidis uxor. Liberos habuit *Pyrrhum*, et *Deidamiam* desponsatam primum Alexandro postumo Alexandri M. filio, deinde Demetrio Poliorcetae conjunctam.

N u m i :

ΦΘΙΑΣ. *Caput reginae velatum et corona revinctum.* X ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΠΥΡΡΟΥ. *Fulmen.* AE. II. (Seguin Sel. num. p. 65. Mus. Caes.)

Cum nulli exstent mariti Aeacidis numi, habet suos uxor Phthia tribuente honorem filio Pyrrho, ut aversae inscriptio docet. Corona querna in integerrimo musei Caesarei manifeste apparet, quam placuisse causa Jovis Dodonaei existimo.

AE. RR.

P Y R R H V S.

Mirabilis, si quis alius, fati, sive initia spectes, sive exitum. Bimus ab hostibus ad necem quaesitus in Illyrico educatur, post duodennis ad patrium regnum vocatus, cum illud quinquennio teneret, Cassandri Macedonis artibus ejicitur. Quare ad Demetrium Poliorcetem, sororis suae Deidamiae virum profectus celebri ad Ipsum praelio, quo Antigonus occubuit, interest, delatusque ad Ptolemaeum Lagi F. favente palam Berenice hujus filiam Antigonam uxorem ducit, tum milite, pecunia, elephantis adjutus V. C. 459 Epirum recuperat. Ducta Lanassa Agathoclis Siculi filia Corcyram in dotem accipit, ac paullo post amittit Lanassa ipsa Demetrium ad connubium, et praeripiendam Corcyram evocante, quod sese a marito negligi doleret. Ergo vindictae studio Macedoniam intrat, eamque Demetrio extorquet, mox ipse a Lysimacho Thraciae rege pellitur. Eadem tempestate orto Romanos inter ac Tarentinos bello ab his summus belli imperator electus V. C. 474 in Italiam trajicit, de Laevino consule Heracleam inter et Pandosiam elephantorum ope insignem victoriam refert. Altero deinde ad Asculum praelio incertam belli aleam expertus Siculorum rogatu omissis rebus praesentibus in Siciliam abit, Carthaginienses vincit, et tota insula, si Lilybaeum demas, ejicit. Paullatim urbibus a se deficientibus, quod asperius cum iis ageret, resumpta Tarentinorum causa a Curio cos. ad Maleventum victus V. C. 479 his turpiter desertis Epirum repetit, Antigono Gonatae Macedoniam eripit usus adjutoribus Gal-

lis, qui ne quidem ab ipsa regii apud Aegas mausolei rapina manus abstinuere. Peloponneso rerum novarum spem eminus offerente huc repente profectus Spartam ipsam paene obruit, mox in mediis Argis conserta pugna, maximo elephanto ex vulnere collapso angustos aditus impediente, a muliere lapidis dejectu graviter vulneratus, suis opem ferre non valentibus obtruncatur V. C. 482. Nihil in Pyrrho mediocre, virtutes summae, moderatio, facilitas in amicos, in referenda gratia studium, animus in adversa etiam fortuna infractus, corporis robur incredibile. Quae fuerit in eo rei militaris peritia, experti sunt orbis victores Romani, et memorabile est dictum Hannibalis apud Plutarchum, Pyrrhum primo, Scipionem secundo, se tertio loco designantis. At idem perpetuum cupiditatis et inconstantiae argumentum, qui omissa praesente fortuna semper remotam dubiamque sectaretur, et eandem nactus accedente ejus fastidio alteri rursum intenderet. Dictum adeo verissime Ennio, ut est apud Ciceronem [n]):

stolidum genus Aeacidarum,
Bellipotentes sunt magi' quam sapientipotentes.

Liberos habuit ex Antigona Berenises F. *Ptolemaeum* in obsidione Spartae caesum, ex Lanassa Agathoclis F. *Alexandrum II.*, et juxta Justinum novissimum *Helenum*, sed juxta Plutarchum ex Bircenna Illyride.

Numi:

Vna fere est eruditorum sententia, eos Pyrrhi numos, qui sive operis elegantia, qua plerique in paucis spectabiles sunt, sese commendant, sive typos in Siculis numis obvios continent, in Sicilia signatos eo biennio, quo imperium in insula obtinuit. Vnicum est, quod huic obesse sententiae videtur, quod in his Pyrrhi numis constanter scribitur ΒΑΣΙΛΕΩΣ, cum tamen in regum Siciliae moneta, sive qui praecessere, sive qui secuti sunt, perpetuo legatur ΒΑΣΙΛΕΟΣ, neque sit verisimile, Siculos in feriundis huic regi numis ab instituto discessisse. Numum Parutae, in quo scriptum: ΒΑΣΙΛΕΟΣ [o]), non moror, nam in simili, quem correctius edidit Pellerinius [p]), obtinet ΒΑΣΙΛΕΩΣ.

1. *Caput Palladis galeatum, pone aquila expansis alis.* ✠ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΠΥΡΡΟΥ. *Victoria gradiens d. coronam, s. tropaeum.* AV. m. m. (Dorville Sicula tab. 16.)

2. *Caput Dianae prominente pharetra.* ✠ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΠΥΡΡΟΥ. *Idem typus, in area fulmen.* AV. III. (Mus. Caes.)

3. *Caput Proserpinae spicis coronatum.* ✠ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΠΥΡΡΟΥ. *Pallas gradiens d. hastam intorquens, s. clypeum praetendens, in nonnullorum area fulmen.* AV. III. (Pembrock. tab. I.) AR. II. III. (Mus. Caes.)

4. ΠΥΡΡΟΥ. *Caput Proserpinae simile.* ✠ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. *Mulier sedens d. cornucopiae, s. hastam.* AE. II. (Dorville l. c.)

n) de Divinat. L. II. c. 56. o) Tab. CLV. p) Rois Tab. III.

5. *Caput juvenile diadematum oblongis crinibus, pone sceptrum.* ✕ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΠΥΡΡΟΥ. Typus similis. AE. II. (Pellerin.)

6. *Caput barbatum diadematum.* ✕ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΠΥΡΡΟΥ. *Fulmen.* AE. II. (Theup.)

7. *Caput Palladis galeatum.* ✕ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΠΥΡΡΟΥ. *Ferrum hastae intra quernam.* AE. II. (Pellerin.)

8. ΠΥΡ. *(in monogr.) inter scuta Macedonica.* ✕ ΒΑΣΙ. *Meta, infra quam monogramma, omnia intra quernam.* AE. III. (Mus. Caes.)

9. *Caput Palladis galeatum.* ✕ B. ΠΥΡ. *(in monogr.) Elephas.* AE. III. (in meis Num. vet. p. 103.)

10. *Caput Palladis galeatum.* ✕ ΠΥΡΡΟΥ. *Cupido delphino vectus.* AR. II. (Pembrock P. II. tab. 50.)

11. *Caput Pyrrhi diadematum.* ✕ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΠΥΡΡΟΥ. ΗΠΕΙΡΩΤ. *Currus tractus a duobus elephantis, super collum ductores, in curru Victoria stans d. palmam, s. coronam, pone tropaeum.* AR. m. m. (Sic numus describitur in museo Theupoli.)

Capita Palladis, Dianae, Proserpinae, typi Syracusanis familiares, tum et labor in his delicatus persuasere viris in palaestra nostra exercitatis, ut patriam his numis Siciliam adsignarent. Enimvero caput Proserpinae, quod numi loco III. positi exhibent, adeo secundum omnes apices simile est capiti ejusdem deae, quod sistunt numi Agathoclis, ut fere cogant profiteri, idem utrisque esse solum natale. Si Dianae et Proserpinae cultus Pyrrho fuit externus, Palladis fuit domesticus, nam eam praecipue sibi demereri studuit, sive cum Athenas ingressus conscensa arce publice Palladi sacra faceret q), sive cum spolia victis a se Gallis detracta Palladi Itonidi in Thessalia dedicaret addito epigrammate, quod servavit Plutarchus r). Eundem cultum propagatum etiam a filio Alexandro, ex hujus numis patebit. Aquila numi I. pone Palladis caput adludere videtur ad cognomen *aquilae* Pyrrho inditum, quod referunt Plutarchus s), et Aelianus t).

Numum VII. deberi Epiro, colligimus ex modo partis aversae prorsus Epirotico. At numus VIII. ex Macedonico et Epirotico participat. Nomen regis monogrammate ligatum, trajectum in aversam ΒΑΣΙ., corona ex scutis contexta Macedoniam olent, cui et bis praefuit; meta intra quernam ad patrium Epiri regnum pertinet. Numus IX. elephantem sistit, quod animal ut saepe Pyrrho ad victorias profuit, sic et in praelio apud Argos exitii causam fuisse, supra narravimus. Quare et in monumento, quod illi statuerunt Argivi, sculpti erant elephanti u).

Vereor, ut omnis fides habenda sit numo XI., quem ex museo Theupoli descripsi. Caput regis in numis Epiri insolens, (nam Goltzianos aspernamur) et

q) Plut. in Pyrrho p. 398. r) l. c. p. 400. s) in Pyrrho. t) de Nat. anim. L. VII. c. 45. u) Pausan. L. II. c. 21.

molestum est scriptum ΗΠΕΙΡΩΤ. pro ΑΠΕΙΡΩΤΑΝ, praeterea typus aversae pro Pyrrhi aevo nimium locuples, et Romanum modum redolens.

Locus postulat, ut et de Pyrrhi effigie, si quam numi exhibent, disseramus, cum de ea copiosus sermo fuerit iis, qui statuas et gemmas veteres descripsere. Illustre signum ex marmore Pario, quod nunc est in Capitolio, capite galeato et prolixe barbato, cetera paludatum, sinistra clypeum humi attinens, sed qui est moderni operis, ut et pedes turpiter crassi, jam ante annum a nato Christo MDLXII. appellationem Pyrrhi tulit. Reperio enim in opusculo Venetiis eodem anno vulgato, cui titulus: *Le antichità della città di Roma per M. Ulisse Androandi opera - - - in questa quarta impressione ricorretta*, jam tum Pyrrho illud tributum, et a nobili viro Maximo duobus scutatorum millibus emptum (Pag. 168). Ejus credo appellationis praecipua causa fuerit, quod in paludamento sculpta sunt elephantorum capita; verum in eodem aliorum etiam animalium capita reperias, ut arietis etc. Non multo post grave huic sententiae monumentum attulit Goltzius edito numo, in quo: *Caput galeatum barbatum*. ΧΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΠΥΡΡΟΥ. *Victoria tropaeum statuens* [x]). Ita fieri consuevit, ut opinio semel concepta per communem adsensum sic evadat praejudicata, ut etiam sine ratione satis per se sola valeat auctoritas, eamque securi posteri aut admittant facile, aut non audeant impugnare. Haec una in causa fuit, cur ne magnus quidem Spanhemius permissum sibi putaret exturbare e Campaniae numis creditum diu Minotaurum, etsi hunc certa veterum testimonia palam inficiarentur. Praeeunte igitur Capitolina hac statua, quotiescunque antiquarii caput galeatum barbatum, et adfinia oris lineamenta sive in marmore, sive gemma conspexere, manifestus continuo Pyrrhus evasit, ut vel ex uno Sponii judicio satis potest colligi [y]). Quo factum, ut musea omnia credita hac Pyrrhi effigie abundarent. Inveteratam hanc opinionem, quam non multis abhinc annis adhuc Bottarius in catalogo statuarum Capitolinarum certam tenuit, primus, ut puto, solicitare coepit Winckelmannus provocando ad ipsos numos velut certos controversiae judices [z]), et secutus argumenta, quae jam Cupero scrupulos injecere [a]). Universa igitur causa cum ex numis pendeat, in hos anquiramus.

Jam primum ad definiendam Pyrrhi effigiem nihil confert numus ex Goltzio citatus, qui caput galeatum barbatum exhibet non absimile illi, quod est in statua Capitolina. Esto, numum esse genuinum, quis caput illud esse potius Pyrrhi, quam Martis poterit praestare, praecipue cum videamus, in antica numorum ejus regis, quos descripsimus, variorum exhiberi numinum capita? Simile

---

[x]) in Graecia Tab. IV. [y]) Miscell. p. 138. [z]) Descript. des pierr. grav. p. 413 et Geschichte der Kunst S. 355. Dresd. Ausg. [a]) de Elephant. exerc. II. c. 1.

Martis caput frequenter conspicimus in numis Bruttiorum, aliorumque populorum, quin et in Romanis adscripto insuper MARS. VLTOR. Ad haec dubia cum adverteret Cuperus, verior Pyrrhi effigies videbatur ea, quam exhibent numi quidam argentei, in quibus hinc est caput virile imberbe laureatum, illinc elephas stans. Verum hos numos esse Punicos, et caput illud Herculis Tyrii, alio loco demonstrabimus. Denique Winckelmannus et Cuperus alium numum respexere, in quo: ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΠΥΡΡΟΥ. *Caput virile imberbe diadematum.* X ΒΟΥΘΡΩΤΙΩΝ. *Victoria procumbentem taurum feriens.* Adde binos alios cum epigraphe ΘΕΣΠΡΩΤΙΩΝ. Numi hi uni Goltzio visi. Si genuini, tenemus Pyrrhum Capitolinum large barbatum per duo et amplius saecula impostorem, sin, quod verisimile, ficti, nihil hactenus de Pyrrhi effigie comperimus.

Verum an inde a Cupero nihilo plus lucis adfulsit? Oportebat istud aucto subsidiorum numero. Verum iterum perturbata omnia. Auctor musei Theupoli binos numos recitat, in quorum uno, quem loco VI. proposui, est caput barbatum diadematum. En, si fideliter descriptus numus, Pyrrhum barba iterum vestitum. Litem forte dirimeret numus ejusdem musei, quem postremum proposui, cum feratur argenteus maximi moduli, sed genarum peristasin neglexit auctor, et monui supra, numum hunc videri suspectum. Et ne quid, quod huc facere possit, indictum sit, ejus regis effigies forte petenda ex numo V., in quo habetur caput juvenile diadematum; verum crines oblongi, et uniones, quibus collum superbit, certam feminam faciunt, et ut videtur, Proserpinam, qualis est in numo IV. ceteris partibus simili. Denique ex iis, quae disputavi, istud saltem tenemus, nihil nobis hactenus certi de Pyrrhi effigie constare, omnium vero minime capita barbata galeata, quae vulgo Pyrrhi dicuntur, ejus esse regis, praecipue cum nullus ejus aevi rex Europaeus barbam usque eo promittere, ut dicta capita exhibent, consueverit. Lepidum factum, quod perhibet Lucianus [h]), praesentem causam eximie illustrat. Creditum, ait, Pyrrho, esse se Alexandro M. simillimum, et cum forte Larissae esset, ostendisse hospitae suae imagines Philippi, Alexandri, Perdiccae, Cassandri, aliorumque regum, sciscitatumque ex ea, cuinam horum similis esset, plane persuasum, fore ut Alexandrum innueret. At mulierem simplicem pernegasse, horum uni eum esse similem, quin potius Batrachioni coco, qui fuit Larissae. Ergo qui Pyrrhum fuisse barbatum contendunt, comprobent etiam, Alexandrum quoque barbam aluisse.

AV. AR. AE. R.

ALEXANDER II.

Pyrrhi ex Lanassa Agathoclis filia filius. Fratre seniore Ptolemaeo apud Spartam interempto, patre Argis caeso paternum regnum adit ducta sorore Olympiade. Macedoniae regno pulso Antigo-

h) advers. indoct.

no Gonata potitus, cum illud aliquamdiu usurpasset, ab ejus filio Demetrio non modo ejectus inde est, sed ipsa etiam Epiro spoliatus. Apud Acarnanas exul, cum Epirotas Aeacidarum stirpis desiderium teneret, ab his regno restituitur.

Ex Olympiade filium habuit *Ptolemaeum*, de quo infra.

Numi:

Caput muliebre elephanti exuviis tectum. ✕ ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ. *Pallas gradiens d. hastam intorquet, s. scutum praetendit, in area aquila fulmini insistens, et varia monogrammata.* AR. I. (Mus. Caes.) AR. III. IV. (Pembrock P. II. Tab. 54.)

Variam fortunam experti sunt hi numi, secundum varia antiquariorum judicia jam Alexandro M., jam ejus nominis Cassandri filio, jam Alexandro Syro, jam Ptolemaeo IX. Alexandro tributi. Eos meliore consilio Pellerinius Alexandro Pyrrhi F. quanquam timide tribuit [c]). Viri eruditi conjecturam commemoratis et refutatis aliorum sententiis stabilire amplius conatus sum in meis Numis veteribus [d]). Ajebam, praeclare Alexandro nostro competere caput muliebre elephanti spoliis tectum; adludi enim sive ad partas Pyrrho patri ope ejus ferae victorias, sive ad res ab Agathocle avo materno in Africa, cujus symbolum id caput haberi solet, praeclare gestas, ut sane aureum habemus Agathoclis numum, in cujus parte adversa caput muliebre simillimo cultu comparet. Pallas eodem gestu ac habitu perfrequens est in numis patris Pyrrhi, tum regum Macedoniae, cui aliquamdiu praefuit. Suffragatur etiam aquila obvium ac tritum Epiri symbolum, nisi forte adludit ad patrem Pyrrhum, quem a popularibus suis dictum *aquilam* supra ex Plutarcho docuimus. Denique et monogrammata in numis similibus comparere dicebam, quae frequenter in numis regum Macedoniae, Lysimachi, Antigoni, Demetrii occurrunt. Vide istud totum latius expensum in citato meo opere.

* * *

Caput muliebre elephanti exuviis tectum. ✕ ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ. *Victoria stans d. coronam, s. tridentem, juxta ancora.* AE. III. (Pellerin Rois tab. VI.)

Caput Herculis imberbe leonis rictu tectum. ✕ ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ. *Fulmen, infra corona.* AR. IV. (Pellerin Additions p. 12.)

Caput Herculis simile. ✕ ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ. *Aquila fulmini insistens, et respiciens.* AE. III. (Mus. Caes.)

Pellerinio post multas conjecturarum ambages numus ex praesentibus primus tribuendus Ptolemaeo IX. videbatur. Ejus causae utrum valere possint, examinabimus in numis hujus Aegypti regis. Cur potius Alexandro nostro tribuendum putem, in causa est, quia caput cum elephanti exuviis etiam est in argenteis praecedente articulo descriptis. Si ergo hi vere sunt hujus Alexandri, verisimile est, etiam hunc, de quo agimus, ejusdem esse

c) Rois p. 31. d) pag. 104.

regis. Deinde idem nonnullo jure uti in numis potuit typo, quo in suis usus est Alexander M., videlicet Victoria tridentem gestante, sive quia Macedoniae aliquamdiu praefuit, sive quia idem cum Magno nomen habuit. Numum alterum Pellerinius Epiroticum quidem statuit, sed Alexandro I. largitur omissa omni judicii sui causa. Malim tribuere alteri, quia certi Alexandri I. numi patris Neoptolemi mentionem addunt. Tertio similem Vaillantius esse Ptolemaei X. sanxit, sed causis omnino infirmis, ut dicetur in hujus moneta. Quis vero propiora dixerit, eruditi lectoris arbitrium esto.

AR. et AE. RR.

PTOLEMAEVS.

Alexandri II. ex Olympiade filius, primum sub matris tutela, deinde sui rex arbitrii contracto non multo post per iter morbo mortuus est, relicto filio et regni haerede Pyrrho. Haec ex Justino [e]), et Pausania [f]).

N u m i :

Caput muliebre cum corona fastigiata floribus distincta. ✕ ΠΤΟΛΕΜΑΙΟ. *Aquila stans, in area corona, in alio astrum.* AE. III. (Mus. Caes.)

Numum hunc alias vulgavi explicuique [g]). Binos huic similes edidit Pellerinius, nisi quod in suis tantum legerat ΠΤΟΛΕΜΑΙ., eosque, etsi diffidenter, tribuit Ptolemaidi Cyrenaicae [h]). At cum in numo praesente viderem, epigraphen ΠΤΟΛΕΜΑΙ consequi literam O vix dubiam, procul sane habenda fuit quaecunque Ptolemais, et explenda epigraphe legendo ΠΤΟΛΕΜΑΙΟυ. At cujus Ptolemaei hic erit numus putandus? Duos id genus numos olim in agmine incertorum Ptolemaeorum Aegypti regum recensui [i]). Serius cum expenderem, certam Aegypti regum monetam omnibus modis a praesente differre, neque enim in illius antica unquam caput sic cultum reperias, aut nomen regis aliter, quam in orbem scriptum, cum in hoc nostro sit linea recta, aut omissum titulum ΒΑΣΙΛΕΩΣ, coepi alterius regionis Ptolemaeum investigare. Et erant causae plures, quae persuasere, ut in hoc Ptolemaeo acquiescerem. Caput muliebre cum corona hujus formae habemus in numis Cassopaeorum Epiri, aquila propter Jovem Dodonaeum perpetuus monetae Epiroticae incola, omissum semper in Epiri regibus nomen ΒΑΣΙΛΕΩΣ, si Pyrrhi numos demas, sed quos plerosque eruditi foris signatos putant, neque in his unquam scriptura in orbem, sed lineis rectis ducta. Haec si recte sunt disputata, numi similes haud dubie erunt hujus Ptolemaei; neque enim alius hoc nomine rex Epiro praefuit; nam filius Pyrrhi Ptolemaeus patre adhuc vivo Spartae interiit, ut in Pyrrho diximus.

AE. R.

---

e) L. XXVIII. c. 1. 3. f) L. IV. c. 35. g) Sylloge I. p. 85. h) Rec. III. p. 13.
i) Catal. mus. Caes. P. I. p. 264. n. 35. 36.

MOSTIS.

Capita jugata, Jovis laureatum et Junonis. ✠ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΜΟΣΤΙΔΟΣ. *Aquila fulmini insistens, in area monogramma* ΠΑΡ. AE. III. (Mus. Caes.)

Caput barbatum galeatum. ✠ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΜΟΣΤΙΔΟΣ. *Thorax, in area simile monogramma.* AE. III. (Pellerin. Rois p. 31.)

Caput regis diadematum. ✠ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΜΟΣΤΙΔΟΣ. ΕΠΙ. ΣΑΔΑΛΟΥ. ΕΤΟΥΣ. ΛΗ. *Pallas sedens d. Palladium, s. hastam, in area monogramma* KM. AR. I. (Sestini Lettere T. IV. p. 81.)

Priorem primus vulgavit Froelichius [k]), qui tamen peccavit legendo ΜΟΣΤΙΔΟΥ, cum in numo illo integerrimo, perinde ac in Pelleriniano luculentum sit ΜΟΣΤΙΔΟΣ. Cum nemo veterum regis Mostidis meminerit, ad conjecturas versus vir egregius, quoniam in numis communi Epirotarum nomine signatis similia habentur capita jugata, et aquila perpetuus est Epiri typus, verisimile visum, cimelium istud in Epirum aut vicinum Illyricum vocandum. Pellerinius Froelichii quidem conjecturam collaudavit, tamen magis in Dalmatiam inclinavit animus, quia in numis inscriptis: METAL. DELM. thorax quoque expressus est. Res haetenus incerta. An scalptoris factum imprudentia, ut in numo Pellerinii expressum sit caput galeatum barbatum, cum tamen auctor diserte profiteatur, in parte adversa exhiberi caput regis diadematum? Credam potius erratum ab auctore, nam thorax cum capite Martis probe componitur.

Hactenus haec unica fuere hujus regis indicia, cum nuper accessit aliud ex illustri argenteo, quem tertium posuimus. Sed neque istud indicium desideratam lucem adfert. Ait Sestinus praeco. remotissimae eum esse antiquitatis, *(della più grande antichità)* quod quidem mirum videatur, cum in eo legatur annus regni, et magistratus *Sadales*, at ex vetustissimis regum numis similia abesse soleant, quos constat cultus fuisse simplicissimi. Cum Sadalis nomen fuerit proprium nonnullis Thraciae regibus, suspicatur leviter Sestinus, fuisse hunc Mostidem partis Thraciae regem. Verum haec omnia incerta, neque suis carent difficultatibus, et mirum sane, regis, cujus imperium in annum XXXVIII. teste hoc numo porrectum fuit, nisi annus epochae potius est, omnem interiisse memoriam.

AR. et AE. RRRR.

C O R C Y R A.

Dicta *magna*, ut discerneretur a minore altera magis intus in sinu Adriatico posita, de qua infra. Insula nobilis Epiro opposita, et numismatica penu in-

k) Reg. vet. numi p. 51.

clyta. Olim dicta *Scheria*, et habitata a Phaeacibus Homerica poesi celebratis, dicta subinde *Corcyra*, hodie *Corfù*, fuitque una ex Corinthi coloniis, ut dicetur.

Autonomi.

Bos vitulum lactans, superne astrum, prora navis etc. ※ KOP. *Area linea transversa et globulis in quatuor partes secta, foris varia attributa.* AR. II. (Mus. Caes. alibi.)

Bos vitulum lactans. ※ *Sine epigraphe. Astrum.* AR. II. (Pellerin Rec. I. tab. XI. n. 8.)

Diota, in aliis juxta hanc diota minor alterius formae, et vas monotum, adscripto KI. ※ KOP. *in aliis* ΚΟΡΚΥΡΑΙ. *scriptum intra radios astri.* AR. III. (Mus. Caes.)

ΚΟΡΚΥΡΑΙ. *Bos dimidius.* ※ *Binae areae quadratae, in quarum medio astrum, in area hinc botrus, inde diota, et* KI. AR. II. (Mus. Caes.)

Primus atque alter ex citatis in antiquioribus Corcyrae numis habendi. Alterum anepigraphum Pellerinius Dyrrhachenis inseruit, sed satis apparet ex numo I., ac praecipue III. et IV., fuisse astrum quoque in solitis Corcyrae symbolis.

Typus uterque numi I. in numos quoque Apolloniae et Dyrrhachii fluxit, quas constat fuisse Corcyrae colonias. Quare in hujus insulae moneta, velut patriae, typi sententia investiganda. Antica haud dubie laeta insulae pascua, et armentorum copiam praedicat. Nobilior aversa, quae ex Begeri sententia celebratos ab Homero Alcinoi hortos, qui hanc insulam, olim Phaeacum dictam, celebrem reddidere, proponit, quod judicium antiquarii sequentes amplexi sunt. At Barthelemyus quadratum illud reliquias veteris et informis quadrati, in area vetustissimorum numorum hiantis putat [l]). Praeplacet vetus opinio, quam alibi etiam stabilire adnisus sum [m]). Nam I. quadratum illud satis commode cum hortorum imagine, quam nobis pinxit Homerus, conspirat. II. Non videtur credibile, Apolloniatas, et Dyrrhachenos, quo se colonos Corcyrae profiterentur, symbolum sterile ac jejunum, quale esset ornamentum illud nullo sensu, voluisse monetae suae inferre. III. Si quadratum istud demus successisse in locum veteris informis quadrati, nihil obest, quo minus idem sentiamus de quadrato, quod exstat in numis Cnossi, quod ab omnibus pro decantato labyrintho habetur. Vt ergo haec Cretae urbs honorificum sibi duxit, vetere hoc urbis suae monumento in publica moneta gloriari, sic et Corcyrensibus decorum visum, veteris sui regis memoriam, et culta ab eo pomaria resuscitare. IV. Ex pluribus exemplis aliis satis constat, urbes Graecas summo id sibi honori duxisse, si quid rerum suarum Homeri versibus celebratum erat, atque id ipsum studiose monetae suae inserere ambivisse. Quod ipsum adeo placuisse Corcyrensibus certum videatur, praecipue cum non semel in oculis Grae-

l) Mem. B. L. T. XXIV. p. 30. m) Num. vet. p. 106.

ciae eos gloriatos norimus, se ab Alcinoo et Phaeacibus genus suum derivare, de quo pluribus agam infra in numis coloniarum Corinthi. At quadratum istud, ajunt, qui a Barthelemyo stant, in numis aliis, ceu in II. ex citatis, est formae rotundae, et instar astri, et multum abludens a descriptione Homerica. Ajo ego, eam imaginem non esse instar astri, sed esse astrum ipsum, unumque ex symbolis certis, quae sibi adscivere Corcyrenses, ut supra dixi, atque etiam ut forma in aliquibus foret rotunda, an non et Cnosi labyrinthum jam quadrata, jam rotunda, jam tortuosa in numis forma pictum habemus? At numus Apolloniae Nymphaeum ardens quadrato huic includit. Quis vero artificem tam ineptum sibi persuadeat, qui montem ignivomum Alcinoi hortis imposuerit? Nimirum, ajo, et ineptus is artifex, qui totum montem Argaeum capiti genii Caesareae Cappadociae imposuit. Si quid video, monetarius Apolloniates voluit conjungere et symbolum urbis proprium Nymphaeum, et alterum Corcyra metropoli tractum, eodem modo, quo videmus, in numo ex citatis IV. pleraque Corcyrae symbola in unum congesta, hortos Alcinoi, astrum, botrum, diotam, quo modo monetarius ille, qui in denario M. Caecilii Metelli caput elephanti clypeis Macedonicis clausum proposuit, duplex conjunxit gentis Caeciliae decus, elephanto victoriam de Asdrubale, clypeis victoriam de Pseudophilippo indicantibus. In symbolorum vero compositione tam parum veritati intendit antiquitas, quam parum istud praestat nostrum aevum, cum nobilium insignia ex rebus, quae sibi saepe maxime adversantur, componit.

Epigraphe in Corcyrae numis multum variat. Videas in his K. KO. KOP. KOPK. KOPKΥPA. KOPKΥPAI. KOPKΥPAIΩN. In multis nomen urbis manifestat monogramma ($\overset{P}{K}$, $\overset{P}{K}$ aut similiter. At Graecis scriptoribus fere constanter dicitur Κερκυρα.

Illustriores numi alii sunt.

AΓPEΥC. *Vir togatus stans d. serpentem tenet; nonnunquam stat inter duas columnas.* X ZEΥC. KACIOC. *Juppiter sedens in templo distylo d. hastam.* AE. II. (Mus. Caes.)

KOPKΥPA. *Caput Corcyrae laur.* X ZEΥC. KACIOC. *Idem typus.* AE. II.

Numus prior ab antiquariorum libidine multum vexatus. Mazzochius, cum in eo legeret ATPEΥC, Hadriae Piceni tribuit [n]) adplaudente Paschale Magnonio [o]). Jacobus de Barry Petrae Arabiae, quae *Agra* olim vocabatur [p]). Satis non hodie solum, sed jam inde ab Andrea Marmora [q]) constat, numos hos esse Corcyrenses, etsi insulae nomen non addatur, atque etsi istud aliunde non constaret, docerent tum numus ex propositis alter, tum numi imperatorii inde ab Antonino, in quibus frequenter idem *Agreus* et *Jupiter Casius* recurrunt, et dubi-

n) Tab. Heracl. p. 528. o) Diss. de Paesti Origin. p) Reland. Palaest. illustr. p. 689. q) Hist. Corc.

tari nequit, autonomos hos eidem aetati deberi. Explicanda jam utraque numi facies.

ΑΓΡΕΥС. Sponius hoc typo exhiberi Pana arbitratus est, qui teste Hesychio ab Atheniensibus dicebatur Αγρευς [r]). Ego alibi conjectavi, hoc nomine intelligi Aristaeum Apollinis et Cyrenes filium repertorem mellificii, olei, eundemque et pharmaceuticae cumprimis gnarum, qui nomine Αγρεως a Graecis colebatur, de quo vide plura in meis Numis vet. [s]).

ΖΕΥС. ΚΑСΙΟС. *Juppiter Casius*, vel *Cassius*, qui in altera hujus insulae urbe Cassiope templum hoc nomine habuit teste Plinio, et Suetonio in Nerone. Idem ΖΕΥС dictus ΚΑСΙΟС colebatur etiam apud Seleuciam Syriae, et ejus quoque monetae inscriptus legitur, sed hic ejus appellationis alia fuit causa, et hujus imago fuit lapis informis. Tertius *Jupiter Cassius*, sed numis indictus, fuit juxta Pelusium Aegypti [t]). Teste Achille Tatio fuit ejus statua juvenili aetate, dexteram porrigens, qua malum Punicum continet, ejus vero mali causa occulta [u]).

ΚΟΡΚΥΡΑ. Fuit Corcyra, cujus in numo altero caput proponitur, Asopi Achaiae fluvii filia, Phaeacis mater, quae ab amasio Neptuno in hanc insulam translata huic nomen dedit [x]), cum Scheria ante vocaretur. Sed Apollonius non in hanc Corcyram, sed alteram dictam *nigram* translatam finxit [y]) contradicente alibi ejus scholiasta, et cum prioribus sentiente [z]).

* * *

ΟΛΒΑСΑ. ΒΟΥ - - *Caput muliebre velatum.* ⵅ ΚΟ. *Caput bovis intra coronam.* AE. II. (Pellerin Suppl. III. p. 111.)

Pellerinius nomine ΟΛΒΑСΑ latere urbis nomen ratus numum Olbasam Pisidiae transtulit, censuitque, vocem alteram ΒΟΥ - - - legendam explendo βεβοτος, vel βετροφος. Verum cum in numis Graecis urbis nomen plerumque inscriptum sit parti aversae, et caput velatum, typus item capitis bovini exstent frequenter in numis certis Corcyrae, et hujus insulae numi inscribantur saepe solis literis ΚΟ, mallem hunc numum Corcyrae tribuere, et forte *Olbasa* est nomen ejus feminae, quae capite velato proponitur, ut in numo superiore το ΚΟΡΚΥΡΑ referendum ad caput, cui ea vox adscripta est.

* * *

Bacchus panthera vectus d. telum intorquet. ⵅ ΚΟΡ. *Faunus caudatus liquorem ex diota una in aliam effundit.* AE. III. (Mus. Caes. alibi.)

Hos numos Froelichius Corcyrae parvae, quae et *nigra* dicta est, magis intus in Adriatico sitae, hodie *Curzola*, tribuendos putavit, ut et alios cum ty-

---

r) Misc. p. 76. s) pag. 107. t) Strabo L. XVI. u) Erotic. L. III. x) Pausan. Corinth. c. 5. Diodor. L. IV. c. 72. y) L. IV. v. 567. z) ad L. IV. v. 983.

po aquilae et Victoriae [a]), at Pellerinius huic nostrae Corcyrae. Decidetur lis, cum noverimus, in utra id genus numi effodiantur frequentius. Sed et istud propter contraria indicia incertos nos reddit. Froelichius suos sibi ab eo tractu Dalmatiae, qui Corcyrae nigrae vicinior est, adlatos adserit. Suos etiam auctores habet Neumannus, quorum testimonio in hac eos potissimum reperiri constet, quae causa est, cur consentire ipse Froelichio cogatur [b]). At diversum ab his docet ill. Jacobus Gradenigo, qui datis ad me literis testatus est, omnes hujus naturae numos, quos museum suum servat, se reperisse in insula hodie dicta *Corfù*, verum adhibita omni diligentia nihil se unquam monetae veteris in Corcyra parva reperisse. In similibus numis minus integris non satis liquido apparet nexus caudae cum ipso Fauno, sic ut, quod reipsa cauda est, Froelichio et Pellerinio pisciculus adstitutus videretur. Subinde Khellius, cum pro cauda oratorem ageret, causa ejus litis, piscisne sit, an cauda, exstitit, quam, si tanti putas, disputatam vide apud Pellerinium [c]).

* * *

Caput Neptuni laur., pone tridens. ℞ KO. *Caput bovis intra coronam.* AE. III. (Mus. Caes.)

Id genus numos Goltzius et Harduinus permisere Macrocephalis Ponti, Pellerinius Crotoni. At monogrammatis forma persuadet, eos Corcyrae restituendos, et monuit me ill. Gradenigo, similes numos a se repertos in hac ipsa insula. Neptunus jure huc pertinet, nam ab hoc Phaeacas traxisse genus, narrat Homerus.

* * *

Caput Bacchi hedera coronatum. ℞ K P *Pegasus volans, per aream varia monogrammata.* AR. fere II. (Mus. Caes.) In alio: *Pegasus capite palmato volans, superne monogramma* APK., *infra prora navis.* AR. fere II. (Mus. Caes.) His adde numulos AR. III. in quibus: *Caput Apollinis*, vel *Caput muliebre.* ℞ *Pegasus volans.* (Mus. Caes.)

Monogrammata haec in Corcyrae moneta passim obvia numos hos huic insulae facile vindicant. Praeter hoc indicium pondus etiam non leve adfert Pegasus, nam, ut dictum, fuit Corcyra certa Corinthi colonia, de quo uberius agetur in numis coloniarum Corinthi. Confidenter etiam huc refero numum alterum, qui barbaram nonnihil fabricam olet, propterea quod paucissimis demptis praecedenti totus est similis, neque a sententia me divellit leve dubium a Pellerinio motum [d]).

* * *

KOP. *Bos dimidius.* ℞ ΣΩ. *Botrus.* AE. III. (Mus. Caes.)

---

a) Animadv. in num. urb. p. 5. b) Num. pop. p. 178. c) Suppl. III. p. 63. d) Rec III. p. 125.

ΕΥΔ. *Diota.* ℞ ΣΩ. *Botrus.* AE. III. (Pellerin Rec. III. tab. CII.)

ΣΩ. *Diota.* ℞ AMA. *Prora navis.* AE. III. (Pellerin Rec. III. tab. CXVII. n. 2. Neumann Num. pop. p. 193.)

Caput Herculis leonis rictu tectum. In aliis: *Caput Neptuni, pone tridens.* In aliis: *Capita jugata virile imberbe laureatum et muliebre.* ℞ ΚΟΡΚΥΡΑΙΩΝ *addito magistratu:* ΦΙΛΩΤΑΣ. ΦΑΛΑΚΡΟΣ, *etc. Navis.* AE. II. (Mus. Caes.)

Numum ex his alterum Pellerinius Solis Cypri tribuit, quod judicium non modo evertit illud, quod haec urbs constanter Σολοι, nunqum Σωλοι scribitur, sed etiam quod diota, botrus, et ipsae hae literae ΣΩ obviae sunt in Corcyrae moneta. Sane numus ex hic descriptis primus alterum quoque Pellerinianum sibi pleno jure vindicat, etsi Pellerinius veterem suam sententiam adversus ea, quae objeceram [e]), iterato tueatur [f]). Huc quoque pertinere numum III., ea quae dixeram, abunde confirmant, et το AMA. notare magistratum, non, quod leviter conjecerat Pellerinius, Amathuntem Cypri, numi consequentes palam docent. Quid literae ΣΩ toties monetam Corcyrensem insidentes sibi velint, decidere non tento. Magistratus initium putarem, sed video, idem ΣΩ saepe etiam occurrere in moneta Tarenti et Syracusarum.

Typus Bacchi, diotae, botri vini abundantiam et praestantiam eloquuntur, ut typus Neptuni, Tritonis, navis, acrostolii potentiam maritimam, qua Corcyraeos fretos gravia cum vicinis bella suscepisse ex historicis abunde constat.

AR. et AE. C.

Imperatorii.

His feriundis non segnius vacavit Corcyra, quos Vaillantius a Trajano usque ad Alexandrum Sev. deducit. At his antiquiorem obtulit Marmora in sua Corcyrensium historia:

M. ΑΝΤΩΝΙΟΣ. ΟΚΤΑΒΙΑ. *Capita jugata M. Antonii laureatum, et Octaviae.* ℞ ΚΟΡΚΥΡΑΙΩΝ. ΦΙΛΩΤΑΣ. *Navis.* AE. II.

Numi hujus ab auctore non satis idoneo vulgati probitatem confirmavit cl. Gallandus, dum in numo simillimo sibi oblato secundum indicium Marmorae revera videre literas M. ANT - - sibi videretur. Quod si in suo Octaviae nomen non comparet, in causa esse, quod exerrante dextrorsum matrice exclusum penitus fuit [g]). Idem numus integerrimus exstat in museo Caesareo, et vidi similes alios plures, in quibus non modo nulla fit seu Antonii, seu Octaviae mentio, verum etiam vultus lineamenta a cognitis Antonii longe abludunt. Quovis pignore certarem, nomina Antonii et Octaviae addita fuisse ab erudito quodam falsario, cui ex historia constitit, Antonium et Octaviam V. C. 717. in hac insula aliquamdiu moratos, hunc vero numum non differre ab iis, quos

e) Num. vet. p. 107. f) Additions p. 72. g) B. L. T. V. p. 193.

paragrapho praecedente inter autonomos citavi.

Typi fere iidem, qui in autonomis. *Juppiter Casius*, *Agreus*, *Pegasus*, *Navis cum remigantibus.*

AE. C.

PYTHIONIA.

Insula prope Corcyram, cui *autonomum* inscriptum ΠΥΤΙ. tribuit Haymius [h]), utrum recte, jure in subjecta nota dubitat Khellius. Legendum potius ΠΑΡΙ. suspicatur cl. Sestinus, et esse Parii Mysiae [i]).

A C A R N A N I A.

Vniversae regionis nomine *autonomi* cogniti, quorum praestantissimos vide apud Hunterum.

ΑΙΣΧΡΙΩΝ. ΑΣΧΡΙΩΝΟΣ. *(vel aliter). Caput virile imberbe cum cornibus taurinis in tauri collum abiens.* ✠ ΑΚΑΡΝΑΝΩΝ. *Apollo nudus sedens d. arcum praetendit, ante eum cornu copiae.* AV. III. (Hunter.) AR. I. (Mus. Caes. Pembrock.)

ΝΑΥΣΙΜΑΧΟΣ. *Caput simile, sed barbatum.* ✠ ΑΚΑΡΝΑΝΩΝ. *Jupiter nudus gradiens d. fulmen vibrat, s. extenta aquilam.* AR. II. (Pellerin.)

Monstrum biforme in his numis certus est Achelous. Vt Fluvii taurina forma passim fuere effícti, saltem si auctorum veterum testimonia audias, de quo argumento adfatim egi in dissertatione Campaniae numis subjecta, ita tauri persona Acheloum cumprimis decuit, quem docet mythologia ejus animalis specie Dejanirae amasiae causa cum Hercule congressum, sed ab hoc male multatum effracto altero cornu, quod deinde cornu copiae, vel Amaltheae nomine poetarum carminibus celebre evasit, quam fabulam vide lepide propositam ab Ovidio; tum etiam Diodoro Siculo, qui allegoricum quoque ejus sensum subjicit [k]). Praeclare secundum hos numos Dejanira ipsa Acheloum taurum describit apud Sophoclem [l]):

Μνηστηρ γαρ ἠν μοι ποταμος, Αχελωον λεγω,
Ος μ' ἐν τρισι μορφαισιν ἐξαιτει πατρος
Φοιτων ἐναργης ταυρος, ἀλλοτ' αἰολος
Δρακων ἑλεικτος, ἀλλοτ' ΑΝΔΡΕΙΩ ΤΥΠΩ
ΒΟΥΚΡΑΝΟΣ, *ἐκ δε δασκιου γενιαδος*
Κρουνοι διεῤῥαινοντο κρηναιου ποτου.

Procus enim erat mihi fluvius, Acheloum puto,
Qui me ter varia specie petiit a patre
Accedens manifestus taurus, alias varius
Draco tortuosus, alias VIRILI FORMA
CAPITE BOVINO, ex densa vero barba
Fontes fluxerunt potabilis aquae.

Cl. Ignarra quartum versum reddit: *cum*

h) T. II. p. 170. i) Lettere P. III. p. 29. k) L. IV. c. 35. l) Trachin. sub init.

virili facie bucerus [m]). Durum istud, cum βȣκρανος certo *bovinum caput* notet. Istud tamen sibi permissum putat, quoniam si caput bovinum esset intelligendum, subjicere poeta non potuisset, *ex densa barba fluxisse aquas*, sed ex palearibus. Haud dubie ex eodem Sophoclis loco Acheloum suum sumpsit Philostratus, dum eum sic describit [n]): *και ἀνδρος τȣτȣ ἡμιθηρος, βȣπρωρα μεν γαρ ἀυτῳ προσωπα, και γενειας ἀμφιλαφης, πηγαι τε ναματων ἐκπλημυρȣσαι τȣ γενειȣ*, *et viri hujus semiferi, tauriformis enim ei facies et barba hispida, fontesque lympharum manantes a mento.* Et vero nisi Ignarrae sententiam amplectimur, et si secundum Sophoclem et Philostratum statuimus, Acheloum totum virum in tauri tantum caput exivisse, nullum habemus discrimen Acheloum inter, et Minotaurum, ut patet ex iis, quae ad Campaniae praetensum Minotaurum disserui. Quidquid erit, omissis his poetarum figmentis si monumenta ipsa consulamus, praesentes Acarnanum, tum Athenarum et Cnossi numi, quos ibi citaveram, utrique monstro oppositam plane formam tribuunt, nimirum Acheloo caput viri, cetera taurum, Minotauro caput tauri, cetera hominem. Fieri tamen poterat, ut artifices secundum vagum hoc poetarum oraculum Acheloum quoque ad Minotauri modum nonnunquam fingerent, praecipue cum ex eorundem testimoniis constet quoque, fuisse eum omnium formarum capacem; sin istud, in nonnullis monumentis, ut in gemma Marietti [o]) satis discerni non poterit, sitne Herculis cum Acheloo, an Thesei cum Minotauro pugna intelligenda. Ceterum magnam fuisse Acheloi religionem non modo in Acarnania, sed extra hanc quoque, cl. Ignarra luculente ex Ephoro apud Macrobium probat. Ipse Acarnanum et Aetolorum agro diviso in sinum Corinthiacum exibat.

Vt Achelous, ita et Apollo jure in Acarnanum moneta habitat propter honores illustres ei apud Actium habitos, ut in hoc dicetur. Communes vero hos Acarnanum numos signatos apud Thyreum, de quo mox, dubium non est, cum hujus numis toti respondeant.

ΑΙΣΧΡΙΩΝ, nimirum *Aeschrion Aeschrionis filius* Acarnanum est magistratus. Revera Polybio memoratur Aeschrion Acarnan, qui tempore belli adversus Perseum Acarnanibus suis auctor fuit recipiendi praesidii Romani [p]).

AR. RR. AV. et AE. apud Goltzium.

ACTIVM.

A Nicopoli Ambracio sinu diremptum, celebre a victoria Octaviani, templo Apollinis, et ludis ob victoriam constitutis.

Autonomos argenteos cum capite Palladis et Pegaso, qui huc pertinent, vide in numis coloniarum Corinthi.

Fuere huic urbi adhuc alii tributi numi: *Lyra.* ℞ ΑΚΤΙΩΝ. *Gryphus.* AE.

m) de Pal. Neap. p. 240. n) Icon. p. 868. o) Num. LXXVI. p) Exc. leg. 75.

Huic Goltzius praeco nonnihil obest, etsi argumenta Apollini propria Actium non fastidiant. Alios argenteos ab eodem Goltzio editos cum capite apri, et aquila, eosque perperam lectos ΑΚΤΙΩΝ pro ΛΥΤΤΙΩΝ esse Lycti Cretae, jam satis constat. Alium edidit Paciaudus inscriptum ΑΚΤΙΕΩΝ q), sed qui Chalcidis Euboeae totus est,. ut liquet conferenti numos Pellerinianos r).

ALYZIA.

Omnibus fere geographis memorata. Addit Strabo s), Icarium Penelopes patrem filios habuisse Alyzeum, et Leucadium, qui in Acarnania regnassent, et ab his binas urbes cognomines aedificatas, Alyziam et Leucadem.

Caput Palladis. ☧ ΑΛΥ. *Caput Herculis, pone clava.* AE. III. (Hunter.)

Hunc numum tutius huic Alyziae tribuerem, quam quod visum cl. Combio, Alvonae Liburniae.

Huc etiam pertinet argenteus ΑΛΥ. typo coloniarum Corinthi, quem inter has descriptum vide.

Forte etiam hujus urbis est numus, quem vide descriptum in Alyattis Bithyniae.

AR. et AE. RRRR.

ANACTORIVM.

Ad sinum Ambracium.

Caput Apollinis. ☧ ΝΑΚΤΟΡΙΝ. *Lyra.* AE. III.

Numum hunc Gessnerus ex museo Pfau recitat t). Sed in eo legendum videtur ΑΝΑΚΤΟΡΙΩΝ, cum quod nulla urbs Nactorii nomine cognita est, tum quod typus Apollinis, cui ager Anactorii sacer fuit, huc facile pertinet.

Didrachma ΑΝΑΚΤΟΡΙΩΝ videantur in numis coloniarum Corinthi.

* * *

Olim huic urbi tribueram didrachmum: ΑΝ---ΡΙΩΝ. ☧ ΑΚΑΡΝΑΝΩΝ. *Apollo sedens* u). Verum redintegrato examine, et collato numo Pembrockiano x) apparuit, residuas anticae literas aliud non esse, quam magistratum, et explendas legendo: ΑΙΣΧΡΙΩΝ. ΑΙΣΧΡΙΩΝΟΣ, et pertinere numum ad commune Acarnanum.

AR. et AE. RRRR.

AMPHILOCHIVM et ARGOS AMPHILOCHIVM.

Fuit Amphilochia pars Acarnaniae, quo nomine argentei *autonomi* bini editi, sed a Goltzio tantum, inscripti plene ΑΜΦΙΛΟΧΙΩΝ. In horum uno *Hercules taurum domans.* De altero cum typis *Palladis* et *Pegasi* redibit sermo in numis coloniarum Corinthi.

Ejus caput agri fuit *Argos*, dictum propterea *Amphilochium*, quo ab Argis Argolidis distingueretur. Istud Argos indicant numi inscripti ΑΡΓΙΩΝ cum ty-

q) Animadv. phil. p. 85. r) Rec. III. tab. XCII. n. 13. s) L. X. p. m. 450. t) Tab. XLVII. u) Num. vet. p. 109. x) P. II. tab. II. n. 3.

po Corinthi, de quibus agetur in Corintho. Alii hujus urbis certi non exstant. Quem Pellerinius typo diversum huc vocavit, esse restituendum Argis Argolidis, in hujus urbis numis docebo.
AR. RR.

HERACLEA.

Vrbs Acarnaniae testibus Plinio et Stephano.

Pellerinius huic tribuit aeneos: *Caput Herculis.* Ӿ HPAKΛEΩTAN. *Leo gradiens vel currens, infra clava, variis monogrammatis* y). Eosdem serius rursus ademit, et revocavit Heracleam Lucaniae, sed argumentis invalidis z). Omnia in tanto Heraclearum numero incerta.

LEVCAS.

Olim peninsula angusto freto Acarnaniae conjuncta serius perfosso collo insula reddita, in qua urbs cognominis, et illustris.

Autonomi.

Diana stolata basi insistens imminente capiti lunula d. acrostolium, pro pedibus cervus (in Pelleriniano, et alio musei Caesarei praeterea noctuam tenet). In plerisque pone defixa hasta, cui insidet volucris, omnia intra lauream. Ӿ ΛEΥKAΔIΩN *addito magistratu* ΠΕΙΣΙΛΑΟΣ, *vel aliter. Navis.* AR. II. (Mus. Caes. Pellerin.)

Ara ignita. Ӿ ΛEΥKAΔIΩN. *Columba intra coronam.* AE. (Arigoni.)

Cervus, lunula, crines in nodum collecti Dianam manifestam faciunt. At quid sibi velit volucris pone posita, quae eadem quoque ex numis columba apparet, perinde ac in numo sequente, ignoro.

* * *

Caput Herculis. Ӿ ΛEΥKAΔIΩN. *Clava intra lauream addito Magistratu.* AE. III. In aliis: *Lyra.* AE. II. (Mus. Caes.)

Numi, qui lyram in aversa sistunt, certum exhibent Herculem Musarum, quod confirmant denarii Pomponii Musae. Quod si quis eam Apollini velit tribui, reperiet apud hanc urbem fanum Apollinis Leucatae, et annuum ejus honori festum obitum, per quod reus suspensis avibus plumisque ex rupe, quae *Saltus Leucadius* dicebatur, averruncandi insani amoris causa praeceps agebatur, de quo vide Strabonem a). At primus, qui voluntarium istud mortis genus elegit, fuit Phobus ex Codridarum genere, ut narrat Plutarchus b).

* * *

Bellerophon Pegaso insidens hastam intorquet. Ӿ ΛEΥKAΔ. *Chimaera.* AR. III. AE. III. (Mus. Caes. Pellerin Suppl. III. p. 42.)

Vtriusque faciei typus originem Corinthiacam palam eloquitur, cujus etiam fuisse coloniam, dicemus infra in Corintho. Nam exstant etiam didrachma

---

y) Rec. T. I. p. 90. z) Suppl. III. p. 85. a) L. X. p. 694. b) de Virt. mul.

cum solito coloniarum Corinthi typo inscripta ΛΕΤ. vel ΛΕΤΚΑΔ.
AR. et *AE. R.*

Imperatorius.

Vnicus hactenus in lucem datus, isque a Pellerinio c). Est Commodi. ΛΕΤΚΑΔΙΩΝ. *Clava intra lauream.*
AE. RRRR.

OENIADAE.

Ad ostia Acheloi.

Caput Jovis. ✕ ΟΙΝΙΑΔΑΝ. *Caput virile barbatum duplice cornu tauri praefixum, et in collum tauri abiens.* AE. II. (Mus. Caes.)

Caput Palladis. In alio: *Caput Herculis imberbe leonis exuviis tectum.* ✕ *Sine epigraphe. Idem typus.* AE. II. (Mus. Caes.)

Aversa in his numis Acheloum exhibet, ad cujus ostia urbs sita, quo loco fere fixisse sedem credebatur. Nam cum Sophocles narrat, eum in certamen pro Dejanira cum Hercule descendisse, ait, eum venisse ἀπ' Οἰνιαδᾶν, *ab Oeniadis* d). Propter argumenti concordiam etiam numi alterius loci, qui inscriptione carent, huc revocari solent.
AE. C.

STRATOS.

Ex illustrioribus Acarnaniae urbibus.

Caput forte Apollinis. ✕ ΣΤΡΑ. *Tripus, luna dimidia.* AR. III.

Hunc numum Wisius commode huc refert e). Ejus sane judicium fulcit tripus, Apollinis in hac regione eximie culti attributum.

Vtrum huc pertineat etiam numus ΣΤΡΑΤΙΟ-typo avis, qui editus est inter numismata Graeca Antonii Benedicti pag. 20, spondere non ausim. Est in museo principis de Waldeck numus simillimus certo aquilae taedae insistentis typo cum verisimili epigraphe ΣΤΡΑΤΙΟΝ, tamen in hac solae literae ΤΡΑΤ sunt plane certae.
AR. RRRR.

THYRREVM.

Prope Leucadem.

ΜΕΝΑΝΔΡΟΣ. *Caput virile imberbe duplice cornu tauri praefixum, et in tauri collum abiens.* ✕ ΘΤΡΡΕΙΩΝ, *vel* ΘΤΡΡΗΩΝ. *Apollo nudus sedens d. arcum praetendit.* AR. II. (Mus. Caes. Pellerin.)

Sunt hi numi simillimi iis, quos communi Acarnanum nomine signatos supra vidimus.

* * *

Caput Palladis. ✕ ΘΤΡΡΕΩΝ. *Noctua, in area fax luculenta.* AE. III. (Mus. Savorgnan.)

Hic numus olim mihi probabiliter huc referendus videbatur f), quo tamen loco ajebam, esse etiam pro Thyrea Argolidis nonnullas rationes.

Huc addo didrachmum ΘΤΡ. argumento coloniarum Corinthi, de quo agetur in hujus moneta.
AR. R. AE. RRRR.

---

c) Mel. I. p. 98. d) Trachin. v. 518. e) Mus. Bodl. p. 6. f) Num. vet. p. 110.

TAPHIAS.

Vna insularum Teleboidum Leucadi adjacentium.

Caput muliebre. ✕ ΤΑΦΑΙ. *Pegasus dimidius.* AR. II.

Hujus hunc numum esse insulae existimat Pellerinius [g]). Non impugno viri praeclari sententiam, etsi lubentius eam amplecterer, si scriptum esset ΤΑΦΙΑΙ. Eidem Khellius aeneum, inscriptum, ut putabat, ΤΑΦΙΑΙ. ΔΤΟ., largitus est [h]), at eum esse numum Dyrrhachenum, docui in meis Numis vet. [i]). Numum ΤΑ. huc refert Combius, sed quem Tanagrae Boeotiae restituendum puto.

AR. RRRR.

A E T O L I A.

Vniversa gens numos suos *autonomos* in omni metallo habuit.

Caput Palladis, vel, *Caput Herculis.* ✕ ΑΙΤΩΛΩΝ. *Vir petaso tectus scutis insidens pendente ad latus sinistrum gladiolo d. hastam tenet, s. Victoriolam, per aream varia sigilla, et monogrammata.* AV. III. (Mus. Caes. et M. Ducis.)

Caput virile laur. ✕ ΑΙΤΩΛΩΝ. *Vir nudus petaso a tergo pendente s. gladiolum tenens, d. nodoso scipioni innititur, et dexterum pedem saxo imponit.* AR. I. (Pellerin, Beger.)

Verisimile est, signum partis aversae esse idem, etsi vario situ fictum. Cujus illud numinis, vel herois sit, difficile est statuere. Spanhemius in numo, qui alteri ex citatis similis est, Meleagrum, vel Aetolum gentis auctorem, Begerus Apollinem indicari censuere, de qua lite vide plura apud Begerum [k]).

* * *

Caput muliebre petaso tectum. ✕ ΑΙΤΩΛΩΝ. *Aper currens.* AR. III. (Mus. Caes.)

Caput Jovis, in aliis: *juvenile incertum.* ✕ ΑΙΤΩΛΩΝ. *Venabulum et mandibula apri.* AE. III. (Mus. Caes.)

Caput Jani gemini barbatum. ✕ *Sine epigraphe. Venabulum et mandibula apri.* AE. II. (Mus. Caes.)

Argentei primo loco descripti operis sunt elegantissimi. Sistunt caput Atalantae, venatricis more petaso tectum, et in aversa aprum Calydonium, nempe decus Aetolis domesticum a famigerata expeditione juventutis Graecae in unius apri interitum congregatae petitum, et ex mythologis abunde cognitum. In sequentibus aeneis ejusdem ferae mandibula, et venabulum, cujus illa ictum excepit, comparent, quem typum videre est etiam in moneta Apolloniatarum sequentium, Amphissensium in Locris Ozolis sitorum, et jam vidimus in numis Oetaeorum Thessaliae. Haec mandibula sacrae fuere Aetolorum reliquiae, etsi solum ad patriae gloriam in numis proposita; nam reipsa Tegeae Arcadiae servabatur dono data Atalantae, quae *Tegeaea* dicitur Ovidio [l]), qua ex urbe

g) Rec. III. p. 115. h) Appendic. II. p. 145. i) Pag. 96. k) Observ. in num. ant.
l) Met. VIII. 317.

eam Augustus post victoriam ad Actium Romam transtulit m). Postremum numum argumenti tantum causa Aetolici conjunxi, nam urbis in eo nomen reticetur. Verisimile, signatum in quapiam Italiae urbe suadente istud Jani capite, non quod istud fastidiat Graecia propria, nam contrarium docent numi Amphipolis et Thessalonicae, sed quod illud frequentius reperitur in numis Italicis. Accedit, repertum eum esse in vetere Pandataria, hodie *Ventotene*. Sin istud dabitur, non dubitem, in quapiam Apuliae urbe prognatum, cujus pars olim Diomedi genere Aetolo parebat. Sane ejus urbs Arpi ex eadem causa aprum Calydonium in moneta sua expressit.

AV. RR. AE. R.

AEGITIVM.

Oppidum Thucydidi forte uni memoratum, insuper ut obscuri nominis, sic et situs.

Vaillantius *imperatorium* Plautillae, in quo antea legit: ΑΙΓΑΙΑΤΩΝ n), subinde ΑΙΓЄΙΑΤΩΝ o), urbi cuidam Aetoliae tribuit; verum ab Αιγιτιω Thucydidis neutra terminatio formari potest. Reperio eundem numum inter imagines aeri incisas illustris cujusdam, sed mihi ignoti musei, in quo legitur ΑΙΓΕΙΑΤΩΝ. Forte numi similes ad aliquas in Peloponneso Aegas pertinent, cum constet, hujus peninsulae urbes, etiam quae maxime ignobiles fuere, per solum Severi imperium, et plerumque typo Aesculapii, numos signasse. Strabo et Pausanias Aegas Achaiae memorant, sed addunt, non amplius habitari. Sed fieri poterat, ut incolis serius iterum frequentaretur.

APOLLONIA.

Ex solo Livio cognita p), cujus in Aetolia situs confirmatur numo Pellerinii *autonomo:*

Caput Dianae. ✠ ΑΠΟΛΛΩ. *Mandibula apri, hasta.* AR. III.

AE. RRRR.

ATHAMANES.

Quos geographi alii Epiro tribuunt.

Caput muliebre velatum. ✠ ΑΘΑΜΑΝ. *Miles stans d. pateram, s. hastam.* AE. III. (Pellerin.)

AE. RRRR.

CALYDON.

Urbs pervetusti in Graecia nominis.

Autonomus.

Caput muliebre. ✠ ΚΑΛΥΔΟΝΙΩΝ. *Lyra.* AE. (Catal. d'Ennery p. 97.)

Aeneum hujus urbis: ΚΑΛΥΔΩΝΙΩΝ typo *Apollinis lyra canentis*, et in ✠ typo *tripodis* jam etiam vulgavit Goltzius.

AE. RRRR.

Imperatorius.

Severi: ΚΑΛΥΔΟΝΙΩΝ. *Serapis in templo distylo.* (Panel ex le Bret Mem. Trev.)

AE. RRRR.

---

m) Pausan. L. VIII. p. 694. n) Num. Graec. p. 114. o) Ibid. p. 192. p) L. XXVII. c. 8.

MEDION.

Numum, in quo Harduinus legit ΜΕΔΙΩΝ, quemque adeo Medeoni, Aetoliae secundum Stephanum adsitae, tribuit, esse Messenes Peloponnesi, infra ostendetur.

NAVPACTVS.

Maritima, nunc *Lepanto*. Argenteum ΝΑΥΠΑΚΤΙΩΝ habes in Goltzio. Didrachmum argumenti Corinthii, et inscriptum ΝΑΥ. edidit Pellerinius, eumque huic Naupacto adseruit q), de quo infra in numis coloniarum Corinthi nonnulla dubia proponemus.

PAMPHIVM.

De numo inscripto ΠΑΜΦΑΗΣ, a Khellio huic urbi tributo r), sed verius, ut videtur, Argos Argolidis referendo vide infra in numis hujus urbis.

L O C R I S.

Locri triplex populus fuere, (de Epizephyriis actum in Graecia M.) *Opuntii* ab Opunte urbe principe, siti ad Euripum, *Epicnemidii* a Cnemide monte circa sinum Maliacum, utrisque ad occasum *Ozolae*. De variis his Locris vide Politum ad Eustathium T. II. p. 574.

Quaeritur, ad quos pertineant numi, qui nullo alio vocabulo, vel monogrammate addito tantum inscribunt ΛΟΚΡΩΝ. Istud, loquendo de singulis, expendemus.

LOCRI OZOLAE.

Dicti *Ozolae*, seu *graveolentes* ab ὄζω, *oleo*, quod in his esset sepulcrum Nessi et reliquorum Centaurorum, quorum de cadaveribus putrefactis traditum fluere foetidam aquam, ut perhibet Strabo s), et Pausanias t).

Pellerinius his tribuit didrachma inscripta ΛΟΚΡΩΝ cum typo coloniarum Corinthi u), quae tamen potius tradenda Locris Epizephyriis Italiae in Corintho monebo. Alium aeneum, in quo hinc *caput Palladis*, illinc ΛΟΚΡΩΝ et *fulmen*, ea solum de causa Ozolis tribuit, quia in uno ex prioribus infra Pegasum est fulmen. At cum, ut dictum, prioris generis numi ad Ozolas vix pertineant, nihil Ozolis certi juris in cimelium istud est. Eodem loco aeneum alium conjungit, in quo perperam legit: ΓΡΑΝΙC. ΛΟΚΡΩΝ pro ΟΥΡΑΝΙΑΣ. ΠΟΛΕΩΣ, quem esse Vranopolis Macedoniae, supra docui. Nullum adeo habemus numum; quem definite Ozolis possemus adserere, fuere tamen in eorum agro binae urbes quarum nobis superat moneta.

q) Lettres p. 200. r) Adpend. II. p. 105. s) L. IX. p. m. 653. t) L. X. c. 83. u) Rec. I. p. 98.

AMPHISSA.

Ozolarum urbs princeps.

Caput Apollinis. ✠ ΑΜΦΙΣΣΕΩΝ. *Venabulum, et mandibula apri medio astro.* AE. III. (Mus. Caes.)

Numos sola inscriptione diversos, cetera simillimos, habuere etiam Oetaei Thessaliae. Vterque populus conditorem Aetolum ex Calydonis regis progenie habuit, ex quo habes causam typi Aetolici in utriusque numis. Confer dicta in Oetaeis. Sed et prodidit Pausanias, Amphissenses, quod Ozolarum nominis suppuderet, inserere se in Aetolorum gentem maluisse [x]). Causam astri a Strabone peto, qui narrat, Ozolas, quod reliquis Locris in occasum siti fuere, sigillo publico Hesperum insculptum habuisse [y]), tametsi videam, Locros quoque Opuntios astro monetam suam illustrasse. Amphissae numos hactenus ignotos primus in lucem dedit comes Cristiani [z]).

AE. RRR.

AXIA.

Hanc urbem unus Stephanus in Ozolis locat. Hunc igitur secuti antiquarii huc arcessunt *autonomos:*

Caput Jovis laureatum, in aliis *diadematum.* ✠ ΑΞ. *Fulmen alatum.* AE. II. III. (Mus. Caes. Pellerin.) In alio: *Tripus.* AE. III. (Hunter.) In alio: *Fulmen intra coronam quernam.* AE. III. (Mus. Vitzai.)

At idem Stephanus aliam quoque Axiam in Italia locat, cui revera numos praesentes adjudicat Combius [a]). Res valde incerta. Confer numos Axi Cretae.

AE. R.

LOCRI EPICNEMIDII.

Hujus nominis Locri, olim cum Opuntiis conjuncti, discessione facta propriam gentem constituerunt dicti *Epicnemidii* ex causa, quam mox proponam. Nimis acute Pellerinius horum monetam distinguit, quam certius esse Opuntiorum credam, aut saltem communem utrorumque. Istud certum, utrisque Locris unum eundemque typum placuisse, ut patebit.

Caput Palladis. ✠ ΛΟΚΡ. ΕΠΙΚΝΑ *Botrus.* AE. III. (Pembrock.)

Vnicus hic numus gentis *Epicnemidiae* mentionem facit addito ΕΠΙΚΝΑ, ni mirum quod monti Cnemidi adsita fuit, (Strabo), qui Graecis Κνημις, Dorice Κναμις. Eodem modo et Locri Italiae, quod promontorio Zephyrio vicini fuere, dicti sunt *Epizephyrii.* Pellerinius numum utrinque simillimum vulgavit, sed inscriptum ΟΠΟΥΝΤΙΩΝ. Ex quo perspicuum est, Epicnemidiis et Opuntiis communes fuisse typos. Quare dubii juris sunt numi sequentes:

Caput Palladis. ✠ ΛΟΚΡΩΝ. *Fulmen.* AE. II. (Magnan Brutt. num. Pellerin.) In alio: *Botrus.* AE. III. (Magnan. l. c.)

Vtrumque numum perperam Magnanus Locris Epizephyriis dederat, sed repugnat fabrica. At propter causas memo-

x) Phoc. p. 685. y) L. IX. p. m. 638. z) Adpendic. I. p. 24. a) Mus. Hunter.

ratas minus tuto licebit pronuntiare, utris Graeciae propriae Locris sint tribuendi. En fulmen in hoc quoque monumento Palladi tributum. Opportune istud in Locrorum moneta, bene memorum, veterem suum regem Ajacem Oilei F. ab irata dea fulmine peremptum, quod notum ex Marone, aliisque.

AE. R.

LOCRI OPVNTII.

Sic dicti ab urbe Opunte, quam inhabitabant.

Caput muliebre spicis coronatum. ✠ ΟΠΟΝΤΙΩΝ. *Vir galeatus nudus irruens d. gladiolum intentat, s. clypeum praetendit, infra galea cum hasta, diota, etc.* AR. I. III. (Mus. Caes.)

Caput simile. ✠ ΛΟΚΡΩΝ. *Idem typus, intra pedes monogramma* ΟΠΤ. *vel* ΟΠΟΥ. AR. III. (Mus. Caes.)

Caput Palladis. ✠ ΛΟΚΡΩΝ. *Idem viri irruentis typus, sed capite nudo, in area tridens.* AR. III. (Mus. Caes.)

ΟΠΟΝ. *Diota.* ✠ *Astrum.* AR. III. (Pellerin.)

Caput Palladis. ✠ *Sine epigraphe. Astrum.* AR. III. (Mus. Caes.)

Caput Palladis. ✠ ΟΠΟΥΝΤΙΩΝ. *Botrus.* AE. III. (Pellerin.)

Virum armatum in his numis frequentem Harduinus censet esse Ajacem Oilei, qui fuit rex Opuntiorum b), quanquam et Patroclus, Menoetii F., hic quoque bello Trojano inclytus apud Opuntios natus est testibus Homero et Ovidio. Sunt ex his numis in museo Caesareo nonnulli insignis plane operis, qui exhibent gryphum interni clypei volumini affabre insculptum. Confer, si lubet, horum typum numorum cum pictura Theonis apud Aelianum c).

Quos secundo loco proposui, praeter epigraphen ΛΟΚΡΩΝ offerunt monogramma, constans, ut dixi, literis ΟΠΤ. vel ΟΠΟΥ., quod sine dubio explendum legendo ΟΠΟΥντιων. Eos nescio qua urgente causa Pellerinius Epicnemidiis tribuendos putat. Nam si cusi sunt, quando adhuc Epicnemidii cum Opuntiis coaluere, nulla est ratio, eos his potius, quam aliis tribuendi; at si post eorum discessionem, praestat eos Opuntiis mandare, quorum monogramma praeferunt. In numis II. loco descriptis, qui prioribus spectata aversa simillimi sunt, etiam hoc Opuntiorum monogramma deest scripto solo ΛΟΚΡΩΝ. Quare mallem numos solo ΛΟΚΡΩΝ insignes communem utriusque populi monetam putare, et eos, qui Opuntiorum vel aperte, vel per monogramma meminere, permittere Opuntiis, etsi probabile sit, eadem quoque moneta usos Epicnemidios.

Ex numo IV. patet, non Ozolas modo Hesperum, sed Opuntios quoque in symboli loco habuisse. Vide dicta in Ozolis. Caput Palladis in Locrorum numis obvium, et idem astrum sequentem quoque numum anepigraphum Locris vindicant. Diotam ejusdem numi illu-

b) Strabo L. IX. p. m. 651.

c) V. H. L. II. c. 44.

strat Plutarchus, narrans[d]), Opuntios conquisitam solicite pecuniam, percussam ex argento, quod ex templo Delphico rapuere Phocenses, conflasse, confectamque inde argenteam hydriam Apollini Delphico dedicasse.

Numus postremus typos offert, quos vidimus etiam in numo, qui certo est Epicnemidiorum. Ex quo tanto magis apparet, inter Locros etiam divisos intercessisse aliquem nexum seu politicum, seu ut sese unam eandemque gentem profiterentur.

AR. R. AE. RR.

P H O C I S.

Regio ad sinum Corinthium, Locris et Boeotis intercepta. Totius regionis nomine cogniti *autonomi:*

ΦΟΚ. *Caput Apollinis laur.* ✠ *Caput bovis adversum.* AV. III. (Mus. Caes.)

ΦΟΚΙ. *(retrograde) Caput muliebre.* ✠ *Caput bovis.* AR. III. (Mus. Caes.)

Sunt hi numi spectata literarum forma, et operis modo inter antiquissimos Phocidis. Prior causa metalli forte unicus est. Videtur esse unus ex iis, quos Phocenses auctore Philomelo ex direptis Apollinis Delphici donariis aureis signavere, de quo vide, quae plura disserui in mea Sylloge I., quo loco insignem hunc numum vulgavi[e]).

* * *

Caput bovis, addita in aeneis *infula*, obvius est numorum hujus regionis typus, scripto juxta Φ. ΦΟΚΙ. ΦΩΚΙ. ΦΩ. Caput istud certum numorum Phocensium discrimen constituit, facitque, ne numi solo Φ inscripti alteri urbi ab hac litera incipienti adcommodentur. Singularis est numus Pellerinii:

ΦΩΚΕΩΝ. *Tria boum capita in triangulum disposita.* ✠ T *intra coronam.* AE. II.

* * *

Caput Apollinis. ✠ ΦΩ. *Equus pascens.* AE. III. (Mus. Caes.)

AV. RRRR. AR. et AE. R.

AMPHICAEA.

Quae et Amphiclea.

Caput muliebre. ✠ ΑΜΦΙΚΑΙ. *in medio laureae.* AE. II. (Panel. Mem. Trev. Octob. 1737.)

CYPARISSVS.

Ad Parnassum prope Delphos.

Caput (ut Pellerinio visum) *Apollinis cultu capillorum muliebri*, *prae quo lyra.* ✠ ΚΥΠΑ. *Tripus intra lauream.* AE. m. m. (Pellerin.)

AE. RRRR.

DELPHI.

Vrbs ab antiquitate, oraculi superstitione, donariorum immensa copia, quae

d) de Pyth. orac. e) Pag. 28

sacrificulorum fraus, et gentium credulitas huc derivaverant, per veterem orbem notissima. Dicta praeterea *umbilicus terrae*, quoniam in medio totius terrae defixa credebatur Jove ipso ejus experimentum capiente, ut praeter Strabonem, aliosque docet Claudianus, et consentit Euripides [f]:

Ἱνα μεσομφαλοι λεγονται μυχοι γας.
Vbi dicitur esse umbilicus terrae.

Autonomi:

Horum complures ex omni metallo edidit Goltzius, qui, si conficti sunt, ingeniose certe et erudite. Inscribuntur ΔΕΛΦΩΝ, et ΔΕΛΦΟΥ. Verum an dictum unquam Δελφος unitatis numero? Typi: *Caper silvestris*, proprium fere Cretae symbolum, ex qua Delphos coloni profecti. *Apis:* fuit antiquissimum Delphis templum fabricatum ex apum cera et pinnis [g]. *Vir delphino vectus*, nam Castalio coloniae duci adfuit Apollo sub delphini specie [h]. At aliqui haud dubie male sunt lecti. Sic aureus typo lyrae est Chalcidis Euboeae, cujus similem aliquando edidi [i]. Alter aeneus ΔΕΛΦΩΝ. ΔΗΜΟΣ est numus Syriae notus, legendumque ΑΔΕΛΦΩΝ. ΔΗΜΩΝ.

Post Goltzianos seu veros, seu fictos nullus certus illustris hujus urbis autonomus conspectus. Argenteum edidit Fridericus Witzleben [k]: ΔΕ. *(in monogr.) Capra.* ✠ *Quadratum incusum.* Eum auctor cum ob monogramma, tum ob capram fatidicam Delphis tribuendum putat, quam sententiam adprobat quoque Froelichius, qui numum restituit [l], at certius numum Aegis Macedoniae restituendum censerem.

Memorandus tamen alius, qui Delphis videtur posse tribui:

Caput Cereris velatum et spicis coronatum. ✠ ΑΜΦΙΚΤΙΟ. *Figura laureata, et stolata petrae insidens d. lyrae innixa, s. ramum.* AE. fere I. (Pellerin. Rec. I. p. 105.)

Et epigraphe ΑΜΦΙΚΤΙΟ., et typi Cereris Apollinisque sacrum Amphictyonum concilium, vetustate et sanctitate in Graecia late inclytum, et in quo causae sacrae juxta, atque profanae agebantur, respiciunt. Memorat Herodotus templum Cereris Amphictyonidos exstructum prope Thermopylas, et sedilia Amphictyonibus juxta posita [m]. Etiam Strabo testatum reliquit, Pylagoras, qui iidem fuere cum Amphictyonibus, sacrificasse Cereri [n]. Constat quoque, apud Delphos constitutum Amphictyonicum collegium, quod et de publicis consultaret rebus, et templi negotia procuraret. Scriptum in hoc numo ΑΜΦΙΚΤΙΟ pro sueto ΑΜΦΙΚΤΥΟ non adversatur. Nam, ut Pausanias ex Androtione testatur [o], illi, qui ad concilium istud convenere, nomen istud adepti sunt, quod ex locis circum Delphos positis coire sunt soliti, dicti adeo

f) in Orest. v. 331. g) Pausan. Phocic. p. 810. h) Plut. de solert. anim. i) Num. vet. p. 161. k) Num. Graec. ined. l) Not. elem. p. 22. m) L. VII. §. 200. n) L. IX. p. m. 643. o) L. X. c. 8.

ΑΜΦΙΚΤΙΟΝΕΣ. Sed de Amphictyonibus, eorumque instituto vide, quae copiose congessit Antonius Vandale dissertatione VI.

Quae sit figura partis aversae, potest controverti. Pellerinio Apollo dicitur, nimirum propter lyram, lauream, et lauri ramum. Novi, Apollinem fingi stolatum, sed Actiacum; an et Delphicum, ignoro. Sane Apollo vates in copiosis numis fingitur nudus, et cortinae suae insidens, non, ut in praesente numo, petrae. Potius credam, ea exhiberi Herophilen, de qua haec lego apud Pausaniam p): *Saxum illic eminet, cui insistentem Sibyllam Herophilen Delphi perhibent oracula cecinisse - - - Eam Graeci ferunt Jove et Lamia Neptuni filia natam.* En tibi in hoc numo saxum, et quae mulieri fatidicae, et oracula canenti probe conveniunt, laurea et lyra. Neque obest, quod Pausaniae dicatur super petra *stetisse*, cum tamen in numo sedens fingatur; nam Clemens Alexandrinus, qui idem tradidit q), ait, ostendi apud Delphos πετραν τινα, ἐφ ἧς λεγεται καθιζεσθαι την πρωτην Σιβυλλαν κ. τ. λ. *petram aliquam, super qua fertur sedisse prima Sibylla, quae ex Helicone venerat, educata a Musis.*

Ceterum qua sive auctoritate, sive occasione hic signatus sit numus, non ausim definire.

Imperatorii.

Habes apud Vaillantium cum capite Hadriani, Faustinae utriusque, et Caracallae. Major numerus Hadriani. Addidit unum Antinoi Pellerinius. (Suppl. III. p. 131.)

Epigraphe ΔΕΛΦΩΝ.

Typi: Apollinis cultum, ut decuit, eloquuntur. Numus Sponii ipsam imaginem templi Delphici offert r).

Ludi: ΠΥΘΙΑ *intra coronam*, in numo Hadriani. (Arigoni.) Eos in hac urbe fuisse actos, satis constat.

AE. RR.

ELATEA.

Secundum Delphos Phocidis maxima.

Caput Palladis. Χ ΕΛΑΤΕΙΩΝ. *Caput Neptuni*, *pone tridens.* AE. II. (Pellerin. Arigoni.)

In aversa numi ΦΩΚΕΩΝ, qui est apud Pellerinium, supra caput bovis legitur ΕΛ., quae literae Paciaudo ἀρχαιεσαι hujus urbis visae sunt; verum cum hae in aliis similibus numis varient, aliud certe designant.

AE. RRR.

BOEOTIA.

Autonomi communi Boeotorum nomine signati habentur copiosi.

Observandus in his clypeus utroque sui latere incisus ad modum anciliorum. *Boeoticus* is jure dicitur, nam hac forma clypei in numis urbium extra Boeo-

p) L. X. c. 12. q) Strom. L. I. §. 15. r) Voyage T. III. p. 172.

tiam sitarum non habentur, sic ut is nullo erroris periculo pro certo Boeotiae signo haberi possit, quod amplius patebit ex commemoratis variorum sphalmatis. Adverto etiam, obtinente alio typo principe clypeolum ejusdem formae videri areae numi infixum, cujus bina exempla suppeditat Pellerinius, atque idem Boeotos cum symbolo hoc sibi proprio constituisse, quod cum apio suo Selinuntii, cum malo Punico Sidetes, cum silphio Cyrenaei. Vt clypeum certae formae habuere Boeoti, sic et galeam, ex qua agnoscebantur Plataeenses picti in Poecile, qui Atheniensibus in pugna Marathonia auxilio venerunt [s]).

*
* *

ΒΟΙΩ. *Diota.* ✠ *Clypeus Boeoticus.* AR. I. (Pellerin.)

ΕΠΑΜ. - ΑΓΛΑ. - ΨΑΡΟ. - ΦΙΔΟ. - ΕΥϜΑΡΑ. - ϜΑΣΤ. - ΗΙΚΕ. - ΗΙΣΜΕΝ. *etc. Diota.* ✠ *Clypeus Boeoticus.* AR. I. (Mus. Caes. Pellerin, Beger.)

ΒΟΙ. *Diota, superne clava.* ✠ *Clypeus Boeoticus.* AR. III. (Mus. Caes.)

Caput barbatum hedera redimitum promicante ex fronte cornu taurino. ✠ *Sine epigraphe. Clypeus Boeoticus transversa clava.* AR. I. (Pellerin, Mus. Caes.)

Numi secunda sede propositi dissimulato regionis nomine solos inscribunt magistratus, sed quorum nomina a nonnullis antiquariis aliorsum sunt accepta. Sic *το* ΦΙΔΟ. notare Phidonem Aeginae regem pervetustum, numum adeo esse ex vetustissimis unum, confidenter docuit Begerus [t]), ejusque nepos Carolus Schottus [u]), etsi fabrica et literarum forma contrarium doceant, quem errorem jam perstrinxere Cuperus [x]), Barthelemyus [y]), Pellerinius, Bimardus [z]). Inscriptum ΕΥϜΑΡΑ quam nobis Boeotorum urbem indicet, dubitat Harduinus [a]). Ad nomen ϜΑΣΤ. adhaeret Nonnius Goltzii commentator nulla reperta per Boeotiam urbe hoc nomine praedita [b]). Ab eodem *το* ΗΙΣΜΕΝ. male Ismenae tributum. Est in museo Caesareo numulus argenteus perelegans:

Clypeus Boeoticus. ✠ ΕΡΧ. *intra coronam spiceam.* Eum Froelichius tribuit *Erchiae* Atticae [c]), quae fuit pagus solis Xenophontis natalibus nobilitatus. Verum docentibus numis aliis dubium non videtur, in hoc quoque *το* ΕΡΧ. notare magistratum. Enimvero in simili Hunteriano est plenius ΕΡΧΟ., ut adeo Erchia Froelichii plane dispereat. Amplius haec confirmantur, quod nonnulla his numis inscripta nomina revera insignium in Boeotia virorum, et praetorum quidem etiam, fuere. Cui non dictus Epaminondas? quem habes sub nomine ΕΠΑΜ. Ismenias ΗΙΣΜΕΝ., et hic inter Boeotos clarus, et praetor, de quo multa Xenophon [d]), quem lega-

---

s) Demosth. in Neaeram p. 876. t) Thes. Br. T. I. p. 279. u) Misc. Berol. T. I. p. 33. et 59. x) Lettres p. 10. y) B. L. T. XXVI. Mem. p. 542. z) ad Iobert. T. I. p. 26. a) Num. urb. ill. b) in Graec. p. 97. c) Cimel. Vindob. p. XXXVIII. d) L. V. Hist. Graec.

tione ad Artaxerxem Mnemonem functum, et ab hoc pecunia corruptum prodit Pausanias [e]), et a quo eundem regem citra Graeciae contumeliam adoratum refert Aelianus [f]). Alii viros alios insignes, qui in his numis indicantur, evolvant. Advertesis in praesentibus numis, qui per fabricam non admodum distantis aevi videntur, retentum adhuc in Boeotis digamma F, et aspiratam H. Si HIΣMEN revera est memoratus modo modo Ismenias, ejus numi aetatem satis prope tenemus, cum constet, eum exeunte saeculo V. C. quarto Boeotorum res procurasse. Idem nomen Ciceroni scribitur cum aspirata, nempe: *Hismenias* [g]).

Numi III. loco positi diotam et clavam offerunt. Vtrumque ad Bacchi et Herculis cultum referendum Boeotis domesticum, utroque deo ex Thebana muliere prognato. In numo postremo Bacchum, sed Indicum, probat corona hederacea, et cornu tauri ex fronte protuberans. Cultu non multum abludente eundem sistunt numi Tarenti et Naxi Siciliae. De Baccho tauriformi vide dissertationem Campaniae numis subjectam.

Ceterum omnes hi numi Boeotorum eximii sunt laboris, neque pingue eorum ingenium olentes, adeo olim infame, ut in proverbio esset Βοιωτια ὑς, *Boeotia sus*, fatente id ipsum Pindaro Boeoto [h]), Tzetze [i]), Cicerone [k]), Plutarcho [l]). Verius confirmant hi numi legem a Thebanis sancitam, qua cavetur, ut pictores et statuarii imagines nobiliore forma exprimerent, (εἰς το κρειττον) denunciata iis multa, qui contrarium facerent [m]).

* * *

Caput Jovis corona querna redimitum ✗ ΒΟΙΩΤΩΝ. *Neptunus sedens d. delphinum, s. tridentem, in area clypeus Boeoticus.* AR. I. (Pellerin.)

Etiam in aeneis Neptunus frequens d. pede rupi insistens. Fuit vero Boeotus, qui populo nomen dedit, Neptuni et Arnes filius [n]), et Neptunum in Boeotia cultum diserte testatur Eustathius [o]).

* * *

Caput Herculis leonis rictu opertum. ✗ ΒΟΙΩΤΩΝ. *Victoria gradiens d. fulmen vibrat, in area clypeus Boeoticus.* AE. II. (Pellerin.)

Commemorandus videbatur hic numus ob tributum Victoriae fulmen, cujus et exemplum in moneta sua dedere Bruttii.

* * *

Frequentes sunt Boeotorum numi aenei, qui manifeste videntur bis percussi. Tales binos profert Haymius, in quibus caput est duplex [p]). Alius est in Caesareo, in quo primum signatum erat caput juvenile sinistrorsum conversum, super quo serius signatum caput muliebre

---

e) L. III. p. 227. f) V. H. L. I. c. 21. g) in Verr. L. IV. c. 42. h) Olymp. VI. 151. i) ad Lycophr. v. 433. k) de Fato c. 4. l) de esu carn. orat. I. m) Aelian. V. H. L. IV. c. 4. n) Diodor. Sic. L. IV. o) ad Dionys. Perieg. v. 176. p) T. I. tab. XXII.

adversum. In ejusdem aversa expressus quidem est Neptunus uno pede saxo insistens, sed satis apparent rudera veteris matricis extrusae. Duplex etiam figura, altera similis Neptuno, altera equitis est in aversa numi Pelleriniani, qui etiam duplicem matricem suspicari facit. At nihil insolentius in re numismatica hactenus conspectum typo ejus numi, quem edidit Haymius [q]). Adi typum, et simul juva auctorem quid statueret incertum, et Oedipum in ipsa Boeotia frustra quaerentem.

AR. et AE. C.

ANTHEDON.

Aeneus ANΘΗΔΩΝΙΩΝ apud solum Goltzium.

CITHAERON.

Pellerinius aeneum numum edidit cum epigraphe ΚΙΘ., et typo *trium lunularum.* Ejus simillimos binos habet museum Caesareum, aliosque novi in aliis museis exstare, sed qui omnes inscribuntur ΚΡΟ., quod satis mihi olim causae videbatur, ut liceret suspicari, numum a Pellerinio male lectum, omnesque Crotoni vindicandos, praecipue cum nullo auctore constet, Cythaeroni Boeotiae monti urbem cognominem fuisse adstitutam [r]). At Pellerinius in opusculo postremo suam iterum sententiam omnibus machinis defendit, meamque, velut qui inique lacessiveram, impugnat [s]). Lubet litem amice componere. Istud certum, omnes, quotquot viderim hujusmodi, luculentum ΚΡΟ. praeferre. Sin in Pelleriniano legitur ΚΙΘ., permittamus numum praetensis his Cythaeronicolis, ac tum miremur perfectam typorum ac rationis monetariae concordiam inter populos, quos longa terrarum mariumque spatia, nullo, quod constet, nexu separavere. In numo simili, qui est in museo Neumanni, distincte legitur ϘΡΟ. At constat etiam, primum elementum hac forma fuisse Crotoniatis familiare.

COPAE.

Lacui Copaidi nomen dedere.

Imperatorium Vespasiani edidit Tristanus [t]), ΚΩΠΑΙΩΝ. *Ceres gradiens singulis manibus singulas faces gestat.* Similem, et ejusdem Vespasiani citat Patinus, sed perperam scribit ΚΟΠΑΙΩΝ [u]). Fuisse Copis delubrum Cereris, docet Pausanias [x]). Ceterum neque a Vaillantio, neque alio quoquam hujus urbis editum numum reperio. Suspicor, pro ΚΩΠΑΙΩΝ legendum ΠΑΓΑΙΩΝ, ac tum hi numi erunt Pagarum Atticae, quas vide.

DELIVM.

Caput Jovis laur. X ΔΗ. ΤΑ. *Pallas stans d. Victoriolam, s. clypeum.* AE. III. (Mus. Caes.)

Fuit Delium in agro Tanagraeorum,

---

q) Tom. I. tab. XXII. n. 5. r) Num. vet. p. 45. s) Additions. p. 68. t) Comment. hist. T. I. p. 185. u) Numi Impp. in indice. x) Boeot. p. m. 756.

de quo multa testimonia congessit Wesselingus [y]), ubi celebre exstitit Apollinis fanum, de quo vide numos Tanagrae. Epigraphe ΔΗ. ΤΑ. suspicari facit, legendum: ΔΗλιων Τ*ανα*γραιων, numumque huc jure vocandum.

AE. RRRR.

ERYTHRAE.

Vetus urbs, cujus in catalogo meminit quoque Homerus. Ejus rudera prope Cythaeronem montem locat Pausanias [z]).

Pegasus volans, pone pileus Castoris. ꭗ ΕΡΥΘ. *Astrum.* AR. III. (Mus. Caes.)

Vir nudus equum freno retinens. ꭗ ΕΡΥΘ. *Astrum.* AR. III. (Pembrock.)

Cur numos similes huc appellam, causam aliam adferre non possum, quam quod typo et fabrica nimium abludunt a certis numis Erythrarum Ioniae, et quod hae constanter inscribunt ΕΡΥ. Secundo ex his similem edidit Pellerinius, et cum in eo legeret - ΕΦΥ., Zephyrio Ciliciae tribuere non dubitavit [a]). Ejus judicium citati numi corrigunt.

* * *

Ad has quoque Boeotiae Erythras antiquarii non pauci vocaverunt argenteos cum capite Herculis, ejusque in aversa attributis, verum tutius hos cum Pellerinio Erythris Ioniae permittimus, quas adi.

AR. RRR.

HARMA.

Huic a Goltzio tribuuntur argentei cum typo Palladis, et Pegasi propter adscriptum ΑΡ. vel ΑΡΜ., sed hi verisimilius propter argumentum Corinthium Syracusas pertinent, de qua numorum classe agetur in Corintho.

HILESIVM.

Huic Boeotiae oppido Bandurius largitur numum male lectum ΔΙΔΥΜΑΙΩΝ. ЄΙΛΗCΙΩΝ [b]), quem esse Mileti Ioniae, in hac docebimus.

ISMENE.

Teste Stephano vicus Boeotiae, quorsum olim *autonomum* adegeram: (Num. vet. p. 113.)

Clypeus Boeoticus. ꭗ ΙΣΜΗΝ - - *Caput capri silvestris.* AE. III. (Mus. Caes.)

Fateor, ne has quidem omnes literas esse satis integras, etsi per clypeum numum esse Boeoticum dubitari non possit.

AE. RRRR.

Imperatorium Commodi nimium perfunctorie citat Harduinus, quin museum nominet, vel typum definiat. Epigraphe praetenditur: ΙCΜЄΝЄΙΩΝ.

LARYMNA.

Caput muliebre. ꭗ ΛΑ. *Clypeus Boeoticus.* AE. III. (Pellerin Rec. I. tab. XIX. n. 4.) Addidit similem alium Neuman-

---

y) ad Diod. Sic. L. XII. c. 69. z) Boeot. c. 2. a) Rec. II. p. 162. b) Tom. I. p. 122.

nus, nisi quod praeterea ex altera clypei parte leguntur literae ΣΑ. (Num. pop. p. 215.)

Numum suum Pellerinius propter literas ΛΑ. cum Laconum moneta miscuit. Verum cum hactenus in certo quopiam numo extra Boeotiam signato ejus formae clypeus conspectus non sit, et habeamus certam Boeotiae urbem ab iisdem literis incipientem, jure nobis permissum putabimus, a viri praestantis opinione deflectere, et cimelium istud restituere *Larymnae*, quam Pausanias diserte Boeotorum urbem dicit, addito, fuisse olim Opuntiis contributam, sed auctis Thebanorum rebus ultro Boeotis accessisse [c]). Vnde factum, ut Strabo non observatis rite temporibus, ut recte monet Cellarius, binas statueret Larymnas, unam in Boeotis, alteram in Locris. Etiam Plutarchus Larymnam Boeotiae oppidum facit [d]). Literas ΣΑ. alterius numi indicare posse Salganeum ejusdem Boeotiae, leviter suspicatur Neumannus.

Haec cum ego et Neumannus certa putaremus, vidimus nuper Pellerinii sententiam praeplacere Sestinio Lacedaemoni hos numos tribuentis prolatis numis aliis:

Caput Herculis laur. ⅹ ΛΑ. ΣΑ. - ΛΑ. ΝΙ. - ΛΑ. ΤΙ. *Clava intra lauream.* AE. III.

Caput idem. ⅹ ΛΑ. ΚΗ. - ΛΑ. ΝΙ. - ΛΑ. ΣΙ. ΛΑ. ΤΙ. - ΛΑ. ΦΙ. - ΛΑ. ΑΙΟ - ΛΑ. ΕΛΥ. *Diota.* AE. III.

Caput Bacchi hedera coronatum. ⅹ ΛΑ. ΣΑ. *Diota*, *in area botrus.* AE. III.

Cum ergo numos hos omnes non dubitet esse Lacedaemonis, necesse erit, ait, numum quoque Pellerinii et Neumanni esse ejusdem urbis [e]). Hanc viri eruditi conjecturam non negabo suum habere pondus. Interea tamdiu in Larymna acquiescam, donec constabit, etiam in aliarum extra Boeotiam urbium numis clypeos formae Boeoticae fuisse signatos. Et nescio, an non aequo jure liceret arguere, omnes hos Sestini numos esse potius Larymnae. Nam cum ΛΑ. addito ΣΑ. legatur in numo, quem nos esse Larymnae non dubitamus, verisimile putamus etiam, eodem pertinere numos ΛΑ. ΝΙ - ΛΑ ΤΙ. etc. Offerunt iidem capita, vel attributa Herculis et Bacchi, at quis ignorat, utriusque cultum, quia in Boeotia nati, fuisse hac in regione perfrequentem?

AE. RRR.

MYCALESSVS.

Vrbs vetusta et Homeri versibus nobilitata, sed cujus Pausaniae aetate nonnisi rudera supererant.

MY. *Fulmen.* ⅹ *Clypeus Boeoticus.* AR. III. (Mus. Savorgnan.)

Varia ad hanc urbem spectantia vide in meis numis vet. (pag. 113), quo loco insignem hunc numum vulgavi.

AR. RRRR.

---

c) Boeot. c. 23. d) in Sulla p. m. 468. e) Lettere IV. p. 56.

ORCHOMENVS.

Sic dictus ab Orchomeno Minyae filio hujus tractus rege.

ΟΡΧ. *nullo typo.* ✗ *Clypeus Boeoticus.* AE. (Haym.)

Clypeus hujus formae vetat, quo minus hic numus Orchomeno Arcadico tribui possit.

AE. RRRR.

PELECANIA.

Pellerinius *autonomum*, in quo:

Caput Palladis. ✗ ΠΕΛΕΚΑΝ. *Equus pascens*, AE. II. Pelecaniae tribuit, quam ait fuisse exiguum Boeotiae tractum. Ex quo istud geographo vetere hauserit, ignoro. Istud certum, numos Pellae Macedoniae typo utrinque simillimo esse, quamquam et illud certum sit, in hoc Pellerinii numo saltem ΠΕΛΕΚ distincte legi.

PLATAEAE.

Vrbs cumprimis nobilis victoria Pausaniae et Aristidis de Mardonio Persa.

ΠΛΑ. *Caput muliebre adversum margaritis luxurians.* ✗ *Clypeus Boeoticus.* AR. III. (Haym, Mus. Caes.)

Haymius caput anticae censet esse Junonis lepido astu a Jove deceptae, quae causa fuit exstructarum Plataearum, et reperti novi nominis *Junonis Sponsae.* Vide plura apud Haymium hanc fabulam ex Plutarcho in Aristide enarrantem.

AR. RRRR.

TANAGRA.

Prope Thebas.

Autonomi:

ΤΑ. *Equus dimidius saliens.* ✗ *Clypeus Boeoticus.* AR. I. (Mus. Caes.)

Caput Bacchi hedera coronatum. ✗ ΤΑ. *Botrus.* AE. III. (Ex museo M. Ducis editus in meis Num. vet. p. 114.) *Lyra.* ✗ ΤΑ. *Caduceus.* AE. III. (Pembrock P. II. tab. 30.)

Numus postremus attributa Apollinis, et Mercurii offert, quorum causam dabimus in imperatoriis.

Addidere binos alios Arigonius, et auctor musei Musellii, in utroque praetenditur epigraphe ΤΑΝΑΓΡΙΤΩΝ, in illo typus, *arcus*, in hoc *congeries armorum.* At Stephano gentile est Ταναγραῖος, cum quo consentit et sequens numus Trajani.

AR. RR. AE. RRR.

Imperatorii.

ΓΕΡΜΑΝΙΚΟϹ. *Caput Germanici nudum* ✗ ΤΑΝΑ. *Apollo nudus stans d. ramum, s. arcum.* AE. III. (Mus. Caes.)

ΤΑΝΑΓΡΑΙѠΝ. *Mercurius stans*, in numo Trajani. (Pellerin.)

Vterque numus potiorem apud Tanagraeos Apollinis et Mercurii cultum profitetur, quorum attributa mox in autonomo conjuncta vidimus. De Delio famoso Apollinis templo, quod in Tanagraeorum agro stetit, egimus supra in Delio. Ablatam inde Apollinis statuam Datis Medus Tanagraeis restitui jussit, ut docet Herodotus f) collatus cum Pau-

f) L. VI. c. 118.

sania [g]. Sed et insignes Mercurium apud Tanagram habuisse honores, docebit additis causis Pausanias [h]).
AE. RRR.

T H E B A E.

Vrbs si qua alia illustris famae cum ab antiquitate, nam aedificata est a Cadmo Agenoris F. ex Phoenicia profecto omine bovis procumbentis, cujus facti memoriam non quidem Thebae ipsae, sed metropolis Tyrus in numo suo coloniae nomine signato servavit scripto juxta bovem jacentem ipso nomine ΘΗΒЄ, tum a varia, et saepe sinistra fortuna, nimirum ter excisa, primum ante Troica ab Epigonis, deinde circum Troica a Pelasgis, tertium ab Alexandro M. subinde a Cassandro restituta; denique ab heroum suorum gloria, et poetarum figmentis, inter quae praecipuum nati in hac urbe Bacchus et Hercules.

* * *

--ΒΑΙΟΣ. *(exple* ΘΕΒΑΙΟΣ.*) Vir nudus ingeniculatus arcum tendit.* ✠ *Clypeus Boeoticus.* AR. I. (Hunter.)

Numus omnium, quot norim, causa antiquitatis praestantissimus. ΘΕΒΑΙΟΣ est gentile in recto, ut ΝΕΟΠΟΛΙΤΗΣ, ΚΡΟΤΩΝΙΑΤΑΣ, et similia.

* * *

Epigraphe in argenteis aliis, qui fere antiquitate praestant, ΘΕ. ΘΕΒ. ΘΕΒΗ., in posterioribus aeneis: ΘΗΒΑΙ. ΘΗΒΑΙΩΝ. In horum uno Goltziano, quem mox citabo, reperio etiam ΘΕ. Mirare scripturam hybridam ΘΕΒΗ pro ΘΗΒΗ, jam inducto, ut vox ipsa inscripta docet, elemento Η. Contrariam rationem sequitur ΘΗΒЄ in numo Tyriorum supra memorato, et hanc quoque mirabilem, nisi plus veniae impertiendum esset numo coloniae, et quidem aetate Gallieni prognato.

* * *

Typi in argenteis omnino iidem, quos in argenteis communi Boeotiae nomine signatis vidimus: *Caput Bacchi Indici hedera coronatum.* ✠ *Clypeus Boeoticus.* AR. I. — *Diota certae formae imminente in minoribus clava.* ✠ *Clypeus Boeoticus.* AR. I. III. Ex quo colligere licet, numos communi Boeotorum nomine notatos in principe hac ejus gentis urbe cusos. In horum igitur moneta Thebanos hos typos pariter explicatos vide.

* * *

ΘΕ. *Caput imberbe Herculis.* ✠ *Clypeus Boeoticus, cui inserta clava.* AR. III. (Hunter.)

Proditum a scriptoribus, veteres privatim varia symbola clypeis suis inscripsisse, sive ut hostibus suis essent terrori, sive ut decus paternum ostentarent, sive quacunque alia de causa, quod quidem Carum fuisse inventum, tradit He-

g) L. X. c. 28. h) L. IX. c. 22.

rodotus [i]). Idem variis quoque de causis factum publice. Fulmen Romanorum clypeis insertum res cognita, Sicyonios vero inscripsisse Σ, Lacones Λ, Argivos A tradit Xenophon [k]). Ergo ex praesente numo verisimile, Thebanos, ut sese a reliquis Boeotis discernerent, Herculis apud se nati clavam clypeis suis aut inscripsisse, aut insculpsisse, unde reor posse lucem adfundi orationi Xenophontis admodum ambiguae, et hucusque perperam ab interpretibus explicatae. Narrat is [l]), partem Arcadum cum Epaminonda Thebano adversum Lacedaemonios junxisse arma, atque ut istud ex animo facere viderentur, addit: ἐπεγραφοντο δε και των Αρκαδων ὁπλιται ῥοπαλα ἐχοντες, ὡς Θηβαιοι ὀντες, quam orationem sic Latine reddit Leunclavius: *ac nonnulli etiam Arcades gravis armaturae pedites nomina dabant gestantes clavas, perinde ac si Thebani essent*, quae quidem interpretatio pridem mihi a vero maxime aberrare visa. Novi, omni aetate a barbaris clava pugnatum, et antiquitus quidem ab Hercule et Theseo, reipsa barbaris, sed quos Graeca elegantia heroes deosque effecit, et aeque hodie a barbaris omnium nationum. At vix credam probari posse, Epaminondae aetate, qua gladii, hastae, sagittae valuere, rem clavis in praelio actam. Et quidem si vera est Leunclavii interpretatio sequetur, clavarum usum fuisse unis Thebanis proprium, quia Arcades, ut Thebanarum sese partium profiterentur, clavas arripuere. Sin istud, tanto magis mirum foret, singularem hunc morem a veteribus praeteritum, quod is probatus adhuc fuit Epaminondae, qui maximus rei militaris magister aetate sua est habitus. Praeterea cum Thebani hoc imperante omnes Graecos armorum gloria superaverint, mirum etiam, non alios quoque Graecos ad clavas conversos, neque etiam Philippum II. Macedonem, qui sese in re militari Epaminondae in disciplinam dedit, clavis milites suos instruxisse. Quare mihi pridem Xenophontis verba sic capienda visa, Arcades inscripto clypeis suis clavae insigni sese Thebanos professos, quoniam, ut supra dixi, partes inscriptis variae naturae signis sese sunt discernere solitae, quam nunc conjecturam praeclarus huic Thebanorum numos eximie confirmat. Nihil aliud magis ad faciendam conjecturae fidem valet, quam si alter ad idem sentiendum, sed ex diverso impellitur. Quod ego ex usu artis tacticae, et praesentis numi praescripto conjeceram, id ipsum Samueli Moro Lipsiensi, qui nuper Xenophontis historiam vulgaverat, ex grammaticae legibus verisimile visum. Cum enim viro erudito non adrideret, ut ἐπιγραφω dicatur *nomina dare*, pro quo dicendum omnino fuisset ἀπογραφω, sensum orationis Xenophonteae, quamvis timide, hunc esse conjecit: *inscribebant clypeos suos ita, ut si Thebani essent*,

i) L. I. §. 171. k) Hist. Graec. L. IV. l) Hist. Graec L. VII. sub. fin.

addo ego: *insigni clavae.* Non obstat, omissam ab historico *clypei* vocem, quia vulgo ejus aetatis usus docuerat, unis clypeis haec discrimina inscripta, et commode idem vir clarissimus Aristophanis versum ex Suida huc vocat: (in ἐπεγραφου) Και γαρ συ μεγαλην ἐπεγραφου την Γοργονα, *Nam, et tu* (clypeo tuo) *magnam inscribebas Gorgonem*, in quo videmus et idem ἐπιγραφομαι captum pro *inscribo*, et omissum *clypei* vocabulum. Ceterum ut Thebani in memoriam Herculis sui clypeis inseruere clavam, sic et Parapamisadae, gens Indica, clavam tanquam Ηρακλεους παρασημον inussere bobus, ut Herculem ad se venisse indicarent, de quo vide Arrianum [m]), et ex eo Eustathium [n]).

* * *

Ex aeneis, quorum plerique item Bacchi et Herculis cultu occupantur, commemorandus unus:

ΘΕ. *Caput Bacchi Indici barbatum, et hedera redimitum.* ☧ ΚΕΤΡΙΠΟΡΙΟΣ, *Diota, juxta thyrsus.* AE. III. (Goltzius in Graec. tab. XVII. 1.) Simillimum edidit Pellerinius, sed absque ΘΕ. (Suppl. III. p. 109.) Sed in aliis legitur ΚΕΤΡΙΓΟΡΙΟΣ, ut dicetur. (Mus. Caes.)

Jure Goltzius numum suum Thebanorum monetae inseruit, at suum Pellerinius Ceae insulae prope Atticam sitae, dictantibus nempe judicium hoc literis ΚΕ., quibus plerumque ejus numi sunt insigniti, et quod in ejus numo absunt litera ΘΕ. Videtur vir eruditus non reflexisse animum ad citatum numum Goltzianum, in quo praeterea praesto sunt literae ΘΕ. certi monetae Thebanae indices, atque etsi hae abessent, tamen in his et caput Bacchi, et vas diotum tam perfecte sunt similia iis, quae in certis Thebanorum numis comparent, ut dubitari non possit, eos horum quoque monetae accensendos. Quis vero deinde dandus sit sensus inscriptioni aversae, minus tutum decidere. Pellerinius literas ΚΕ a sequentibus puncto dividit, Goltzius conjunctas proponit. Sane magistratui alicui Thebano fuisse nomen *Cetriporii*, inter ἀπιστα referendum non est. Haec scripseram, cum Vindobonam adlati sunt numi duo simillimi, iique integerrimi. In utroque desunt literae ΘΕ., unde suspicari licet, eas a Goltzio more suo jam alias satis cognito adfictas, ut tanto certius evaderet Thebanorum numus. In utroque post literas ΚΕ nullum apparet punctum, quo Pellerinii Cea ultro corruit. Totum denique vocabulum legitur ΚΕΤΡΙΓΟΡΙΟΣ, sexto elemento luculento Γ, non Π.

AR. R. AE. RRR.

T H E S P I A E.

Prope sinum Corinthiacum. Vrbs Cupidini maxime devota, cujus primum ex vetere more simulacrum habuit lapidem rudem, cum aeneum suffecit Lysippus, at multo praestantiorem marmoreum Praxiteles, quem ab auctore ipso reliquis

---

m) Exped. Alex. L. V. c. 3. et Hist. Ind. c. 5. n) ad. Dionys. Per. v. 1153.

omnibus suis artefactis longe fuisse praelatum lepido astu comperit Phryne amasia o). Ejus unius videndi causa aditas fuisse Thespias, nullo alio operae pretio, dixit Cicero p). Subinde Romam translatum a Caligula, restitutum suis a Claudio, rursus ademptum a Nerone, positumque in Octaviae scholis, denique flammis absumptum prodidere Pausanias q), et Plinius r).

ΘΕΣΠΙΚΟΝ. *Caput muliebre*, *in area lunulae duae* X *Clypeus Boeoticus.* AR. I. (Mus. M. Ducis.)

ΘΕΣ. *Caput muliebre*, *prae quo luna bicornis.* In alio: *Duae lunulae.* X *Clypeus Boeoticus.* AR. III. (Pellerin.)

Caput muliebre velatum. X ΘΕΣΠΙΕΩΝ. *Lyra intra lauream.* AE. III. (Mus. Caes.)

Insolentior est epigraphe numi I. ΘΕΣΠΙΚΟΝ, quod esse κτητικον positum pro ἐθνικȣ abunde alias disserui s). Imagini Phrynes apud Delphos positae inscriptum legebatur: ΦΡΥΝΗ. ΕΠΙΚΛΕΟΥΣ. ΘΕΣΠΙΚΗ t). Typi plerumque lunae cultum profitentur incerta causa.

* * *

Dedimus certos Thespiensium numos. At inter incertos ablegandos censeo eos, in quorum area est ⊟, quod habitum est pro Θ quadratae formae ab Haymio u), Froelichio x), Pellerinio y), Khellio z), et cujus forma occurrit etiam in binis Atheniensium apud Haymium. Ex quorum ergo judicio numi omnes simili elemento notati, nam eorum plures sunt ac varii, jam Thebis, jam Thespiis, jam Thyreae Argolidos sunt adjudicati, de qua causa vide plura in numis postremae hujus urbis.

AR. et AE. RRR.

ATTICA.

ATHENAE.

De celebris hujus urbis numis actum a pluribus dissertatione singulari, ab Oudineto a), Comite Winchilsea b), Corsinio c), quibus adde Begerum, Wise, Pellerinium, Apostolum Zeno d), tum et locupletem thesaurum Hunterianum. Ex his fontibus petam ea, quae ad explicandam Athenarum monetam pertinent, inspersis, ubi necesse duxero, propriis animadversionibus.

Autonomi.

Hos commode in tres classes partiemur, aureos, argenteos, aeneos.

---

o) Pausan. L. I. c. 20. et L. IX. c. 27. p) in Verr. L. IV. c. 2. q) L. IX. c. 27. r) L. XXXVI. p. 726. s) Num. vet. p. 234. t) Athenaeus p. m. 591. u) T. I. p. m. 231. x) Not. elem. p. 24. y) Rec. T. I. p. 158. z) Adpendic. I. p. 41. a) B. L. T. I. p. 219. b) Haym. T. I. p. m. 159. c) Fast. Attic. T. II. p. 219. d) Lettere T. II. p. 124.

Moneta aurea.

Hujus metalli numum nullum habemus certum. Binos se possidere aliquando existimabat Pellerinius [e]), anepigraphum utrumque, suadente nempe solo noctuae typo, sed quae in plurium aliarum urbium numis, ut constat, nidulatur. Horum primus typo caprae et noctuae nullum certum criterium offert; alter cum capite Palladis, et noctua addito ΣΩ. haud dubie Tarentinus est, ut jam alias probavi [f]). Serius ipse vir eruditus sententiae suae coepit diffidere [g]), nullumque ipse agnovit aureum certum hujus urbis. Spanhemius se ejus complures aureos in variis museis vidisse testatur, at in quibus? quae eorum forma, typus? Istud nobis vir summus invidit [h]). Nuper illustris Combius in catalogo musei Hunteriani aureum edidit ejus formae, cujus copiosos argenteos antiquioris formae habemus: *Caput Palladis.* Ϫ ΑΘΕ. *Noctua stans, pone ramus oleae et lunula.* Addit, singulare istud numisma regis munificentia gazae Hunterianae accessisse [i]), de cujus fide arbitrentur, qui viderunt. Denique et Winckelmannus Atheniensium aureum in museo Farnesiano se vidisse adfirmavit [k]), sed quem virum illustrem in re numismatica auctorem minime gravem novimus.

An ergo nullos praepotens ea urbs ex hoc metallo flavit numos? Flavit sane, si comicos et scholiastas audiamus. At vero illorum proprium est ludere in verbis, horum fallere et falli. Ex Comicis Aristophanes, quem ex veteribus fere unicum vadem citant monetae aureae patroni, in Ranis v. 372. vetus Atheniensium numisma (ἀρχαῖον νόμισμα) opponit novo inducto aureo. (καινῷ χρυσίῳ). Cum vero in sequentibus versibus vetus illud vocet probum purumque, at novum pessimos aeneos, (πονηρὰ χαλκία) satis apparet, eum primo loco εἰρωνικῶς locutum, in quo judicio gaudeo mihi convenire cum erudito Wise contra Spanhemium, aliosque [l]). Haec ironia magis patet collato versu 817 in Concionantibus, ubi narratur, novam monetam aeneam abolitam, et restitutam argenteam praecone diserte addente: ἀργυρῷ γὰρ χρώμεθα, *argento enim utimur*, nulla facta auri mentione. Aureorum quidem Atticorum meminit etiam scholiasta ad Aristophanis Equites v. 1091. Verum cum is eo loco in hoc quoque peccet, quod eos ex fodinis Laurioticis signatos adfirmet, cum tamen ex his secundum omnium veterum testimonia argentum solum effossum sit [m]), patet, quantum ejus judicio de ipsis numis aureis deferre liceat. Post haec nemo credo vitio dabit, si auctoritatem Pollucis aureos Atticos testantis [n]) aspernandam puto. Auctores alii, cum monetae Atticae memi-

---

e) Rec. I. p. 142. f) Num. vet. p. 60. g) Suppl. III. p. 60. h) Ad Aristoph. ranas v. 735. i) In praefat. p. 9. k) Hist. art. p. 641. novae edit. l) Mus. Bodl. p. 138. m) Meurs. Fort. Athen. c. 7. n) L. IX. §. 53.

nere, auream dissimulant. Ita Demon citatus a scholiasta Aristophanis o) agens de vulgata paroemia γλαυκ᾽ εἰς Αθηνας, ait de Atheniensibus: ȣκ ἐν ἀργυρῳ μονῳ, ἀλλα και ἐν χαλκῳ χαρασσȣσι την γλαυκα, *non in argento modo, sed et in aere signant noctuam.* At cur vetus hic auctor non citat etiam monetam Atheniensium auream, si quam habuere? Pericles cum thesauri sive sacri, sive profani copias praedicaret, quem Athenienses in belli Peloponnesiaci usus convertere possent, adfirmavit, esse in arce sex millia talentorum argenti signati, tum quinquaginta talenta auri et argenti non signati p). Satis ex hoc Periclis calculo apparet, auro signato non usos Athenienses. An enim secus neglexisset, auri quoque signati praesentem copiam commemorare? Quod si Periclis aetate, qua Atheniensium res florentissimae fuere, aurea moneta caruit respublica, minus verisimile, invectam fuisse serius attritis ejus bello Peloponnesiaco opibus. Demosthenes quoties de moneta Attica loquitur, semper argenteam innuit. Quod si de aurea agit, manifeste innuit quoque, eam fuisse peregrinam. Clare istud apparet ex oratione in Phormionem q), tum et Lysia conquerente r), sibi ab Eratosthene vi adempta tria talenta argenti, CCCC. Cyzicenos, C. Daricos, quibus ex testimoniis colligere praeterea licet, Athenis in defectu monetae aureae valuisse aureos externos, quo de argumento plura disseruimus in Prolegomenis generalibus capite XVI. Fuit ergo apud Athenienses aurum merx, argentum pecunia, ut aliquamdiu apud Romanos adhuc liberos, et hodie in amplissimo Sinarum imperio.

Moneta argentea.

Ea magno numero superest. Longe vetustissimam fuisse bove insignem, testantur Plutarchus s), Pollux t), et scholiastes ad Aristophanis aves v. 1105. Vnde ajunt tractam paroemiam: βȣς ἐπι γλωσσῃ βεβηκεν, *bos linguam conscendit*, nempe cum quis argenti causa tacuit. Vide Pollucem u), et scholiastem Homeri x). Vtut haec erunt, id genus monetae jam nunc superstes non est. Qui superant argentei, fere omnes hinc caput Palladis, illinc noctuam sistunt, de quo monetae Atheniensis typo passim loquuntur veteres. Propter Palladis caput dicta fuit etiam Κορα, *Puella* y), at γλαυξ frequentius propter *noctuam.* Hinc lusus servi Gylippum herum furti arguentis apud Plutarchum z), multas noctuas in Ceramico, id est: sub tegulis latere. Habuisse triobolum utrinque insculptum Jovis caput, tradidit Pollux a), at quoniam cum hoc typo nullum habemus superstitem, verisimile est, ut saepe alias virum bonum cespitare.

Spectato pondere varios modos mo-

o) In Avib. v. 302. p) Thucyd. L. II. c. 13. q) pag. m. 943. seq. r) Orat. contra Eratosth. s) In Theseo. t) L. IX. c. VI. §. 60. u) l. c. §. 61. x) ad Iliad. Φ. v. 79. y) Pollux, l. c. §. 75. z) In Lysandro. a) l. c. §. 63.

netae Atticae argenteae suppeditat Pollux, nempe tetradrachma, didrachma, tetrobola, triobola, diobola, obolos, semiobolos. Horum tabulam ponderum dedit Haymius [b]), pondus vero singulorum numorum in catalogo Hunteri accurate habes indicatum, quod cum Haymianis calculis eximie conspirat. Quin exstant in museo Caesareo, Hunteriano, et alibi numuli, qui sunt semiobolorum dimidii, seu qui quartam oboli partem constituunt, duo nimirum grana adpendentes, quorum non meminit Pollux, et tamen in minutissimo volumine luculentos offerunt typos Atticos, et inscriptionem, quos non magis mirere in pecuniae usum potuisse servire, quam ad nostram usque aetatem pervenire. Haec monetae Atheniensis pondera docet experientia bilancis ope instituta. Mira adeo visa oratio Livii, qui, quo loco Flaminini de Philippo Macedone triumphum, captamque praedam enarrat [c]), sic ait: *signati argenti octoginta quatuor millia fuere Atticorum; tetradrachma vocant, trium fere denariorum in singulis argenti pondus est.* Locus hic criticorum ingenia, ut decuit, misere vexavit, quoniam ex veterum consensu drachma et denarius idem fere censebantur. Dicere, ignorasse Livium rei monetariae negotium, quo uno Gordius hic nodus planissime resecabatur, religio fuit. Ergo aliis visum, denarium illo tempore fuisse drachmae et trientis pondere, alii, pro *trium* legendum *quartuor fere denariorum* censuere. Verum ab utrisque male defensa causa, quia modum peccatum excessit. Denarium tum (intelligo Augusti aevum) adpendisse drachmam cum triente, quod ex hoc loco collegerat Priscianus, certae experientiae ex ejus aetatis numis captae repugnat. Esto, locum luxatum, etsi in verbo *trium* non appareat dissensus codicum, et is non aliter legatur apud Priscianum [d]), sed et tum major excessus, quam qui historicum adcuratum fugere debuerat. Secundum oraculum Livii, si lectionem *quatuor fere denariorum* recipiamus, numus Atticus tetradrachmus ne quatuor quidem denarios plene adpendit. Verum instituto examine cum integerrimis tetradrachmis Atticis musei Caesarei et denariis Augusteis reperi, tetradrachmum super quatuor denarios adpendere quasi semissem, seu quinarium. Recte istud ex tradita alibi doctrina de ratione drachmae et denarii, secundum quam denarius se habet ad drachmam Atticam fere ut 8 ad 9. Nam cum tetradrachmum Atticum adpendat denarios $4\frac{1}{2}$, seu quinarios 9, ex hoc etiam in tetradrachmo partis nonae excessu egregie confirmatur memorata ratio denarii ad drachmam ut 8 ad 9. Vtrum Livianam lectionem apte defendat cl. Dupuy [e]), magnopere dubito, sed quod nunc expedire non vacat. Sed quae ad accuratius hujus monetae pondus pertinent, vide ex cl. Barthelemyi doctrina proposita in Prolegomenis ad hoc opus generalibus Vol. I. cap. IX.

---

b) T. I. p. m. 214. c) L. XXXIV. c. 52. d) Putsch. p. 1349. e) B. L. T. XXVIII. p. 698.

* * *

Numi argentei antiquiores:

Caput Palladis simplice galea tectum. ✕ ΑΘΕ. *(scriptura in aliis recta, in aliis retrograda.) Noctua stans, juxta oleae ramus et lunula.* AR. I.

Numi obvii, sed qui ex globoso et informi metallo, etsi argenti purissimi, et literarum forma antiquitatem remotam eloquuntur. Serione, an per jocum, ut saepe alias, locutus videatur Harduinus, dum antiquissimos Athenarum numos non excedere primos Philippi Amyntae annos constituit [f])? Discimus ex Ranis Aristophanis v. 732, non modo tum, cum fabula haec in scenam data est, fuisse usum monetae argenteae, sed etiam eandem jam tum fuisse νομισμα αϱχαιον, *numum veterem.* Iam vero actas Ranas constat V. C. 348, at Philippus Macedoniae regnum adiit V. C. 395. Verum ne solum ex ranarum palude hausisse argumentum videar, confer, quaeso, horum fabricam numorum, si non rudem, certe rigidam cum ea, quam elegantissimam exhibent Philippi numi, ac tum aude utrorumque opus coaevum existimare. Quamdiu duraverit vetustus hic argenteae hujus monetae modus, dicetur infra in numis recentioribus. De Pallade urbis praeside, a qua eidem et nomen inditum, ejusque attributis noctua, et oleae ramo dicere non attinet re in vulgus nota.

* * *

Caput Palladis galeatum. ✕ ΑΘΕ. *(recte vel retrograde.)* ΑσΕ. ΑΘƎ. *Noctua stans inter duos oleae ramos.* In aliis: *Noctuae duae.* In aliis: *Noctuae in unum caput coeuntes.* In aliis: *Lunula una, vel tres.* AR. III. inter quos minutissimi aliqui, ut supra dixi. (Mus. Caes. Haym.)

Refert Pollux, in Atheniensium tetrobolis binas fuisse noctuas [g]). Sed duplex noctua occurrit etiam in parvis aeneis. Quae fuerit causa insertae his numis lunae, quam saepe solitariam in area monetae Atticae videmus, nonnunquam unam, aut tres conjunctas solum numi typum facere, ignorare se profitetur Haymius. Verum istud quoque astrum vindicare sibi Palladem, docuit me Vlpianus adserens [h]), ab Atheniensibus *Apollinem dici solem*, την δε Αϑηναν σεληνην, *Minervam vero lunam.* Secundum Plutarchum quoque luna Minerva dicitur, atque est [i]).

In uno ex numis propoſitis observandum Θ formae insolitae.

* * *

ΑΘΕ. *Caput Palladis intra quadratum.* ✕ *Capita viri ac feminae in morem Iani gemini conjuncta.* AR. III. (Haym.)

Comes Winchilsea apud Haymium [k]) capite gemino aversae Cecropem regni conditorem videt, qui justi matrimonii


---

f) ad Plin. T. I. p. 412. g) L. IX. c. VI. §. 63. h) ad Demosth. contra Midiam p. m. 691. i) de facie in luna p. m. 938. k) T. I. p. m. 264.

apud Athenienses auctor exstitit. Ferri potest haec conjectura, etsi Pausanias, qui multas se Athenis Cecropis statuas vidisse testatur [l]), nihil de geminato ejus vultu prodat. At quod idem nequaquam alienus sit ab eorum sententia, qui numum hunc sub Erichthonio, qui tertius a Cecrope annis circiter ante Christum 1500 regnavit, signatum conjecere, istud inquam, quis ferat? Ex communi sententia literae primum a Cadmo, uno adeo et dimidio saeculo post Erichthonium in Graeciam sunt invectae, litera vero Θ multo recentioris aevi est partus repertore sive Palamede, sive Epicharmo, ut taceam alios anachronismos numismaticos.

* * *

Numi recentiores.

Caput Palladis. ℞ ΑΘΕ. *addito plerumque magistratu vel simplice, ut:* ΑΜΜΩΔΙΟ., *vel binis, ut:* ΣΩΤΑΔΗΣ. ΘΕΜΙΣΤΟΚΛΗΣ. — ΑΠΕΛΛΙΚΩΝ. ΑΡΙΣΤΟΤΕΛΗΣ, *vel tribus, ut:* ΑΝΤΙΟΧΟΣ. ΚΑΡΑΙΧΟΣ. ΣΚΥΜΝΟΣ. *Noctua diotae insistens, per aream varia sigilla: gallus cum palmae ramo, lampas, elephas, caput solis radiatum, flos loti, Triptolemus junctis draconibus arans, varia item monogrammata, inter quae* , *item literae solitariae ipsi etiam diotae impressae, omnia coronae oleaginae includuntur.* AR. I. III. (Obvii, praecipue apud Hunterum.)

Plerique hi numi sunt tetradrachma, et insigni copia, et aevo recentiore communis moneta Atheniensium. Quo anno novus hic modus coeperit, decidi quidem nequit, sed ex ornatiore Palladis in his numis galea, quae in vetustioribus simplex fuit, non obscure conjici. Eam exornant incubans superne Sphinx, et gryphi, capto cultu a celebri Palladis statua, opere Phidiae, Athenis in Acropoli posita, cujus galea utroque hoc animali decorata fuit teste Pausania [m]). Vide, quae de consensu galeae, quae est in his numis, cum ea, quae est in insigni gemma musei Caesarei, opere Aspasii, nuper disserui [n]). Verisimile igitur est, hos numos Phidiae et Periclis tempora non praecedere, sed consequi. Durasse vero hujus generis numos saltem usque ad V. C. 668, docet numus similis, isque singularis, quem Athenienses Mithridati VI. dedicavere, et quem infra sistemus.

Sunt hi numi fabricae, si cum veteribus contendas, elegantioris, etsi nunquam elegantissimae, et ejus, quam in aliarum Graecarum urbium numis miramur, praestantissima quaeque nobis sperantibus ex urbe artium magistra. Atqui jam et veteribus pecuniae Atticae argenteae ruditas fuit agnita, et improbata. Auctore Diogene Laertio [o]) Zeno philosophus numis Alexandrinis, seu Alexandri M., nitidis sane et eleganter scalptis opponit Attica tetradrach-

---

[l]) L. I. p 13. [m]) L. I. c. 24. [n]) Choix de pierr. grav. p. 45. [o]) in Zenone L. VII. c. 1. n. 19.

ma, quae ait quasi ἐικῃ μεν κεκομμενȣς, και σολοικȣς, *temere signata et soloeca.* Causam neglectae in moneta Attica elegantiae difficile est divinare. Spanhemius cum videret, ab Aristophane numos Atticos a pulchritudine commendari, eos vero, quos fortuna nobis reliquit superstites, laudem hanc non promereri, jure dubitari posse existimat, utrum elegantes hi ejus reip. numi ad nos pervenerint p). At enim non satis intelligo, quae causa fuerit, cur longa aetas, quae aliarum rerump. elegantibus numis pepercit, in solos Atheniensium elegantes numos saeviret, et tantum eorum monetae rudiori indulgentem sese praeberet. Quod si poeta comicus eo loco numos patrios vocat καλλιστȣς, non hercle respexit artem, sed potius probitatem metalli internam, ut ex versibus connexis liquido apparet. Cl. Pauw hunc perfectioris artis defectum in parsimoniam rebusp. familiarem conjicit, quaestoribus aerarii tam tenue operae pretium statuentibus, ut meliores artifices detrectarent operi manum adhibere q). Haec cum scriberet vir, quod libenter profiteor, praeclare eruditus, exemplum et ipse dedit, quam periculosum sit tractare argumentum sine rerum omnium eo pertinentium solida scientia. Si novisset numos aliarum Graeciae civitatum, vidisset utique, in numis monetae Atticae coaevis etiam tenuissimorum oppidorum non modo M. Graeciae et Siciliae, sed et reliquae Europae, Asiae, Africae, ne quidem exceptis Acarnanibus, Epirotis, Locris, Boeotis, Thracibus, Siphniis, Seriphiis, Cyrenaeis etc. summam deprehendi artis perfectionem. Ergo civitates omnes, quantumcunque modicae, et vix nomine cognitae, qualis fuit v. g. Sybritia Cretae, adeo fuere elegantiae studiosae, ut eas non absterrerent sumptus in peritos artifices faciendi, illae vero Athenae ab operum magnificentia, et cujuscunque artis studiis adeo laudatae cognitaeque in una rei monetariae causa tam fuere omni aetate parcae et illiberales? Istud ut credam, nunquam in animum induxero, et ne tum quidem, si nulla alia superesset reperiundae causae via Forte non erravero, si artis defectum in moneta principis Graeciae populi non a sordida parsimonia, sed certo consilio repetendum existimo. Minores alias civitates, quarumque imperium agri sui finibus circumscriptum fuit, pro artium apud se progressu etiam elegantiae monetae suae studuisse, nequaquam mirum, quia ejus usus in rerum venalium foro a magistratu imperari potuit, ad exteras autem nationes se non porrexit. Alia fuit monetae Atticae ratio, quae propter copiam et argenti probitatem non modo communis Graeciae moneta habita fuit, ut diximus in Prolegomenis generalibus capite XVI., sed apud barbaras etiam gentes causa late

p) ad Ranas v. 735. q) Recherch. phil. sur les Grecs T. I. P. II. Sect. V. §. 2.

porrecti Atheniensium commercii valuit. Quare eam Aristophanes longe praestantissimam vocat ἐν τε τοις Ελλησι και τοις βαρβαροις πανταχου, *non inter Graecos solum, sed et barbaros undique* [r]). Ergo ad commercii usum intererat, ne minimum quidem a vetere, et jam cognito monetae modo discedere, non vano metu, ne vel in levissimis causis mutata possit a populo rudi, barbarisque non Attica putari. Enimvero ea nihil in re monetaria innovandi religio tanta Atheniensibus fuit, ut etiam vetere suo ΑΘΕ. pro ΑΘΗ. in argenteis suis numis uti pergerent etiam tum, cum elementi Η usus jam esset inductus, ut dicetur continuo.

Notanda in recentioribus his numis retenta vetus inscriptio ΑΘΕ. pro ΑΘΗ., etsi constet, jam anno IV. Olympiadis XCIV., qui est V. C. 353. vocales longas Η et Ω Athenis usurpari coeptas [s]), et satis appareat ex scriptura ΘΗΣΕΥΣ apud Athenaeum [t]), literam Η pro Ε longo jam Euripidis aetate fuisse Atheniensibus familiarem, et quod amplius est, etsi in iisdem numis magistratuum nomina utrumque novicium characterem jam admittant, ut apparet ex nominibus ΣΩΤΑΔΗΣ, ΘΕΜΙΣΤΟΚΛΗΣ. Haec literarum inconstantia in uno eodemque numo cum nullo pacto verisimilis videretur Harduino, negabat, literis ΑΘΕ. notari urbem, sed Αθηνη ΘΕα [u]). At quem deinde nobis vir eruditus dabit verbi ΘΕΒΗ scripti pro ΘΗΒΗ explicatum in numo Thebanorum? quae inconstantia tanto magis ferit, quod eaedem literae in uno eodemque vocabulo variant. Ex numo, quem Athenienses Demetrio Poliorcetae dedicavere, apparet, scripturam ΑΘΕ valuisse adhuc circa annum V. C. 461, quin valuisse adhuc in numo Mithridatis VI. nomine inscripto, qui, ut infra dicemus, ante V. C. 667. feriri non potuit.

Qui sint magistratus numis his inscripti, varie sentiunt antiquarii, aliis praefectos monetae, aliis viros illustres, aliis archontes annuos opinantibus, quorum hic judicia referre piget, cum conjecturis omnino nitantur, et videre possis apud Corsinium [x]). Omnibus curate expensis video nihil probabile adferri posse. Neque pluris faciendae conjecturae, quibus Corsinius per literas solitarias in aversae area constitutas varios Atticae populos indicari putat [y]).

Causa noctuae cognita; propterea vero insistere diotae creditum plerisque, quod Athenis praestantissima fictilia conficerentur, et Athenienses ipsi artis figlinae velut inventores haberentur, de quo vide plura apud Corsinium [z]). Minus placet haec opinio, et credam potius, quemadmodum in moneta Corcyrae, Thasi, Chii typo diotae indicantur largi ex vino proventus, ita eodem typo in numis Athenarum significari olei in Attica abundantiam regioni cum primis quaestuosam, et a mul-

r) Ranae. v. 736. s) Euseb. in Canon. t) L. X. p. 454. u) ad Plin. T. I. p. 412. x) Fast. Att. T. II. p. 245. y) l. c. p. 242. z) l. c. p. 236.

tis scriptoribus celebratam, quod adeo beneficium Palladi oleae inventrici acceptum tulere Athenienses. Res magis patebit ex numis aeneis. Occurrit, hanc quoque diotam ad religionem vocari posse, ut alia omnia in numis Atticis. Fuit Athenis festum congiorum, ἑορτη των χοων, quod fuit pars Anthesteriorum. Ejus causa instituendi fuit Orestes, quem materna caede pollutum, et Athenas delatum cum neque admittere ad convivium vellet Demophon, ne ipse, atque convivae polluerentur, neque tamen arcere, singulis singulos praeter morem vini congios apposuit, quod subinde factum annua religione consecratum fuit [a]). Festum istud insignis fuisse apud Athenienses nominis, justumque adeo monetae publicae argumentum, vel eo liquet, quod dignum illud judicavit Euripides, quod suis etiam versibus celebraret [b]). Postquam enim induxerat Orestem novum hunc convivandi morem Iphigeniae narrantem sua causa Athenis constitutum, haec eum praeterea animadvertere facit:

Κλυω δ' Αθηναιοισι τ' αμα δυστυχη
Τελετην γενεσθαι, κἀτι τον νομον μενειν,
Χοηρες ἀγγος Παλλαδος τιμαν λεων.

Audio autem, Atheniensibus meas calamitates
Festi instituendi causam fuisse, et adhuc morem manere,
Congiarium vas ut Palladis honoret populus.

Sigilla, quae aream numi obsident, videntur ad Atheniensium festa, ritusque cum sacros, tum profanos pertinere. Sane dubium non est, gallo palmato adumbrari ἀγωνα ἀλεκτρυονων, *gallorum certamen* Athenis celebrari quotannis solitum, de cujus origine olim latius disserui [c]).

* * *

Summae antiquitatis argenteum se nobis exhibere putant Guarnaccius [d]), et Maffeius [e]), qui tamen aliud non est, quam barbarus quidam abortus, ut literae barbarae adfatim docent.

Moneta aenea.

Censent aliqui, hanc primum fuisse inductam a Dionysio rhetore, qui propterea Χαλκυς, *aeneus*, appellatus est teste Athenaeo [f]). Cum Plutarchus memoret [g]), hunc Dionysium fuisse ducem Atheniensium, qui Thurios in Lucania aedificarunt, hoc autem teste Diodoro Siculo contigerit circa annum V. C. 308, aut saltem biennio post, (V. numos Thurii), hinc conficitur, monetam aeneam saltem ineunte jam saeculo IV. urbis conditae Athenis valuisse. Verum Athenaeus non dicit, monetam aeneam tum fuisse invectam, sed tantum, Dionysium istud suasisse, (συμβυλευσαι), quod unum jam per se satis causae fuit ad impingendum Dionysio Chalci scomma. Certiora indicia habemus apud Aristopha-

a) Athenaeus L. X p. 437. Scholiast. Aristoph. ad Acharn. v. 960. et Equit. v. 95. b) Iphig. in Taur. v. 943. seq. c) Num. vet. p. 161. d) Orig. Ital. T. II. tab. 8. e) Osserv. lett. T. V. p. 273. et in Veron. ill. p. 259. f) L. XV. p. 669. g) in Nicia p. 526.

nem [h]), quo loco querela inducitur monetae aeneae pro vetere argentea constitutae. Ranas esse actas anno III. Olympiadis XCIII. conficiunt eruditi, qui respondet anno V. C. 348, ergo aliquo saltem antea tempore ea monetae innovatio peracta. Non diu tamen eam legem constitisse, ex ejusdem Concionantibus v. 816 docemur; ubi narratur, aes praeconis voce fuisse abolitum. Haec autem fabula annis serius XIII. acta fuit. Sintne numi aliqui aenei ex Atheniensium moneta nobis superstites ejus aetatis, tuto definiri nequit, de quo mox pauca monebimus.

Spectata *epigraphe* singulares sunt:

Caput galeatum. ✠ ΑΘ. *Tripus inter malum Punicum et fulmen.* AE. In alio: Α⊖Η. *Diota.* AE. (Haym.)

Caput Medusae serpentibus horrens. ✠ ΑΘΕ. *Pallas gradiens d. hastam.* AE. III. (Haym, Mus. Neumann.)

Numos similes propter Θ quadratum ipsis Miltiadis temporibus admovet comes Winchilsea, sed argumenta, quibus istud comprobare nititur, infirmiora sunt, quam ut refutari mereantur. Si ab arte, cujus cognitio minus fallit, velimus capere augurium, remotam omnino aetatem non produnt, quin cum satis ex ejusdem artis praescripto appareat, numos argenteos, quos supra inter antiquiores proposuimus, hos aeneos aetate multum anteire, mirari omnino oporteret, in his quadratam hanc literam non comparere, si ea tantae vetustatis est argumentum. Istud certum, Θ similis formae saepe observari in inscriptionibus protomarum virorum illustrium, quae sunt certa aevi sequioris artefacta, et quadratum Θ adhuc serius valuisse apud Athenienses invecto jam elemento Η, numus mox citatus cum inscripto Α⊖Η. satis comprobat. ⊗. pro Θ in numo neque hoc multum antiquo, infra intuebimur.

Cujus sit caput anticae numi alterius, Herculisne, an Thesei, dubitat comes Winchilsea, et poterat dubitare, quia caput illud sibi leonis exuviis tectum videbatur. At dubium istud eximit numus Neumannianus, qui certum offert Medusae caput, perpetuum Palladis socium.

* * *

ΑΘ. ΑΘΕ. ΑΘΗ. ΑΘΗΝΑΙ. ΑΘΗΝΑΙΩΝ, ΑΘΗΝΑΙѠΝ.

Sunt hae solitae aeneorum inscriptiones. Antiquiores sunt plerumque, qui ΑΘΕ. inscripsere. Reliqui posterioris sunt aevi, et multi per rudem fabricam ipsius Gallieni aevum non inficiantur.

* * *

Typi plerumque Palladem praesidem aut tributos ei honores jactant, quos adeo jure praemittimus.

Caput Palladis. ✠ ΑΘΗΝΑΣ. ΝΙΚΗΦΟΡΟΥ. *Tropaeum.* In aliis: *Noctua expansis alis lauri ramo insistens.* AE. III. (Mus. Caes.)

Palladem *Victoriam*, Ἀθηνᾶν Νίκην, liberaliter Athenis cultam copiose de-

h) in Ranis v. 732.

monstrat Meursius [i]). Apposite huc Moschopulus: Νικω, το περιγινομαι, ἀφ' ὁ Νικη, ἡ τροπαιουχια, και ξοανον Αθηνας παρα τοις Αθηναιοις. *Vinco, superior sum, a quo Victoria, possessio tropaei, et signum Palladis apud Athenienses.* En causam tropaei in hoc numo. Aristides loquens de Pallade [k]): *haec sola omnium deorum dearumque non cognomen habet Victoriae, sed ipsa dicitur Victoria.* Vnde et Euripidi dicitur: ὠ ποτνια Νικα, et Νικη Αθηνα [l]). Etiam noctua volans alterius numi ad idem argumentum pertinet, nam ut ait scholiastes Aristophanis, (ad Equit. v. 1091.) *noctuae volatus symbolum victoriae putabatur*, et quidem Atheniensibus, ut diserte notavit Diogenianus [m]). Quae causa fuit, cur Agathocles, ut animos militum erigeret, noctuas per castra dimitteret. Eandem etiam Minervam Nicephoram video in aeneis obviis C. Clovii, in quorum una parte protome Victoriae, in altera Minerva tropaeum gestans. Pellerinius in numo simili pro tropaeo vidit duas mulieres fulciendo aedificio destinatas, quas esse Caryatidas censet, easque in numo expressas in memoriam Caryae expugnatae, ejusque mulierum in servitutem abstractarum [n]), cum quo consentit et Comes Caylus [o]). At enim in omnibus iis, quos hactenus conspexi, et alii prodiderunt, luculentum est tropaeum. Ad eandem Palladem Nicen ab Atheniensibus cultam referendum est festum ab iisdem constitutum, dictumque Νικητηρια Αθηνας, cujus causam expedit Meursius ex Procli in Timaeum commentariis: *ergo nunc quoque festa Victoriae Minervae apud Athenienses celebrantur, faciuntque illud solenne, tanquam Neptuno a Minerva victo* [p]). Ceterum Minervae Nicephorae nomine potest ipsa Phidiae Minerva in Acropoli posita intelligi. Eam enim sic describit Epictetus apud Arrianum [q]): Και ἡ Αθηνα ἡ Φειδιου ἐκτεινασα την χειρα, και την Νικην ἐπ' αὐτην δεξαμενη κ. τ. λ. *et Minerva Phidiae porrecta manu, et ea Victoriam gestans etc.* Ea, quae hactenus dixi, Minervam quidem Victoriam recte explicant, at non evincunt, numos hos, in quibus Athenarum inscriptio abest, Athenas pertinere. Praeterquam enim, quod delicatioris sunt laboris, quam quem praefert moneta Atheniensis, narrat etiam Sestinus, in vicinia Smyrnae esse obvios, et videri Pergamenos, quia in horum uno observavit monogramma ΠΕΡΓ [r]).

* * *

Caput Palladis. ☧ΑΘΗΝΑΣ.ΑΡΕΙΑΣ. *Noctua stans.* AE. III. (Pellerin.)

Aversam plene explicat Pausanias narrans [s]), in Areopago stetisse βωμον Αθηνας Αρειας, ὁν (Ορεστης) ἀνεθηκεν ἀποφυγων την δικην, *aram Minervae Areae, quam Orestes absolutus dedicavit.* Vocem Αρειας Amasaeus male vertit *deprecatricis*, cum potius sic ara dicta videatur

i) Attic. lect. L. I. c. 20. k) Orat. in Pallad. l) Ion. v. 457 et 1529. m) Proverb. Cent. III. §. 72. n) Rec. I. p. 145. o) Rec. d'Ant. T. IV. p. 145. p) Graec. fer. q) L. II. c. 8. r) Lettere p. 135. s) L. I. p. m. 68.

a loco, in quo stetit, ἀπο τȣ Αρειȣ παγȣ, *a Martis colle.*

* * *

Caput Palladis ✕ ΑΘΗΝ. *Rupes, super qua templum, juxta statua Palladis, et porta, ad quam gradus per rupem ducunt.* AE. II. (Pellerin.)

Habes in insigni hoc numo Acropolin celebrem Athenarum arcem, de qua vide multa apud Pausaniam, aliosque.

* * *

Caput Palladis. ✕ ΑΘΕ. *Neptunus tridentem intorquens, et Pallas stantes, in eorum medio olea, cui insidet noctua, et obvolvitur serpens.* AE. (Haym. T. II. p. 97.)

Caput Palladis. ✕ ΑΘΗΝΑΙΩΝ. *Noctua, olea, diota, infra palmae ramus.* AE. III. (Haym. T. I. tab. 15.) In simili musei Caesarei est *noctua, olea, diota, palma arbor.*

Prior sistit decantatam Neptunum inter ac Palladem contentionem, ab utro urbs appellationem caperet, de qua abunde actum a mythologis. Ad idem argumentum pertinet numus alter, vase proventus ex olea indicante, et palma ipsam victoriam, qua de causa instituta fuisse Νικητηρια supra diximus.

* * *

Caput Palladis. ✕ ΑΘΗ. *Mensa, supra quam caput Palladis inter noctuam, et coronam oleaginam, infra vas.* AE. III. (Mus. Caes.)

Thema partis aversae referendum ad certamina Panathenaica, quorum victores donabantur corona oleagina, et vase oleo referto. De hoc vide Meursium, qui de Panathenaeis librum singularem scripsit, qui exstat in ejus operum Tomo II.

* * *

Cuput Palladis. ✕ ΑΘΕ. *Sphinx intra coronam oleaginam.* AE. (Haym. Mus. Caes.)

In celeberrimo Palladis simulacro, quod in Parthenone stetit, opus Phidiae a Pericle imperatum, galea, qua deae caput tegebatur, Sphinge et gryphis ornata fuit, quae copiose descripta vide apud Pausaniam. Ab hoc velut archetypo videntur urbes aliae, ac praecipue M. Graeciae eadem ornamenta Palladi suae quaesivisse, ut earum numi ostendunt.

* * *

Caput Vulcani laureatum, pone forceps. ✕ ΑΘΗ. *Binae faces accensae.* AE. III. (Pellerin.)

Caput Palladis. ✕ ΑΘΗΝΑΙѠΝ. *Vulcanus stans d. malleum, pro pedibus incus, et forcipes.* AE. II. (Haym. T. I. p. 184.)

Mirum, Pellerinium in iconismo talem sistere Vulcani luculentam imaginem, qualem descripsi, et tamen, quo loco numum hunc explicat, caput Herculis cum clava statuere t). Numum hunc insigniter explicat historia Attica. Erichthonium ve-

t) Rec. I. p. 147.

terem gentis regem fuisse filium Vulcani et Minervae, plures prodidere, cujus testimonia vide apud Meursium [u]), quae causa videtur, cur Aeschylus Athenienses *Vulcani filios* dicat [x]). Cicero ex Vulcano et Minerva praedicat natum eum Apollinem, quem custodem Athenarum antiqui historici sanxerunt [y]). Ejus honori Athenis constituti fuere ludi Ἡφαιστεια, *Vulcanalia*, qui lampadum cursu peragebantur, de quibus copiose Meursius [z]), quorsum adludunt faces accensae partis aversae, quae ex eadem causa sunt etiam in numis Hephaestiae Lemni. Adde et testimonium Nonni [a]):

Ει δεὲ Παλλας ὀρινε, και ἠκαχεν Αμφιγυηεις,
Κεκροπιυ λυχνοιο φεραυγεα δαλον ἀναψας,
Μαρναμαι ἀμφοτεροισι, και Ηφαιστῳ και Αθηνῃ.

Si vero ipsam Pallas agitat, aut dolore affecit Vulcanus,
Cecropii lychni lucidam lampadem accendens,
Pugno cum utroque, et Vulcano et Pallade.

Aliam etiam ob causam Vulcano lampadem tribuit Euripides [b]).

Ηφαιστε, δαδεχεις μεν ἐν γαμοις βροτων.
Vulcane, facem quidem fers in nuptiis mortalium.

* * *

Caput Cereris. Ӿ ΑΘΕ. *Scrofa.* AE. (Haym.)

Caput Palladis. Ӿ ΑΘΗ. *Ceres vecta in bigis draconum alatorum d. spicas ostentat.* AE. III. (Mus. Caes.)

Caput Cereris velatum. Ӿ ΑΘΕ. *Triptolemus in simili curru vectus d. spicas ostentat.* AR. (Haym.)

Typi, quos offerunt partes aversae utriusque numi prioris, obvii sunt in numis Eleusinis, ad cujus mysteria ibi celebrata etiam pertinent, ut tum dicetur. Ad haec narrat Aelianus [c]), Athenienses in mysteriis sues immolare propter perniciem, quam segetibus moliuntur. Pellerinius numum secundo ex hic descriptis simillimum, quod in eo ΙΛΗΑ legeret, Hilejae Mesopotamiae tribuit [d]), quem errorem in hac notabo. Fabula Cereris et Triptolemi agriculturae magistrorum in vulgus cognita.

* * *

Caput Palladis. Ӿ ΑΘΗ. ΑΘΗΝΑΙΩΝ. *Theseus cum Minotauro pugnans.* AE. II. (Pellerin.)

Caput juvenile, pone clava. Ӿ ΑΘΗ. *Caput bovinum detracta pelle.* AE. (Haym.)

Caput Palladis. Ӿ ΑΘΗΝΑΙΩΝ. *Vir nudus toto nisu praegrandem lapidem erigit.* AE. II.

Thesei, qui Minotaurum percussit, turpique Athenas tributo liberavit, notior fabula, quam ut ei enarrandae immorer. In capite juvenili numi alterius comes Winchilsea Herculem juvenem vi-

---

u) De regib. Athen. L. II. c. 1. x) Eumenid. v. 13. y) De Nat. deor. L. III. c. 22. 23. z) Graec. fer. sub. Λαμπας. a) Dionys. L. XXXIII. v. 123. b) Troad. v. 343. c) Nat. anim. L. X. c. 16. d) Suppl. III. p. 113.

det. Verum cum non satis addicant oris lineamenta huic tribui solita, et constet, Theseum quoque clava usum, in hujus quoque effigiem propendeo, quem novimus, et Minotauri, et tauri Marathonii habitum victorem. Numus III. nuper demum innotuit vulgante eum cl. Müntero e). Praeclarum istud cimelium argumentum continet in re quidem numismatica novum, sed ex aliis monumentis satis jam cognitum, nimirum Theseum matris Aethrae jussu calceos, et gladium, quos pater Aegeus sub petra absconderat, investigantem. Vide facti hujus causas omnes adcurate expositas apud Winckelmannum f).

* * *

Caput Palladis. Ⅹ ΑΘΗ. *Navis, super qua miles gradiens d. coronam, s. tropaeum super humero, prorae insistit noctua, et serpens.* AE. II, (Mus. Caes.) In simili alio scriptum Α⊗Η. (Mus. Neumann.)

Caput Palladis. Ⅹ ΑΘΕ. *Tropaeum, prae quo figura nuda pileo Phrygio tecta manibus retro ligatis, quas miles pone stans retinet.* AE. (Haym. T. II. p. 95.)

Priore numo exhiberi Theseum a peracta Minotauri caede e Creta reducem conjecit Oudinetus. Sed enim quid tropaeum ad Minotaurum? Praestat sequi filum, quod porrigit Pausanias. Narrat is g), in Salamine insula Atticae vicina, esse templum Dianae, et tropaeum erectum in memoriam victoriae a Themistocle apud hanc partae, et esse ibi templum Cychrei. In ea enim maritima Atheniensium cum Medis pugna serpens in navibus dicitur conspectus, quem ex oraculi monitu esse heroem Cychreum didicere Athenienses. Compone haec Pausaniae verba cum numi typo. Additur miles heros, ut facilius intelligatur, sub serpente Cychreum latere. Adverte etiam ad scripturam Α⊗Η. Recte ad suum hunc numum observat eruditus Neumannus, literam Theta hujus formae, etsi in vetustissimis monumentis appareat, in hoc non esse indicium vetustatis, sed archaismi adfectati.

Alterius numi explicationem non tento, neque probantur, quae conjecit Haymius.

* * *

Apis. Ⅹ ΑΘΕ. *Typi varii.* AE. IV. (Haym, Mus. Caes.)

Apis. Ⅹ ΑΘΕ. *Diota.* AE. IV. (Mus. Caes.)

Videtur adludere apis ad praestantiam mellis, quo nomine vicinus mons Hymettus secundum omnia veterum testimonia celebratus fuit. Narrat praeterea Philostratus h), cum Athenienses colonos in Ioniam ducerent, Musas sub apum specie cursum rexisse.

Numum alterum propter insolens Theta, quod magis ad Φ accedit, proponendum duxi, qua forma illud etiam in marmore

e) Heeren. Bibl. der alten Litterat. IX. Stück S. 48. f) Monum. ined. pag. 130. g) L. I. c. 36. h) In imag. Meletis.

Athenis reperto comparet, quod edidit Pacciaudus [i]). Numum similem, sed non satis integrum, cum in eo EΦE. legendum putarem, olim Ephesum perperam adegi [k]).

* * *

Comes Winchilsea in variis capitibus galeatis sui musei Periclem, Aspasiam, Aristidem, Cimonem, Themistoclem, Phaedram, Callisthenem vidit, quam sententiam jam improbavit Corsinius [l]). Plerique hi numi exstant etiam in museo Caesareo, at in his indubitatum est caput Palladis. Vidimus hactenus, Athenienses pleraque numorum suorum argumenta ex mythologia, vel ritibus sacris hausisse. Quare vereor etiam, ut in numo Haymiano [m]), in quo juxta caput barbatum et hedera coronatum legitur AΘ. ΘE., revera propositus sit Thespis, poeta tragicus, ut opinatus est comes laudatus, quem olympiade LXI. docuisse fabulas testatur Suidas. Fateor, judicio huic nonnihil suffragari coronam hederaceam, sed mirum tamen videatur, Athenienses istud honoris habuisse tragoedo, quod non concessere viris praestantissimis, qui remp. sive belli, sive pacis ornamentis ad summum gloriae apicem promoverunt. At omnis haec controversia suapte corruit, si suspicemur, male lectum AΘ. ΘE. pro AΘE. propterea, quod in simili altero Hunteriano posterior haec scriptura obtinet, at tum caput illud haud dubie erit Bacchi Indici.

AR. et AE. C.

Regii.

Numos *Demetrio Poliorcetae* ab Atheniensibus dedicatos vide in moneta hujus Macedoniae regis.

* * *

Numus *Mithridatis VI.*, aliique synchroni:

Caput Palladis. ✕ AΘE. BAΣIΛE. MIΘPAΔATHΣ, *infra* APIΣTIΩN. *Noctua diotae insistens, in area astra solis et lunae.* AR. I. (Combe Catal. mus. Hunter p. 49. in nota.)

Caput Palladis. ✕ AΘE. APIΣTIΩN. ΦIΛΩN. HΓI. *Noctua diotae insistens, in area Pegasus pascens.* AR. I. (Catal. Hunter. p. 49.)

Caput Palladis. ✕ AΘE. AΠEΛΛIKΩN. ΓOPΓIAΣ. ΔIOΣIO. *Noctua diotae insistens.* AR. I. (Ibid.)

Priores duo numi praestantissimi historiam egregie illustrant. Docet haec, Archelaum pro Mithridate VI. ducem trajecto in Graeciam exercitu V. C. 667 Athenas et Piraeeum occupasse juvante ejus consilia Aristione, qui antea dictus Athenion, sed in civitatem adscriptus nomen mutavit, ex philosopho peripatetico factus Athenarum tyrannus, cujus ortum ac progressum late describunt Athenaeus [n]),

i) Mon. Pelop. p. 207. k) Num. vet. p. 204. l) Fast. Att. T. II. p. 247. m) T. I. p. m. 205. n) L. VI.

Plutarchus [o]) Appianus [p]). Verum anno sequente captae a L. Sulla Athenae, sumptumque de Aristione supplicium. Ergo Atheniensium numis illatus REX MITHRIDATES, ut olim Demetrius Poliorcetes, atque una ARISTION, neque satis visum, regis solum nomen monetae inferre, nisi et junxissent astra solis et lunae, sueta regum Ponticorum symbola. Numus alter iterum Aristionem sistit. Ne vero dubitari possit, esse eum ipsum tyrannum, quem prior numus offert, vetat Pegasus in area pascens, qui obvius est in Mithridatis VI. moneta typus, quemque is in ejus regis gratiam huc adegit. Ex his numis apparet, quod supra indicavi, Athenis tetradrachma hujus generis in haec usque tempora fuisse signata, retenta adhucdum vetere orthographia ΑΘΕ.

Addidi numum tertium forte praecedentibus synchronum, si modo inscriptus *Apellicon* idem est cum illo, qui Aristionis partes secutus est, et de literis praeclare meritus hac una causa, quod Aristotelis scripta a blattis tineisque vindicavit.

Imperatorii.

Horum nullum indubitatae fidei editum reperi ne quidem cum Hadriani imagine, qui profusis officiis urbem sibi devinxit. Tamen sub Augustis perrexisse Athenienses, et quidem in extrema usque tempora ferire monetam autonomam, miserum in compluribus opus Gallieni aevo non indignum satis eloquitur. Ejus vera ratio ignota, etsi varias alii attulere, sed quae non satisfaciunt. Pauci tamen illi in examen vocandi, qui imperatoria Atheniensium moneta habiti sunt.

Cum capite *Liviae* numum edidit Corsinius ex museo rev. Trombellii Bononiae [q]), sed cum numum vidi ipse, et in eo fraudem recentem facile agnovi, et vidi ejus similes, eosque argenteos, in pluribus museis Italicis, unde fraus certior. Accedit, quod in his ad caput muliebre nulla addatur epigraphe; quare etsi hi numi essent genuini, difficile foret continuo statuere, proponi in iis Liviae caput.

Cum capite *Vespasiani* numum edidit Vaillantius: ΕΠΙ. ΑΤΕΛΙΑΝΟΥ. ΑΘΗΝΑΙΩΝ, *Caput Palladis.* Hic praeconem citat Franciscum Camelum. Sitne hujus viri testimonio standum, tum quis deciderit, cum ejus catalogum musei reginae Christinae pervolverit.

Qui adhuc citantur cum capite Aurelii, et Commodi, nempe numi concordiae Athenienses inter, et Smyrnaeos, eos certum est Smyrnae percussos, ut in hac dicetur.

Singulare est, quod adserit Winckelmannus [r]), Athenienses sub Vespasiano perdidisse jus, numos sine imperatoris imagine feriundi. Ergo deinceps aut numos autonomos non cuderunt, aut tantum cum capite imperatoris, quod

---

o) In Sulla. p) In Mithridat. q) Epist. ad Trombell. r) Hist. art. p. 397. edit. Dresd.

utrumque esse falsum ex dictis patet. Citat vades sententiae suae Vaillantium, et Wisium, sed qui viri locis laudatis longe aliud dicunt.

Numi aliarum urbium

ad exemplar monetae Atheniensis signati.

Operae pretium, numos sequentes curatius describere.

Caput Palladis. ⅹ ΓΟΡΤΥΝΙΩΝ. *Noctua diotae insistens, cui insculptum* B, *in area bos cornupeta, omnia intra coronam oleaginam.* AR. I. (Pembrock P. II. tab. 8.)

Caput Palladis. ⅹ ΙΕΡΑΠΥ. ΖΗΝΟΦΙ. *Noctua diotae insistens, in area aquila, omnia intra oleaginam.* AR. I. (in meis Numis vet. p. 149.) Alius, sed *cum magistratu* ΚΥΡΑΝΝΙΣ. AR. I. (Hunter.)

Caput Palladis juxta ΑΙΘΩΝ. ⅹ ΚΥΔΩΝΙΑΤΑΝ. *Noctua diotae insistens, in area Hercules nudus gradiens, et clava ictum intentans.* AR. I. (le Blond ex museo Pellerin. p. 12. Dutens Explic. de quelq. med.)

In singulares hos numos, quod mereri videbantur, uberius olim sum commentatus s). Eorum primum esse Gortynae, alterum Hierapytnae, tertium Cydoniae, quae illustres omnes Cretae urbes fuere, ipsa epigraphe eloquitur. Mirum enim vero illud visum, non, quod earum oppidani Palladem, noctuamque in his, ut Athenienses, signavere, nam ejus deae cultus late patuit, sed quod tam anxie typum, pondus, metallum, volumen, omnia, quae in obviis Atheniensium tetradrachmis observantur, adfectaverunt. Contende, si lubet, hos numos, et fatebere, neque in levissimo apice ab archetypo discessum. Unum discrimen faciunt pro ΑΘΕ. epigraphe urbium propria, et sigilla areae adfixa, quae domesticos esse earum typos, suis locis videbimus. Ex quo efficitur, has Cretae urbes certo quodam consilio typis Atticis in moneta sua usas, sed cujus veram reperire causam difficile. Aliquid lucis suppeditavit Plutarchus, cum narrat t), quo tempore Lysander cum Atheniensibus bellum gessit, plurimos numos aliarum quoque urbium propter Athenienses fuisse noctua insignes. Verum non addit, utrum hanc legem causa commercii, an alia quaepiam ratio publica suaserit. Initam quamdam ab Atheniensibus in re monetaria concordiam cum aliis urbibus, persuadent numi argentei fere II. formae, in quibus hinc: *Caput Palladis,* illinc: ΤΑΡ. ΑΘΗ. *Noctua oleae ramum pedibus stringens.* Hos numos esse Tarentinos, et nequaquam cum Atheniensibus miscendos, ut placuit comiti Winchilsea u), inde patet, quod in aliis similibus, plene scribitur ΤΑΡΑΝΤΙΝΩΝ et in certis Atheniensibus alia sunt in Palladis galea ornamenta; denique si Athenis essent signati, scriptum foret ΑΘΕ., non ΑΘΗ. lege constante in earum moneta argentea. Vide super hoc argumento plura in citato meo opere.

---

s) Num. vet. p. 149. t) In Lysandro. u) Haym. T. I. tab. 20. num. 1. et 3.

ANAPHLYSTVS.

Vrbs modica prope Athenas.

Autonomum aeneum edidit Goltzius [x]: ΑΝΑΦΛΥΣ. *Caput Apollinis.* ✠ *Pegasus volans.* Hic si exstitit, haud dubie huc est vocandus. Alter argenteus, quem ibi conjungit, et cujus similis etiam a comite Winchilsea huc fertur [y], cum capite Palladis, et Pegaso addito ΑΝΑ., hic, inquam, Syracusarum numus est cum mentione Anactorii, de quo numorum genere agemus infra in numis coloniarum Corinthi.

A Z E T I N I.

Habentur *autonomi:*

Caput Palladis. ✠ ΑΖΕΤΙΝΩΝ. *Noctua insistens capitulo ordinis Ionici.* AE. III. (Mus. Caes. Pellerin.)

Aquila fulmini insistens. ✠ ΑΖΕΤΙΝ. *Spica.* AE. III. (Mus. Caes. Pellerin.)

Typus prioris numi suaserit Froelichio, ut eum *Azetinensibus Atticae* tribueret [z], qui tamen veterum nulli memorantur. Hi igitur numi lucem adhuc desiderant. Nam Froelichius, qui alibi [a] *Azeniam* exsculpsit, quae fuit pagus Atticae tribui Hippothoontidi subjecta, jure reprehenditur a Pellerinio [b].

AE. RR.

D E C E L I A.

Ad mare Euboeae, quae a Spartanis suadente Alcibiade praesidio munita diu Atheniensium res adflixit. Vide Thucydidem.

Caput galeatum. ✠ ΔΕ. ΔΕΚΕΛΙΕΩΝ. *Caduceus.* (Froelich Not. elem. p. 81 ex le Bret.)

AE. RRRR.

E L E V S I S.

A Cereris mysteriis famigerata.

Ceres vecta bigis draconum alatorum d. spicas praefert. ✠ ΕΛΕΥ. ΕΛΕΥΣΙ. *Scrofa.* AE. III.

Ejus generis complures edidit comes Winchilsea apud Haymium [c]. Partem anticam jam in numis Atheniensium vidimus sacram Cereri, cui et ipsa urbs et acta ibi mysteria sacra, unde et Euripides [d]:

Δημητης ἑστιȣχ᾽ Ελευσινος χθονος.

O Ceres! tutelaris Eleusinis terrae.

Huc servit, quod ait Minucius [e]: *Ceres facibus accensis, et serpente circumdata errore subreptam, et corruptam Liberam anxia et solicita vestigat. Haec sunt Eleusinia.* Recte etiam huic deae jungitur scrofa, quia συες ἑργα, συες φυτα λυμαινονται, *sues opera agrestia, sues plantas adfligunt,* ut canit Callimachus [f]. Ergo jure

prima putatur
Hostia sus meruisse mori, quia semina pando
Eruerit rostro, spemque interceperat anni,

judice quidem Pythagora apud Ovidium [g]. Ergo Cereri nulla sue gratior victima teste iterum Ovidio [h]:

Prima Ceres avidae gavisa est sanguine porcae

---

x) In Graec. tab. XV. y) Haym. T. I. p. m. 218. z) Cimel. Vindob. p. LXXXI. a) Notit. elem. p. 77. b) Rec. I. p. 148. c) T. I. tab. 21. d) Supplic. v. 1. e) In Octav. c. 21. f) Hym. in Dian. v. 156. g) Met. L. XV. h) Fast. L. I.

Vlta suas meritae caede nocentis opes.
Nam sata vere novo teneris lactentia succis
Eruta setigerae comperit ore suis.

Secundum Gellium [i]) *porca etiam praecidanea appellata, quam piaculi gratia ante fruges novas captas immolari Cereri mos fuit.* Vide etiam Aelianum [k]). In denariis quoque Vibii Pansae Ceres comitem habet porcum.
AE. RR.

ERADAE.

Caput Apollinis. ※ ΕΡΑΔ. *Noctua oleae ramo insistens.* AE. III.

De hoc numo haec Pellerinius editor: *est oppidi, quod dicebatur* Eradae, *cujus Suidas facit mentionem* [l]). Hic locus Suidae mihi ignotus. At Hesychius, Harpocration, et Stephanus memorant Atticae populum dictum *Eroeadae*, sed cum quo non conspirat epigraphe numi. Videtur igitur hactenus inter incertos seponendus, perinde ac numi inscripti ΑΖΕΤΙΝΩΝ, de quibus supra egimus.

LAVRIVM.

In solo museo Theupoli produntur numi duo Gordiani Pii: ΛΑΥΡΕΩΝ. *Dea stans cum velo a capite usque pedes* [m]). Fuit Laurium mons argenti metallis dives, at oppidi huic impositi veteres non meminere. Scribendum item fuerat ΛΑΥΡΙΩΝ, non ΛΑΥΡΕΩΝ. Quid quod dictae fodinae jam Strabonis aetate defecere. Recte, ut videtur, arguit Sestinus, pro ΛΑΥΡΕΩΝ legendum ΜΥΡΕΩΝ, et esse numos Myrae Lyciae [n]).

MARATHON.

Nobilis a victoria de Persis duce Miltiade relata. *Autonomum*: ΜΑΡΑΘΩΝ. ΔΗΜΟϹ, cum capite hinc Palladis, illinc Mercurii vulgavit Harduinus, sed neque museum citat, neque quod sciam, ab alio hic numus conspectus est.

MEGARA.

Sita in Megaride, quae secundum aliquos geographos Atticae partem constituit.

Autonomi.

Caput Apollinis. ※ ΜΕΓΑΡΕΩΝ. *Mulier gradiens utraque manu facem jactat.* AE. III. (Neumann.)

ΜΕΓΑΡΕΩΝ. *Caput Apollinis.* ※ *Lyra.* AR. III. (Sestini Lettere T. IV. 98.) AE. II. (Pellerin.)

Caput Apollinis. ※ ΜΕΓΑΡΕΩΝ. ΕΠΙ. ΓΡΑΜΜΑ - - *Lyra.* AE. II. (Pellerin.) In alio: ΕΠΙ. ΔΙΟΝΥΣΙΟΥ. AE. III. (Sestini l. c.)

Praeter haec Atticae Megara fuere etiam alia Siciliae. Numos, quos coram descripsi, huc pertinere non dubito caussa Apollinis. Constat ex Pausania [o]), Apollinem Alcathoo in aedificandis Megarorum moenibus operam locasse, ejus-

---

i) L. IV. c. 6. k) De Nat. anim. L. X. c. 16. l) Rec. I. p. 149. m) Pag. 1047. n) Lettere T. III. p. 86. o) Attic. c. 42.

que facti testimonium sua adhuc aetate praestare lapidem, in quo ferunt Apollinem lyram deposuisse. Eum namque percussum cytharae sonum imitari. Idem perhibetur in poemate, quod *Ciris* inscribitur, et Virgilio tribuitur p), tum et ab Ovidio q). Numus primus tanto certius horum erit Megarorum, quia similis Cereris gradientis typus est etiam in imperatorio, et in numis sequentium Pagarum. Vocabula numi postremi ΕΠΙ. ΓΡΑΜΜΑ- - non videntur aliud, quam scribam eponymum indicare, etsi hic magistratus hactenus in nullo numo Graeciae Europaeae comparuerit. Ea Burmanno suspecta visa sunt, sed ex causa infirma r).

* * *

Sunt apud Pellerinium aliosque numi inscripti: ΜΕΓ. ΜΕΓΑ. ΜΕΓΑΡΑ, de quibus jure dubitatur, sintne Megarorum Siciliae, an Atticae, typis *navis* vel *delphini* non satis ad judicium valentibus.

AE. RR.

Imperatorii.

Inscripti ΜΕΓΑΡΕΩΝ sunt Megarorum Atticorum, quia, ut alias dictum, Italicis et Siculis urbibus mature ademptum fuit jus feriundae monetae.

Exstant hujus urbis numi cusi sub Antonino, Aurelio, Vero, Commodo, et in Severi familia, quos vide apud Vaillantium, Pellerinium s), in museo Caesareo, Theupoli, Arigoni.

Typus plerumque est *Ceres utraque manu facem gestans*, de quo agetur mox in Pagis. Ante Cererem non raro adstituitur aliquid, quod in Theupoli dicitur fax oblonga; apud Arigonium instar arae luculentae pingitur, sed Pellerinio Herma est.

AE. RR.

NISAEA.

Megarorum navale.

Caput Jovis. ℞ ΝΙΣΑΙΩΝ. *Aquila insistens taedae ardenti, in area spica.* AE. III.

Princeps Turris Mutiae numos similes tribuit Nisae Siculae, sed non satisfacit, ut in hac dictum. Praeplacet sententia Goltzii et Harduini, similes numos huc ferentium, quam sententiam juvant certe fax et spica, attributa propter Cereris cultum Megaridi propria. Praeterea hujus Nisaeae gentile fuisse Νισαιοι, abunde in Nisa Sicula ex veteribus comprobavi.

AE. RR.

PAGAE.

Megaridis. Latinis dicuntur *Pegae* et *Pagae*, ut et Graecis Πηγαι, sed Παγας fecit dialectus Dorica Megarensibus familiaris.

---

p) Vers. 105. q) Met. VIII. 14. seq. r) Dorville Sicula p. 612. H. s) Rec. III. p. 199.

Imperatorii.

Binos possidet gaza Caesarea, Commodi unum, alterum Severi. Singulos Commodi adjecere Pellerinius, (Rec. III. p. 253.) Arigonius, Neumannus.

Epigraphe ΠΑΓΑΙΩΝ, sed etiam ΠΑΓЄѠΝ.

Typus: *Ceres utraque manu facem jactans*, in uno musei Caesarei insuper *praecedit aries.*

Froelichius, qui horum unum primus edidit [t]), scite conjecit, esse Cererem Μαλοφορον, *oviferam*, aut si malis, *laniferam*, quae teste Pausania prope Megara hoc nomine templum habuit, quam conjecturam opportune firmat aries juxta positus. Magnum fuisse in hoc tractu lanae parandae studium, docet lepidum Diogenis Cynici dictum, qui cum apud Megara videret oves pellibus probe tectas, at eorum filios nudos, praestare ajebat, esse Megarensis civis arietem, quam filium [u]).

AE. RR.

AEGINA insula.

Atticae subjecta.

Autonomi.

Caput arietis. ✠ *Quadratum incusum.* AR. III. (Hunter.)

Arietis caput, quod in sequente certo hujus insulae numo typum facit, numi hujus huc referendi causa fuit. Verum hoc typo aliae quoque urbes usae fuere. Mirum, non magis abundare argenteam Aeginae monetam, cum Thucydides et obolos, et drachmas Aegineas memoret [x]). Insignis est locus apud Athenaeum [y]), ubi quidam de improbi piscarii insidiis conquestus ait:

Illum si roges, quanti lupus hic? obolis
Decem, respondet, nec quibus, adjicit.
Deinde illam pecuniam argenteam si repraesentes,
Aeginensem inquit se postulasse. At ipse, numi si dandi
Sunt minutiores, eos reddit Atticos,
Commutans utrobique lucro suo.

Quo ex testimonio colligimus primum, numos Aeginensibus fuisse argenteos, eosque obvios, quod ad quotidianum mercatum suppetebant, deinde fuisse graviores Atticis, quod quidem aliorsum jam constabat, denique extra Aeginam quoque eorum usum valuisse.

* * *

Caput arietis, infra ΑΓΛΑ. ✠ ΑΙΓΙΝΗ. *Navis.* AE. III. (Mus. Caes. Pellerin.)

AR. RRRR. AE. RR.

Imperatorii.

Severi et Caracallae, (Arigoni.) Plautillae, (Theup. Pellerin.) Elagabali. (Vaill.)

Epigraphe: ΑΙΓЄΙΝΗΤΩΝ. Vaillantii ΑΙΓΕΝΗΤΩΝ fallit, nam numum, quem citat, vidi ipse in museo Christi-

---

t) IV. Tent. p. 243. u) Diog. Laert. in vita Diog. et Aelian. V. H L. XII. c. 56.
x) L. V. c. 47. y) L. VI p. m. 225.

nae, in quo prior inscriptio obtinet. Dubitare etiam jure liceat de epigraphe ΑΙΓΑΙΝΕΙΤΩΝ apud Theupoli.

Typi: *Vir nudus utraque manu arietem super humero portans*, Plautillae. (Theup.)

Hujus typi causa obscura, nisi forte ad Mercurii cultum est referendus. Istud saltem inde eruimus, capite arietis, quod in autonomis exhibetur, aliud indicari, quam lanae proventus, ut conjecit Haymius. Reliqui typi obvii.

AE. RR.

HELENA insula, quae et CRANAE.

Promontorio Sunio contra posita, quam et dictam fuisse *Cranaen*, propterea quod Paris hac primum in insula raptae Helenae amore est fruitus, testatur Strabo [z]. Quare idem vocem Κραναη versus Homerici [a] Νησῳ δ' ἐν Κραναῃ ἐμιγην φιλοτητι και ἐυνῃ, de hac Helena insula capit, ut et scholiasta ad eundem hunc Homeri versum ait: δοκει δε ἡ νησος της Αττικης ἐιναι, ὁθεν και ὑτως προτερον ἐκαλειτο ἀπο Κραναυ βασιλεως της Αττικης, νυν ἀπο τοιαυτης μιξεως Ελενη καλειται. *Videtur vero* (haec Cranae) *esse insula Atticae, sic enim antea vocata fuit a Cranao Atticae rege, nunc vero propter dictum concubitum Helena dicitur.* Cum Strabone sentit et Mela [b]: *in Atthide Helena est nota stupro Helenae.* Et Euripides fingit, Helenam, ne a Paride raperetur, a Mercurio translatam παρ' Ακτην νησον, Acte autem antiquitus vocabatur Attica. At Pausanias hoc Paridis scelus fuisse admissum in insula Cranae ante Gytheum Laconiae sita docet [c]. In eadem sententia est Stephanus [d], addito, eandem hanc Laconiae Cranaen vocari etiam Helenen, in quo utroque diversissimus abit a Strabone, quamvis non diffiteatur, ab aliquibus dictam Homeri Cranaen pro ipsa regione Attica poni sic vocata a Craneo Atticae rege Cecropis successore. Eustathius ad dictum versum Homeri notat, ab aliis nomine Κραναη intelligi Cranaen Atticae, ab aliis Cythera insulam. Istud certum, hanc Atticae insulam duplex habuisse nomen, unum antiquius Cranaes a Craneo Atheniensium rege secundum Stephanum, et laudatum Homeri enarratorem, alterum Helenes, tractum ab Helena adultera, seu quod illuc cum Paride appulit, seu quod capta Troja ibi consenuit [e]. Haec propter sequentes numos fusius exponere necesse fuit.

Autonomi.

Horum argenteos tres edidit Goltzius. (Insul. tab. VIII.)

Caput muliebre nudum. ※ ΗΕΛΕΝΙΤΩΝ. *Diota.*

Caput simile. ※ ΗΕΛΕΝΙΤΩΝ *Vespertilio.*

ΚΡΑΝΑΑΤΩΝ. *Vespertilio* ※ ΚΡ. *Caput arietis.*

Hos omnes in una eademque urbe signatos, si modo genuini sunt, omnia

z) L. IX. a) Il. Γ. v. 445. b) L. II. c. 3. c) in Helena. d) L. III. c. 22.
e) in Κραναη. i) Stephanus in Ελενη. Eustath. ad Dionys. v. 524.

arguunt. Nonnius hos Cranaen Laconiae referendos censet. Harduinus tantum commemorat, quod alioqui constabat, fuisse binas insulas Cranaes nomine. Elegans caput muliebre in his numis dubium non est, esse Helenae. Cum utraque Cranae, ut ex discordibus auctorum sententiis arguere licet, pro vindicando sibi hoc stupri honore certaverit, possunt hi numi utrique Cranae competere. At cum in aliis unius ejusdemque urbis numis sit ⊢ΕΛΕΝΙΤΩΝ, in aliis ΚΡΑΝΑΑΤΩΝ, neque constet, Cranaen Laconiae dictam quoque fuisse Helenen dempto unius Stephani testimonio, quod cum aliis collatum aspernamur, hi numi certe Cranaen Atticae sunt vocandi. Si non fallit Harduini testimonium adfirmantis, a viris summae eruditionis conspectos numos inscriptos: ΕΛΕΝΙΤΩΝ. ΤΩΝ. ΚΑΙ. ΚΡΑΝΑΑΤΩΝ [g]), rationem habemus, cur in numis uno alterove vocabulo promiscue usi fuerint Helenitae.

Si igitur genuinos putemus hos numos, nescio, an non quartus Goltzii numus, in quo: *Caput arietis addito* K. X ΚΡΑ. *Pes bovis*, recte quoque hujus Cranaes numis sit additus, etsi tum ego, cum eundem restituerem [h]), potius in Cranaen Cephalleniae propenderem. Idem dubium urgebit alium argenteum III. formae musei Caesarei a Froelichio editum [i]), in quo: ΚΡΑΝ. *Aries stans.* X Δ, *vel arcus*, de quo difficile erit statuere, sitne hujus Cranaes Helenae, an Cranii Cephalleniae. Ajebam, si genuini sunt capti a Goltzio numi; nam praeterquam quod ejus multi suspecti jure sunt, etiam dubium movet aspirata ⊢ vocabulo ΕΛΕΝΙΤΩΝ praefixa, quae hactenus tantum in numis Heracleae et Tarenti observata est.

Imperatorii:

Inscripti constanter ΚΡΑΝΑΙΩΝ recensentur a Vaillantio cum capite Maximini, Philippi sen., et Otaciliae. Auctor Theupoli alium Domnae addidit. Vaillantius, Harduinus, aliique hos numos. Cranio Cephalleniae confidenter tribuerunt, at nullam adferunt rationem, cur non ad hanc Cranaen referri possint. Gentile Cranii Thucydidi et Straboni est Κρανιος, ex quo et Livii *Cranius.* Istud Cranii gentile ultro ex Graeco urbis nomine Κρανιον fluit. Quod si etiam admittamus Stephani suspectum Cranii gentile Κρανᾳεις ignotum gravioribus aliis scriptoribus, ex hoc ΚΡΑΝΑΙΩΝ formari non posset, sed ΚΡΑΝΑΕΩΝ, ut a ΝΙΚΑΙΕΙΣ ΝΙΚΑΙΕΩΝ. De Cranae definite Stephanus: *Laconicae* Κρανααττης, *Atticae* Κραναιος *ut* Αθηναιος. Utrumque gentile habemus in his numis, in autonomis Goltzianis ΚΡΑΝΑΑΤΩΝ, in imperatoriis ΚΡΑΝΑΙΩΝ. Spectatis ergo his gentilibus, quod unum ad figendos hos numos valere potest typis nihil docentibus, referendi

g) Num. illustr. in Ελενιτων. h) Nom. vet. n. 111. i) Not. elem. p. 24.

hi numi potius sunt ad Cranaen aliquam. At cum in numo Otaciliae apud Vaillantium legatur ΚΡΑΝΑΙΩΝ. ΑΘΗ. typo capitis Minervae, hi numi Cranae Atticae competent, quomodocunque τὸ ΑΘΗ. explicare voles; nam non audio Vaillantium docentem: *in hoc* ΑΘΗ. Ἀθηναίων, *quod Cranii Cephalleniae essent Atheniensium coloni* [k]). Oportuerat sententiae hujus aliquem ex veteribus auctorem citare. Si ergo hi numi revera ad Helenen, vel Cranaen spectant, videtur incolis vetustius Cranaes nomen prae recentiore Helenes Augustorum aetate placuisse, ut Edesseni Macedoniae nomen Edessae a Carano in Aegas commutatae sub Augustis resuscitavere.
AE. RRR.

SALAMIS.

E regione Eleusinis, Aeacidarum, atque inter hos illustrissimi Ajacis Telamonii patria, mater Salaminis Cypriae a Teucro Ajacis fratre aedificatae, at longe celeberrima Themistoclis de Persis victoria navali.

Autonomum huc refert Combius: *Caput bovis cum infulis.* X ΣΑ. *nullo alio typo* AE. II. (Hunter.) judicio, ut reor, incerto, cum tot urbium nomina ab his literis incipiant.

Saepe hortabatur animus huc vocare autonomos binos argenteos perantiqui operis, inscriptos ΣΑΛΑΜΙΝΙΟΝ, typis navis, capitis vel cornu bovini, arietis, quos a se vulgatos Pellerinius Salamini Cypri donavit, et ipse in hac largius describam. Et fuere praesto causae complures, insulae nostrae antiquitas, et illustre nomen, adumbrata typo navis res nautica, qua sic excelluere Salaminii, ut, cum Bacchus apud Aristophanem se vellet ἀθάλαττωτον, *maris ignarum*, profiteri, ἀσαλαμίνιον sese diceret [l]). Ad haec typum arietis offert etiam vicina Aegina. Accedit, si hanc Salaminem demas, in nulla alia urbium Cypri, quod hactenus constet, numos autonomos fuisse signatos. Tamen cogor adsentiri Pellerinio vel ob hanc unam causam, quod utrumque hunc numum sibi Cypro adlatum testatur.

PELOPONNESVS.

Peninsula in plures regiones divisa, illustrium populorum patria, quos non minus fides historica, quam fabularum inclyta memoria commendavere.

Peloponnesiis in genere propriam fuisse monetam, et quidem testudinis imagine insignem, testatum reliquere veteres, et quidem Pollux ejus gentis numos dictos χέλωνας, *testudines*, ex impressa ejus animalis figura docet, ex quo ortum adagium: *virtutem et sapientiam vincunt testudines* [m]). Sic et Hesy-

---

[k]) Num. Graec. p. 199. [l]) in Ranis v. 206. [m]) L. IX. §. 74.

chius n): Χελωνη - - και νομισμα Πελοποννησιακον. Revera didrachma, et drachmae pervetustae fabricae non paucae supersunt cum testudinis typo, et informi in aversa quadrato, et anepigraphae, quae certe Peloponnesia moneta sunt, praecipue cum similium numorum nonnulli ΑΙΓ. vel ΑΙΓΙ. inscriptum habeant, nempe *Aegii* Achaiae urbis, unde argui potest, etiam similes reliquos, sed anepigraphos, in eadem urbe cusos. Videri potest ad obviam hanc Achaeorum monetam respexisse T. Flamininum, dum Achaeos Zacyntho inhiantes avertere a proposito perstitit addito: *κινδυνευσειν, ἀν ὡσπερ ἀι χελωναι πορρωτερω την κεφαλην της Πελοποννησȣ προτεινωσιν, periculosum ipsis fore, si testudinum instar extra Peloponnesum caput exsererent* o). Idem facete commemorat Livius p). Οβολον καλλιχελῶνον, *obolum pulchra testudine signatum*, ex Eupolide citat Pollux q). Revera testudo in numis his, etsi operis pervetusti, summa elegantia solet esse elaborata.

Harduinus similium numorum unum ex gaza regia dedit inscriptum, ut verba ejus accipio, ΧΕΛΩΝΗ, quem urbi Chelonae, promontorio Chelonati in Elide impositae, tribuit r). Verum urbis cognominis nullus veterum meminit, neque numi hujus antiquariorum alter quispiam.

Froelichius s), Barthelemyus t), et Pellerinius u) huic quoque peninsulae tribuerunt argenteos, in quorum antica fingitur folium, in aversa quadratum informe incusum, atque id propterea, quod veteres Peloponnesum folio platani esse similem dixere. At nunc constat, hos numos esse Selinuntiorum Siciliae, ut in horum moneta dictum.

A C H A I A.

Achaiam hoc nomine propriam intelligimus, nimirum partem Peloponnesi in septemtriones vergentem.

Numos Achaeorum nomine inscriptos in duas classes dispesco, I. in monetam Achaiae propriam, II. in numos foederis Achaici.

I. Numi Achaiae proprii.

Autonomi.

Caput Jovis, in nonnullis juxta magistratus, ut ΕΠΙΝΙΚΟΣ, etc. X $\overset{\text{V}}{\text{A}}$ *intra lauream, (in solo simili Goltziano est idem monogramma, et infra* ΙΩΝ, *quod junctum cum monogrammate efficit* ΑΧΑΙΩΝ) *per numi aream vagantur literae solitariae, monogrammata, sigilla.* AR. III.

Non laboramus in monogrammate $\overset{\text{V}}{\text{A}}$ quod certum est notare Achaeos. Fuit istud praecipue Peloponnesiis in more

---

n) in Χελωνη. o) Plut. in Flamin. p) L. XXXVI. c. 32. q) L. IX. §. 74.
r) Num. illustr. p. m. 182. s) Not. elem. p. 21. t) B. L. T. XXIV. p. 46. u) Rec. I. p. 106.

positum, ut monogrammatis nomen suum in moneta indicarent, quod docebunt praeter Achaeos etiam Patrae, Arcades, Epidaurus etc. In aliquibus primum gentis elementum sufficere videbatur, ut in Eleis, et Argivis, qui mos extra monetam quoque valuit; nam refert Xenophon [x]), Sicyonios clypeis suis inscribere solitos literam Σ, Argivos A, Lacedaemonios Λ. At multo implicatior ratio literarum et monogrammatum, quibus praeter princeps Achaeorum monogramma horum numorum aversa oneratur. Horum explicatio cum hactenus antiquariis minime tentanda videretur, erat Sigfridus Bayerus, qui eas literas esse earum urbium *ἀρχαιουσας* adfirmaret in quibus, tanquam foederis Achaici sociis, illi essent cusi numi [y]). At sententiam hanc conjecturis omnino infirmis, et nullo pacto probabilibus niti, alibi dixi [z]). Ergo non pertinuerint hae drachmae ad dictum foedus? Pertinuerint, verum ipsi numi istud non docent, et aspernamur conjecturas, quae nullam omnino veri speciem praebent, in quarum numero etiam putamus illam, qua ex literis ΞB in simili numo expressis epochae annum elicit [a]). Fuere ergo hi numi communis Achaiae moneta ea ratione, qua tot alii populi, ceu Macedones, Thessali, Boeoti etc. et quidem in Peloponneso quoque Argivi et Arcades communem habuere monetam. In paucissimis produntur urbes, quae eos signaverunt. Harum certam habemus Aegium per nomen AIΓIЄѠN. Etiam *το* ϘOP., quod in aversa offert numus Haymianus, commode Corinthum notat. Observandi in numis his, qui remotae antiquitatis certe non sunt, nonnulli archaismi retentis literis F et Ϙ in ANFA. et ϘOP.

Aureum his similem ex museo Caesareo edidit Froelichius [b]), sed quem, ut apertis indiciis spurium, inter adulterinos seposui.

* * *

Caput Jovis. X ΑΧΑΙΩΝ. *Mulier capite tutulato stans dextera extenta.* AE. III. (Pellerin.)

En unicum certum Achaeorum numum aeneum, nam de altero, quem Pellerinius ibi addit, in quo *Caput Palladis.* X Y/A *Botrus*, dubitari potest, utrum huc pertineat, et non potius sit Locrorum, quorum aenei eosdem habent typos; quin et saepe monogramma quodpiam ita est uni urbi proprium, ut tamen etiam nonnunquam in alterius urbis moneta observetur. Sic in tribus Tegeatarum numis est monogramma MI., quod proprium esse Mileti solet, in argenteo Achaeorum apud Haymium [c]) sigla Tyriorum. Quid quod idem monogramma X est in numo certo Lacedaemonis musei Caesarei.

AR. C. AE. RRRR.

---

x) Hist. Graec. L. IV. y) Comment. Acad. Petrop. T. V. p. 372. z) Num. vet. p. 115. a) l. c. p. 373. b) Cimel. Vindob. p. CLIII. c) T. II. p. m. 114.

Imperatorii.

Hujus classis numum unus nobis exhibuit Vaillantius cum capite L. Veri, inscriptum: CTP. M. ATP. ΔΙΟΔΩΡΟΤ. ΜΗΝΟΦ. ΑΧΑΙΩΝ. Haec scribendi ratio Asiam plane sapit, et inscriptum praetorem in Graeciae Europaeae numis, si Thessalicos demas, non reperias. Ceterum numus hic, etsi veram demus hanc lectionem, huc proprie non pertinet, cum post subjugatam a Romanis Graeciam Achaia latius patuerit.

Numos Antinoi inscriptos TOIC. AXAIOIC. vide in hujus numis in classe imperatorum.

II. Numi foederis Achaici.

Tyrannos ac factiones, quibus pleraeque Peloponnesi urbes faventibus postremis Macedoniae regibus misere vexabantur, pertaesa tandem major ejus pars in foedus denique ad liberandas civitates coaluit consilio potissimum Arati Sicyonii viri summo ingenio ac virtute praediti. Foedus vero illud *Achaicum* dictum, quod ejus auctores fuere Achaei, qui tum propter virtutis opinionem, ac praeclaras leges magnam sunt laudem adepti. Quod nobile institutum Polybius, qui circa annum V. C. 551 natus statuitur, aetate sua adeo fuisse perfectum scribit, ut urbes non solum ad amicitiam sociali foedere inter se jungendam coiverint, sed etiam νομοις χρησθαι τοις αὐτοις, και σταθμοις, και μετροις, και ΝΟΜΙΣΜΑΣΙ, *iisdem legibus, ponderibus, mensuris, PECVNIA sint usi*, et sic universa propemodum Peloponnesus urbs una potuerit censeri [d]). Praeclari hujus foederis testes habemus numos non paucos in variis Peloponnesi urbibus signatos, quibus insigniter comprobatur, urbes, quae eidem se adplicuere, eadem pecunia esse usas. Operae pretium, numos id genus omnes in unum collectos ob oculos ponere. Sunt hi aenei omnes III. formae. Vtrum memoratae supra drachmae Achaicae etiam fuerint communis hujus societatis moneta, non satis constat, etsi fuerit, qui istud censeret, ut ibi dictum.

In horum numorum una parte est *Jupiter stans d. Victoriolam, s. hastam, addito magistratu, ut* ΙΕΡΩΝ. Parte altera: *Mulier sedens s. hastam, d. in aliis coronam, in aliis spicas, additur nomen urbis, et huic constanter* ΑΧΑΙΩΝ, tanquam nimirum ejus cives per foederis leges Achaeos se profiteantur. Iuppiter hic secundum verisimilem Bayeri sententiam [e]) est is, qui prope Aegium nomine Ομαγυριυ, id est: *Congregantis in unum*, colebatur, ut narrat Pausanias [f]), qui adeo typus egregie juvat monetam ex communi foederatorum concilio cusam. Et cum idem Pausanias paullo post subjiciat, proximum Homagyrio Jovi esse PANACHAEAE CERERIS fanum, omnino certum videtur, mulierem par-

---

d) Hist. L. II. c. 37. e) Comment. acad. Petrop. T. V. p. 364. f) in Achaic. p. 564.

tis aversae sedentem esse hanc ipsam Cererem, nempe quae faveret *omnibus Achaici* foederis sociis, ut nomen ipsum indicat. Sane cum in nonnullis ea luculentas dextera spicas gestet, de Cerere dubitari nequit. En promissum horum numorum catalogum:

ACHAEI.

ANTANΔΡΟΣ. *Juppiter stans d. Victoriolam, s. hastam.* ✕ ΑΧΑΙΩΝ. ΚΑΛΛΙΣΤΑΤΑ. *Mulier sedens d. coronam, s. hastam.* AE. III. (Mus. Savorgnan.)

Egregium hoc cimelium, quod olim edidi [g]), id habet peculiare, quod gentem Achaeorum solum edisserat nulla urbis mentione, deinde quod duplicem prodat magistratum, unum in recto, alterum in gignendi casu Dorico, more Apolloniatarum, et Dyrrhachenorum.

ALEA Arcadiae.

ΙΕΡΩΝ. *Iuppiter stans etc.* ✕ ΑΛΕΙΩΝ. ΑΧΑΙΩΝ. *Mulier sedens etc.* AE. III. (Mus. Savorgnan.)

Hic item a me olim vulgatus [h]). Arcadas prae Peloponnesiis aliis Achaeorum foederi animosius accessisse testatur Pausanias [i]), quod et confirmant numi hujus argumenti, quorum plerique urbium sunt Arcadiae.

ANTIGONIA Arcadiae.

XI. *Juppiter stans etc.* ✕ ΑΝΤΙΓΟΝΕΩΝ. ΑΧΑΙΩΝ. *Mulier sedens etc.* AE. III. (Haym. T. II. p. m. 114.)

Hic numus aetatem hujus generis numorum multum illustrat. Nam cum Antigonia, quae prius Mantinea dicta est, posterius istud nomen adoptaverit in honorem Antigoni Dosonis Macedoniae regis [k]), isque regnum tutorio nomine administrare coeperit V. C. 523, numus hic ante hunc annum signari non potuit, et cum hujus generis numi eandem omnes fabricam, et formam praeferant, verisimile est, eos omnes circum istud aevi signatos, neque posterius anno V. C. 608, quo excisa Corintho foedus Achaicum ruptum fuit.

ARGOS Argolidis.

Juppiter stans etc. ✕ ΑΡΓΕΙΑΣ. ΑΧΑΙΩΝ. *Mulier sedens etc.* AE. III. (Haym T. II. p. 115.)

Haymius voce ΑΡΓΕΙΑΣ indicari Argivos opinabatur. Habet haec conjectura quandam veri speciem eo, quod vocem ΑΧΑΙΩΝ in his numis fere constanter nomen urbis praecedit, et constat etiam, Argivos sese foederi Achaico junxisse. Verum cum in numo Messeniorum, quem mox producam, pro magistratu eadem vox ΑΡΓΕΙΑΣ legatur, et more consueto scribendum potius fuisset ΑΡΓΕΙΩΝ, ad haec in numo Achaeorum, quem primum citavi, juxta idem nomen ΑΧΑΙΩΝ adstitutus sit magistratus, verisimilius videtur, nomine ΑΡΓΕΙΑΣ notari magistratum, non Argos urbem.

ASEA Arcadiae.

Juppiter stans etc. ✕ ΑCΕΑΤΩΝ.

---

g) Num. vet. p. 116. h) Num. vet. p. 138. i) L. VIII. c. 6. k) Pausan. VIII. p. 615.

ΑΧΑΙΩΝ. *Mulier sedens.* etc. AE. III. (Haym. T. II. p. 114.)

CARINOEA situs incerti.

ΕΡΜΟΚΡΑΤΗΣ. *Juppiter stans etc.* ✠ ΚΑΡΙΝΟΙΩΝ. ΑΧΑΙΩΝ. *Mulier sedens etc.* AE. III. (Haym. T. II. p. 114.)

Primus *Cares* Asiae minoris respexit Haymius, mox *Caryam* Arcadiae, verum quoniam tum scribendum fuisset ΚΑΡΥΑΤΩΝ, Khellius in nota subjecta in *Carynenses* Achaiae inclinat, quos Polybius narrat in foedus Achaicum restitutos [l]). At neque hi cum gentili in numo expresso componi possunt, cum scribi oportuisset ΚΑΡΥΝΕΩΝ observante etiam istud Khellio. Accedit, quod nullus hactenus conspectus est numus cum mentione urbis cujuspiam Achaiae propriae, qui ad istud genus, de quo agimus, referri posset, si Sicyonem demas, de qua tamen certum non est, utrum το ΑΧΑΙΩΝ addiderint, ut infra dicetur. Nam cur Achaei sese in numis scriberent *Achaeos*, quod alioqui constabat, aut cuderent numos, quibus se foederis Achaici participes testarentur, cujus ipsi fuere auctores? At pertinuit ad urbes extra Achaiam propriam sitas, cum primum ad hanc foederis communionem accessere, sese Achaeos profiteri, quo testarentur, se omnia ad ejus foederis legem moderari. Dubium igitur adhuc manet, quae urbs nomine ΚΑΡΙΝΟΙΩΝ notetur, nisi forte eadem est cum sequente nominis adfinis.

CORONE Messeniae.

ΚΛΕΑΡΧΩΣ. *Juppiter stans etc.* ✠ ΚΟΡΩΝΑΙΩΝ. ΑΧΑΙΩΝ. *Mulier sedens etc.* AE. III. (Mus. Caes.)

Numum integerrimum hactenus ignotum alias edidi et explicavi [m]). Coroneam Sicyonem inter et Corinthum prodidit Stephanus. Haec urbs a clarioribus aliis geographis ignoratur, qui tamen celebriorem aliam *Coronen* in Messeniorum agro sitam passim prodidere, cujus cives Strabo vocat Κορωνεις, at Stephanus etiam alterum Κορωναιος iis tribuit. Posteriori huic propositum numum tribuo, tum quod altera fere ignota fuit, tum quod ex numo sequente videbimus, Messenios omnino foederi Achaico adhaesisse. Fuisse etiam huic urbi aliquem cum Achaeorum rebus nexum, indicat ejus portus, dictus λιμην Αχαιων [n]).

MESSENE regio et urbs.

ΑΡΓΕΙΑΣ, *in alio* ΔΕΞΙΑΣ. *Juppiter stans etc.* ✠ ΜΕΣΣΑΝΙΩΝ. ΑΧΑΙΩΝ. *Mulier sedens etc.* AE. III. (Haym. T. II. p. m. 114. Gessner ex museo Pfau Tab. 26.)

PSOPHIS Arcadiae.

ΠΑΣΩΝ. *Juppiter stans etc.* ✠ ΨΩΦΙΣΙΩΝ. ΑΧΑΙΩΝ. *Mulier sedens etc.* AE. II.

Numum hunc, qui nunc est in museo Caesareo, olim edidi ex museo Ilgneriano [o]). Alterum ejus exemplar habetur apud nos in museo Neumanni, sed, ut ingenue fatear, in neutro urbis nomen distincte legitur. In imperatoriis hujus urbis legitur ΨΩΦΙΔΙΩΝ, ut scribi debet, ductum a gignendi casu Ψωφιδος.

---

l) Hist. L. II c. 41. m) Num. vet. p. 131. n) Pausan. L. IV. p. 365. o) Num. vet. p. 140.

SICYON Achaiae.

Juppiter stans etc. X ΣΙΚΤΩΝΙΩΝ. ΑΧΑΙΩΝ. *Mulier sedens etc.* AE. III. (Pembrock P. II. tab. 28. Sestini Lettere p. 153. Wheler Voyage num. 128.)

TEGEA Arcadiae.

ΙΜΣΑΣ. *Juppiter stans etc.* X ΤΕΓΕΑΤΩΝ. ΑΧΑΙΩΝ. *Mulier sedens etc.* AE. III. (Pellerin Rec. I. p. 110 et 139.)

Fuisse apud Tegeam saepius celebratum communem Achaeorum conventum, testatur Livius p).

THISSOA Arcadiae.

Juppiter sedens etc. X ΘΙΣΟΑΙΩΝ. ΑΧΑΙΩΝ. *Mulier sedens etc.* (Sestini Lettere T. III. p. 136.)

De hac Thissoa agemus in urbibus Arcadiae.

AEGIALVS.

Binos *imperatorios* reperio hoc nomine editos:

ЄΠΙ. ΑΡΧ. ΠΡΤΤΑΝЄΙ. ЄΠΙΚΡΑΤΟΤ. Β. ЄΓΙΑΛЄΩΝ. *Juno Pronuba et Apollo nudus stantes cum attributis*, in numo Caracallae. AE. m. m. (Numi max. mod. reg. Gall. tab. 20. et Vaillant.)

ЄΓΙΑΛЄΩΝ. *Quadrigae decurrentes aurigante imperatore*, in numo Domnae. (Theupoli.)

Advertit ad numum suum Vaillantius: *Egialos urbs Peloponnesi prope Sicyonem apud Strabonem* q). At Strabo nequaquam urbem hoc nomine prope Sicyonem sitam docuit, sed Sicyonem ipsam remotissimo tempore Αιγιαλυς. Numus ergo Achaiae esse nequit, primum, quod urbem hoc aevo in Achaia sic dictam non habemus; at neque Sicyoni tribui potest, quod hujus moneta eadem hac aetate inscribitur CΙΚΤΩΝΙΩΝ, ut dicetur. Deinde quod totius epigraphes ratio, tum et modulus a Poloponnesi urbibus alieni sunt, et Asiam potius respectant. Denique scriptum ЄΓΙΑΛЄΩΝ, contra quam oportuit, ΑΙΓΙΑΛЄΩΝ, etsi simile peccatum non sit sine exemplo, cum et in quibusdam numis Aegarum Ciliciae magis barbaris legamus ЄΓЄΩΝ pro ΑΙΓΑΙΩΝ. His credo motum rationibus Harduinum, cum numum hunc promulgaret, addidisse, urbem, ad quam is pertineret, sibi esse ignotam. Numum male a Vaillantio esse lectum, adserere non possum, cum eandem lectionem tueatur quoque Spanhemius αυτοπτης r). Idem dubium urget numum alterum Theupolianum.

AEGIRA.

Aegium inter et Sicyonem.

ΑΙΓΙΡΑΤ - *Caput muliebre velatum.* X *Capra stans, juxta* ΛΑ., *omnia intra lauream.* AE. III. (Mus. Caes.)

Alius similis, sed juxta capram ΑΡ. AE. III. (Mus. Caes.)

ΑΙΓΙΡΑΤΑΝ. *Caput Aesculapii laureatum.* X *Eadem aversa una cum* ΑΡ. *in area.* AE. III. (Mus. Caes.)

Tribus his numis rem numismaticam

p) L. XXXV. c. 27. et L. XXXVIII. c. 34. q) Num. Graec. p. 100. r) T. I. p. 702.

ditamus nullo adhuc ab antiquariis prodito hujus urbis numo. Ejus tamen meminere auctores veteres plerique. Scribitur Αιγιρα, vel Αιγειρα, et gentile Αιγιρατης. Typus caprae ad urbis nomen adludit, et narrat Strabo, Aegas Aegiram fuisse translatas [s]). Antea dictam fuisse Hyperesiam, deinde Aegiram, ex quo Hyperesienses caprarum ope Sicyonios hostes fugere coegere, tradit Pausanias [t]). ΛΑ. et ΑΡ. haud dubie magistratuum sunt initia, neque enim satis apparet rationis, ut ex ΛΑ. Lacedaemonios, ex ΑΡ. Argivos efficiam. Etiam in Tegeae Arcadiae numis aliis legitur ΛΑ., in aliis ΙΕ.

AE. RRRR.

AEGIVM.

Nobilis Achaiae vrbs.

Autonomi:

Antiquissimi:

Testudo alte exstans. ✠ ΑΙ. ΑΙΓ. ΑΙΓΙ. *Quadratum in quinque partes divisum.* AR. II. III.

Hoc typo veterem fuisse Peloponnesi monetam, supra in Peloponneso docuimus. Quare versimile est, reliquos similes, qui inscriptione carent, quique huic peninsulae ab omnibus tribui solent, hac in urbe signatos.

Recentioris aevi.

ΑΙΓΙΕΩΝ. *Caput Jovis.* ✠ Ᾰ ΑΡΙΣΤΟΔΑΜΟϹ, *omnia intra lauream.* AR. III. (Mus. Caes.)

Praeeunte hoc numo verisimile rursum videtur, frequentes illas drachmas cum eodem monogrammate, quae fuere communis Achaeorum moneta, quarumque supra in Achaia nemini, hac in urbe signatas. Fuere autem jam a principio Aegium conventus Achaeorum vocati, ut testatur Livius [u]). Ergo dubium non videtur, hunc similesque numos alios cusos fuisse constante adhuc Achaeorum republica. Quod si non fallit, videmus ex integerrimo hoc numo, literas C, Є, Ѡ mature invaluisse, quod quidem jam ex aliis numis urbium secundum litus maris Adriatici sitarum constabat. Ceterum Aristodemum aliquem nobis prodit Diodorus [x]), qui copiarum dux pro Antigono Asiae rege Aegium aliquamdiu tenuit. Signatum in Aegiensium moneta Jovis caput mirum videri possit, quando hi teste Luciano [y]) Jovem nequaquam genuinum, sed ὑποβολιμαιον credidere.

* * *

ΗΜΙΟΒΕΛΙΝ. *Caput barbatum laur.* ✠ ΑΙΓΙΕΩΝ *Fluvius decumbens d. urnam, ex qua aqua majore arcu profluit, s. arundinem.* AE. III. (Mus. Caes. et a me editus in Num. vet. p. 118.)

ΗΜΙΟΒΕΛΙΝ. *Puella velo supra caput fluitante manibus porrectis avem respicientem persequens.* ✠ ΑΙΓΙΕΩΝ. *Caput laur. multum promissa barba.* AE.

s) L. VIII. p. m. 592. t) L. VII. c. 26. u) L. XXXVIII. c. 30. x) L. XIX. c. 66. y) in Concil. deor.

III. (ex Mus. Savorgnan a me editus in Num. vet. l. c.)

ΗΜΙΘΒΕΛΙΝ. *Caput promissa barba.* ✗ ΑΙΓΙΟΝ. *Caput muliebre turritum.* AE. II. (Khell. Adpendic. II. p. 14, ex museo Savorgnan.)

ΗΜΙΟΒΕΛΙΝ. *Juppiter fulminans.* ✗ ΑΙΓΙΕΩΝ. *Caput barbatum laur.* AE. III. (Hunter.)

Vocabulum ΗΜΙΟΒΕΛΙΝ erudite jam explicavit Khellius [z]. Ait positum esse pro solito ΗΜΙΟΒΟΛΙΟΝ, et indicare *dimidium obolum*, etsi causam insolitae hujus terminationis in IN adferre non possimus. Sed habemus etiam in Chiorum moneta ΑССΑΡΙΟΝ et ΑССΑΡΙΝ. Illi, qui in veterum pondera inquirere amant, habent praeparatam a Khellio materiam, qui singulorum pondus exploravit. Praeclare etiam idem advertit, τὸ ΑΙΓΙΟΝ numi tertii non esse ἐθνικὸν sed κτητικὸν, jungendumque cum ΗΜΙΟΒΕΛΙΝ alterius partis, sic ut sit *semiobolus Aegius*.

Aversa numi I. notat fluvium Selinuntem, qui teste Strabone per Aegiensium urbem fluxit. At insignius argumentum, quod offert pars adversa numi alterius, nimirum Phthiam puellam Aegiensem, quam a Jove in columbum mutato fuisse adamatam testibus Aeliano, et Athenaeo, et indicio Khellii luculente ostendi [a].

* * *

ΑΙΓΙΕΩΝ. *Caput Jovis* ✗ ΘΕΟΞΙΟΣ. ΚΛΗΤΑΙΟΣ. *Juppiter nudus stans d. fulmen intentat, s. extenta aquilam.* AE. II. In aliis: *Eadem utrinque epigraphe. Caput Bacchi hedera coronatum.* ✗ *Aquila.* AE. II.

Similis numi jam meminit Spanhemius [b], sed qui pro ΚΛΗΤΑΙΟΣ legit ΚΡΗΤΑΙΟΣ, ac mire sese torquet, ut ex inscripto utroque nomine Jovis epitheta extunderet. Spanhemii lectionem confirmat quoque Pellerinius ex numo suo. At numi similes musei Caesarei, Nob. Iacobi Gradenigo, Khellii [c] luculentum habent ΚΛΗΤΑΙΟΣ, et vix permittunt dubitare, vocabulis his notari magistratum.

AR. et AE. RR.

Imperatorii:

Ab Antonino usque ad Getam.

Epigraphe: ΑΙΓΙΕΩΝ, at insolentior in numo Plautillae: ΑΙΓΕΙΕΩΝ [d]. Auctor musei Theupoli numos sic inscriptos perperam tribuit Aegis Ciliciae, quarum epigraphe multum differt. Ad haec typus *Jovis stantis, et d. fulmen, s. aquilam tenentis*, qui in imperatoriis hujus urbis numis saepius occurrit, eos docentibus autonomis Aegio vindicat. Reliqui typi obvii. Hos numos reperias in Theupoli, apud Pellerinium, copiosius Arigonium.

AE. RR.

BVRA.

Ex veterum testimoniis in Achaia sita,

---

z) l. c. a) Num. vet. l. c. b) Beger Observ. p. 132. c) Adpendic. II. p. 12. d) Pellerin. Mel. I. p. 102.

nescio, cur a Vaillantio Arcadiae inseratur. Absorpta terrae motu et maris eluvione V. C. 381, ut perhibet Diodorus [e]), surrexit iterum.

Imperatorii:

Binos, Domnae et Caracallae recitant Vaillantius, et Harduinus: ΒΟΤΡΑΙΩΝ typis obviis. Saepe deinceps videbimus, multas Peloponnesi urbes, quarum nulli alias cogniti numi, tamen cudisse numos cum capite Severi, ejusque familiae.
AE. RRRR.

CENCHREAE.

Vide infra in Corintho.

CERAVNIA.

A Polybio, et Aeliano [f]) Achaicis urbibus accensetur, de ejus tamen sede nihil certi constat.

Autonomus aeneus ΚΕΡΑΥΝΙΕΩΝ a solo Goltzio vulgatus, quem Harduinus tribuit huic Achaiae Ceraunïae, at Goltzii commentator Nonnius Cypriae.

CORINTHVS.

Doctrinam numismaticam nobilissimae hujus urbis ad Isthmum positae, cum sui adhuc juris esset, multa sunt, quae impeditam reddunt. Sin hos audias, abundat opibus nostri argumenti, sin illos, vix unum alterumve numum aeneum opulentissima urbs potest ostentare. Ante omnia numi certi ab incertis separandi.

Autonomi certi.

Caput Palladis. Ϙ. ΚΟΡΙΝΘΙΩΝ. *Tridens.* AE. II. (Pellerin.)

Solus hic, quod mirere, certus est Corinthi numus autonomus; nam reliqui, quos eadem tabula proponit Pellerinius, autonomi quidem sunt etiam, sed Corinthi jam coloniae, de quibus infra, quanquam neque hunc Graecum esse totum sanum ex Cl. Blondii literis intelleximus.

Autonomi incerti.

Numos cum inscriptione plena ΚΟΡΙΝΘΙΩΝ complures in omni metallo vulgavit Goltzius, sed quorum fidem ipse praeco elevat.

Pellerinius argenteos IV. Corintho tribui posse putat, quos in suo Recueil I. tab. XVII. proponit. Horum is, qui est num. 12, et hinc habet *caput Palladis addito* ΚΟΡ, illinc *Pegasum*, verisimilius referendus est Corcyram, ut dicetur infra in numis coloniarum Corinthi, neque ipso invito Pellerinio. Alter num. 13 nullum certum offert indicium, Syracusanis obviis eodem utrinque typo praeditis. Tertius num. 14 cum addito ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΣ hic item inter Syracusas et Corinthum dubius, ut dicetur infra. Quartus num. 15 typo Chimaerae criterium idoneum non sufficit; hanc enim offerunt quoque numi Leucadis, Siphni, Seriphi, Crotonis, etc. ut animadvertit ipse. Is, quem serius edidit [g]) typo equi marini, ut ipse censet, verius Pegasi dimidii, per additam

e) L. XV. c. 48. f) V. H. L. XIII. c. 6. g) Suppl. II. p. 95.

literam ♀ dubium non solvit, cum haec omnia insint in certis numis Syracusarum.

Huc etiam a multis vocantur didrachma, in quibus hinc *caput Palladis*, inde *Pegasus*, *et litera* ♀, sed de quibus infra post numos Corinthi coloniae separato articulo agam.

In museo Theupoli proditur numus inscriptus ΚΟΡΙΝ. typo una parte Neptuni, altera Pegasi. Verum in similibus aliis, qualis est Hunterianus, legitur vel CORIN., vel COL. COR. Est adeo Corinthi coloniae.

Imperatorii.

Imperatorios Graecos absque coloniae nomine frustra quaeras, quia jam a J. Caesare deducta fuit colonia. Neque huc duci possunt numi Antinoi, in quorum aversa legitur: ΑΝΕΘΗΚΕ.ΚΟΡΙΝΘΙΩΝ, et quos in ejus catamiti numis recensebimus, primum quod is ad Caesaream domum non pertinuit, deinde quod hi numi, ut facile periti intelligent, monetae rationem certe non habuere. Spanhemius post alios huc vocavit numum Britannici cum mentione Mindii Balbi proconsulis [h]), sed quem jam constat esse Nicomediae Bithyniae.

Numi coloniae Corinthi.

Colonia deducta, ut Dio perhibet, V. C. 710, eodem anno quo Carthago, utraque a Caesare dictatore, a quo et nomen abstulit dicta *Laus Julia.*

Autonomi coloniae Corinthi.

Eorum complures edidit Pellerinius. (Rec. I. tab. 17.)

Epigraphe: COR. — CORINT. — COL. COR. — COL. L. I. COR. — quin et CORINTHVM. typis obviis. Ex his memorabiles tamen:

SENATV. P. Q. R. *Caput senatus velatum*, vel ROMAE. ET IMPERIO. *Caput muliebre turritum.* ✕ L. CAN. AGRIPPAE. IIVIR. COR. *Victoria gradiens*, vel: *Duae dexterae junctae tenentes spicas et papaver*, vel: *Templum.* AE. III. (Mus. Caes. Theup. Liebe Goth. num. p. 190.)

Auctor musei Theupoli hos numos post mortem Neronis cusos censet [i]). Verisimilius puto, post mortem Galbae, suspensis nimirum provinciis, an Othoni, an Vitellio adhaerendum sit. Istud certum, L. Caninium Agrippam memorari IIvirum Corinthi in frequentibus numis Galbae, qui adeo, donec de certo principe constaret, interea senatui et Romae coloniae suae monetam dedicandam curavit. Eodem modo exercitus Germaniae superioris, cum obsequium in Galbam exueret, in *senatus populique* R. nomen juravit [k]).

* * *

P. TADI. CH - - C. IVLI. NIGER. IIVIR. *Neptunus saxo insidens s. tridentem.* ✕ CORINTHVM. *Bellerophon Pe-*

---

h) T. I. p. 592. i) Pag. 673. k) Tacit. Hist. I. c. 55.

gasum domans ante portam Corinthi. AE. II. (Mus. Caes. Morelli in fam. Tadia.)

Typi causa commemorare hunc numum placuit. De Bellerophonte plura infra.

* * *

COR. *Pegasus volans.* ✕ SE. *Vir nudus stans d. gubernaculum unum, s. alterum tenet.* AE. III. (Mus. ill. Jac. Gradenigo.)

Caput Solis radiatum addito nomine IIviri. ✕ COR. SE. *Neptunus stans d. delphinum, s. tridentem.* AE. III. (Pellerin. Suppl. III. p. 102 et Suppl. IV. p. 37.)

Similem priori vulgavit quoque Pellerinius [l]), verum cum in eo legeret CE. pro SE., secus quam descripti hic numi exhibent, perperam conjecit, notari his literis portum Corinthiorum dictum *Cenchreae.* Interea, quem habeant explicatum literae SE., nemo hactenus est adsecutus. Vir duplice instructus gubernaculo duplicem Corinthiorum ab utraque Isthmi parte portum belle indicat. At nobilius argumentum Solis et Neptuni. Narrat Pausanias binis locis [m]), Neptuno et Sole de Corintho, utrius esset, litigantibus Briareum arbitrum sic statuisse, ut Isthmus Neptuno, at mons urbi imminens, dictus Acrocorinthus, Soli cederet. Corinthi Apollonium Tyanensem Soli sacrificasse, narrat Philostratus [n]).

* * *

Caput muliebre ligatis retro capillis. ✕ COL. L. IVL. COR. *Leaena stans super arietem in basi prostratum.* AE. II. (Mus. Caes. Mus. Christinae, Catal. raison. pag. 59.)

Caput anticae esse Laidos famosae apud Corinthios meretricis, et in aversa ejus sepulcrum, dubium non erit expendenti verba Pausaniae, qui inter publica Corinthi monumenta refert etiam [o]) ταφος Λαΐδος, ῳ δη λεαινα ἐπιθημα ἐςτι κριον ἐχουσα ἐν τοις προτεροις ποσιν *sepulcrum Laidis, cui imposita leaena prioribus pedibus arietem stringens.* Est haec famigerata illa Lais, quae in noctem drachmarum millia decem pepigit, quam summam cum a Demosthene quoque rhethore peteret, is aversus dixisse fertur: ουκ ὠνουμαι μυριων δραχμων μεταμελειαν, *tanti poenitere non emo*, tot scilicet, quot dixi, drachmarum sumptu. Ab his sumptibus creditur natum proverbium: Ου παντος ἀνδρος ἐς Κορινθον ἐσθ᾽ ὁ πλους, *Non cuivis homini contingit adire Corinthum.* Vide haec apud Gellium [p]), Macrobium [q]) et Schol. Aristoph. ad Plut. v. 149. 179. Quod si cui mirum videatur, feminam publica infamia notatam fuisse in numi argumentum lectam, is reputet, non tam, summos ejus aetatis viros, Demosthenem, Aristippum, Diogenem Cynicum cum ea consuevisse [r]), quam quod loco citato mox addit Pausanias: θαυ-

---

l) Rec. I. p. 113. m) Corinth. pag. 112 et 121. n) Vit. Apoll. L. VII. c. 10.
o) L. II. c. 2. p) L. I. c. 8. q) Sat. L. II. c. 2. r) Athenaeus L. XIII. p. m. 588.

μασθῆναι τε ἔτως παρα Κορινθιοις, ὡς ἀμφισβητειν σφας και νυν ἐτι Λαιδος, *fuisse eam sic Corinthiis admirationi, ut nunc etiam de Laide certent.* Enim vero non modo de Laide nata, sed et sepulta disceptatum. Siculam plerique dixere, captis a Nicia Atheniensi Hyccaris, vel Catana puellam admodum in Peloponnesum missam [s], alii Corinthiam adfirmarunt [t]. Sepultam alii tradidere in Thessalia ab invidis mulieribus interfectam, et monstrari ejus sepulcrum ad Peneum addito epigrammate, quod recitat Athenaeus [u]. Ergo Corinthii moti ejus mulieris fama, *ad cujus jacuit Graecia tota fores*, ut ait Propertius [x], non indecorum putabant famosam suam civem inserere numis, quam alii alibi natam sepultamque contenderunt, perinde atque Smyrnaei et Jetae Homerum, quod hunc illi apud se natum, hi praeterea apud se sepultum crediderunt. Et poterant Corinthii iis, quibus facinus istud indignum visum, respondere idem, quod olim Theon Serapioni, cui magnum intemperantiae Graecorum argumentum est visa imago aurea Phrynes meretricis in templo Delphico dedicata; ita tu, inquiebat, plane mihi videris a templo arcere mulierculam non liberaliter forma et aetate sua usam; cum autem videas caedium, bellorum, rapinorumque primitiis ac decimis in orbem cingi Apollinem, non indignari, non miserari Graecos, pulcherrimorum donariorum turpissimas legens inscriptiones: *Brasidas*, *et Acanthii de Atheniensibus*, *Athenienses de Corinthiis etc.* [y]? Typum leaenae arietem domantis non explicavit Pausanias. Istud verisimile, hujus signum monumenti ad Laidis ingenium adludere. Sic canis tumulo Diogenis impositus mores ejus caninos expressit [z]. Siren in tumulo Isocratis arieti incumbens suavem ejus eloquentiam notavit [a]. Faustuli uxor propter vulgati corporis vilitatem lupa inter pastores dicta lupae etiam imagine fuit proposita, quod quidem simulacrum fuit non corporis, sed mentis ac morum, ut ait Lactantius [b]. Et Leaena Harmodii Atheniensium tyranni concubina, secundum alios Aristogitonis, quod caesi tyranni causa fuit, leaenae animalis imagine ab Atheniensibus fuit honorata, quia nefas putabatur, simulacrum meretricis in templo constitui [c], etsi Pausanias doceat, aeneam ejus ipsius fuisse in templo statuam [d]. Leaena etiam dicta Demetrii Poliorcetae celebris amica, de qua vide Athenaeum [e]. Teste Aeliano [f] Lais dicebatur ἀξινη, *securis*, cognomen inventum ad indicandam ejus ingenii feritatem, et saevitiam.

FVNDATOR. *Diota.* X CORIN. *intra lauream.* AE. III. (Sestini Lett. T. IV. p. 99.)

Numus mirus tam parum concorde typo cum inscriptione. *Fundator* intelligi non potest, nisi J. Caesar.

---

s) Athenaeus l. c. Pausan. l. c. Plutarch. in Nicia et Alcibiad. t) Athen. l. c. u) l. c. x) L. II. eleg. 2. y) Plutarch. de Pyth. orac. z) Laert. in Diog. a) Plutarch. in X. rhet. b) De fals. relig L. I c. 20. c) Lactant. l. c. d) L. I. c. 23. e) L. VI. p. m. 253. f) V. H. XII. 5.

* * *

Similes autonomi cujus sint aetatis, non raro ex adjectis IIviris potest intelligi. Est in museo Caesareo numus perelegans:

CORINT. *Caput muliebre ligatis retro crinibus.* ☓ Q. CAECIL. NIGR. C. HEIO. PM. IIVIR. *Bellerophon ex Pegaso cum Chimaera dimicans.* AE. II.

Vaillantius in suo de Coloniis opere inter numos Julii Caesaris numum vulgavit, in cujus aversa. Q. CAECIL. NIG. C. HEIO. POL. *Caput Augusti nudum.* Ergo praesens autonomus, qui eosdem IIviros exhibet, sine dubio imperante Augusto signatus est. Quid in eodem numo significent literae PM plane luculentae, mihi ignotum.
AE. R.

* * *

Imperatorii coloniae Corinthi.

Sunt hi numero infiniti. Habentur primum cum capite J. Caesaris conditoris, et porriguntur usque ad Gordianum, sed post Getam rarissimi. Insignes sunt numi Agrippae Postumi, et Antoniae Drusi senioris, quos descriptos et explicatos vide in utriusque moneta.

Epigraphe initio fuit: CORINT. vel LAVS. IVL. CORINT. Vocabulum *Coloniae* non adjecit usque ad Domitianum, si unius generis numos demas sub Nerone signatos: GEN. COL. COR. A Domitiano per omnes deinceps Caesares: C. L. I. COR. vel: COL. LAVS. IVL. COR. Sub Domitiano placuit: COL. IVL. AVG. COR. vel: COL. IVL. FLAVIA. AVG. COR.

Typi illustriores:

POPVL. COL. COR. *Vir togatus sedens d. elata*, in numo Veri.

Eruditus de Boze, qui numum edidit g), virum sedentem Diogenem Cynicum putat, quia sedile dolii formam praeferre videatur. At malim dicere imaginem POPVL*i* COL*oniae* COR*inthi*, ut saepe in numis Graecis ΔΗΜΟC *populus* specie viri proponitur. Eodem modo in numis inscriptis GEN. COL. COR. typus est genius coloniae.

* * *

Bellerophon Pegasum domans, vel *ex Pegaso cum Chimaera dimicans*, typus obvius. In numo Getae tota haec pugna imposita est capiti ordinis Corinthii. (Vaill.) Heros hic domo Corinthius, et miris factis suis late conspicuus non modo Corintho suae, sed hujus etiam coloniis in monetae argumentum cessit, ut alias vidimus.

* * *

Melicerta etiam perfrequens, nam hujus quoque fabula domestica. Ino Cadmi filia mariti Athamantis Boeotiae reguli insidias verita sese cum puero filio Melicerta ex petra in mare abjecit, quam deinde Neptunus una cum filio in marinorum deorum conlegium cooptavit indito huic

g) B. L. T. XIX p. 476.

Palaemonis nomine, secundum Latinos Portumni, de quo vide praeter mythologos alios Ovidium [h]). Fabulae hujus jucunda in Corinthi numis varietas. In numo Domitiani est *Neptunus sedens, cui adstans Ino Melicertam offert* [i]). In numis Severi est *Ino sese ex rupe in fluctus cum filio praecipitem agens adstituto delphino*. (Mus. Caes.) Saepe fingitur *Melicerta dorso delphini vectus*, nam ab hoc pisce exceptum fuisse a lapsu, et in Isthmum delatum narrat Pausanias [k]). Saepe *juxta puerum cubantem est pinus*, aut *puer, delphinus, et ipsa pinus super ara*, secundum id, quod narrat Pausanias [l]), juxta pinum fuisse Melicertae aram, ad quem locum puer in mare abjectus a delphino exportatus est, quem cum ibi expositum invenisset Sisyphus, eum humavit institutis in ejus memoriam ludis Isthmiis. Saepius *proponitur in templo delphinis forinsecus ornato*. In numo Severi *adstat taurus ante templum*, nempe ad sacrificium paratus.

* * *

Templum 6 columnarum, cujus epistylio inscriptum: GEN. IVL. in numis Augusti et Liviae. (Pellerin Mel. I. Theup. Arigoni.)

Docent hi numi, stetisse Corinthi templum GEN*ti* IVL*iae* dicatum. Liebeus in similibus suis pro GEN. IVL. perperam legit LENTVL., etsi clarissime istud adparere adserat [m]).

* * *

Venus stans, et utraque manu speculum tenens, nonnunquam sic stat in templo rupi imposito.

In ipso ad Acrocorinthum aditu stetisse templum Veneris, quin et narrantibus Corinthiis ipsum Acrocorinthum a Sole Veneri dono datum scribit Pausanias [n]), unde et Euripidi dicta πολις Αφροδιτας [o]). Hanc amoris praesidem in magno fuisse apud Corinthum pretio, non modo repetita toties in Corinthi moneta ejus imago, sed etiam veterum ερωτικα abunde testantur. Dio Chrysostomus eam appellat πολιν των ὁσων τε και γεγενημενων επαφροδιτοτατην, *urbem omnium, quae sunt, quaeque fuerunt, maxime Veneri addictam*, ac propterea sunt, qui citatam supra paroemiam: *Non cuivis homini contingit adire Corinthum*, ad meretricum et illecebras et rapacitatem referant. Vide Erasmi adagia.

* * *

ADVENTVS. AVG. in alio: ADV. AVG. P. M. CLEANDRO. QV. COR. *Triremis cum vectoribus*, in numis Neronis. (Vaill. Mus. Caes.)

ADLO. AVG. P. MEM. CLEANDRO. IIV. QV. *Nero togatus stans in cippo adloquitur.* (Mus. Caes. Theup.)

Neronem profectum in Achaiam, ut currus agitaret, in theatris caneret, in ejus moneta docebimus. Vide similes numos in moneta Patrarum ejusdem Achaiae.

h) Met. IV. 530. i) Vaill. Morelli Impp. k) Attic. cap. ult. l) Corinth. c. 1. m) Goth. num. p. 410. n) L. II. p. m. 121. o) Belleroph. v. 3.

* * *

IVPPITER. LIBERATOR. *Jupiter nudus stans d. aquilam*, Neronis. (Arigoni.)

Juppiter Liberator satis ex Syracusarum numis cognitus, in quibus dicitur ΖΕΥΣ. ΕΛΕΥΘΕΡΙΟΣ. Cur eum Corinthii, atque etiam, ut infra videbimus, Patrenses, utrique Achaei, in moneta sua extulerint, causam certam tenemus. Datam enim Achaiae a Nerone libertatem copiosa docent veterum testimonia, quae collecta vide apud Spanhemium p), tum et numi Patrarum, quos vide. At idem Nero ex causa dissimili Senecae et Thraseae, cum eos ad mortem adigeret, occasionem dedit libandi *Iovi Liberatori*, ut scripsit Tacitus q).

* * *

PERM. IMP. *Imperator paludatus in lentis quadrigis*, in numis Domitiani. (Vaill.)

Libertatem, quam a Nerone Achaiae concessam mox dixi, post iterum ademit Vespasianus. Vide hujus facti testes copiosos apud Spanhemium r). Quisquis fuit rei monetariae cum libertate nexus, istud certum, nullum hactenus conspectum sive Corinthi sive Patrarum numum Vespasiano et Tito imperantibus signatum. Succedit praesens Domitiani numus, qui per epigraphen PER*Missu* IMP*eratoris* invicte probat, ademptum Corintho feriundae monetae jus a Domitiano redditum, ut revera copiosos iterum utriusque coloniae habemus numos eo imperante percussos. Quod quidem benevolentiae argumentum in causa fuisse existimo, cur in ejus Augusti gratiam Corinthus *Flaviae* cognomen sibi adsciverit, ut dictum.

* * *

Magistratus IIviri jam inde a principio inscripti leguntur, postremi comparent in numis Galbae. Insignis est numus:

TI. CAESARE. IIVIR. COR. *Caput Tiberii nudum.* Ӿ M. AIMILIO. LABEONE. IIV. Δ. Δ. *Caput Augusti nudum.* (Morelli in Fam. Aemil. Tab. II. C. et D.)

Ergo Tiberius honoris causa fuit IIvir coloniae Corinthi. In numis cum capite J. Caesaris et Augusti memoratur M. ANTONIVS. HIPPARCHVS. IIVIR. Videtur hic esse idem ille, quem Plutarchus narrat libertum maxima fuisse apud patronum M. Antonium gratia, et tamen primum ad Octavianum defecisse, ac domicilium postea apud Corinthum fixisse s). In moneta Augusti unus idemque numus nonnunquam continet IV. IIviros addito etiam in horum uno PRAEF. IIVIR. (Vaill.) Numos, in quibus memorantur IIviri *M. Bellius Proculus*, et *P. Vipsanius Agrippa*, signatos fuisse imperante Caligula, probatur a me in numis Antoniae Drusi senioris. Exstant etiam numi:

---

p) Orb. Rom. p. 252. q) Ann. XV. 64, et XVI. 35. r) L. c. p. 259. s) In M. Ant. p. m. 947.

CORINT. AVGVSTVS. *Caput Augusti nudum.* ☧ P. AEBVTIO. C. IVL. HERAC. IIVIR. QVIN. ITER. *intra lauream.* (Mus. Caes. Vaill.)

Numi hi docent, aliquo tempore pro IIviris ordinariis IIviros quinquennales coloniae praefuisse. Sane Apuleius Thyasum quendam memorat quinquennali apud Corinthum magistratui destinatum [t]. Et Quinquenuales memorantur etiam in numis Neronis supra descriptis. Alium huic geminum, nisi quod pro capite Augusti impressum dicatur caput M. Antonii, inter hujus IIIviri numos vulgavit Vaillantius in suis coloniarum numis. Mirum mihi jure visum, utrnmque IIvirum, eumque *quinquennalem iterum*, comparere in numis et M. Antonii, et Augusti, quorum ille V. C. 723. ad Actium attritus fuit, hic nonnisi V. C. 727. Augusti nomine honoratus. At enim consulto Patino, quem Vaillantius hujus numi indicem ex ejus Familiis pag. 5 citat, continuo vidi, caput, quod est Augusti, a Vaillantio perperam pro M. Antonii capite acceptum.

* * *

Ludi ISTHMIA scripti intra coronam ex apio, vel pinu, obvii in numis Corinthi, apud quam urbem primum constituti fuere, ut docebitur alibi. Praemium victorum primum fuisse ex pinu, serius ex apio arido, tradit scholiastes Apollonii Rhodii [u].

AE. C.

ANIMADVERSIONES
in numos argumenti Corinthii.

Exstat numorum veterum quoddam genus, quod propter ea, quae disseremus, necesse est liberalius describere.

Pars antica exhibet *Caput Palladis, pone quod sunt sigilla infinite varia, deorum, dearum, hominum, animalium, artefactorum, aut cujuscunque rei ex quocunque naturae regno petitae.* Pars aversa suum perpetuo habet *Pegasum volantem.* Omnes hi numi, tanto in hunc diem numero superstites, ut omnia iis musea referta sint, praeterquam quod memoratis Palladis et Pegasi typis conspirant, eodem etiam sunt metallo, nempe argento, pondere, quod duas drachmas aliquantum excedit, fabrica, quae in omnibus est singularis artificii. Typum hunc ad ipsam Corinthum pertinere, nemo dubitat. Nimirum in hac urbe Pallas templum habuit nomine Χαλινιτιδος, *Frenatricis*, quia Pegasum freno subactum Bellerophonti donum dedit, ut in Syracusis docuimus.

Dixi, in quibus totum istud numorum agmen conspirat, demtis minutis signis, quae omnino videntur fuisse arbitraria. Memorandum nunc etiam, in quibus discrepent.

Alii, quorum maxima est copia, habent in aversa literam ϙ infra Pegasum, in antica literam unam, aut duas, raro tres pluresve, ut: ΕΥΘ. ΕΥΥΥ., in uno, quod sciam, plene ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΣ, de quo infra.

---

t) Metam. L. X. p. m. 209. u) Ad. L. III. v. 1239.

Alii variarum urbium nomina sive plena, sive decurtata inscribunt, ut: ΣΥΡΑΚΟΣΙΩΝ, ΑΜΒΡΑΚΙΩΤΑΝ, ΛΟΚΡΩΝ, ΑΡΓΙΩΝ, vel: ΔΥΡ. ΚΟΡ. ΑΛΥ. ΛΕΥ. etc. At in his constanter omittitur litera ϙ, etsi literis aliis in utraque numi facie suus permittatur locus.

Alii sine certo urbis nomine, aut elemento ϙ literas tantum solitarias, aut monogrammata continent, ut: Λ. Α. ΑΝ. etc.

Commemorata hac horum numorum varietate inquirendum ante omnia, qua in urbe verisimile sit percussos numos, quos primo loco recitavi, nempe eos, qui literam ϙ exhibent. Eam esse vetus Phoenicium Koph, in cujus locum successit K, et illa indicari Corinthum, inter omnes convenit. At variant deinde sententiae, dum alii signatos eos apud ipsam Corinthum statuunt, alii Syracusis, tanquam nimirum hae literam metropolis Corinthi ἀρχαιϰσῃν numis suis imprimendo tractam ab hac originem propalam voluissent profiteri. De tota hac lite, quae in hodiernum diem eruditorum sententias distrahit, ut recte arbitrari possit lector, lubet universam causam in plura capita dispescere.

CAPUT I.

quo proponuntur momenta eorum, qui numos similes elemento ϙ notatos Corintho tribuunt.

Hujus patroni sententiae validis aliquot argumentis nituntur. I. Testimonium luculentum est Pollucis, cujus verba sunt x): πωλον δε το νομισμα το Κορινθιον, ότι Πηγασον ειχεν εντετυπωμενον, *Pullum vero vocat numum Corinthium, quia Pegasum insculptum habuit.* Cum numus hic Corinthius certam ab imagine appellationem habuerit, necesse est fuisse obvium, ut obvia fuit pecunia Atheniensis, quae ejusdem Pollucis, aliorumque testimonio dicta est Κορα et γλαυξ. Ergo nisi numos, de quibus agimus, eos esse ipsos statuamus, quos hic indicat Pollux, necesse est, aut hunc fallere, aut alios Corintho circumspicere numos Pegasi imagine insignes, at unde hos petes? Drachmarum Corinthiarum meminit etiam Thucydides, tempore, quod bellum Peloponnesiacum pracessit y). II. Constat inter scriptores omnes de veteris Corinthi potentia, magnificentia, factis in gravia bella, colonias, substructiones, certamina Isthmia, omnis generis, etiam ex nobilissimis metallis, artefacta immensis sumptibus, sic ut post Athenas omnium Graeciae propriae urbium facile princeps haberetur. Constat etiam inter nos, veterum urbium Graecarum facultates sive amplas sive modicas ex superstitis earum monetae sive copia sive inopia plerumque comprobari. Demus Corintho numerosum hoc didrachmorum agmen, et conspirabunt facile residuae hae opes cum concordibus scriptorum omnium de ejus potentia testimoniis. Auferamus, et quid tum habebimus ejus Corinthi omnium linguis ac praeconiis jactatae? aut an numulus unicus aeneus, quem supra citavimus, is-

x) L. IX. c. VI. §. 76. y) L. I. c. 27.

que ambiguus, conceptam de ejus reip. praestantia opinionem satis poterit stabilire? III. In numis, qui per inscriptum ΣΥΡΑΚΟΣΙΩΝ certo sunt Syracusarum, illud ϙ constanter abest, quod verum esse patebit intuenti omnes hujus generis hactenus editos. Mirum autem videretur, monetarios Syracusanos non etiam in his, aut saltem horum aliquibus adstituisse illud elementum, quod tam frequenter fecere in aliis, in quibus urbis inscriptio abest. Nam si ea litera confessio est coloniae Corintho ductae, cur illa dissimulanda fuerat in numis ejus urbis certis, inscriptis ΣΥΡΑΚΟΣΙΩΝ? Monendum iterum, me hic intelligere tantum numos cum capite Palladis et Pegaso, nam novi, editos nonnullos a principe Turris Muciae, in quibus hinc ΣΥΡΑΚΟΣΙΩΝ, inde ϙ et Pegasus, verum in horum antica non est caput Palladis, sed Arethusae. IV. Neque minus in omnibus id genus numis, qui per inscriptionem ΑΡΓΙΩΝ, ΑΜΒΡΑΚΙΩΤΑΝ, ΛΕΥΚΑΔ. etc. videri possunt in variis Corinthi coloniis cusi, de quibus agetur infra, abest elementum ϙ. Ex quo colligi potest, literam hanc solitarie positam in his numis uni Corintho fuisse propriam, quo signatae monetae locus indicaretur. V. In horum nonnullis, quos edidere Pellerinius z), aliique, juxta caput Palladis plene scriptum legitur: ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΣ. Censet Pellerinius, hoc nomine intelligendum ipsum Alexandrum M., eumque numo inscriptum tanquam constitutum honoris causa urbis magistratum; nam constat ex Seneca a), eum regem jam Orientis victorem a Corinthiis missis legatis civitate donatum. Haec Pellerinius; at si numi hi vere sunt Corinthii, tum potius crederem, eo vocabulo notari Alexandrum Polysperchontis F., qui aliquamdiu Corinthum praesidio occupatum tenuit, ut scripsit Diodorus b), quo modo et supra in Aegii numis verisimile diximus, in his signatum Aristodemum, aut notari Alexandrum alium, qui Corinthi item arcem in potestate habuit, veneno sublatum ab Antigono Gonata c). Quare cum ex hoc satis appareat, numos hos esse Corinthios, verisimile etiam, numos alios ejusdem argumenti et eodem ϙ insignes Corinthum pertinere.

CAPVT II.

quo proponuntur momenta eorum, qui numos similes elemento ϙ notatos Syracusis tribuunt.

Pauca, sed gravissima hujus amici sententiae commemorant. Adferunt argumentum, quod in re numismatica plurimum semper valuit, ab ipso petitum loco, quo copiosius ea merx solet reperiri. Quanta vero copia id genus numorum reperiatur in Sicilia, docebit testis omni exceptione major princeps Turris Muciae, qui in haec verba consulenti mihi rescripserat: *scire te velim, in solo numophylacio collegii Panormitani*

z) Rec. I. p. 112. a) De Benefic. L. I. c. 13. b) L. XIX. c. 74. c) Plutarch. in Arato.

patrum S. J. olim servatam fuisse, et a me conspectam similium numorum fere myriadem. Tercentis plures servantur in monasterio S. Martini prope Panormum, privata per insulam musea iis abundant, plures ducentis ipse possideo. Denique abhinc annos XX. apud aurifabrum nostratem vidi id genus numos pondere CC. librarum, quos ille testabatur Syracusis sese emisse a villico quopiam, qui cum ruri opus faceret, eos eodem loco reperit omnes, quos inter fuere etiam aurei nonnulli Agathoclis. At praeter illustre hoc viri nobilissimi testimonium praesto habeo exemplum domesticum. Reperio in catalogo MS. Caroli Gustavi Haerei, Caroli VI. Aug. antiquarii, trecentos similes solis sigillis, literisque solitariis diversos missos imperatori ex ea insula, quo tempore is utramque Siciliam regio nomine tenuit. II. Exstat in Sicilia numismatica principis T. M. numus argenteus: ΣΥΡΑΚΟΣΙΩΝ. *Caput Arethusae.* ✠ *Pegasus, infra quem* ϙ *inversum.* (Tab. LXXIX, n. 2.) Cum ergo ex hoc numo certum sit, literam hanc tanquam Corinthi ἀρχαικήν fuisse a Syracusanis revera usurpatam, poterunt etiam Syracusas pertinere numi alii hoc elemento insignes, etsi urbis ipsius inscriptio absit. III. Est in museo Caesareo numus hujus argumenti, in cujus antica scriptum ΕΥΘ., in aversa ϙ. Idem ΕΥΘ. vero etiam exaratum reperitur in quatuor certis Syracusarum, qui sunt in Sicilia principis T. M. (Tab. LXXII. n. 8—11.) qui adeo videtur fuisse unius ejusdemque urbis magistratus. Vide etiam Neumannum de hoc argumento copiose et erudite disserentem d).

CAPVT III.

quo verisimile statuitur, numos elemento ϙ *notatos pertinere Syracusas.*

Propositis utriusque sententiae rationibus arbitrandum denique, utrae alteris videantur praestare. Serias ac graves esse eas, quae pro Corintho pugnant, nemo erit, qui inficiabitur, quibus olim persuasus ipse, antequam amicae principis T. M. literae judicium meum sollicitassent, Corinthum sibi numos similes habere jussi e), praeeuntem secutus magnum in arte nostra magistrum Pellerinium eandem sententiam iterato docentem f). Juvabat sententiam meam ill. Jacobus Gradenigo, qui datis ad me literis testatus est, triginta hujus argumenti numos in gaza sua servari, repertos omnes per insulas ditioni Venetae obnoxias, et per tractum sinus Ambracii, cum has terras reip. causa obiret. Addit, si statuatur, numos similes ex foedere Corinthum inter ac filias colonias inito commercii causa fuisse signatos, nequaquam mirum videri, multa eorum exemplaria reperiri etiam in Sicilia, quorsum necesse fuit magnum numerum propter commercium cum praepotentibus Syracusis derivari. Tamen quocunque quis loco haec velit argumenta putare,

---

d) Num. pop. P. I. p. 54. et Supp. II. p. 95.

e) Num. vet. p. 121.

f) Rec. I. p. 112. Rec. III. p. 110.

tam prodigiosus, tantusque numerus, quanto eos indies per Siciliam reperiri supra demonstravi, domesticam hanc fuisse Syracusarum monetam plane persuadet. Vt factum tenemus, ita tamen minus esse facile intelligo: certa quadam ratione conciliare cum hac sententia rationes, quas capite I. Corintho favere diximus.

C A P V T IV.

Verisimile etiam, numos coloniarum Corinthi nomine insignes Syracusis signatos.

Dixi supra, complures exstare numos, illis, de quibus ago, numis tam typo, quam metallo, ac pondere simillimos, sed in quibus pro elemento ϙ comparent variarum urbium nomina, Leucadis, Ambraciae, Dyrrhachii etc., quas fuisse Corinthi colonias constat, et quarum adcuratum catalogum sequente capite dabimus. Eos signatos in urbibus, quarum praeferunt nomina, vetus omnium fert opinio, cui nuper accessit etiam princeps Turris Muciae g). Censueram ipse olim, quo loco in hujus generis numos prolixe commentabar h), Corinthiorum colonos communi inter se consensu in suis quosque urbibus cum metropolis eos typo cudisse, non tam ut ejus sese colonos profiterentur, (nam si haec una causa placuisset, poterat idem obtineri, quin tam anxie in pondere, metallo, et omnibus typorum apicibus conspirassent) quam ut ii, aut saltem aliqua eorum portio cederent in primitias, quas metropoli coloniae mittere consueverunt, aut caerimonias sacras in metropoli obiri solitas, de quibus metropoleos in colonias suas juribus eodem loco latius egi. Sed enim hos quoque ipsos numos frequentius reperiri in Sicilia, perinde ac numos litera ϙ notatos, eo non obscure potest colligi, quod inter id genus numos, quos magno numero Carolo VI. Aug. ex Sicilia adlatos supra dixi, fuere etiam inscripti ΑΚΤΙΟΥ, ΑΛΥ. ΑΜΒΡΑΚΙΩΤΑΝ, ΑΡΓΙΩΝ, ΛΕΥΚΑΔ. ΛΟΚΡΩΝ, ut taceam eos, qui literas Λ, Α, ΑΝ etc.: quas plerique primas similium coloniarum literas putant, exhibent. Ex quo conjici potest, fuisse aliquod tempus, quo Syracusani quacunque ex causa, quam ut multa alia nobis inviderunt scriptores veteres, tam matris Corinthi, quam sororum coloniarum nomine feriundos numos curavere. Licebit non injuria conjicere, praestitum hunc a filiis Syracusanis matri Corintho honorem tum, cum a Corinthiis duce Timoleonte, ejecto tyranno Dionysio juniore, in libertatem adserti fuere, ac praeterea Syracusis aliarum coloniarum nomine signatos numos, ut matris gloria ostentatis tot conspicuis ejus prolibus augeretur. Factum istud anno V. C. 411, cum qua aetate elegans hujus monetae opus probe convenit. Haec, quae dixi, si adrideant eruditis, facilis dabitur ratio, cur numis his omnibus, tam variarum, ac dissitarum urbium no-

g) Aggiunte p. 197. h) Num. vet. p. 128.

mine inscriptis, tam adcurate ad minimas quasque peristases conveniat, quod fieri facile potuit, si ex una omnes officina prodivere; at quam difficile ad consensum vocare tot urbes inter se plerumque dissidentes, et ipsi etiam metropoli palam infensas, cujus in Corcyra exemplum mox videbimus. Nolim mihi objici tot urbium exempla, quae uno eodemque consilio tetradrachma Alexandri M. inter se simillima signavere. Etenim in his certa alia habemus indicia, fuisse diversis locis percussa v. g. additas literas Phoenicias, quae Phoeniciam eorum patriam eloquuntur, vel in numis Aradi notas arithmeticas huic urbi familiares, ac plura alia; deinde poterat in urbibus unius imperio obnoxiis facile monetaria aliqua lex statui, ad quam sese omnes adcommodarent, non item in iis, quae nullis legibus, nisi suis, tenebantur.

CAPUT V.

continens catalogum urbium cum typis Corinthiis.

Praemonendum hoc loco iterum, me in hunc censum admittere solum eos numos, qui sunt didrachma, et hinc caput Palladis, illinc Pegasum, et pro Phoenicio Ϙ urbis nomen sistunt, verbo ut absolvam, qui toti ejusdem plane sunt rationis, qualis sunt ii, de quibus hactenus agere institueram, quique per hunc ipsum consensum Corinthum metropolin confitentur.

Horum alii urbem plane eloquuntur, ut ΛΟΚΡΟΝ, alii compendio, ut ΔΥΡ. Parcius alii unicam tantum literam, ut Α. Λ., aut duas, ut ΑΝ., et saepe monogrammate ligatas indulgent. Sintne hae literae principia similium urbium coloniarum, an aliud notent, nequaquam proclive decidere; nullo enim pacto adsensero Havercampo, qui iis indicari amphipolos, Jovis apud Syracusas ministros, conjicit [i]), ad similia commenta necessario adactus, cum per opus illud frequentius magno hiatu promitteret, se abscondita quaeque rimaturum, et quae alii modestius ignorare sese profitentur, explicaturum. Harum catalogum coloniarum jam olim edidi [k]), quem hic, sed compendio, restituo, in nonnullis tamen auctiorem.

* * *

Actium.

ΑΚΤΙΟΥ. *Caput Palladis*, Ӿ *Pegasus*, *infra* ΑΝΑ. *in monogrammate.* AR. II. (Mus. Caes. Pellerin.)

Numos similes recte Actium ab Apollinis templo inclytum indicare statuit Pellerinius [l]). Literae ΑΝΑ. videntur notare agrum *Anactorium*, in quo secundum Thucydidem situm Actium. Teste Strabone totus hic tractus colonos Co-

i) in Parutam p. 372. k) Num. vet. p. 121. l) Reg. I. p. 86.

rinthios recepit ducibus Cypselo et Gargaso [m]).

Alyzia.

ΑΛΥ. *Caput Palladis* ✕ *Pegasus.* AR. II. (Mus. Caes.)

Vrbs Acarnaniae testibus veteribus, quos alias citavi. Majorem Acarnaniae partem a Corinthiis habitatam mox diximus.

Ambracia.

ΑΜΒΡΑΚΙΩΤΑΝ. *Caput Palladis* ✕ *Pegasus.* AR. II. (Mus. Caes.)

ΑΜΠΡΑΚΙΩΤΑΝ. *Caput Palladis, pone fax ardens.* ✕ *Pegasus, infra* Α. AR. II. (Mus. Card. Borgia.)

Fuisse Ambraciam Epiri certam Corinthi coloniam, multi veteres prodidere, quorum testimonia vide in meis Numis vet. p. 123. De scriptura ΑΜΠΡΑΚΙΩΤΑΝ egimus in Numis Ambraciae.

Amphilochia, Argos Amphilochium.

ΑΜΦΙ. *vel:* ΑΡΓΕΙ. *vel:* ΑΡΓΙΩΝ. *Caput Palladis.* ✕ *Pegasus, juxta variae literae, vel sigilla.* AR. II. (Mus. Caes. Pellerin.)

Acarnaniae portio *Amphilochia* vocabatur, cujus caput erat Argos Amphilochium sic dictum ab Amphilocho Amphiarai F. Argivo, qui post bellum Trojanum in sinu Ambracio urbem condidit, et de patriae nomine Argos appellavit [n]). In simili Goltzii numo est plene ΑΜΦΙΛΟΧΙΩΝ.

Anactorium.

ΑΝΑΚΤΟΡΙΩΝ. *Caput Palladis, pone astrum.* ✕ *Pegasus.* AR. II. (Pellerin.)

Fuit Anactorium et portio Acarnaniae, in qua situm Actium, et eodem nomine urbs. Eodem etiam revocandos conjeci numos similes, qui literas ΑΝ. vel solutas, vel sigla nexas offerunt, motus praecipue eo, quod in his plerumque aliquod Apollinis attributum, tripus, lyra, cortina conspicitur. Fuit autem Anactorius ager Apollini sacer.

Corcyra.

ΚΟΡ. *Caput Palladis, pone vas.* ✕ *Pegasus.* AR. II. (Pellerin.)

Haec, etsi certa Corinthi colonia, suam tamen metropolin, quod perpetuis cum hac bellis collidebatur, aperte est inficiata, obtentu, ab antiquis se Phaeacibus esse oriundam. Quare neglexit etiam consueta sacra aliarum coloniarum more Corinthum mittere. Vide de hoc argumento Thucydidem [o]), Diodorum [p]). Pellerinius adlatum numum Corinthum refert, utrum recte, ambigo. Nam Corinthum matrem satis puto indicatam in numis iis, qui elementum ϙ offerunt, obvios vero habemus autonomos Corcyrae, in quibus haec iisdem literis ΚΟΡ. utitur. Ceterum illi sententiae, quae numum hunc Corcyram refert, non obest, quod ea colonia Corinthum palam est dedignata. Nam si, ut dixi, numi similes signati sunt Syracusis, penes has stetit judicium, utrum haec quoque Corinthi coloniis sit accen-

---

m) L. X. p. 452. n) Thucyd. L. II. p. 141. o) L. I. c. 25. p) L. XII. c. 30.

senda. Sed docemur etiam copiosis Corcyrae numis autonomis, in quibus Pegasus frequens typus, fuisse tempus, quo, ut lubrica fuerunt Graecorum ingenia, placuit Corinthum matrem agnoscere.

Dyrrhachium.

ΔΥΡ. *Caput Palladis, pone clava.* ✕ *Pegasus. In aliis pone caput Palladis* Δ *tantum, et clava.* AR. II. (Mus. Caes.)

Fuit Dyrrhachium Corcyrensium quidem colonia, sed ejus deducendae auctorem habuit Phalium genere Corinthium et ab Hercule oriundum, cumque Dyrrhacheni a finitimis vexati metropolis Corcyrae opem frustra implorassent, ad Corinthum sese, tanquam suam ἀνεκαθεν metropolin verterunt, ut auctor est Thucydides q). Clava ad Phalium ab Hercule, ut dixi, oriundum adludit. Quin et Herculem ab oppidanis pro conditore cultum scripsit Appianus. (Bell. civ. L. II. c. 39.)

Leucas.

ΛΕΥ. ΛΕΥΚΑΔ. *Caput Palladis.* ✕ *Pegasus.* AR. II. (Mus. Caes.)

Insula Acarnaniae fere adhaerens, et certa Corinthi colonia teste Thucydide r), et Plutarcho s).

Locri.

ΛΟΚΡΩΝ. *Caput Palladis.* ✕. *Pegasus.* AR. II. AE. II. (Mus. Caes.)

Cum in Graecia propria essent Locri Opuntii, Epicnemidii, Ozolae, in Italia Epizephyrii, implexa quaestio, quinam ex tot diversis populis communi hoc ΛΟΚΡΩΝ nomine intelligantur. Pellerinius in Locros Ozolas inclinabat t), neque alienum me ab hac sententia olim sum professus u). Novissime cl. Neumannus planissime sese demonstrasse existimavit, Epizephyriis hos tribuendos esse numos capto argumento ex narratione III. Cononis, quem citat Photius x). Cononis verba sunt agentis de Scheria insula subinde Corcyra dicta: *Mortuo Phaeace insulae rege filii Alcinous et Locrus inter se dissidentes in has tandem conditiones consensere: regnum in Phaeacide obtineret Alcinous, Locrus cum pretiosa supellectile et parte gentis insula excederet. Ei in Italiam delato Latinus Italorum rex non modo hospitium praebuit, sed filiam quoque Laurinam uxorem dedit. Quare Phaeaces hos Italiae Locros cognatione secum conjunctos profitebantur.* Ex his ita concludit Neumannus: erant igitur Locrenses genere Corcyraei, Corcyraei omnium confessione Corinthii, ergo manibus tenemus rationem, cur Locrenses isti Corinthios in numis natales fuerint professi y). Sed enim juvat inquirere, quantum momenti huic insit argumento, quem in finem necesse est duo capita in examen vocare, I. utrum haec Cononis narratio aliquid habeat probabilitatis, II. an etiam hac admissa illud, quod vir eruditus intendit, possit adfirmari.

I. Quoscunque habemus scriptores

q) L. XII. c. 30 r) L. I. c. 30. s) in Themistocle. t) Rec. I. p. 97. u) Num. vet. p. 97. x) Cod. 186. y) Num. pop. p. 36.

gravissimos, in eo consentiunt omnes, Locros Italiae a Locris Graecis oriundos, in eo uno dissident, quod alii ab Opuntiis eos, conterminisve Epicnemidiis, ab Ozolis alii deducunt. Cum Opuntiis nectunt Ephorus apud Strabonem [z]. Scymnus Chius [a]: Εισι δ' ἀποικοι των Οπουντιων Λοκρων. *Sunt vero coloni Opuntiorum Locrorum.* Virgilius de iisdem Epizephyriis agens ait [b]: *Hic et Narycii posuerunt moenia Locri.* Dicti *Narycii*, quia profecti a Locris sive Opuntiis, sive Epicnemidiis, quorum urbs Naryx Ajacis Oilei patria. Secundum ea et Solinus hanc urbem a Naryciis conditam dixit, quin adeo certum istud visum Ovidio, ut confidenter eam *Naryciam* appellaret [c], eodem nimirum nomine, quo ipsam Opuntiorum urbem, a qua Epizephyrii profecti. Et Servius ad citatum Virgilii versum: *Cnemis promontorium, in quo Opuntii Locri positi sunt, a quibus originem trahunt, qui in Italia sunt.* Scholiastes ad Pindari Olymp. XI. 13. *Ab his* (Epicnemidiis) *sunt Locri Epizephyrii Italiae.* At omnium maxime illustris locus Pausaniae narrantis, hos Italiae Locros in praelio adversum Crotoniatas invocasse Ajacem Oilei κατα οἰκειοτητα προς Οπουντιους, *ob eam, quae ipsis erat cum Opuntiis, cognationem* [d], quod testimonium eo praestat, quod ipsius gentis confessionem exprimit, a quibus illa majoribus sese profectam crederet. Similia narrat Conon apud eundem Photium [e], Epizephyrios, quoties bella gerunt, semper Ajaci locum in acie relinquere, tanquam ipse in acie pugnaret. A Locris Ozolis exstitisse Epizephyrios, diserte Strabo addito etiam duce Evanthe, factumque istud paullo post Crotonem, et Syracusas conditas. Idem confirmat Dionysius Periegetes, ejusque commentator Eustathius [f]. Denique Scymnus, quem jam supra pro Opuntiis stetisse diximus, mox versu sequente sic: Ενιοι δε Λοκρων φασι των ἐν Οζολαις, *at alii oriundos ajunt a Locris Ozolis.* Sed audiamus alteram ipsorum confessionem Locrorum, quam ab iis ipsis accepisse sese profitetur Polybius, qui cum ea gente multus erat, sibique eam propter magna beneficia obstrictam habuit [g]. Narrat is, sese etsi amicitia cum Locris conjunctum non tamen cunctatum confirmare ea omnia, quae de origine hujus coloniae Aristoteles multo veriora memoriae prodidit, quam quae Timaeus. Addit, Locrenses fateri ipsos, hanc se a patribus quoque traditam accepisse de sua colonia famam, cujus meminerat Aristoteles. Eam hoc loco dissimulat Polybius, sed paucis commemorat alibi [h], laxius deinde enarratam ab Eustathio [i], Locros nimirum hos, cum servili antea conditione apud Ozolas essent, heris belli causa absentibus cum horum uxoribus congressos, poenae metu cum iis ipsis, quibus vim obtulerant, solum vertisse, et sedem apud

z) L. VI. p. m. 397. a) v. 315. b) Aen. III. v. 399. c) Metam. L. XV. v. 705. d) L. III. c. 19. e) Narrat. XVIII. f) ad vers. 365. g) Hist. L. XII. c. 3. h) Excerpt. de Virt. L. XII. sub init. i) ad Dionys. v. 365.

Zephyrium fixisse. Haec utut genti indecora ut ausi non sunt plane inficiari, ita non dubitaverunt adserere, ex centum iis familiis, ex quibus oraculi monitu virgines Ilium mittendae sorte legebantur, mulieres nonnullas secum in novam hanc coloniam profectas, quarum posteri in praecipuo apud Epizephyrios honore censebantur. At constat, ferale illud virginum tributum in mille annos porrigendum Locrensibus Graecis fuisse imperatum ad placandam Minervam, cujus sacerdotem Cassandram eorum dux Ajax apud Ilium vitiaverat, ut obiter narrant Plutarchus [k]), Strabo [l]), et copiosius Tzetzes [m]). Ergo cum tot, tamque gravia habeamus testimonia, et insuper, quod maximi putandum, ipsam indigenarum confessionem de hujus ortu coloniae, quis ferat Cononem, Locris his originem ex Phaeacide reliquis omnibus ignotam tribuentem, et, ut vidimus, narrato honore Ajaci ab his ipsis habito sibi ipsi contradicentem? Neque vero etiam audiendus Pausanias, qui forte unus Epizephyrios Laconiae colonos facit [n]), etsi ut dictum, alibi eorum cum Opuntiis adfinitatem profiteretur.

II. At demus aliquid Cononi grammatico, secutumque famam obscuri nominis, et undecunque haustam. Tamen si vera, tantum abest, ut Locrensium cum Corinthiis per Corcyraeos nexum stabiliat, ut etiam rectissime evertat. Ipso Conone teste Locri a Phaeacibus oriundi, et cum his fuere cognati. At quid Phaeacibus cum adventitiis Corinthiis, novo populo, sero admodum, ex quo praetensa haec Locri migratio contigit, ex Isthmo in Scheriam delato, et quidem teste Timaeo sexto demum post Troica saeculo [o])? Qua ergo prolepseos licentia dici potest aut Phaeax rex Corcyrae, aut Locrenses Corcyraei? Sin istud, permissum etiam nobis putabimus, Gallograecos appellare Francos, quoniam hi Gallis successere, quorum Gallograeci fuere coloni, quo modo lepide dixit Constantinus Porphyrogenitus: *ὁι δε Γαλαται ἀποικοι ἑισι των Φραγγων.* (de Themat. L. I. them. 6.) Ipse Conon paullo altius veras appellationes recte secundum tempora digerit. Ait, insulam dictam Scheriam, incolas Phaeaces, *ἀυτοχθονας*, et sic dictos ex nomine regis veteris, *ὕστερον*, continuo subjicit, *ἐπῳκησαν ἀυτην μοιρα* Κορινθιων, *και* TOTE *ὀνομα ἐις* Κερκυραν *μετεβαλε*, *serius incoluit eam pars Corinthiorum, et TVM Corcyra dici coepit.* Igitur ex quo Scheriam ingressi sunt Corinthii, cessavit omnis Locrorum cum novis incolis nexus, Phaeacibus, per quos cognatio stetit, aut deletis, aut extrusis. Quin si fides Plutarcho, quo tempore hostili animo in Corcyram ingressi sunt Corinthii, eam non amplius Phaeaces, sed Eretrienses Euboeae tenuerunt [p]). Perperam Neumannus Dyrrhachenos in exemplum

---

k) T. II. p. m. 557. l) L. XIII. p. m. 896. m) ad Lycophr. v. 1141. n) L. III. c. 3. o) Schol. Apollonii ad L. IV. v. 1216. p) Quaest. Graec.

vocat. At horum causa quam immane dispar! Dyrrhacheni matrem agnovere Corcyram, et per hanc aviam Corinthum. Locri, si Cononi fides, matrem Phaeaciam, verum per hanc an et aviam Corinthum?

Ex his efficitur, hanc Cononis narrationem, ut principio dixi, non modo non probare, sed inficiari etiam Epizephyrios Corinthi colonos. Non tamen negavero, posse numos sic inscriptos ad hos Italiae Locros pertinere, etsi de nexu hos inter, et Corinthios nihil aperte constet. Sed eundem etiam in Tauromenitarum numis ignoramus. Favet Epizephyriis, quod, ut recte advertit Neumannus, in numis similibus, sed aeneis, comparet monogramma ΑΓ., quod idem non raro in certis aliis eorum numis conspicitur. Ajebam aeneis, nam argentei hujus classis eo carent, et recte istud secundum conjecturam meam, qua verisimile dicebam, didrachma omnia hujus argumenti apud Syracusas signata. Quare numis aeneis, qui apud ipsos Locros malleum subiere, potuit haec nota domestica imprimi, sed ejus expertes fuere argentei, qui fuere opus officinae Syracusanae.

Lysimachia.

ΛΥΣΙ. *Caput Palladis, pone* AN. *et candelabrum.* ℞ *Pegasus, et* AN. *in monogrammate.* AR. (Hunter.)

Lysimachiam Aetoliae hunc numum refert Combius.

Naupactus.

NAT. *Caput Palladis, pone* AN. ℞ *Pegasus, infra* AN. AR. II. (Pellerin. Lettres p. 200.)

Dubitabam olim propter insertum bis monogramma AN., quo verisimilius Anactorium indicari censebam, tum quod in simillimo altero musei Caesarei pro NAT. luculentum ΝΥΣ. legitur, utrum vere, quod Pellerinius volebat, Naupactus Aetoliae hac inscriptione notetur [b]). Neque vero etiam constat, fuisse Naupactum a Corinthiis habitatam. Quare compendia NAT. et ΝΥΣ. aliorsum videntur accipienda.

Syracusae.

ΣΥΡΑΚΟΣΙΩΝ *typis solitis.* AR. II.

De hac Corinthi colonia post ea, quae jam dicta sunt, nihil attinet monere. Apud Theocritum mulier Syracusana molesto cuipiam peregrino sic respondet [r]):

Ὡς εἰδῇς καὶ τοῦτο, Κορινθίαι εἰμὲς ἄνωθεν,
Ὡς καὶ ὁ Βελλεροφῶν. Πελοποννασιστὶ
λαλεῦμες.

*Vt noveris et istud, Corinthiae sumus ex
vetere stirpe,
Aeque ac Bellerophon. Peloponnesie loquimur.*

Tauromenium.

ΤΑΥΡΟΜΕΝΙΤΑΝ. *Caput Palladis.* ℞ *Pegasus.* AR. II. AE. II. (Torremuzza.)

Quis fuerit Tauromenio Siciliae cum Corintho nexus, ignoro. Forte peractus est per Syracusanos. Quid veteres de Tauromenii ortu, et progressu prodiderint, in ejus moneta disseruimus.

---

q) Num. vet. p. 127. r) Id. XV. v. 91.

Thyreum.

Caput Palladis. ϗ ΘΤΡ. in alio ΘΤ. *Pegasus.* AR. II. (Mus. Caes.)

Acarnaniae urbes passim fuisse a Corinthiis frequentatas, satis in praecedentibus vidimus.

PATRAE.

Vrbs nobilis, et numorum dives.

Autonomi.

Epigraphe aut ΠΑΤΡΕΩΝ, aut pro hoc monogramma ΠΑΤΡΕ quod resolvitur commode in literas ΠΑΤΡΕ., atque idem monogramma etiam, quando urbis nomen jam inscriptum est, aream tamen aversae occupat.

Caput Jovis laur. ϗ ΑΓΥΣ. ΑΙϹΧΡΙΩΝΟϹ. ΠΑΤΡΕ. *in monogrammate*, *omnia intra coronam.* AR. III. (Mus. Caes.)

Hae drachmae similes sunt iis, quas communi Achaiae nomine magno numero signatos supra diximus. Similem tam fabrica, quam literarum forma descripsimus etiam in moneta Aegii, ex quo apparet, utriusque aetatem convenire.

* * *

Caput Herculis laur. ϗ ΜΗΤΡΟΔΩΡΟϹ. ΜΕΝΕΚΛΕΟϹ. ΠΑΤΡΕΩΝ. *Pallas gradiens d. hastam*, *s. clypeum*, *in area noctua*, *et dictum monogramma.* AE. I. (Mus. Caes.)

Frequentiores sunt numi similes variante tantum magistratu.

* * *

ΠΑΤΡΕΩΝ. *Monticulus inter duas spicas*, *omnia intra coronam hederaceam.* ϗ ΞΕΝΟΦΑΝΤΟϹ. ϹΩϹΙϹΤΡΑΤΟΥ. *Vir habitu curto stans d. elata - - s. - - in area solitum monogramma.* AE. III. (Mus. Caes. Pellerin.)

Narrat Polybius s), Patrensium urbi imminuisse montem, dictum Παναχαικον. Nomen ipsum docet, eum toti Achaeorum conventui sacrum fuisse, ut supra Homagyrium Jovem, et Panachaeam Cererem vidimus, quae adeo causa exstitit ejus in moneta domestica celebrandi.

* * *

Begerus huc vocavit numos argenteos inscriptos ΠΑΤΡΑΟΥ, quo nomine indicari Patreum Patrarum conditorem credidit t), quam sententiam impugnatam vide in meis Numis vet. p. 221., suntque hi numi adhuc incertae patriae.

AR. RR. AE. R.

Imperatorii.

Numi Graeci hujus classis cum capite Claudii, et inscripti ΠΑΤΡ. vel ΠΑΤΡΩΝ a Vaillantio, aliisque justo numero sunt editi, et his Patris tributi; verum has literas esse principium vocabuli ΠΑΤΡΩΝΟΣ, hosque numos restituendos Nicaeae, vel Nicomediae Bithyniae, in harum urbium numis docebitur.

---

s) Hist. V. c. 30. t) Thes. Br. T. I. p. 283.

Alium inscriptum: ΝΕΡΩΝΙ. ΠΑΤΡΕΩΝ vide mox infra.

* * *

Coloniae numi frequentissimi habentur ab Augusto coloniae parente usque ad Gordianum. Vrbs primum condita ab Eumelo, qui arandi modum a Triptolemo edoctus urbem vocavit Αροαν, nimirum επι τη εργασια της γης. Nomen immutavit Patreus Agenoris nepos, qui deturbatis ex hoc tractu Ionibus Aroen amplificavit, eique de se *Patrarum* nomen indidit. Post Actiacam victoriam Augustus copias militares, tum et vicinarum urbium incolas Patras deduxit additis coloniae juribus. Haec ex Pausania [u]), et Strabone [x]). Eusebius in Chronico deductam coloniam definit anno III. Olympiadis CXCI. seu V. C. 740. Ex his indiciis Seguinus sensum epigraphes in his numis passim obviae: COL. A. A. P. assecutus est, nempe primum A. *Augusta* a conditore Augusto, alterum A. priorem urbis appellationem *Aroen*, P. nomen recentius *Patras* notat [y]).

Epigraphe: COL. A. A. P. quae ab Augusto ad Claudium valuit, sub hoc aucta est, et deinceps scribi coepit: COL. A. A. PA. PAT. PATR. PATRAE. PATRENS. In numis Neronis frequentius C. P., quos huc pertinere arguunt numi: ADVENTVS. AVGVSTI. typo triremis, et IVPPITER. LIBERATOR. typo Jovis stantis d. aquilam tenentis, de quo mox, quae inscriptiones et typi sunt etiam in Neronianis vicinae Corinthi numis. Pro C. P. a nonnullis olim lectum G. P. et explicatum: *Graecia Peragrata* [z]), quod jam nemo credit. In numo Neronis est: GEN. COL. NER. PAT. typo Genii sacrificantis, exemplo ab eadem Corintho sumpto.

Augustorum inscriptiones saepe ad modum monetae Romanae sunt. Sic Augustus dicitur: PATER. PATRIAE. In numis Domitiani additur numerus trib. potestatis.

Typi illustriores:

IVPPITER. LIBERATOR. *Juppiter nudus stans d. aquilam, s. hastam*, Neronis. (Vaill.)

Eadem aversa exstat etiam in Neronianis coloniae Corinthi, ad quos observavimus, Jovem hunc Liberatorem illatum Achaiae urbium numis sub Nerone signatis, quod hic Achaiam libertate donavit. Ad idem argumentum pertinet numus:

ΝΕΡΩΝΙ. ΠΑΤΡΕΩΝ. *Nero togatus stans in templo distylo d. elata.* ✕ ΝΕΡΩΝΙ. ΠΑΤΡΕΩΝ. *Libertas stans d. pileum.* AE. II.

Sic numum restituendum duxi collatis exemplis tribus hactenus editis, quorum singula aliquam labem traxere. Ea vide apud Vaillantium [a]), Theupoli [b]), et Morellium [c]). Proponitur in antica Nero gestu libertatem palam dispensantis, ac insignis hujus causa beneficii in templo numinis instar collocatus.

---

u) in Achaic. x) L. VI. y) Sel. num. p. 114. z) Mem. Trev. in Apr. 1703. art. 72. a) Num. Graec. p. 17. b) pag. 848. c) Impp. T. II. p. 120.

Aversa concessum ipsam libertatem depraedicat. Neque adeo mirum, Patrenses, qui inde ab Augusto nonnisi coloniae nomine numos signavere, modo ab lege ordinaria discessisse, et in communi laetitia heterogeneum hunc numum emisisse, qui veteris libertatis postliminio reducis argumentum contineret.

* * *

DIANA. LAPHRIA. *Diana venatrix stans*, in numis Neronis, et Domitiani. (Vaill.)

Etsi in his coloniae hujus nomen absit, tamen jure huc referuntur. Diana hoc nomine templum Patris habuit in quo servabatur ejus signum, quod ademptum Aetolis Augustus Patrensibus concessit, reipsa venatricis habitu effictum, ut narrat Pausanias [d]). Ad ejusdem Dianae Laphriae cultum pertinet typus in numo M. Aurelii, quem exhibuit Vaillantius. Sistit is *Mulierem cervorum bigis vectam*. Eum vir eruditus praeclare ex Pausania explicat docente, in quodam Dianae festo apud Patrenses virginem ejus sacerdotem in cervorum bigis vehi [e]).

* * *

HERCVLI. AVGVSTO. *Hercules stans*, in numo Neronis. (Morelli Impp.)

Erudite ad hunc numum observat Havercampus ex Suetonio [f]), voluisse Neronem etiam imitari Herculis facta. Quare eidem adclamatum quoque fuisse: Νερωνι τῳ Ηρακλει [g]). Vide de hoc plura in numis Neronis. Cum M. Antonius Patris ageret, arsit templum Herculis, malo istud omine, quod is Herculis abnepos fuit [h]).

* * *

PORTVS. FRVCTIF. P. R. C. P. *Vir seminudus stans d. gubernaculum, s. cornucopiae.* Neronis. (Liebé Goth. p. 420.)

Numus insignis propter singularem inscriptionem, qua Patrensium portus, nullo, si Strabonem audias, merito illustris, *portus fructifer P. R.* appellatur. Imaginem ejus portus insuper offert numus Commodi apud Sponium [i]).

* * *

LIBERIS. AVG. *Capita tria, quorum medium Britannici, alterum Octaviae, tertium Antoniae, infra duplex cornu copiae*, Claudii. (Vaill.)

Fuere hi tres liberi Claudii, de quibus vide numos hujus Augusti.

* * *

XXII. *scriptum juxta aquilam legionariam inter duo signa militaria*, in numis variorum Augg. (Mus. Caes. Vaill.)

Docent hi numi, Augustum veteranos legionis XXII. Patras deduxisse.

* * *

INDVLGENTIAE. AVG. MONETA.

---

d) in Achaic. e) L. VII. c. 18 f) Cap 53. g) Dio L. LXIII. h) Plutarch. in Ant. i) Voyage T. III. p. 172.

IMPETRATA. *Caput muliebre velatum*, ✠ CAESARI. AVG. COL. A. A. P. *Augustus in quadrigis triumphalibus.* (Seguin Sel. num. p. 114. Vaill.)

De capite anticae Seguinus nihil pronuntiat. Vaillantius in eo certum Liviae caput videt [k]). Credam verius, esse caput ipsius *Indulgentiae*, perinde ac *Clementiam*, *Moderationem*, *Libertatem etc.* typo capitis muliebris, et quidem etiam plerumque velati circum Augusti aetatem proponi videmus. Omnino istud persuadet formula INDVLGENTIAE. AVG., quae votiva est, ut CLEMENTIAE, MODERATIONI in numis Tiberii Romanis, CONSTANTIAE. AVGVSTI in numis Antoniae.

* * *

Silenus stans, in numo Hadriani. (Arigoni.)

Typus obvius in coloniarum numis, de quo agemus alibi.

* * *

Magistratum colonia haec non inscripsit. Cleandrum IIvirum quidem nobis sistit Vaillantius in numo Neronis, sed hic certe est Corinthi, ut colligi potest ex numis similibus musei Caesarei, Liebei [l]), et Theupoli.

* * *

Nomen ab imperatoribus. Ab *Augusto* conditore, ut dictum. A *Nerone* NERo*niana.* Patrae sese Neronis honori perquam addictas professae sunt, quod praeterea docent copiosi numi adhuc superstites cum Neronis effigie, quos plerosque collectos vide apud Morellium. Causa adfectus haud dubia, quod Nero Achaiam libertate donavit, de quo vide, quae diximus in moneta Corinthi coloniae.

AE. C.

PEIRA.

Obscurae huic urbi Combius tribuendos putavit argenteos Hunterianos inscriptos ΠΕΙΡΑ, sed de quibus judicabimus in moneta Sinopes Paphlagoniae.

PELLENE.

Ad sinum Corinthiacum.

Imperatorium.

Caracallae edidit Haymius: (T. II. p. m. 323.)

ΠΕΛΛΗΝΕΩΝ. *Diana venatrix.*

Haec epigraphe conspirat cum scriptoribus Graecis, quibus haec vrbs Πελληνη dicitur. Quod monere necesse fuit, nam Pellerinius Domnae numum edidit: ΠΑΛΛΗΝΑΙΩΝ typo Palladis, eumque eidem Achaiae urbi tribuit [m]). Praeterquam quod verisimile non est, Pellenenses in numis una eademque aetate signatis sic variasse, ut alios ΠΕΛΛΗΝΕΩΝ, alios ΠΑΛΛΗΝΑΙΩΝ inscriberent, ad haec nulla sit ratio, numum cum posteriore hac epigraphe Pellene Achaicae tribuendi, cum Plinius

---

k) Colon. p. 52. l) pag. 419. m) Rec. III. p. 192.

Pallenen memoret in Arcadia sitam, cum quo nomine τɔ ΠΑΛΛΗΝΑΙΩΝ recte componitur, animadvertit etiam scholiastes Apollonii [n]): ἡ Αχαϊκη Πελληνη δια τȣ Ε, ἡ δε ἑτερα ἡ της Αρκαδιας δια τȣ Α γραφεται Παλληνη, ut adeo numus Pellerinianus jure in Arcadiam revocandus sit, aut, si malis, in Laconiam, nam Pallenes Laconiae meminit Diodorus [o]), nisi una eademque est urbs, finibus, ut saepe factum, confusis. At misere peccat idem scholiasta, dum continuo addit: Αχαϊς δε μερος της Θεσσαλιας, ἡς ἡ Πελληνη, *Achais vero pars est Thessaliae, in qua sita Pellene.* Vrbs haec Thessalica non *Pellene*, sed *Pelinna* vocabatur testibus etiam numis. Enimvero Apollonius ipse hoc loco non aliam Pellenen quam hanc ipsam Achaicam intelligit.

AE. RRR.

P H L I V S.

Phliuntis nomine duae fuere in Peloponneso urbes, illustrior una Achaiae, tenuior altera Argolidis. Ad priorem adeo pertinere numos, quos citabo, verisimile.

Imperatorii.

In familia Severi, quos vide apud Vaillantium, Theupoli, Pellerinium. (Rec. III. p. 197.)

Epigraphe: ΦΛΙΑΣΙΩΝ. Errasse se aliquando putabat Cicero, cum deceptus analogia nominum Οπȣς, Σιπȣς, a quibus flectitur Οπȣντιοι, Σιπȣντιοι, ipse a Φλιȣς flecteret Φλιȣντιοι, pro Φλιασιοι, ut fatetur ipse [p]). Et vero a veteribus constanter scribitur Φλιασιος. Tamen Stephanus Ciceronem absolvit, qui alterum quoque gentile Φλιȣντιος valuisse docet.

Typus in Pelleriniano: *Aesculapius imberbis stans.* Narrat Pausanias [q]), stetisse apud Phliasios Aesculapii imberbis signum. Si ergo in hoc numo hic deus revera praeter morem imberbis est, neque Pellerinium, ut talem videret, occupavit oratio Pausaniae, ambiguum non est, numum hunc, atque etiam alios cum alio argumento, huic Achaiae Phliunti deberi.

AE. RRR.

R H Y P A E.

Straboni Ρυπες, Stephano Ρυπαι, Pausaniae Ρυπων τα ἐρειπια.

Autonomi.

Caput virile laureatum incertum. Ꭓ ΡΥΨ. *Clava, pharetra, arcus intra coronam.* AE. III. (Pellerin Suppl. I. p. 31.)

Caput Jovis, in area lunula et Θ. Ꭓ ΡΥΨ. *Aquila fulmini insistens, in area lunula.* AE. III. (Pembrock, et in meis Num. vet. p. 129.)

Numos hos huc pertinere dubium non est, cum ejus gentile Stephano sit Ρυψ. Non exstare imperatorios, nequaquam mirum, cum ejus incolas ab Augusto Patras traductos scripserit Pausanias [r]).

---

n) ad L. I. v. 177. o) L. XV. c. 67. p) ad Attic. L. VI. ep. 2. q) L. II. p. m. 141. r) Achaic. p. 569.

Huc etiam Combius refert Hunterianum:

ΓΡΟΣΣΟΣ. *Caput Iovis* ✠ ΡΥ. *Mulier stans d. pateram, s. cornucopiae.* AE. III.

Verum hic forte tutius Rubastinis Apuliae tribuetur, quos vide.

AE. RR.

SICYON.

Vrbs vetustate, et antiqua artium gloria insignis famae.

Autonomi.

ΣΙΚΥΩΝΙΩΝ. ΑΧΑΙΩΝ. etc.

Hunc numum supra in moneta foederis Achaici descriptum vide.

* * *

Haymius huc vocandos putavit numos inscriptos: ΔΗΜΗΤΡΙΕΩΝ. ΤΗΣ. ΙΕΡΑΣ, sed quos esse alterius Demetriadis, in Demetriade Thessaliae monui.

* * *

Alii hactenus urbis hujus autonomi editi non sunt, ut adeo is, quem priore loco descripsi, isque tantum foederis Achaici, totam illustris hujus urbis monetam constitueret. Haud ita pridem patronos est antiquarios nacta, ac primum quidem ego certum quoddam drachmarum genus huc vocavi, sic tamen, ut Sicyonem inter et Siphnum penderem animi; nuper vero abbas Sestinus rem Sicyonis numismaticam amplis accessionibus auxit, oblato numorum omnium, quos huc pertinere existimavit, adcurato catalogo s). Operae pretium, universam hanc causam in examen vocare, ut pateat denique, qui numi quadam veri specie huc vocari possint, quibus negandum civitatis jus. Ab illis ordiamur:

Columba volans, per aream variantes literae, et minuta sigilla. ✠ *In medio* Σ *magnum, scripto circum magistratus nomine, v. g.* ΑΛΕΞΙΩΝ, ΚΛΕΑΝΔΡΟΣ, ΑΝΔΡΩΝΙΔΑΣ, *etc. omnia intra quadratum.* AR. III. (Pellerin, Hunter, Mus. Caes. etc.)

Primus fuit Begerus, qui numum similem Maleam Laconiae adegit, reliquis deinde omnibus ejus oraculum sequentibus. Illud statuendi Begero ansam dedit numus sic inscriptus: (Thes. Br. T. I. p. 439.)


ΩN M ΑΛΕ

Iungendo igitur M magnum cum reliqua epigraphe ΑΛΕΩΝ, en tibi luculentum *Malea*, vel *Malensium* vocabulum. Verum sunt multa, quae ab hac me sententia avertunt. I. Sicut in praesente numo penes M legitur ΑΛΕΩΝ, sic in aliis juxta legitur ΑΝΔΡΩΝΙΔΑΣ, vel ΚΛΕΑΝΔΡΟΣ etc. Nemo certe censebit, cum his quoque nominibus, quae sunt certa magistratuum, jugendum M. Si ergo in his nullus est, neque esse potest τȣ M cum reliqua scriptura nexus, cur is in numo priore exigitur; et an


s) Lettere p. 142.

non τὸ ΑΛΕΩΝ perinde esse potest magistratus nomen, atque ΑΝΔΡΩΝΙΔΑΣ etc.? Offendit ad similem scopulum Harduinus, qui cum literas ME, nempe Messeniae ἀρχαιουσας cum magistratu ΔΙΩΝ conjungeret, inde *Medion* Aetoliae parturivit. II. Malea promontorium tantum fuit naufragiis infame, cui adstitutum fuisse oppidum, nullus omnino veterum dixit, ne Pausanias quidem, qui pagos Laconiae singulos liberaliter descripsit, et quamvis habeamus monticolarum numos, quorum oppida reticuere scriptores, ut supra in Othrye Thessaliae vidimus, tamen si hi numi essent oppidi Maleae impositi, necesse est, non ignobile illud fuisse, quod tanto numero numos, et quidem argenteos feriisset. III. Rara est in Laconum rep. moneta argentea, et rara esse debuit, quia lege vetita, neque dempta Lacedaemone, cujus quoque argentei admodum rari, alterius urbis Laconicae monetam habemus argenteam; an ergo verisimile, Maleam, oppidum, si tamen exstitit, sane obscurum a communi hac lege exemptum?

Propositis his adversus receptam hactenus opinionem dubiis aliam lubet proponere, quam opportunis argumentis stabilire adnitar. Numi hi, prout vertas, aeque offerunt Σ ac M, ac propterea perinde est, seu legas



Quod si conferamus numos argenteos aliarum Peloponnesi regionum, quarum pleraeque numis suis literam nominis sui ἀρχαιουσην, eamque majore forma inscripsere, videbimus in iis, reliquam scripturam majori huic literae adstitutam esse horizontalem, non in perpendiculum vergentem. Sic in numis Achaeorum:



Ex quo pronum est inferre, numos, de quibus agimus, situm exigere, ut sit Σ non M., atque adeo tribuendos urbi a Σ incipienti. Non in solis his numis peccatum ab antiquariis suspicor. Numus Pellerinii, quem is sic proponit, M *intra coronam*, eumque propterea Mileto tribuit t), videtur vertendus sic, ut sit Σ, ac tribuendus Siphno, quod similes alii hujus insulae numi persuadent.

Etsi litera Σ, et typus avis volantis videantur in insulam Siphnum, vel Seriphum invitare, tamen cum videamus, elementum istud totam numi aversam occupare, qui fuit mos Peloponneso proprius, non patior me ab hac peninsula dimoveri, ac tum nullam aliam urbem prae Sicyone mallem. Nam primum credibile non est, urbem tam nobilem, et omnibus copiis abundantem non habuisse propriam monetam tum, cum sui adhuc juris esset; vidimus autem supra, nullum hactenus repertum ejus numum, praeter unius generis aeneos sed qui non tam ad urbem, quam foe-

t) Rec. II. p. 77.

dus Achaicum pertinent, quod temporarium tantum fuit. Sunt vero numi praesentes tam metallo, quam pondere et fabrica simillimi iis, qui in Achaia cusi fuere, cujus pars fuit Sicyon cum agro. Cum igitur in his expressum sit Σ urbis litera princeps, nulli alteri urbi prae Sicyone opportunius poterunt adcommodari. Ad haec narrat Xenophon [u]), Sicyonios consuevisse clypeis suis inscribere literam Σ. Ergo quo charactere usi sunt ad suos in praeliorum tumultu discernendos, eodem etiam videntur fuisse usi ad discriminandam monetam suam ab alia aliorum Peloponnesi populorum. Haec si eruditis probabuntur, nobilissimae Sicyoni suos vindicavimus numos usque in hunc diem patrio solo extorres.

Haec ante annos minimum XII. scripseram, neque dubitaveram, hanc inveterati erroris suspicionem in vulgato a me catalogo musei Caesarei obiter indicare [x]), cum me cl. Neumannus serius Sicyone in Siphnum abstraxit. Etenim cum in numo aeneo Hunteriano, quem non dubitabat esse Siphni insulae, legeret magistratum ΑΛΕΞΙΩΝ, atque idem legatur in similibus argenteis, de quibus nunc agimus, jure putabat hos quoque Siphno restituendos [y]). Quod quidem argumentum satis mihi validum visum, ut ego quoque ad hanc insulam animum adverterem, quod et serius ipse professus sum [z]).

Postremo cl. Sestinus collaudato Neumanni, meoque judicio, quod a Malea hos numos avertimus, acriter contendit, nihil Siphno in eos esse juris, omnes sibi Sicyonem vindicare. Super argumenta pleraque, quorum causa supra praeferendam Sicyonem dixi, commemorat etiam, certis sibi indiciis constare, istud monetae argenteae genus non reperiri, nisi in vicinia veteris Sicyonis, quae hodie *Basilica* dicitur. Validum sane in dubiis numismaticis argumentum. Rationem Neumanni ab inscripto magistratu ΑΛΕΞΙΩΝ petitam elevat statuendo, hunc quoque aeneum Hunterianum esse Sicyonis, suamque adeo potius causam confirmari; etenim si hic Sicyonem patriam habet, etiam argentei eodem magistratu notati ad eandem erunt urbem vocandi.

Quod meum sit in universa hac causa judicium, paucis expediam. Nullus jam dubito, quod pridem conjeceram, omnes hos argenteos majore Σ notatos Sicyonem revocandos. Praeter argumenta, quae attuli, eaque, ut reor, omnino solida, etiam locus, in quo eos reperiri testatur Sestinus, magnum adfert momentum. Atque haec omnia simul sumpta tam mihi videntur valida, ut argumentum a vocabulo ΑΛΕΞΙΩΝ captum, quod Neumanni fortissimum est, omnem videatur amittere auctoritatem. Etenim si aenei hi numi ex Sestini sententia sunt Sicyonis, Siphnus

u) Hist. L. IV. p. m. 522. x) P. I. p. 121. y) Num. pop. P. II. p. 221. z) Sylloge I. p. 30.

omne in hos numos jus amisit. Quod si permittamus etiam tin Siphni eum moneta censendum, non video, cur non etiam Sicyon magistratum habere potuerit, cui nomen esset ΑΛΕΞΙΩΝ. Denique haec scribenti occurrit pro Sicyone argumentum alterum a dialecto petitum. Video enim, magistratuum in his argenteis nomina scripta esse Dorice, ut: ΑΝΔΡΩΝΙΔΑΣ, - - ΛΥΠΑΔΑΣ etc. Sicyonios, quia Achaei, fuisse Dores, constat, verum hactenus neque ex scriptoribus, neque monumentis aliis constat, Siphnios ex Dorum fuisse prosapia.

Ex iisdem causis Sicyonis erit numus sequens:

Columba volans. Ϊ Σ *intra quadratum.* AR. II. (Mus. Caes.)

Numum hunc olim edidi, sed, ut dixi, Siphno tum tribuendem putavi [a]). Est ergo Sicyonis nostrae, idque habet meriti, quod numos hujus argumenti hactenus cognitos antiquitate praestat.

* * *

Hactenus cum mihi cum cl. Sestini dictatis convenerit, non mihi idem cum reliquis ejus praeceptis judicium. Etenim huc numos adigit, quos sibi Siphnii vindicant jure, quam qui optimo, atque item alios, de quibus dubitari adhuc potest, utrum Sicyoni prae Siphno potiora sint jura. Sed haec opportunius in Siphni moneta disputabuntur.

AR. R. AE. RRR.

Imperatorii.

Inscripti ΣΙΚΥΩΝΙΩΝ cusi sub Domitiano, et per Severi imperium. Eos hactenus cognitos ex Vaillantio aliisque collegit et descripsit cl. Sestinus.

Typi plerumque sunt variorum numinum, *Bacchi*, *Apollinis Actii*, *Aesculapii*, *Palladis*, *Sarapidis*, *Cupidinis*, *qui alatus stat*, *d. facem inversam tenens*, *s. brachio caput sustentans etc.*

* * *

Goltzius in Thesauro suo, opere, si quod aliud, exiguae fidei, Tiberii numum edidit: ΣΙΚΥΩΝΙΩΝ. ΤΗΣ. ΙΕΡΑΣ. ΚΑΙ. ΑΣΥΛΟΥ, cujus fidem elevavit Harduinus [b]), sed defendit Paciaudus [c]). Verum meminisse oportet, vix unam alteramve Europae urbem sese in numis scripsisse Ιερων, nullam Ασυλον. Cum tamen testetur Paciaudus, similem sibi omnino numum alias conspectum, ejus sane viri testimonium continuo non repudiabimus, propter tamen rei insolentiam novo is examini esset subjiciendus, praecipue cum per totum eum tractum non constet ex adcuratis catalogis Tiberio dedicatum numum.

AE. RR.

E L I S.

Habuisse Eleos propriam universae genti monetam, nisi ea ad urbem ejusdem nominis pertinuit, testantur numi certi imperatorii. Vtrum exstent ejus regionis

a) Sylloge I. p. 30. b) Num. urb. illustr. c) Mon. Pelop. p. 160.

autonomi, continuo inquiretur. Ceterum nequaquam mirum, paucos exstare numos certos oppidorum in Elide sitorum, quando ex Polybio constat, Eleos ex vetere suo instituto non facile in civitates coivisse, sed ruri suo fere adfixos vitam agrestem et pastoritiam praehabuisse, contentos opibus, quas culti adsidue agri obtulere [d]).

Autonomi.

Aeneum III. formae, in quo hinc *Caput bovis*, illinc H. *nullo alio typo* visitur, Khellius huc vocandum censuit [e]). Conjecturam firmat mos in Peloponnesi populis receptus, quo nomen suum una alterave solum litera eos notasse constat. Istud si verum, tanto magis huc ducendus erit aeneus item III. formae, in quo hinc *Caput Iovis*, illinc idem H *intra coronam*, quem Pellerinius nulla certa ratione Heracleae Bithyniae tribuit [f]). Jovis Olympii in Elide cultus notissimus, cujus item caput in certo Eleorum numo Severi cernitur, aversam vero juvat numus Hadriani editus a Patino ex Thesauro Mauroceno [g]), in quo plenum ΗΛΕΙΩΝ intra coronam, quo numo praeeunte etiam alter Antonini Pii musei Caesarei, in quo item solum H intra coronam, eandem Elidem videtur respicere. Corona facile ludos Olympios in his numis notat.

Autonomum cum pleniore epigraphe edidit Pellerinius [h]): *Caput Cereris velatum, et spicis coronatum.* Ⅹ ЄΛЄΙΔΙΩΝ, *Lyra.* AE. III. Hunc Elidi tribui posse timide conjectat; nam etsi prima Elidis litera soleat esse H, poterat tamen numus signari tum, cum id elementum nondum fuit ab Eleis receptum; deinde teste Stephano Elidis gentile etiam fuit Ηλιδειος. Sed enim numus tam remoti aevi non videtur esse, ut τῷ H locus esse nondum potuerit, ut revera utrumque Є sinuatum recentius opus arguit; sin operis vetustioris, tum verisimiliter neque Ω adhuc fuisset inductum, et legeremus scriptum ΕΛΕΙΔΙΟΝ. Dein constat, secundam syllabam in Ηλιδος semper corripi; quare hoc loco diphthongus EI stare nequit, secundum quam legem et a Stephano scribitur Ηλιδειος, non Ηλειδιος. His motus rationibus coepi dubitare de numi lectione, et cum in museis Italicis numos cetera simillimos reperissem, sed inscriptos ΜΕΛΙΤΑΙΩΝ, olim suspicabar, eandem epigraphen in numo Pelleriniano contineri [i]). Graviter istud judicium tulit Pellerinius, et in postremo suo opere lectionem suam confirmavit, testatus iterum, numum suum esse integerrimum [k]). Quod si revera ita habet, videant eruditi, an tamen Elidi tribui possit hic numus spectata insolente regionis inscriptione.

Inter haec exstitit vir quidam eruditus, qui monetae Eleae inopiam illustriorum numorum accessione posse levari existimavit. In volumine I. prae-

---

d) Hist. IV. c. 73. e) Adpendic. I. p. 33. f) Rec. II. p. 23. g) Pag. 56. h) Suppl. I. p. 23. i) Num. vet. p. 129. k) Addit. p. 28.

sentis operis pag. 90 vulgavi numos inscriptos FA., vel plenius ΦΑΛΕΙΩΝ, quos hactenus omnes fere artis nostrae magistri Faleriae Etruriae urbi, aut Faliscis, in quibus ea sita fuit, inde a Goltzio tribuendos putavere. Atque horum ego sententiam in hunc diem secutus sum, non quod plane ignorarem difficultates, quae ei videntur adversari, sed partim, quod typi in his numis obvii ex Faliscorum historia commode possunt explicari, partim quod hactenus ii, qui aliam iis patriam adsignavere, nihil idoneum attulerunt, quod ad adsensum permoveret. Prodiit nuper Londini opus inscriptum: *An analytical Essay on the Greek Alphabet*, in quo ejus auctor *Richardus Payne* adserit, numos cum epigraphe FA., vel ΦΑΛΕΙΩΝ nequaquam Faliscis, sed Eleis Peloponnesi tribuendos esse. Quibus vir eruditus argumentis usus fuerit, equidem ignoro; nam ex ea lucubratione, quam videre hucusque non licuit, aliud mihi non constat, nisi quantum ex Indiciis literariis Gottingensibus anni 1792 pag. 1962 intellexi. Digna res visa, in quam inquirerem, quod cum agerem, duplex mihi examen vidi esse propositum, I. utrum epigraphe ΦΑΛΕΙΩΝ possit Faliscos indicare, II. sin minus, ad quam verisimilius urbem numi sic inscripti sint revocandi, quae nunc dubia, quam breviter potero, expedire conabor.

In enucleando dubio priore quaeritur cumprimis, fueritne elementum F vetustissimo Graecorum aevo sic adhibitum, ut aequivaleret elemento Φ serius reperto, quo modo serius scriptum Ω pro OO, H pro EE, Ξ pro ΚΣ, Ψ pro ΠΣ, Θ pro TH. Si quid valet analogia, vix videatur posse dubitari. Certum est, Latinorum alphabetum aliud non esse, quam vetustissimum Graecum, servatumque ab illis literarum ordinem, quem hoc praescripsit. Ergo character F Latinorum idem fuit cum illo, qui in Graecorum alphabeto sexto loco stetit. Fuit Latinorum F ejus naturae, ut Graeci omnis aevi, ex quo vocabula eorum propria Graece scribere coeperunt, illud scripto Φ compensarent. Sic stante adhuc rep. Macedones *Fulcinium*, hominem Romanum, in numis scripsere ΦΟΛΚΙΝΝΙΟΝ, cujus subinde exempla alia sunt innumera. E converso Graecorum Φερω fuit Latinorum *fero*, φυγη *fuga* etc. quin et literae F non raro usus fuit in iis quoque vocabulis, quae ex lege ordinaria aspiratam PH, quae eadem est cum Φ Graecorum, postulabant. In numis Constantii II. est TRIVMFATOR pro TRIVMPHATOR, in numis Phocae FOCAS, pro quo Graeci Φωκας, in numis Nicephori II. NICHFOR. dictus Graecis Νικηφορος, etsi Latine quoque *Phocas* et *Nicephorus* recte scriberetur. Ergo cum viderem, elementum F, quia captum ex alphabeto Graeco, non modo Graecae esse prosapiae, sed etiam ejusdem cum Φ potentiae, non dubitabam, factum nonnunquam, ut in Graecis pro Φ antique scriberetur F, quemadmodum antique pro *Kappa* positum fuit *Koph*, et in numis pro ΚΡΟΤΩΝ scriptum legitur ϘΡΟΤΟΝ; et quemadmodum Graeci antiquate *Koph* in solo *Kappa* acquievere, sic et antiquato F solo deinceps Φ fuisse contentos ve-

risimile est visum. Noveram, posse mihi objici Quinctilianum, qui Ciceronem ipsum auctorem citat, (Inst. L. I. c. 4.) adserentem, testem quempiam Graecum ne primam quidem literam, quae est in vocabulo *Fundanius*, enunciare potuisse. At novi etiam, inter Φ Graecorum, et F Latinorum exiguum fuisse spectata pronunciatione discrimen. Ait Priscianus [l]): *F Aeolicum digamma, quod apud antiquissimos Latinorum eandem vim, quam apud Aeoles habuit* Φ, *eum autem PROPE sonum, quem nunc habet F. significabat P cum aspiratione, sic ut etiam apud veteres Graecos pro* Φ, *P et H. Vnde nunc quoque in Graecis nominibus antiquam scripturam servamus pro* Φ, *P et H ponentes, ut: ORPHEVS, PHAETHON.* In quo constiterit ea differentia a Prisciano vocabulo PROPE indicata, idem explicat alibi [m]): *Hoc tamen scire debemus, quod non tam fixis labris est pronuncianda F, quomodo* Φ, *atque hoc solum interest inter F et* Φ. Et infra: (Pag. 549.) *Est aliqua in pronunciatione ejus literae differentia F cum sono PH, ut ostendit ipsius palati pulsus, linguae, labrorum.* Lege etiam Quinctilianum utriusque literae sonum discriminantem [n]). Ex quo arguo, soni discrimen, atque istud perexiguum, nequaquam obstare, quo minus credi possit, Latinorum F perinde ac quascunque alias literas ex vetustissimo Graecorum alphabeto deprompium fuisse. Idem suadere mihi videbatur eadem litera, quia sexto loco posita, et a Phoeniciis haud dubie invecta, sed quod argumentum latius exponam volumine IV. in tractatu de notis chronologicis. Atque hanc ego doctrinam manifesto exemplo scripti FΑΛΕΙΩΝ pro ΦΑΛΕΙΩΝ, tum et FA. in drachmis Achaeorum, FΑΣΤ. ΕΤFΑΡΑ in argenteis Boeotorum, ΕΣΤFΕΔΙΙΥΣ in numis Aspendi plane confirmatam conjeci, in quibus nimirum ἀρχαϊκῶς F pro Φ positum esset, neque eam loco moveri posse, nisi quis numis FΑΛΕΙΩΝ certiorem aliam patriam prae Faliscis possit adsignare. Atque etsi veteres artis grammaticae magistri in eo conspirent omnes, in primaevo Graecorum alphabeto non exstitisse elementum F, sed pro hoc usurpatum Π addita aspiratione H, antequam litera Φ recepta esset, ac praeterea etsi in vetustissimis quibusque marmoribus, quotiescunque Φ exarandum fuit, nunquam pro hoc repperissem scriptum F, sed semper aut Φ antiquae formae, aut dictum ΠΗ, tamen tanti mihi ponderis visa sunt publica haec numorum monumenta, ut non dubitarem, eorum oracula quibuscunque grammaticorum praeceptis anteferre, neque desperarem, marmora aliquando Graeca in lucem proditura, quae scripto F pro Φ sententiam meam confirmarent.

At enim universa haec lis unius verbi FΑΛΕΙΩΝ ergo suscepta, fueritne olim F in Graecorum alphabeto, et quam alio loco curatius disceptabo, in causa

---

l) Ap. Putsch. p. 542. m) Ibid. p. 543. n) Inst. L. XII. c. 10.

praesente suapte cessat, ex quo certiorem ejus vocabuli explicandi modum reperi, secutus nempe judicium Richardi Payne, numos ΓΑΛΕΙΩΝ Elidi tribuentis, in cujus ego meritum cum inquirerem, facile perspexi, nihil illo esse verius, nihil praestantius. Enim vero si fingamus, pro ΓΑΛΕΙΩΝ in his numis scriptum esse ΑΛΕΙΩΝ, nemo dubitaverit, quin continuo patriam iis Elidem adsignet. Nimirum Elidis gentile est Ηλειος, quod non modo statuunt scriptores, sed et numi hujus gentis imperatorii inscripti ΗΛΕΙΩΝ. Α pro Η nemo mirabitur, qui novit, dialectum Doricam per Peloponnesum valuisse. Ait Stephanus o): *ἀφ' ȣ Αλειος ὁ Ζευς*, *a quo* (nempe ab Ηλειος) *est Iupiter Aleus*, id est, secundum dialectum communem *Eleus* *) Vnum igitur superest Γ praefixum, sed et istud explicatus plani, facilisque. Est enim digamma Aeolicum, frequenter testibus grammaticis, et marmoribus magis vetustis positum aut ante verbum a vocali incipiens, aut inter duas vocales, cujusmodi sunt in inscriptionibus Graecis perantiquis ΓΟΙΚΙΑΝ, ΑΓΥΤΟ pro ΟΙΚΙΑΝ, ΑΥΤΟ, tum in numis Axi Cretae ΓΑΞΙΩΝ, atque secundum hanc legem explicanda sunt vocabula supra memorata ΓΑ. ΓΑΣΤ. ΕΥΓΑΡΑ. Sed de hujus digamma Aeolici natura, et usu plura disseremus volumine IV. in tractatu de notis chronologicis.

Addita vero Aeolica hac nota hi populi nonnunquam indulsere archaismo, quo modo Athenienses in numis suis scripsisse ΑΘΕ. pro ΑΘΗ. diximus etiam tum, cum literam Η jam recepere. Ad typos horum numorum quod attinet, ex iis quoque Elidem facile agnoscas. Typus potior est Iuppiter, aut quae ad eum pertinent, aquila, et fulmen. At cui ignotus Iuppiter Olympius summae per Elidem religionis? Ergo etiam jure illi in numis aliis sociata Iuno soror, et conjux. Iuppiter et aquila saepe sunt etiam in imperatoriis, qui certe sunt Elidis. In autonomo aeneo est ΓΑΛΕΙΩΝ intra coronam; eadem aversa est in numo Hadriani, nisi quod omissis archaismis legitur ΗΛΕΙΩΝ; hac enim jam aetate urbes Graecae omissis dialectis communem scribendi modum sunt secutae. Sic in vetustioribus Meli insulae numis est ΜΑΛΙΩΝ, in posterioribus ΜΗΛΙΩΝ.

Ex his, quae disputavimus, sequitur I. Si hi numi etiam propterea Elidi sunt tribuendi, quia inscriptum gentile Eleos rite enunciat, tanto magis arcendi erunt a Faliscis, qui a nemine dicti fuere Φαλειοῖ, semper Φαλισκοι. Quae quidem causa me pridem a Faliscis reddidit alienum, sed quia melius quid non occurrit, secutus sum sententiam plurium. II. Si in his numis Γ positum esset pro Φ, mirum sane foret, non occurrere saltem

o) In Ηλις.

*) Istud cum suapte clarum sit, mirabimur sane, Berkelium Stephani editorem hoc loco pro Αλειος, reposuisse Ηλειος, atque istud tanto magis, quod ipse adserit, in Αλειος codices omnes conspirare. Thomas Pinedo alter Stephani editor sive cautior, sive eruditior, locum intactum reliquit.

interdum in numis Pherarum, Pharsali, Phocidis, quorum multos habemus perantiquos, scriptum FERAION, FARΣ., FOKI. etc. Quae etiam causa fuerit, cur jam olim eruditi a Faliscis averterint animum, et ad Aeolicum digamma conversi urbem ab A inscipientem respexerint. Hos inter Havercampus Αλεων vel Αλειων, Arcadiae, et Thessaliae oppida praehabuit p), cujus deinde judicium amplexus est cl. Dutens q). Si numos hos restituimus Elidi, nulla amplius supererit ratio inquirendi in causam, cur nobilis hujus provinciae, suique olim semper juris, nulli superent numi ante Romanorum tempora signati. Vtinam eadem fortuna aliquando adfulgeret nobilisimmae Corintho, cujus hactenus monetam veterem, antequam in coloniam abiret, incassum quaesivimus. IV. Elidi quoque eximie favet indicium abbatis Sestini testantis r), numos similes ex Peloponnesi vicinia sibi fuisse adlatos. Ipse etiam expertus non sum, hujus argumenti numos in museis Italicis magis abundare, quod evenire necesse foret, si essent Faliscorum Etruriae; neque etiam memini, cum ex Italia numorum supplementa nactus sum, numum in horum consortio similem se mihi unquam obtulisse.

Imperatorii.

Sunt Hadriani, Aurelii, Severi, Caracallae, alium Gallieni adjecit Arigonius.

Epigraphe in omnibus ΗΛΕΙΩΝ. In citato supra Antononi numo solum est H, si modo certo huc pertinet.

Typus solitus est: *Sola epigraphe intra coronam*, vel: *aquila intra coronam*, vel: *caput Iovis Olympii*. Illustrior alius:

Vir nudus undis insidens d. coronam, s. arundinem, pro pedibus urna prominente palmae ramo, in numo Hadriani. (Mus. Caes.)

Hujus praeco Froelichius s) dum illum Elidi urbi tribueret, figuram jacentem Peneum fluvium dixit, qui eam permeabat; verum cum adstituta ludorum urna, et corona victoriae praemium, quam fluvius decumbens ostentat, manifesto ad certamen Olympicum sint referendae, illud vero non ad ipsam urbem Elidem, sed ad Olympiam juxta Alpheum fluvium perageretur, mallem fluvium in numo propositum dicere Alpheum, ex qua item causa tutius est statuere, numos inscriptos ΗΛΕΙΩΝ esse monetam regionis universae, non urbis cognominis.

In numo Gallieni, quem Arigonius edidit, videtur Satyrus sedens adstituta avi, in cujus insolentis typi explicatum inquirere operae pretium foret, si ectypis Arigonianis satis fidi posset.

AE. RR.

A L E S I I.

Memorati Stephano. Numum Hadriani his permisit Vaillantius inscriptum ΑΛΗϹЄΙΤΩΝ, sed jure Pellerinius hanc

p) Diss. de lit. Graec. p. 275. q) Explic. de quelq. med. p. 187. r) Lettere T. II. p. 10. s) IV. Tent. p. 180.

lectionem in dubium vocat, cum numus vitiatus sit, (Mel. II. p. 69.) et conjectat alibi, (Rec. III. pag. 208.) legendum fors esse ΑΜΑϹЄΙΤΩΝ.

CHELONATES.

Promontorium cum urbe cognomine ab Harduino adficta, de cujus numo vide supra in Peloponneso in genere.

EVRIDICIVM.

Exstant *autonomi:*

Caput muliebre velatum. ✠ ΕΥΡΥΔΙΚΕΩΝ. *Tripus.* AE. III. (Mus. Caes. Pellerin, Pembrock.)

Cum ratio alia magis idonea non suppetat, geographorum veterum nemine urbis Eurydicii mentionem faciente, Pellerinius eos interea luco Elidis *Eurydice* dicto tribuit, cujus meminit Strabo [t]). At vero, ut jam advertit Pellerinius ipse, in MSS. Strabonis est Ευρυκιδιον, sed quod nomen ex sola Xylandri correctione evasit Ευρυδικιων. Quid quod Pausanias in principio Eliacorum [u]) mulierem prodat vocatam Ευρυκυδαν, a qua verisimile est luco huic Straboniano nomen inditum, sed hoc nomen rursum a nomine in numo signato aberrat. Nihil igitur certi hactenus statui potest.

OLYMPIA.

A ludis Olympiis spectata. Nonnius [x]), et Begerus [y]) huic impertivere numos argenteos, in quorum antica: *Caput Palladis*, in ✠ *Noctua*, *adscripto in aliis* ΟΛΥΜΠΙΑΣ, *in aliis* ΟΛΥΜΠΙΣ. Verum hos Tarento vindicandos ex similibus aliis, qui praeterea TAP. additum habent, docui alibi [z]), et supra in Tarento. Alius ibidem cum inscripto ΟΛΥΜ. et Pane sedente est Arcadum, ut dicetur.

PHEA.

Autonomum ΦΕΑ typo arietis minus integrum Pellerinius huc timide vocat.

PYLVS.

ΠΥΛΙΩΝ. *Bos gradiens, infra delphinus.* ✠ *Quadratum incusum.* AR. III. (Goltz. Graecia tab. X.)

Alius, sed pro ΠΥΛΙΩΝ *scriptum* ᛉΥ. AR. III. (Mus. Caes. Pellerin. Rec. I. tab. XVIII.)

Caput muliebre. ✠ ΠΥΛΙΩΝ. *Bos gradiens, superne ramus.* AR. III. (Goltz. l. c.)

Caput muliebre. ✠ ΠΥΛ. *Caper stans.* AE. III. (Hunter.)

Soli Goltziani plenum ΠΥΛΙΩΝ inscripsere, verum justus metus, ne, quod alias saepe ab erudito hoc viro factum, reliquas literas de suo ingenio adjecerit. Certa ergo argenteae hujus monetae epigraphe est ᛉΥ. litera priore singulari modo formata, atque, si lubeat Goltzii testimonium negligere, necesse non est eam Pylo tribuere, sed alicui ex urbibus a binis his literis incipientibus, quae-

t) L. VIII. p. m. 532. u) Pag. 375. x) Goltz. T. III. p. 45. y) Th. Br. T. I. p. 432. z) Num. vet. p. 35.

cunque ea sit. Neque eam Pellerinius Pyli signatam dixisset, nisi sequendam Goltzii auctoritatem putasset. Tamen etsi certi essemus, literis ΠΥ. intelligendam Pylum, tamen nondum constaret, quae ex pluribus hoc nomine oppidis illam sibi vindicet. Fuere Pyli tres in Peloponneso, una in Elide propria, altera in Triphylia, quae fuit Elidis pars, tertia in Messenia, quam vide. Dubium etiam, cui ex his tribus permittendus postremus inscriptus ΠΥΛ.

AR. RRR. AE. RRRR.

CEPHALLENIA.

Insula juxta Elidem. Ejus incolas in numis signasse equum, tradit Pollux [a]), sed certus cum hoc typo repertus nondum est. Id quidem Pollucis testimonium movit Liebeum, ut numum aeneum, in quo: *Caput Iovis.* ✕ *Equus, supra* KE., *infra* TEP, huic insulae largiretur indicatae literis KE [b]). Verum in aliis similibus, quorum plures edidit Pellerinius [c]), pro KE. legitur A. IA. KA., quae sunt certae notae arithmeticae, et cum in iisdem Pellerinianis constanter retineatur *το* TEP., certum est, his literis notari urbem horum numorum patriam, quam esse Termessum Pisidiae conjectat Pellerinius [d]).

Aeneum alium huc arcessit Pellerinius, in quo KE., et *caput arietis*, propterea maxime, quod in Sames quoque numis, quae est hujus insulae urbs, aries conspiciatur. At si veri sunt numi Goltziani cum nomine Helenes et Cranaes, de quibus egi in insulis Atticae, in quorum uno simile caput arietis conspicitur, mallem numisma illud Ceae insulae, quae Helenae fere fuit contigua, tribuere, quam certo constat fuisse fere semper in moneta sua usam inscriptione KE., quod de Cephallenia non constat. Quid quod et nob. Iacobus Gradenigo datis ad me literis testatus est, sibi per annos XXX., quibus in eo tractu morabatur, similem nunquam fuisse objectum.

* * *

Cephallenibus tamen tribuendi sequentes:

Caput Cereris spicis coronatum, juxta ΠΑ. ✕ ΚΕΦΑΛΟΣ. *Vir nudus saxo insidens s. sagittam tenet.* AR. III.

ΚΕΦΑ. *Caput juvenile pileo tectum.* ✕ *Caput muliebre, pone arcus, ut videtur.* AR. III. (Pembrock P. II. tab. 42.)

Binos similes illi, quem primum descripseram, possidet laudatus patricius Venetus Jac. Gradenigo, quorum duo ectypa amice mecum communicavit. Eos testatur repertos in ipsa Cephallenia inter rudera veteris Sames. Alium similem, in quo nitidae literae ΠΑ., vidi in museo ill. Com. Vitzai. Horum simi-

a) L. IX. c. VI. §. 84. b) Goth. num. p. 178. c) Rec. T. II. p. 150. d) L. c.

lem princeps Turris Muciae in moneta Cephaloeditanorum Siciliae, nempe re tum nondum satis explorata, recenset [e]). Vt locus, quo ejus similes effossi sunt, palam favet Cephallenibus, ita eos invicte vindicat nomen ΚΕΦΑΛΟC in horum uno plene scriptum, ex quo omne Cephaloedio in hos numos jus sublatum. Ea ergo vox virum saxo insidentem certum Cephalum facit telum illud manu tractantem, quod tanquam donum nequaquam aspernandum (nunquam enim fefellerat) ab uxore Procride abstulit. Constat autem ex Pausania [f]), Cephalum occisa eodem telo imprudenter Procride Athenis exulem in hanc insulam commigrasse, eique de se Cephalleniae nomen dedisse. Neu vero dubitari amplius possit, numos similes Cephallenum esse monetam, efficiunt literae ΠΑ., quae sunt certae *ἀϱχαικσαι* Pallensium hujus insulae oppidanorum, et in quorum etiam numis, quos mox recensebimus, simile comparet Cereris caput, in nonnullorum etiam aversa granum hordei. Mirari subit, principem Turris Muciae in Sicilia sua pro certis hos Cephaloedii numis venditare, cum tamen nihil praesto haberet, quod opponeret iis, qui Cephallenibus eos tribuendos censerent, ut apparet ex ejus Auctario III. p. 165. Accedit, fateri ipsum in Sicilia sua, nullum sibi hactenus argenteum Cephaloedii in museis patriis conspectum.

Alterum quem sociavi, nolim confidentius tueri, esse Cephallenum potius, quam Cephaloedii. Huic favet, quod Sicula haec urbs constanter ΚΕΦΑ., ut in numo praesente, inscribitur. At quoniam, ut dixi, nullus adhuc certus Cephaloedii argenteus cognitus est, et nihil obstat, quo minus et Caphallenes insulam suam primoribus quatuor elementis indicare potuerint, jus huic in cimelium istud adimi non poterit, nisi aliud dies doceat. Auctor musei Pembrock capite anticae effictum Vlyssem existimat, quod minus verisimile, cum hic barbatus semper fingatur. Si vere est Cephallenum, mallem in antica Cephalum, in aversa Procrin propositos credere.

AR. RRR.

Habuit Cephallenia urbes quatuor, *Cranios*, *Pallenses*, *Pronaeos*, *Samaeos* [g]), quarum modo numos proferemus.

CRANIVM.

Autonomi:

Caput arietis, *in area* Κ. Ӿ ΚΡΑ. *Pes bovis*. AR. III. (Mus Caes.)

ΚΡΑΝ. *Aries gradiens*. Ӿ Δ., *vel arcus intra quadratum incusum*. AR. III. (Mus. Caes.)

Alius similis, sed sine urbis nomine. AE. III. (Hunter. Neumann.)

Caput arietis. Ӿ Δ *intra quadratum*. AR. IV. (Hunter.)

Horum priorem jam edidit Goltzius [h]) serius ipse restitui [i]). Eum Goltzius in-

e) Tab. XXVI. f) Attic. p. m. 91. g) Thucyd. L. II. h) In Ins. tab. VIII. i) Num. vet. p. 111.

sulae Helenae, quae et *Cranae* dicebatur, et fuit Atticae opposita, largitus est, ego huic Cranio Cephalleniae. Fateor tamen, cum in certis Cranaes Helenae numis, si modo certi dici possunt numi Goltziani, sit caput arietis, in utramque posse partem disputari, utrum Cranium, an Cranae numum hunc atque etiam secundum sibi possit vindicare, ut patet ex iis, quae ad Helenae insulae monetam disserui. Pro Cranio nostro momentum, quod aries comparet quoque in numis Sames ejusdem Cephalleniae, quod animal facile cum hac insula connectitur, quoniam ei nomen dedit Cephalus secundum Apollodorum Mercurii filius, cui deo aries sacer.

* * *

Quos numos aeneos Goltzius, eumque secutus Neumannus huic Cranio tribuerunt, esse potius Cragi Lyciae, in hujus numis disputabitur.

AR. AE. RRR.

Imperatorii:

Nonnullos inscriptos ΚΡΑΝΑΙΩΝ antiquarii hactenus omnes huc adegere. Re magis expensa videntur eidem Helenae restituendi, ut in hujus moneta probare conatus sum.

PALLENSES.

Horum nomen varie scriptum reperitur apud Cellarium. Eos vetere nomine fuisse dictos Dulychios, testatur Pausanias k), qui eos vocat Παλεις, recte secundum marmor Reinesii l) in quo Πολις Παλεων της Κεφαλληνιας. Sed variat gentile.

Caput Cereris spicis coronatum, juxta ΠΑ. ✕ ΚΕΦΑΛΟΣ. *Vir nudus saxo insidens s. sagittam tenet.* AR. III.

Caput Cereris simile. ✕ Π, *cui inclusum* Α, *nullo alio typo.* AE. III. (Mus. Caes.)

Delphinus super fluctibus maris. ✕ Π *incluso huic literae hordei grano.* AE. III. (Mus. Caes.)

Caput Palladis. ✕ *Typus similis.* AR. III. (Hunter.)

Delphinus. ✕ Π *incluso hordei grano, in area* ΠΑ. AE. III. (Hunter.)

Numum ex his primum esse Cephallenem, et a Pallensibus signatum, in ipsa Cephallenia dixi, quo loco et numi argumentum explicatum habes. Binis, qui sequuntur, similes jam edidere Burmannus m), et Pellerinius n), quorum uterque Panormum respexit. Alium videre est in Khellii Adpendicula II. p. 167, qui quo vocandum putet, anceps haesit. Eorum veros natales feliciter reperit Iacobus Gradenigo patricius Venetus, qui id genus numos non infrequenter reperiri ad me scripserat eo praecipue loco, quo Pallensium urbs stetit, quae in hunc diem nomen *Pallichi* veteri adfine retinet. Typi urbem maritimam, et laeta Cereris praemia testantur.

AR. RRR. AE. RR.

PRONI.

Caput Iovis. ✕ ΠΡ. *in monogrammate,*

---

k) L. VI. c. 15. l) Inscr. T. I. p. 335. m) Dorville Sicula p. 469. n) Rec. III. p. 109.

ex quo pendet botrus. AE. III. (Neumann Num. pop. P. II. p. 157.)

Contentis Pallensium numis mox citatis jure verisimile visum Neumanno, numum hunc ad Pronaeos hos pertinere.

* * *

Alium aeneum huc vocavit Pellerinius inscriptum ΠΡΟ. ob quandam typi conformitatem cum numo alio, quem Cephalleniae propter additum ΚΕ. tribuit, at sunt nonnulla dubia, an non posterior hic numus vindicandus sit potius Ceae insulae, quae copiosius proposui supra in numis Helenae insulae ad Atticam.

AE. RR.

SAME.

Vrbs insulae princeps, quo nomine et universa Cephallenia ab Homero compellatur [o]).

Caput adversum galeatum. ✕ ΣΑΜΑΙΩΝ. *Aries.* AR. AE. III. (Pellerin, Haym.)

Caput Apollinis laur. ✕ ΣΑΜΑΙ. vel ΣΑΜΑΙΩΝ. *Canis terrae inhians.* AR. AE. III. (Savorgnan, Mus. Caes.)

Caput Palladis ✕ ΣΑΜ. ΑΚΗΡ. *Aries dimidius.* AE. III. (Hunter.)

Haymius caput numi primi esse ipsius Cephali conjicit. Sin istud, jure aversam obtinet aries, quod hic Mercurio sacer est, quem Cephali patrem dixit Apollodorus. Numum alterum alias edidi [p]), dixique, canem in eo excubantem esse Laelapem, quem cursu valentissimum a Procride una cum telo fallere nescio donatum Cephalo prodidit Ovidius, sacrum etiam religione, namque eundum esse cum Sirio astro creditum nonnullis [q]).

AR. et AE. RR.

ZACYNTHVS.

Insula Elidi oposita.

Autonomi:

Caput Apollinis. ✕ ΖΑΚΥΝΘΟΥ. *Vir imberbis seminudus sedens d. serpentem adprehendit.* AR. I. (Pellerin.)

Epigraphe utrum insulam ipsam, aut urbem cognominem indicet, an referenda sit ad figuram sedentem, perinde ac ΚΕΦΑΛΟΣ in numis vicinae Cephalleniae, incertum. Sin istud, haberi posset Zacynthus Dardani F. civis Psophidius, qui huc commigrans insulae nomen dedit [r]), aut Zacynthus Dardani Trojanorum regis F., de quo idem narrat Dionysius Halic [s]). Sed obstare videtur serpens, quem manu tractat. Quare potest putari aut Aesculapius, quem absque barba nonnunquam fictum supra in Phliuntis Achaiae moneta diximus, aut Aristaeus in hoc quoque tractu observatus, secundum ea, quae olim

o) Odyss. A. 246. p) Num. vet. p. 111. q) Schol. ad Apollon. L. II. v. 519.
r) Pausan. Arcad. p. 644. s) L. I. c. 50.

de hoc Apollonis et Cyrenes filio copiose disserui [t]).

* * *

Tripus intra quadratum. ✠ ZA. *Luna.* AR. III. (Pellerin.)

Caput Apollinis. ✠ ZA. ΔΙΩΝΟΣ. *Tripus.* AR. II. (Pembrock P. II. tab. 78.)

Numus prior per causas longae antiquitatis insignis est. Ad alterum quod attinet, testatur Plutarchus [u]), non modo Apollinis templum fuisse Zacynthi, quorsum adludit repetitus toties in ejus numis Apollo, aut ejus attributa, sed etiam Dionem Syracusanum, cum exul bellum contra Dionysium juniorem pararet, Zacyntho belli sede delecta, antequam exiret, magnificum in Apollinis templo sacrificium adornasse. Verisimile est, hac occasione signatos hos numos, opulento Dione forte sumptus suppeditante, ac propterea ejus quoque nomine numis inserto.

* * *

In reliquis epigraphe: ΞA. ZA. ZAKTN. Typi: *Caput Apollinis*, vel *Dianae*, in aversa: *Apollo nudus sedens s. lyram*, aut *utriusque numinis attributa*, in aliis: *diota*, *Pegasus dimidius.* Numi sunt apud Pellerinium, Hunterum, in museo Caesareo, Theupoli, in meis Numis vet. p. 130.

AR. et AE. R.

Imperatorii.

Sat frequentes enumerant Vaillantius, Arigonius, catalogus Theupoli ab Antonino usque ad Elagabalum. Epigraphe: ZAKTNΘΙΩΝ, at in numo Aurelii: ZAKTNΘOC. (Neumann). Typi obvii. Is, quem cum capite Alexandri Sev. edidit Tristanus, est Perinthi Thraciae.

AE. R.

ITHACA.

Insula prope Cephalleniam ab Vlysse suo nobilitata.

Caput Vlyssis barbatum et pileo tectum. ✠ ΙΘΑΚΩΝ. *Gallus.* AE. III. (Neumann Num. pop. p. 200.)

ΙΘΑ. *Caput simile.* ✠ *Caput Palladis.* AE. III. (Hunter, Mus. Caes.)

Primus insulae hujus antiqua fama cognitae numum edidit Neumannus noster, et erudite explicavit. Vlyssem partis adversae pileus sui moris facile comprobat. At praecipuus labor fuit, gallum partis aversae cum Vlysse componere. Verisimile visum, gallum in hoc numo vicarium pro Pallade munus obire. Constat ex Pausania [x]), gallum Palladi sacrum propter pugnandi studium, ac propterea eum in pluribus Campaniae urbium numis cum Pallade sociatum. Constat vero etiam, Palladem omni-

---

t) Num. vet. p. 108. u) In Dione cap. 22. 23. x) Eliac. II. p. 518.

bus in rebus Vlyssi operām suam addixisse, sic ut de se ipse apud Sophoclem profiteatur: Νικη τ' Αθηνα πολιας, ἡ σωζει μ' ἀει, *et Victoria Minerva urbium custos, quae me semper tuetur*, quare et a bello Trojano redux fertur Αθηνα Σωτειρα, *Minervae Sospitae*, templum aedificasse y), quo de argumento vide plura apud Apuleium z). Cui quidem conjecturae praeclare succurrit numus alter Hunterianus, qui ipsum Palladis caput sistit, sic ut plane appareat, gallum eam stationem pro dea sua obtinere, ut saepe aquilam pro Jove ipso positam videmus.

AE. RRRR.

ASTERIA.

Insula modica inter Cephalleniam et Ithacam, jam enarrata Homero, et postea plerisque geographis. Vide Cellarium.

A. *nullo alio typo.* ✠ *Astrum.* AE. III.

Hunterianum hunc numum cl. Combius tribuit accolis montis Siculi Atabyrii, si qui unquam fuere. At dubium jam plerisque, possintne huic Atabyrio numi fidenter tribui. Quare permissum mihi, aliam huic cimelio patriam circumspicere. Et occurrit, quam dixi, insula Asteria, quam facile indicat hinc elementum princeps A, illinc astrum cum adlusione ad nomen Asteriae.

AE. RRRR.

MESSENIA.

Regio cum urbe cognomine.

Autonomi.

Caput Jovis, rarius Cereris. ✠ ΜΕΣ. utraque litera colligata. *Tripus, adscripto in nonnullis magistratu, ut:* ΑΠΟΛΛΩΝΙΔΑΣ, *omnia intra lauream.* AR. III. (Pellerin, Mus. Caes.)

Caput muliebre. ✠ ME in monogrammate. *Juppiter stans d. fulmen intorquet, s. extenta aquilam, addito fere semper magistratu, ut:* ΔΙΩΝ, *in area constanter tripus et corona.* AE. III. (Ibid.)

Juppiter in Messeniorum numis frequens est Ithomates, qui magno honore in vicino monte Ithome colebatur. In simili numo Harduinus ex nomine urbis ME., et magistratu ΔΙΩΝ unam vocem composuit, cumque adeo legeret ΜΕΔΙΩΝ, numum hunc Medioni Aetoliae adsitae tribuere non dubitavit.

* * *

ΜΕϹϹΗΝΙΩΝ. *Caput muliebre velatum turritum.* ✠ *Juppiter similis stans*

y) Pausan. L. VIII. c. 44.

z) De deo Socrat. in fine.

in aliis: *Aesculapius stans, juxta corona.* AE. III. (Ibid.)

Numos hos in posterius aevum locandos patet cum ex forma literarum, tum obliterato jam Dorismo.

* * *

De numis Messeniae, testibus foederis Achaici, et inscriptis: ΜΕΣΣΑΝΙΩΝ. ΑΧΑΙΩΝ, actum supra in Achaia.
AR. RR. AE. C.

Imperatorii.

Hactenus editi Severi et familiae.

Epigraphe: ΜЄCCΗΝΙΩΝ, typis obviis. (Vaill. Pellerin.)
AE. RRR.

AEPEA.

Numus ΑΙΠΕΑΙΩΝ huic Messeniae oppido in museo Hunteriano tributus est Aegarum Ciliciae, quas vide.

AMPHEA.

Ad fines Laconiae auctore Pausania [a]), et Stephano, Graecis dicta Αμφεια.

Autonomum huic tribuit Pellerinius: (Suppl. I. p. 31.)

Caput Apollinis laur. ✕ ΑΜΦΙΤΟΥΝ. *Juppiter sedens d. fulmen, s. hastam.* AE. III.

Existimat sic scriptum pro ΑΜΦΙΤΩΝ. Sed enim gentile Stephano est Αμφεος. Res ambigua.

ANDANIA.

Perperam Panelius huc vocat autonomum: ΙЄΡΟC. ΔΗΜΟC. ✕ ΑΝΔΑΝЄΙΤΩΝ. *Juppiter stans d. aquilam.* Haec numi forma provinciam Asiam sapit, tum et Juppiter, qui certus est Laodicenus. Vix dubitem, in aversa legendum: ΑΙΖΑΝЄΙΤΩΝ, et esse numum Aezanitarum Phrygiae.

COLONE.

A Ptolemaeo dicitur Κολωνη, a Pausania multitudinis numero Κολωνιδες [b]), quorsum autonomum refert Pellerinius: (Suppl. III. p. 103.)

Caput Palladis. ✕ ΚΟΛΩΝΑΩΝ, *scriptum intra radios astri.* AE. III.

Epigraphe Dorica confirmat id, quod eodem loco recitat Pausanias, urbis incolas huc ex Attica profectos tempore dialectum Doricam imbibisse.
AE. RRRR.

CORONE.

Autonomum ΚΟΡΩΝΑΙΩΝ vide supra in Achaia inter numos foederis Achaici, qui unicus est hujus urbis hucusque cognitus.

CYPARISSIA.

Ad fines Elidis, cui etiam a Diodoro Siculo inseritur [c]).

Imperatorii.

Exstant cusi in honorem familiae Severi. (Vaill. Pellerin, Arigoni, Theupoli.)

Egigraphe: ΚΥΠΑΡΙCCΙЄΩΝ, typis obviis.

---

a) Messen. c. 51. b) L. IV. p. m. 365. c) L. XV. c. 77.

Singularis omnino esset numus cum capite Drusillae, et inscriptus: ΔΡΟΥСΙΛΛΑ. CЄB. vulgatus ab Arigonio, nisi pro praetensa hac inscriptione legendum ΠΛΑΥΤΙΛΛΑ. CЄB. jure liceret suspicari.
AE. RR.

MOTHONE.

Haec urbs varie scripta in codicibus reperitur, sed vere dictam *Mothonen* probant numi, aliaque argumenta, quae uberius proposui in meis Numis vet. p. 133.

Autonomis caret, etsi aliquando horum unum vulgatum a Corsinio memoriae lapsu adfirmaveram. (Ibid.)

Imperatorii.

ΜΟΘΩΝΑΙΩΝ in sola Severi familia exstant apud Pellerinium, et in meis Numis vet. (l. c.) typis tritis.
AE. RRR.

PYLVS.

Autonomi.

Caput Neptuni. ✠ ⩗Υ. ΕΠΙ.ΔΙΟΣΚΟΥΡ. *Tridens.* AE. II. (Pellerin Rec. I. p. 120.)

Literas colligatas Pellerinius interpretatur ΠΥλος, conjicitque, ex pluribus hujus nominis urbibus, quarum duae fuere in Elide, hos numos huic Messeniae Pylo tribuendos. Vide etiam Pylum Elidis.
AE. R.

Imperatorii.

ΠΥΛΙΩΝ in familia Severi. Typi: *Pallas stans*, *Aesculapius stans.* (Vaill. Theup. Pellerin.)
AE. RR.

THVRIA.

Graecis Θεριa, populus Θεριαται secundum Pausaniam, olim dicta *Aepea* teste Strabone.

Autonomi.

Caput Jovis diadematum. ✠ ΘΟΥΡ. ΝΙΚΩΝΥΜΟΣ. *Pallas stans d. hastam, s. clypeum humi attinet, in area corona spicea.* AE. II. (Mus. Caes.)

Khellium, qui numum hunc ediderat d), absterruit fabrica, quo minus numum hunc daret Thurio Lucaniae, cum quo si conferantur alii Messeniae numi videmus conspirare omnia, fabricam, typi et inscriptionis modum, et magistratum. Eundem numum vulgavit quoque Pellerinius, sed quoniam in eo legerat ΒΟΥΘΡΟ., eum Buthroto Epiri adscripsit e). Serius lapsum suum ingenue confessus est f), quo etiam loco profitetur, sese inique huic Messeniae Thuriae adjudicasse numum inscriptum ΘΥΡΙΑ g), qui est Thyriae Argolidis.
AE. RRR.

Imperatorii.

Exstant in familia Severi.

---

d) Adpendic. I. p. 36. e) Rec. I. p. 80. f) Supp. I. p. 47. g) Rec. p. 120.

Epigraphe: ΘΟΥΡΙΑΤΩΝ, quod fuisse proprium hujus urbis ἐθνικὸν, supra ex Pausania monuimus, etsi hoc Stephanus etiam Thurio Italiae tribuat h), qui omnia hoc loco confundit, eaque, quae Pausanias de Thuria Messeniae prodit, Thurio Italiae adscribit. Areae numi constanter inscribitur ΛΑ., ut advertit Pellerinius i). Constat autem ex Pausania, Augustum ademptam Messeniis Thuriam, quod hi a M. Antonio stetissent, subjecisse Lacedaemoniis k).

AE. RRR.

L A C O N I A.

LACEDAEMON.

Secundum divinas humanasque leges exulare debuit Lacedaemone pecunia omnis praeter ferream l), ex quo tamen ignobili metallo nullae ad nos reliquiae pervenere. Idem puta de numis scorteis, quibus in commercio usos Spartanos diserte tradit Seneca m). At enim reperit avaritia causas, quae praeclarum istud Lycurgi institutum infringerent. Narrat Pausanias n), ex omni antiquitatis memoria primos omnium Lacedaemonios hostem muneribus solicitasse, et venalem fecisse belli eventum, adlato ibi ejus exemplo, quod septem fere ante Christum natum saeculis contigit. Teste Thucydide volebant Spartani multare regem suum Agin centum drachmarum millibus, quod factum V. C. 336 o). Potissimum subinde Lysander auro argentoque per crebras victorias illato avaritiam simul et corruptelam intendit obnitentibus frustra ephoris. Sane Platonis aetate, ut testatur ipse p), plus erat Spartae argenti et auri, quam in tota reliqua Graecia. Quare passim apud citatos supra auctores, et Thucydidem, Xenophontem, Diodorum legitur de Spartanis vel auro corruptis, vel corrumpentibus. Neque alienam solum pecuniam nobilioris metalli invexere Spartani, de quo lepidam propter Gylippi noctuas Atticas historiam narrat Plutarchus q), sed successu temporis argenteam ipsi quoque monetam (de aurea non constat) signavere, cujus exempla cum ignota adhuc essent Oudineto, qui in Lacedaemonis numos singulari dissertatione commentatus est r), credidit, hunc ipsum pecuniae ex nobili metallo defectum legi domesticae tribuendum. Arei regis Spartani numisma argenteum habemus, qui regnum adiit V.

h) in Θούριοι. i) Rec. III. p. 189. k) L. IV. c. 31. l) Aelian. V. H. L. XIV. c. 29. Plutarch. in Lycurgo, Sulla, Lysandro, de Lacon. instit. p. m. 239. Xenophon de rep. Laced. Polyb. Hist. VI. c. 47. Porphyr. de abstin. ab esu carn. L. IV. §. 3. Plato in Eryxia p. 400. Pollux L. IX. §. 79. m) de Benefic. L. V. c. 14. n) L. IV. c. 17. o) L. V. c. 63. p) Alcibiad. I. p. 122. q) in Lysandro. r) B. L. T. I. p. 227.

C. 445, et mortuus est V. C. 489. Autonomis ejusdem metalli ex fabrica et picturae modo non possumus remotum magnopere aevum largiri. Ceterum causam invecti nobilis metalli prodidit Polybius [s]), et varia eodem pertinentia dictavit eruditus Dutens [t]).

Autonomi.

Caput Palladis. ℞ ΛΑ. *Hercules nudus petrae leonis exuviis coopertae insidens, d. clavam.* AR. m. m.

Eximium istud cimelium quavis gemma praestantius edidit idem eruditus Dutens, et Lacedaemoni vindicavit [u]). Illud ipsum aliquanto post restituit insignis Blondius, at Lamiam Thessaliae vocandum censuit [x]). Verum novis iterum argumentis, quae Blondianis subjecta reperies, antiquarius Anglus veterem suam sententiam tueri perrexit, inter quae praecipuum, repertum fuisse in ipsa Peloponneso. Quod vero objectat Blondius, elegantiorem hujus numi esse fabricam, quam quae dari facile possit Lacedaemoni artibus nunquam amicae, respondet Anglus, exstare alium Lacedaemonis numum paris elegantiae, metalli, ac ponderis, quem infra in regum Laconiae numis proponam, qui adeo dubium omne de artis peristasi motum dispellit. Facile ego Dutensii partibus accedo, etsi minus probetur, quod regnante Agesilao signatum eum putat. Mortuus est Agesilaus V. C. 396, artis perfectione tum neque adhuc in reliqua cultiore Graecia, nedum Lacedaemone satis matura. Herculis cultus apud Spartam praecipuus, atque esse debuit, quod ejus reges per Proclem et Eurysthenem ab Hercule descenderunt, qui propterea etiam Laconum ἀρχηγέτης dicitur apud Xenophontem [y]). Quare in Lacedaemonis numis clava frequens est typus, nempe Herculis princeps attributum.

* * *

Caput Herculis hedera redimitum. ℞ ΛΑ. *Diota inter binos astriferos Dioscurorum pileos, in area* — Α, *extra numi marginem punctatum legitur:* ΜΑΣΑΝΙΣΣΟΥ. AR. III. (Haym. T. II. p. 157.)

Caput Herculis laur. ℞ ΛΑ. *Idem typus, in area magistratus* ΓΕΙCΙΠ. *vel* ΚΙΠ. *etc. omnia intra lauream.* AR. III. (Mus. Caes. Pellerin.)

Prior ex his primus erat Lacedaemonis numus argenteus orbi literato cognitus. Mirum Haymio visum est vocabulum ΜΑΣΑΝΙΣΣΟΥ numi sui. Si, inquit, Massinissa Numidiae rex illo notatur, quid huic cum Laconibus commune? Si nomen magistratus, quid barbarum istud nomen inter Graecorum nominum elegantias? Sed enim, quoniam, ut ex iconismo apparet, nomen istud extra puncta, quibus finitur typus Laconicus, conspicitur, satis eo liquet, numum bis esse percussum, cumque adeo

s) l. c. t) Explic. de quelq. Med. p. 37. u) l. c. x) B. L. T. XL. Hist. p. 89. y) Hist. L. VI. p. m. 591.

certi esse non possimus, utrum primaevus typus revera ad hanc urbem pertinuerit, inutile est etiam, in scrutando Laconum cum Numida nexu esse curiosum. Quare et parvi facienda conjectura eruditi de Cleve, pro hac epigraphe legendum potius censentis ΜΑΧΑΝΙΔΟΥ, qui Philopoemenis aetate Spartae tyrannus fuit z), neque etiam ea, quae ad numum hunc in subjecta Haymiano textui nota disserit Khellius, plus quam tenuis conjecturae nomen merentur. De Dioscuris mox.

* * *

ϹΠΑΡΤΗ. *Caput juvenile.* ✕ ΛΑ. ΕΠΙ. ΕΥΡΥΚΛΕΟΣ. *Dioscuri equis citatis vecti.* AE. II. (Arigoni.)

Idem numus exstat etiam in museo Caesareo, sed adrosus est locus capiendo ϹΠΑΡΤΗ destinatus. Istud si vere legitur, habemus in antica Spartam, quae fuit Eurotae filia, Lacedaemonis uxor, a qua urbi nomen datum testatur Pausanias a). Dioscuri, aut eorum symbola obvius sunt typus in numis Laconicis omnis aetatis. Satis rationis, quod hinc prognati fuere. Et fuit Spartanis solita jurandi formula: *ναι τω Σιω*, *per Dioscuros*, nam hos vocabant *Σιυς*, de quo vide plura apud Meursium b). De inscripto *Eurycle* infra.

* * *

ΛΥΚΟΥΡΓΟϹ. *Caput virile barbatum.* ✕ ΛΑ. *Clava caduceo juncta*, *in area* ΝΙ. *vel* ΤΙ. *etc.* AE. III. (Mus. Caes.)

Lycurgi legislatoris sacrum Spartae nomen, et grata memoria. Ceterum cum caput in his numis omnia praeferat Jovis lineamenta, dubitari forte potest, et dubitat ipse Oudinetus, Lycurgi sit, an Jovis imago. Sin Jovis, erit ΛΥΚΟΥΡΓΟϹ nomen magistratus.

* * *

ΛΙΧΑΣ. *Caput juvenile.* ✕ ΛΑ. *Protome Dianae*, *in area* ΛΙ., *omnia intra coronam.* AE. II. (Mus. Caes.)

ΤΙΜΑΝΔΡΟϹ. *Caput juvenile.* ✕ ΛΑ. *Diana succincta stans d. extenta*, *s. hastam*, *pro pedibus canis*, *in area monogrammata*, *omnia intra lauream.* AE. II. (Mus Caes., Savorgnan, Neumann.)

Videntur Spartani viros etiam civitatis suae illustres numis nonnunquam intulisse, quos inter judicio Neumanni c) est etiam Lichas numi prioris, qui testibus Herodoto d), et Pausania e) repertis Tegeae Orestis reliquiis, iisque astu Spartam translatis civitati suae salutem attulit. Licham quoque memorat Xenophon, cujus insignis fuit in hospites liberalitas f).

Alterum numum olim edidi ex ectypo mihi ab illustri Savorgnano misso, sed cujus prototypon ab aevi injuriis misere habitum fuit, in quo cum aliud non legerem, quam ΤΙΜΑΝΔΡ - -, putabam, ea effigie exhiberi Timandram Helenae sororem g). Verum numus, quem

z) Jobert. T. II. p. 343. a) in Lacon. c. 1. b) Misc. Lac. L. II. c. 8. c) Num. pop. p. 237. d) L. I. c. 67. e) Lacon. c. 3. f) Mem. Socrat. L. I. p. m. 721. g) Num. vet. p. 134.

coram descripsi, veram lectionem nos edocet, atque hoc loco, quae ibi cum de Timandra, tum de Philonoe altera Helenae sorore conjeceram, retracto.

Caput juvenile laureatum. ✗ ΛΑ. *Diana gradiens comite cane facem gestat, in area duo pilei Dioscurorum, et* ΤΙΜΟ. *omnia intra lauream.* AE. II. In alio simillimo musei principis de Waldeck pro TIMO. legitur: TIMAPICTOC.

* * *

Magistratus: ΕΠΙ. ΕΤΡΥΚΛΕΟΣ. (Mus. Caes.) Dubium non est, memoratum in hoc numo Euryclem esse eum ipsum, quem per Augusti gratiam fuisse apud Spartanos facile principem narrat Strabo, sed quae ipsa viro inpotenti male vertit solum subinde vertere jusso, de quo vide plura apud Meursium [h]). Quod dixeram, confirmatur numo Augusti, in cujus item aversa scriptum: ΕΠΙ. ΕΤΡΥΚΛ - - . In alio apud Haymium est: ЄΠΙ. ΛΑΚΩΝΟC, qui in tempora Claudii differendus, nam eandem epigraphen continet aversa numi ejusdem imperatoris. (Mus. Caes.) Sed de hoc Lacone nihil aliud dicere habeo. Singularis alius apud Pellerinium [i]): ЄΦΟΡΟ - TIMAPACTOC. (forte melius TIMAPICTOC praeeunte numo Waldeckiano mox laudato). Noti apud Lacones Ephori, quorum erat, utriusque regis sui potentiam moderari. Vnicus hic est hujus urbis numus, qui ipsum hunc magistratum diserte exprimat. Ephorum vidit etiam Vaillantius in numo Ancyrae Phrygiae, sed quam lectionem valde videri suspectam, dicetur in ejus urbis moneta. Sintne etiam habendi ephori ΔΙΟΚΛΗΣ, ΚΑΙCΘΡΑΤΑ etc. qui in aliis Lacedaemonis numis memorantur, incertum.

* * *

Vt nomen urbis plerumque solo ΛΑ. inscribi solet, (plenum ΛΑΚΕΔΑΙΜΟΝΙΩΝ perraro) ita non sola Lacedaemon binis his literis uti consuevit, quod non satis animadversum in fraudem induxit. Sic in binis peccavit Pellerinius, in uno, cujus typus clypeum Boeoticum offert, quem haud dubie esse Larymnae Boeotiae, supra monuimus; in altero, qui lyram sistit qui est Lappae Cretae.

AR. RR. AE. C.

Regii.

Agesilai et Polydori, qui Spartae regnum tenuere, numos jam edidit Goltzius [k]), sed quos nemo alius vidit. En tibi certum alium:

AREVS.

Caput Herculis imberbe leonis exuviis tectum. ✗ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΡΕΟΣ. *Jup-*

h) de regno Laced. p. m. 75. i) Suppl. IV. p. 43. k) in Graec. tab. VI.

piter sedens d. aquilam, s. hastam. AR. I. (Mus. Savorgnan.)

Egregium hunc numum primus vulgavit Froelichius, ejusque regis historiam amplis et pereruditis commentariis illustravit [l]). Areus Acrotati F. circa annum V. C. 445. Spartae regnum adit. Ejus nota est epistola data ad Oniam I. Iudaeorum pontificem, qua cognationem cum Iudaeis aperit, et amicitiam cum his renovat [m]). Eo in Creta absente Pyrrhus Epiri rex Spartam omni vi obsidet, sed adventante cum auxiliis rege discedere cogitur. Ipse ad Corinthum occumbit V. C. 489.

Numus hic praeclare confirmat, quae veteres de prolapsis Laconum institutis, et regum domesticorum ambitione, qui exteris pares videri volebant, tradita reliquere. De hac morum corruptela non pauca memorat Plutarchus [n]), nimirum cum morti antea fuisset adjudicatus, qui pecunias Spartae collegerat, tamen quando Lysander captis Athenis magnam auri argentique vim intulerat, probatum istud domi fuisse, de quo etiam argumento praecepi nonnulla paullo altius. Et quod maxime huc pertinet, ipsum hunc Area scribit Athenaeus primum fuisse, qui regios animos ac mores sumeret [o]). Idem docet numus, quem proposui. Nam cum ii, qui tum fuere reges, Seleucus, Lysimachus, Demetrius ejus rationis monetam feriundam curarent, cujus nuper Alexander M., nimirum caput Herculis, et Jovem aetophorum in ea signando, et numos his simillimos imperaret Areus noster, satis apparet, eum coaevorum regum instituta proxime imitanda sibi proposuisse. Ad numi epigraphen adverto, eam, ut a Froelichio proditur, suspectam videri. Nam cum utraque ejus vox ejusdem sit naturae, singulis in ευς exeuntibus, necesse etiam est, utramque in gignendi casu eodem modo exire, sive in ΕΩΣ, quod est Atticum, sive in ΕΟΣ, quod est commune, et constanter adhibitum in numis regum Siciliae.

* * *

Caput regis imberbe diadematum. ☧ ΛΑ. *Pallas stans d. elata hastam intentat, s. - - - pro pedibus caper, in area corona.* AR. I. (Bell. lettr. Hist. T. XL. p. 93.)

Hoc quoque tetradrachmum ad eandem urbem pertinere certum est non tam propter epigraphen ΛΑ., quam quod juxta Lacedaemonem inventus est a Fourmontio, et in museum regis Galliarum illatus. Cujus regis illud sit caput, quoniam inscriptio abest, decidi nequit. Non improbabile putat cl. Dutens, cujus ibi commentarii adjiciuntur, esse posse alicujus regis Macedoniae, qui Spartam sibi subjecit. Quod constet, unicus fuit ex Macedoniae regibus Antigonus Doson ea fortuna, ut Spartam antehac inexpugnabilem subjugaret, sed

l) ad Reg. vet. access. p. 1. m) Macchab. L. I. c. 12. v. 20. Joseph Antiq. L. XII. p. 606. et L. 13. p. 648. n) de Lacon. instit. sub. fin. o) L. IV. p. m. 141.

constat etiam, libertatem victis mox reddidisse. Narrat etiam Plutarchus p), Spartanos nulli Macedoniae regi socios sese praebuisse, aut in commune consilium, quod a reliquis saepe Peloponnesiis factum, adjunxisse, aut tributum contulisse. Vt adeo dubitari non possit, domesticum eo regem, quisquis is est, proponi. Caper, vel hircus Minervae comes res insolens, nullo forte alio exemplo. Pausanias nihil lucis suppeditat, qui complura ejus simulacra recitat, quae Lacedaemone stetere. Forte adludit animal istud ad monstrum Aegida a Pallade devictum, cujus deinde pelle pro scuto utebatur. Vide Diodorum q).

Imperatorii.

Complures cogniti a M. Antonio usque ad Saloninam. (Vaill. Arigoni, Theup.)

Epigraphe: ΛΑ. ΛΑΚΕ. ΛΑΚΕΔΑΙΜΟΝΙΩΝ, quod postremum plerumque obtinet in numis posteriorum Caesarum.

Singularis est numus:

ΑΤΡΑΤΙΝΟϹ. *Caput M. Antonii nudum.* ℞ ΛΑ. ΦΙ. *Aquila stans.* (Arigoni.)

Atratinus nomen Romanum est, et quidem gentis Semproniae, fuitque L. Sempronius Atratinus praefectus classis M. Antonii, et plura numismata aenea cum hujus capite extra urbem signari curavit, de quibus agetur fusius in numis IIIviri. Videtur ergo hic a M. Antonio, cui secundum postremam divisionem Graecia accessit, Laconiae fuisse praefectus, aut forte universae orae maritimae per eum tractum.

Typi: *Aquila*, *Dioscuri*, *clava etc.* Insolentior est, quo fingitur *Mercurius puellum Bacchum ulnis suis asportans*, in numo Saloninae, (Arigoni.) quod factum etiam exstabat insculptum sellae dei Amyclaei, quae stetit Spartae, quamque late describit Pausanias r). Aliud etiam simile signum publice Spartae stetisse, idem docet s). Idem obsequium, et simillimo modo effictum Mercurius impendit Arcadi Jovis et Callistus filio in numo Phenei Arcadiae.

Magistratus: ΕΠΙ. ΕΥΡΥΚΛΕΟΣ, in numo Augusti. (Mus. Caes.) ΕΠΙ. ΛΑΚΩΝΟΣ, in numo Claudii. (Mus. Caes.) De utroque magistratu egi in autonomis.

Nescio, qua fide adserat Vaillantius, Laconum numos cum magistratu CTP. id est *praetoris*, cusos esse t). Ipse sane nullum cum hoc magistratu profert, praeterquam numum concordiae cum Smyrna sub Commodo. At numus hic certe signatus est Smyrnae, et expressus in hoc Στρατηγος ad Smyrnam, non Lacedaemonem pertinet.

Concordia cum Sagalasso et Selge Pisidiae urbibus, de qua vide, quae in his notabuntur. Cum Smyrna in numo Commodi, qui ex magistratu Aelio Heraclide praetore signatus Smyrnae agnoscitur, ut et similis Atheniensium numus. Vide prae-

p) Lacon. instit. sub. fin. q) L. III. c. 69. r) L. III. c. 18. s) L. III. c. 11.
t) Num. Graec. p. 199.

ter Vaillantium etiam Museum Pisani sub Commodo.

AE. RR.

ASINE.

Tres fuere urbes hoc nomine praeditae, una Messeniae, altera Laconiae, tertia Argolidos.

Caput Herculis. Ӿ. ΑΣΙΝ. *Clava, et arcus.* AE. III.

Ad hanc Laconiae Asinen numum hunc fert Pellerinius, quod, ut ait, fabrica cum aliis Laconicis conspirat, tum propter typum Herculis, cujus cultus cumprimis in Laconia valuit.

AE. RRRR.

De *imperatoriis* difficilius statuere, quorum complures in honorem familiae Severi signati fuere, inscripti ACINAIΩN, quam difficultatem fusius commemorat Pellerinius [u]).

AE. RRR.

ASOPVS.

Imperatorii habentur tantum, iique in familia Severi.

Epigraphe: ACωΠЄIΤΩΝ. Typi obvii.

Primus hujus urbis numum prodidit Haymius [x]), verum Asopo Sicyoniae tribuit, quae tamen urbs non fuit, sed fluvius, et modica regio ab hoc flumine nomen adepta teste Strabone; quare merito ibi castigatur a Khellio. Non pauca de hac urbe commemorat Pausanias [y]). Praeter Haymium ejus urbis numi proditi sunt ex museo Caesareo, a Pellerinio, et Arigonio.

AE. RR.

BOEA.

Prope Maleam. *Imperatorii* in familia Severi apud Vaillantium, et Pellerinium. Memorabilis est numus Getae propter epigraphen: ΙΟΥΛΙΟC. CЄΠΤΙΜΙCC. ΓЄΤΑC [z]). Causam vide in numis Getae.

AE. RRR.

DYRRHACHIVM.

Autonomum dedit Pellerinius: *Caput Apollinis.* Ӿ. ΔΥΡ. ΛΑΚΟ. *Ceres gradiens utraque manu facem gestat.* AE. fere II. Iudicio capto ex Stephano, qui omnium unicus Dyrrhachium aliud ab Illyriciano in Laconia constituit, auctor vocem separat, sic ut legendum putet: ΔΥΡ*ραχηνων* ΛΑΚΟ*νων*. Verum in numo alio, cujus mihi ectypon misit nob. Jacobus Gradenigo, legitur ΦΑΚΟ. In aliis similibus luculenta epigraphe ΣΤΡΑΚΟΣΙΩΝ, quibus hos numos deberi, non dubito. Vide Toremuzza tab. LXXXII. n. 4. Vidi numum similem musei Vitzaiani, cujus epigaphe spectatis literis distortis revera ad Pellerinianum ΔΥΡ. ΛΑΚΟ. accedit, sed probe explorata certum denique ΣΤΡΑΚΟΣΙΩΝ constituit.

---

u) Rec. III. p. 192. x) T. II. p. 384. y) in Lacon. z) Rec. III. p. 194.

GYTHIVM.

Fuit celebre Spartae navale.

Autonomus.

Exstat tantum in Goltzii Graecia.

Imperatorii.

In familia Severi. *Epigraphe:* ΓΥΘΕΑΤΩΝ. Typi: *Hercules et Apollo*, qui fuere urbis conditores habiti, ut dixi in meis Numis veteribus a).
AE. RR.

LAS.

Imperatorii tantum. Horum tres unus Pellerinius protulit, Caracallae, Getae, et quod mirere, Maximini Pii, paucis Peloponnesi urbibus ultra Severi imperium numos ferientibus b).

Epigraphe: ΛΑΩΝ.

Typus: *Caput muliebre velatum turritum*, *prae quo sceptrum*, *infra tres monticuli*, in numo Maximini. Teste Pausania urbs sita erat intra tres montes, qui adeo in numo hoc indicantur.
AE. RRR.

LONGOSTALETES.

Vide infra in *Taletum*.

MALEA.

Notum Laconiae promontorium. De numis argenteis hactenus huc perperam vocatis egimus supra in Sicyone Achaiae.

PRASIAE.

Huic Laconiae urbi Haymius *autonomum* tribuit inscriptum ΠΡ c), at eum ΑΣ pertinere Ascalonem, et ΠΡ esse notas epochae, docuit Pellerinius d). Alium aeneum ex museo Granelliano huc adegit Froelichius: ΠΡΑΣΙΩΝ. ΠΟ. e) sed legendum ΠΡΑΙCΙΩΝ. ΠΟ., alius similis musei Caesarei rite comprobat. Est hic numus Praesi Cretae, et hactenus non constat, has Laconiae Prasias honores monetarios nactas esse.

PSAMATHVS.

Autonomum vulgavit Arigonius: ΨΑ. *Caper stans*, in quo primum elementum sic formatum est, ut aeque Φ et Ψ haberi possit. Ibi, ut titulus praefert, huic Laconiae urbi tribuitur, sed qui haud dubie restituendus Pharo Adriatici insulae. Alius cum capite Tiberii citatus in Thesauro Goltzii tuto negligendus.

TALETVM.

Impositum vertici montis Taygeti auctore Pausania, cui scribitur Τάλετον f)

Exstant autonomi.

Caput virile jam diadematum, jam nudum, cui in nonnullis additur epigraphe ambigua. Χ ΛΟΓΓΟΣΤΑΛΗΤΩΝ. *Tripus.* AE. II. (Pellerin, Mus. Caes.)

Hos Pellerinius huc derivat argumentis ejus generis, quae utut parum valida, impugnare tamen animus non est,

---

a) pag. 135. b) Rec. III. p. 190. c) Tom. II. p. m. 170. d) Rec. II. p. 237.
e) Not. elem. p. 107. f) L. III. c. 20.

cum, cui alteri urbi tribui possent, non satis videam. Similem jam edidit Harduinus, sed neque is, cui nihil invium erat, aut esse videbatur, superare has difficultates potuit. Non dissimulanda nonnulla indicia, quae suppeditat Barthelemyus apud Pellerinium g), plures hujus generis numos ante annos non multos repertos esse in finibus Tolosatium, horum aliquibus inscripta esse nomina parum Graeca: βωκιος vel βοκρος. ΛΟΥΚΟΤΙ, vel ΛΟΥΚΟΤΙΩΝ, unde leviter suspicatur, eos ad hunc veteris Galliae tractum pertinere. Istud certum, numos binos ejus generis, qui sunt in museo Caesareo, fabricam barbaram praeferre.

AE. RR.

Non reticendus numus singularis, quem edidit cl. Sestinius: (Lettere T. IV. p. 99.)

M. ANTΩNIOC. AYTOK. OIΩNICT. TPIΩN. ANΔP. *Caput M. Antonii nudum.* ✠ ΛΟΓΓΟCΤΑΛΗΤΩΝ. *Tripus.* AE. I.

Numum esse genuinum non dubito, sed neque dubito etiam, partem ejus anticam esse opus falsarii. Titulus Τριων Ανδρων nonnisi in paucissimis Antonii numis Graecis legitur, οιωνιστȣ, *auguris*, nonnisi in Goltzianis, ut dicetur in hujus IIIviri moneta, ut taceam dubia alia, quae insolens hic numus offert.

CYTHERA.

Insula Laconiae vicina, cujus autonomus argenteus ΚΥΘΗΡΑΙΩΝ apud unum Goltzium. Ei tamen minutos aeneos ΚΥ., typo *columbae volantis* permittendos conjicit Sestinus, sed argumentis minus validis. (Lettere T. II. p. 12.)

ARGOLIS.

ARGOS.

Autonomi.

Lupus dimidius. ✠ A. *magnum additis magistratuum nominibus plerumque in compendium redactis, et sigillis admodum variis, ut: pileis Dioscurorum, noctua, triquetrae quadam specie. aquila Persei harpae insistente etc.* AR. III.

Lupi, quem obviae hae drachmae offerunt, hanc causam suppeditat Pausanias h). Corinthiorum agro a lupis infestato ostendisse Apollinem lignum, cujus cortice carnibus mista cum vescerentur lupi, hanc illis coenam fuisse lethalem, cujus gratia beneficii huic deo *Lycaei* cognomento sacellum fuisse positum. Eodem libro i) haec scribit: nobilissimum templorum omnium, quae sunt Argis, esse templum Apollinis *Lycii* hac occasione erectum: cum ex Aegypto Argos venisset Danaus, et cum Ge-

g) Suppl. IV. p. 91. h) L. II. c. 9. i) cap. 19.

lanore de regno disceptaret, pendente lite lupum ad ipsa urbis moenia cum tauro congressum victorem discessisse, cumque fervente inter utrumque animal pugna Argivi Danaum lupo, Gelanorem tauro comparassent, capto hinc augurio regnum Danao obtulisse. Similia refert Plutarchus [k]). Ex utraque Pausaniae historia antiquarii seu unam, seu alteram ad explicandum lupi argumentum amplexi sunt, pro prima, nempe Apollinis Λυκοκτόνου, stetit scholiastes ad Sophoclis Electram v. 6. ὅθεν και τῳ νομισματι των Αργειων ἐγχαραττεσθαι φασι λυκους, ὡς και τας γλαυκας Αθηνησι. *Vnde ajunt monetae Argivorum insculptos lupos, ut Atheniensi noctuas.* Pollucis testimonium cum numis hactenus notis non cohaeret, qui Argivos signasse murem perhibet [l]). De causa harpae Persei, cui Argos patria fuit, plura disserui in meis Numis vet. p. 78. Pilei Dioscurorum illati, quia hi etiam Argivi agniti sunt, ut dictum in numis Philippi V. Macedonis.

* * *

Caput muliebre cum corona fastigiata, et intus ornata. ✠ ΑΡΓΕΙΩΝ. *Vir nudus defluo post tergum pallio d. gladium, s. Palladium.* AR. III. (Mus. M. Ducis.)

Insignem hunc numum jam olim eruditorum oculis subjeci [m]). Sistit aversa Diomedem Palladium ostentantem, quod clam Trojanis ex arce extulit. Praeclari ejus facti memoriam copiosae veterum gemmae servavere a peritissimis Graecae elegantiae artificibus incisae, numi vix unquam. Habitus ab Argivis hic honos Diomedi, quia Argivus ipse fuit. Capite anticae exhiberi Junonem Ανθειαν *Floridam*, quo nomine ejus deae templum Argis stetit, eodem loco verisimile dixi.

* * *

Pellerinius numum edidit: *Caput juvenile corona fastigiata, cui inscriptum:* ΑΡΓΕΙ. ✠ *Pallas gradiens, et jaculum vibrans.* AE. III. Hunc auctor aliquando Argis Argolidis tribuerat, et recte quidem, ut opinor [n]). Alium, in quo *similis antica*, in ✠ ΠΑΜΦΑΗΣ. *Pharetra, tridens, prora navis*, AE. III., quem perperam primum Panticapaeo Bospori Cimmerii [o]), serius Argis Amphilochicis una cum priore largitus est [p]). Posteriorem, qui nunc est in museo Caesareo, Khellius infirma sane conjectura Pamphium Aetoliae revocavit [q]). Veriu credam, ad hoc Argos utrumque pertinere, nam caput simile cum corona eminente exstat in numo praecedente, qui certus est hujus urbis. Quod in iis tridens, et prora conspiciantur, non probat, indicari urbem maritimam, qualis erat Argos Amphilochium, nam poterant hoc typo notari vires Argivorum maritimae, ac praeterea, etsi maritimum non erat Argos Argolidis, non tamen a mari longe distabat.

AR. C. AE. RR.

---

k) in Pyrrho sub fin. l) L. IX. c. VI. §. 84. m) Num. vet. p. 135. n) Rec. I. p. 130. o) Rec. I. p. 206. p) Suppl. I. p. 48. q) Adpendic. II. p. 105.

Imperatorii.

Sunt ab Hadriano usque ad Alexandrum. His tamen priorem cum capitibus Neronis et Agrippinae, et typo gryphi in aversa editum reperio in Memoriis Trevoltiensibus [r]). Vide hujus classis numos diligenter collectos a cl. Sestino [s]).

Epigraphe constans ΑΡΓΕΙΩΝ.

Typi illustriores:

Caput muliebre alatum, ante quod uncus, quibus verbis Vaillantius describit numum Antonini. At dubium non est, esse hoc caput Persei Argivi cum harpa, qui typus obvius est in numis postremorum Macedoniae regum.

Vir militaris in erectum serpentem hastam intorquens viro alio humi prostrato jacente, in numo Severi. (Arigoni.)

Hoc typo aut exhibetur Cadmus peremptos a dracone ad fontem socios ulciscens, aut quoniam difficilius est, argumentum Thebanum Argos revocare, Archemorus puellus, quem a serpente peremptum septem duces egregie ulti sunt caeso dracone, et institutis ludis Nemeis, de quibus mox.

* * *

Ludi.

Mensa quatuor columnis fulta, supra quam hinc pavo, juxta quem ΗΡΑΙΑ, *inde aquila, juxta* ΝΕΜΕΙΑ, in numo Antonini. (Pellerin Rec. III. p. 154.)

Etsi urbis nomen non addatur, tamen certum est, hunc numum Argis cusum. Narrat Pausanias [t]), Argis prope arcem esse stadium, in quo Jovi Nemeo, et Junoni ludi peraguntur. Satis constat, Junonem Argis summa religione cultam, unde et in numo Hadriani apud Vaillantium: ΑΡΓΕΙΩΝ. ΗΡΑ, typo pavonis; constat etiam de ludis *Heraeis* Argis in Junonis, Ἥρας, honorem celebrari solitis, quorum praemium fuit clypeus; quare frequenter apud auctores, tum et in marmoribus pro Heraeis legas: ΤΗΝ. ΑΣΠΙΔΑ. ΗΡΑΣ, vel: ΤΗΝ. ΕΞ. ΑΡΓΟΥΣ. ΑΣΠΙΔΑ. Vide de hoc plura in Meursii Graecia feriata sub ΗΡΑΙΑ. Nemea certamina obita plures Argorum alii testantur numi. Insignis est in Theupoli: ΑΔΡΙΑΝΟϹ. ΚΤΙϹΤΗϹ. *Caput Hadriani.* ✕ ΑΡΓΕΙΩΝ *in ambitu coronae, intra quam* ΝΕΜΕΙΑ. Vtramque numi faciem eleganter explicat Pausanias [u]), Hadrianum certum currendi morem Argivis restituisse, quo in Nemeis ludis uterentur. Nemei quidem ludi apud Nemeam Cleonas inter et Phliuntem sitam edebantur, praesidibus Corintho, Argis, et Cleone accitis, at etiam ad ipsum Argos Nemeo Jovi fuisse ludos constitutos supra ex Pausania vidimus, et cum apud auctores varient causae instituti certaminis Nemei, aliis in honorem Archemori, Jovis aliis perhibentibus, citatus supra numus Pellerinianus cum typo aquilae docet, saltem Hadriani aetate intentos fuisse honores Jovis, nisi forte ΝΕΜΕΙΑ in Argivorum numis expressa indicent ludos Argis ce-

r) April. 1701. p. 123. s) Lettere T. III. p. 111. t) L. II. c. 24. u) L. VI. c. 16.

lebratos, diversos ab iis, qui ad Nemeam edi solebant, de quibus supra.

Huc refer etiam: ΑΡΓΕΙΩΝ. *Corona apii, in qua* Α, in numo Elagabali. Vaillantius Α iſtud explet legendo Ακτια. Praeeunte ergo hoc numo etiam numi Aelii, Antonini, et Fauſtinae junioris vulgati ab Arigonio, in quibus suppresso urbis nomine exhibetur corona, intus Α. ΑΚΤΙ. ΑΚΤΙΑ, huc pertinere possunt. Sed litem intentat Nicopolis Epiri, in cujus aliquot numis insuper additur ΙΕΡΑ. ΝΙΚΟΠΟΛΙC, ut hic ΑΡΓΕΙΩΝ, ut in hujus urbis numis dictum.

* * *

Cum Argorum Argolidis numis hactenus permixti fuere ii, qui ad Argos Ciliciae haud dubie pertinent, et quorum complures Valeriani, et Gallieni aetate signati sunt. Neque certum est, non etiam complures cum capite praecedentium imperatorum Argis Ciliciae restituendos, nam utraque urbs una eademque usa est inscriptione ΑΡΓΕΙΩΝ. Neque ad discrimen aliquid conferunt typi, nam ex iis ipsis, quos in numis Argorum Ciliciae reperias, plerique in Argorum quoque Peloponnesi moneta habentur, cujus concordiae ratio est, quod verisimile est, hanc Ciliciae urbem fuisse alterius coloniam, quo factum, ut originis suae decus in moneta adfectaret. Novi, cl. Sestinum nullum Argorum Ciliciae numum agnoscere, omnesque Argolidi velle restitui, qua de lite vide Argos Ciliciae.

AE. R.

CLEONE.

Autonomus.

Caput Herculis imberbe leonis pelle tectum ✕ ΚΛΕΩ. *intra coronam.* AE. III. (Pellerin.)

Jure in Cleones moneta habitat Hercules, cujus prima aerumna fuit domitus leo, qui in saltu urbi vicino cubile habuit, ac propterea poetis quoque dictus *Cleonaeus.*

AE. RRRR.

Imperatorii.

In familia Severi, Commodi etiam unum adfert Vaillantius. Epigraphe: ΚΛΕΩΝΑΙΩΝ.

AE. RRR.

EPIDAVRVS.

Ab Aesculapii cultu inclyta, quem numi quoque comprobant.

Autonomi.

In iis, qui antiquitate praestant, epigraphe est ΕΠ. in monogrammate, raro literis solutis. Illustriores sunt:

Caput Aesculapii. ✕ ΕΠ. *Hygia stans cum serpente.* AE. III. (Pellerin.)

Caput idem ✕ ΕΠ. *Lupus jacens.* AE. III. (Pellerin.)

Caper stans. ✕ ΕΠ. *Gallus vescens.* AE. III. (Pellerin Supplem. II. p. 97.)

De Hygia Aesculapii comite constat, ut et de gallo alite eidem sacro. Caper ad dei historiam pertinet, nam tradit

Pausanias x), Coronidem natum recens Aesculapium filium, quem ex Apolline conceperat, in monte Epidauro vicino exposuisse, infantem interea a capra lacte nutritum, et a cane custoditum. Forte animal numi II., quod Pellerinio lupus dicitur, reipsa est major quidam canis ad praestitam deo custodiam adludens, ut revera propter pedes simulacri ejus dei, quod apud Epidaurum stetit, excubabat canis y). Sin lupus est, solitum is est Argivorum symbolum, de quo vide dicta in Argis.

* * *

ЄΠΙΔΑΥΡΟΥ. ΙЄΡΑϹ. *Caput Aesculapii.* ℞ ΑϹΚΛΗΠЄΙΑ. *intra lauream.* AE. III. (Mus. Savorgnan).

De Asclepeis magno sumptu apud Epidaurum editis vide Meursium z), et in meis Numis vet. p. 137, quo loco insignem hunc numum edidi.

* * *

Notanda variorum in definiendis urbis hujus autonomis admissa sphalmata. Edidit Haymius numum a): *Caput barbatum.* ℞ ΙΕΡΑΣ. *intra coronam.* Auctor hac inscriptione notari Hieran Germen Mysiae existimavit; at Khellius in nota ibi subjecta Hieram Aegatum insularum unam respexit. In alio simillimo juxta caput anticae Pellerinius legit ΝΙΚΟΠΟΛΕΩΣ b), inductus haud dubie inscriptione aversae ΙΕΡΑΣ. Cum uterque auctor numi sui partem anticam minus integram profiteatur, praeterea capitis lineamenta certum Aesculapium prodant, dubium non est, docente numo Savorgnani mox citato legendum esse juxta caput anticae ΕΠΙΔΑΥΡΟΥ. In simillimo alio musei Hunteriani Combius legit: ΠΡ. ΤΡΥΟΥ. ΙΕΡΑΣ, eumque adeo Tyrum amandavit. At ego ausim adfirmare, numum esse mutilum, legendumque, ut in Savorgnaniano: ΕΠΙΔΑΥΡΟΥ. ΙΕΡΑΣ, quod propterea fidentius adsero, quia numus hic, si fallacem epigraphen demas, totus abludit ab ingenio monetae Tyriae. *AE. RR.*

Imperatorii.

Hactenus comperti sunt Antonini, et descripti a Pellerinio c), et Neumanno d). *Epigraphe* in his: ΙЄΡΑϹ. ЄΠΙΔΑΥΡΟΥ. Alius max. mod. Alexandri Sev. ЄΠΙΔΑΥΡΙΩΝ. *Serpens in spiras erectus juxta aram.* e).

Epitheton ΙЄΡΑϹ rarum est in urbibus Europae, datumque fuit propter religionem Aesculapii.
AE. RRR.

HERMIONE.

Imperatorii tantum, iique in familia Severi.

Epigraphe ЄΡΜΙΩΝЄΩΝ. typis obviis. (Vaill. Mus. Caes.)
AE. RRR.

METHANA.

In codicibus varie scripta reperitur,

x) L. II. c. 26. y) Pausan. l. c. c. 27. z) Graec. ſer. a) T. II. p. m. 138. b) Rec. I. p. 82. c) Suppl. II. p. 96. d) P. II. tab. V. e) Catal. d'Ennery.

at veram scripturam esse Μεθανα, alibi docui f).

Imperatorii etiam hi tantum in familia Severi, quorum binos, Domnae unum, Caracallae alterum protulit Pellerinius. Epigraphe ΜΕΘΑΝΑΙΩΝ.

AE. RRRR.

MYCENAE.

Vrbs antiqui nominis, Persei opus, sed numorum sterilis. Achaeorum quidem argenteum edidit Haymius g), in cujus area sigla, quam in ΜΥϘηναι exsolvit Bayerus h), eumque secutus Froelichius i). At supra, cum de similibus signis in Achaeorum moneta contentis agerem, adfatim ostendi, iis urbium nomina contineri vix posse. Ad haec Mycenae circa anum V. C. 286 in rudera consedere eversae ab Argivis, ut docet Diodorus k), sic ut Strabonis aevo harum ne vestigium quidem superesset. Ignoti igitur in hunc diem hujus urbis numi.

THYREA.

Vrbs cum regione Thyreatide, ob quam cruentae saepe Spartanis cum Argivis dimicationes.

Caput Palladis Ӿ ΘΥΡΙΑ. *Noctua.* AE. III. (Pellerin.)

Caput lupi. Ӿ Β *Pharetra, galea, caput lupi, et monogramma.* AE. III. (Mus. Caes.)

Numum priorem Pellerinius olim Thuriae Messeniae tribuit l), at mutata serius mente rectius huic Thyreae Argolidis m). Alterum huc vocavit Khellius suadente elemento Β posito nonnunquam pro Θ, ut diximus ad Athenarum numos, atque eadem occasione alios quoque numos simili elemento inscriptos ab Haymio et Pellerinio vulgatos, et Thebis vel Thespiis tributos huic Thyreae vindicare contendit n), obnitente acriter Pellerinio o). Vix operae pretium, in causam tam levem pertinacibus conjecturis inquirere.

AE. RRR.

TROEZEN.

Autonomi.

Caput Neptuni. Ӿ ΤΡΟ. *Tridens.* AE. III. (Pellerin, Hunter.)

Caput imberbe comis revinctis. Ӿ ΤΡΟ. *Tridens.* AR. III. (Wise Mus. Bodl. p. 6.)

Nimirum teste Strabone, et Plutarcho p) haec urbs Neptuno sacra fuit, cujus causam mox dabimus. Numum alterum Wisius Troadem primum ablegavit, agnito subinde errore Troezenem respexit q). Troezenios se scripsisse etiam Trozenios, docet marmor apud Chishull r).

Commemorandi adhuc bini alii:

ΣΑΕΥΣ. ΕΛΕΥΘΕΡΙΟΣ. *Caput Jovis laur. imberbe.* Ӿ ΤΡΟΙΖΗΝ. *Fulmen.* AE. (Goltz.)

f) Num. vet. p. 133. g) T. II. p. m. 114. h) Comment. acad. Petrop. T. V. i) Annal. Syr. p. 158, et Not. elem. p. 101. k) L. XI. c. 65. l) Rec. I. p. 120. m) Suppl. I. p. 47. n) Adpendic. I. p. 41, et Adpendic. II. p. 158. o) Suppl. I. p. 60. p) In Theseo. q) Pag. 132. r) Ant. Asiat. p. 164.

ΠΟΛΙΑΣ. *Caput Palladis.* ℞ ΤΡΟΙΖΗΝΙΩΝ. *Tridens.* AE. (Goltz.)

Horum priorem non moror, quem ex numis Syracusanis ejusdem argumenti confictum ut credam, facile inducor. Alter si fictus, totus ex Pausania confictus est perhibente [s]), Minervam et Neptunum de loci praesidio disceptasse, at Jovem sic composuisse litem, ut communis utrique is honos esset; quare, addit, Troezenios venerari Minervam *Poliadem*, et Neptunum cognomine regem, quin et vetustum ejus gentis numum tridentis et Minervae imagine insignem fuisse. Tridentem eorum numis impressum prodit etiam Plutarchus [t]).
AR. et AE. RRRR.

Imperatorii.

Cum capite Commodi, et in familia Severi.

Epigraphe: ΤΡΟΙΖΗΝΩΝ, ΤΡΟΙΖΗΝΙΩΝ. (Vaill. Arigoni, Theupoli). *AE. RR.*

IRENE.

Insula juxta Troezenem, exulis Demosthenis violenta morte cognita, dicta etiam *Calauria*, etsi diversam utramque insulam faciat Plinius.

Autonomos binos huc refert Pellerinius:

Caput Palladis ℞ ΙΡ. *Tridens.* AE. III.

Caput muliebre spicis coronatum. ℞ ΙΡ. *Fax ardens intra coronam.* AE. III.

Similem priori, nisi quod pro ΙΡ. legitur ΡΙ., olim ex museo Caesareo vulgavi, eumque propterea Rhithymnae Cretae, tribui [u]). Similis alteri, nisi quod pro ΙΡ. legitur ΕΡ., editus est in museo Hunteriano, ac propterea a Combio tributus Ereso Lesbi. Difficile est, numis tam parcae inscriptionis veram adsignare patriam.

ARCADIA.

Communi gentis nomine signati copiosi *Autonomi.*

Caput imberbe nudum, cornu uno, aut binis e fronte turgentibus. ℞ , *infra fistula pastoritia, per aream literae variae.* AR. IV. AE. III. (Mus. Caes. Pellerin.)

Caput Jovis laur. ℞ *Idem monogramma. Fistula pastoritia, omnia intra quernam.* AE. II. (Pellerin.)

Caput Jovis laur. ℞ *Idem monogramma. (etiam sine hoc) Pan imberbis nudus sedens exstante ex fronte cornu d. elata, s. pedum, in area plerumque aquila, tum variae literae, et monogrammata.* AR. III. (Numi obvii). Insignior alter non multum absimilis, sed scripto praeterea infra ΟΛΥΜ. AR. I. (Hunter.)

Caput Panos. ℞ ΑΡΚΑΔΩΝ. *Pallas stans.* AR. max. mod. (Panel Mem. Trev. Octob. 1737.)

---

s) L. II. c. 30. t) In Theseo cap. 6. u) Num. vet. p. 155.

Pan deus Arcadiae res in vulgus notissima. Eum Arcadum numi nequaquam forma horridum, sed speciosi adolescentis ritu proponunt, qualem diximus exstare etiam in insigni numo Messanae Siciliae, ubi praeterea adscriptum ΠΑΝ legitur. Fistula et pedum certa sunt Panos attributa, quanquam quod fistulam dixi, Pellerinius censet esse cistam mysticam ad Panos sacrum ritum pertinentem. Causam adfert, quod calami aequales corbem potius vimineum notant, fistula calamis disparibus constante. At sunt etiam in monumentis veterum propositae fistulae compactae cicutis aequalibus, ut apud Caylus Rec. T. I. tab. 51, et T. II. tab. 47. Adde, quae nuper cl. Frid. Münterus ad numum Syracusanum de fistula Panos cum cicutis aequalibus erudite disputavit [x]. Caput anticae videtur esse Jovis nomine Lycaei in Arcadia culti, de quo ferebat fabula, quisquis in ejus templo humana viscera cum aliarum victimarum visceribus mixta gustasset, lupum fieri [y]. Vocabulum ΟΛΤΜ. numi Hunteriani inscriptum monticulo, cui Pan insidet, videtur designare nomen ipsius montis, nempe Olympi. Nullus quidem mons hujus nominis a geographis in Arcadia memoratur. Sed narrat Pausanias [z], monti Arcadiae Lycaeo Olympi etiam nomen fuisse, atque idem paullo infra perhibet, in monte Lycaeo fuisse Panos templum. Epigraphe in his numis monogrammate, quod literas ΑΡΚ. complectitur, plerumque finitur.

* * *

Caput muliebre ligatis filo crinibus intra quadratum, in area Α. ℞ *Juppiter sedens dexteram extendit, ex qua evolat aquila, s. hastam.* AR. III. (Mus. Caes.)

Alius, sed in area ΑΚ. (Pellerin.)

Alii, sed in area ΑΡΚΑ., *vel disjectis literis* ΑΡΚ. (Hunter tab. 7. n. I. II. III.)

ΑΡΚΑΔΙΚΟΝ. *Caput simile.* ℞ *Eadem aversa.* AR. III. (Mus. reg. Daniae, Catal. d'Ennery p. 67.)

Numi hi perantiquae fabricae varias sunt vices passae. Similem jam a Paruta editum video, cui cum legendum videretur ΑΚΡ., eum Agrigentinis dicavit [a]. Pellerinius literas numi sui Α. Κ. explevit legendo: Αβδηρας Κορας, secutus nempe Goltzium, in cujus numo simili plene scriptum ΑΒΔΗΡΑΣ. ΚΟΡΑΣ praetenditur [b], quo factum, ut in id genus numis aliis solitarium Α esse princeps τȣ Αβδηρας elementum crederetur. At palam testatur cl. Combius, in integerrimo musei Hunteriani numo distincte legi ΑΡΚΑ., et cum praeterea in postremo numo legatur plene ΑΡΚΑΔΙΚΟΝ, certum jam est, omnes hos numos Arcadiae restituendos. Qua in causa cum libenter Combii praeconium amplector, tum illud minus adridet, quod eos non Arcadiae Peloponnesi regioni, sed Ar-

---

x) Heeren Bibl. der alten Litterat. IX. Stück, S. 47. y) Plato de rep. L. VIII. p. 565.
z) In Arcad c. 38. a) Sic. num. tab. 79. b) In Graec. tab. 25.

cadiae Cretae urbi, tribuit, cujus certum nullum hactenus numum habemus. Epigraphe Pellerinii A. K. haud dubie manca est evanido medio P. Adverte rursum Goltzii malam mentem, inscriptum numo suo ΑΒΔΗΡΑΣ. ΚΟΡΑΣ profitentis, quando in numis id genus certis aliud non legimus, quam A, vel ΑΡΚΑ. vel ΑΡΚΑΔΙΚΟΝ. Postrema haec scriptura possessivum indicat pro gentili, cujus jam exempla dedimus, et dabimus adhuc.

AR. C. AE. R.

Imperatorii.

Totius gentis non exstant, nisi huc revocare velis numos Antinoi, quos vide in hujus herois moneta.

A L E A.

Autonomi.

Aeneum ΑΛΕΩΝ typo *Jovis aetophori sedentis* huc vocandum putat Pellerinius, dubitat tamen, an non aliud forte elementum numo suo exclusum praecedat.

Certiorem ΑΛΕΙΩΝ. ΑΧΑΙΩΝ, qui ad foedus Achaicum pertinet, protuli supra in numis dicti foederis.

AE. RRRR.

Imperatorius.

Vnicus, isque Marcianae, est apud Arigonium, si modo epigraphe rite lecta --- ΚΙΑΝΑ. ϹЄΒΑϹ. *Caput Marcianae.* Ӿ ΑΛΕΩΝ. *Mulier humi decumbens d. arundinem, s. urnae innixa.*

AE. RRRR.

ANTIGONIA.

Vide infra in Mantinea.

A S E A.

Apud quam urbem rursum emergit Alpeus.

Numum ΑΣΕΑΤΩΝ. ΑΧΑΙΩΝ dedi supra in numis foederis Achaici.

CAPHYA.

Imperatorii tantum, iique in familia Severi.

Singularis est capitis inscriptio in numo Caracallae apud Vaillantium: ΑΝΤΟΝΙΝΟΝ. ΒΑCΙ. Observat ad hunc Harduinus, τὸ ΒΑCΙ. legi non posse ΒΑCΙλεα, hoc enim esse contra morem Romanorum. Quare legendum: ΑΝΤΩΝΙΝΟΝ. Βιοδωρος Αγαπα Σιτω, *Antoninum alma diligit Ceres* c). Nugae quando in numis Commodi, Nicaeae, Caesareae Cappadociae, et Cii scribi potuit ΚΟΜΟΔΟΥ. ΒΑCΙΛЄΥΟΝΤΟϹ etc. Vide lites de hujus lectione vocabuli agitatas in Memoriis Trevolt. anni 1701.

Epigraphe: ΚΑΦΥΙΑΤΩΝ typis obviis.

AE. RRR.

E V A.

Numos aureos et argenteos inscriptos

---

c) Num. urb. III.

ΕΥΑ esse potius Cyrenaicae, dicetur in hujus numis.

HERAEA.

Ad Alpheum sita.

Imperatorium unicum vulgavit Pellerinius cum capite Caracallae, et HPAЄΩN. *Fluvius decumbens, cui adstat bos.* (Lettres p. 168.)

AE. RRRR.

MANTINEA, quae et ANTIGONIA.

Autonomus.

Caput Palladis. ✠ ΜΑΝΤΙΝΕΩΝ. *Vir pileatus succincto habitu gradiens, s. hastam, vel scipionem.* AE. III. (Pellerin.)

AE. RRRR.

Eadem urbs in Antigoni Dosonis gratiam, quod is Achaeorum studiosus esset, sese *Antigoniam* Arato sic volente nominavit, ut narrat Pausanias [d]), et Plutarchus [e]), atque hoc nomine supra in moneta foederis Achaici numum ΑΝΤΙΓΟΝΕΩΝ. ΑΧΑΙΩΝ vidimus. Serius Hadrianus adscititium illud Macedoniae nomen sustulit revocato vetere Mantineae teste eodem Pausania [f]), et comprobant istud sequentes

Imperatorii:

In familia Severi. *Epigraphe:* ΜΑΝΤΙΝЄΩΝ. (Vaill. Theup. Mus. Caes.)

De honoribus Antinoo hoc in oppido habitis, ejusque causis, et signata hic moneta vide, quae in Antinoi numis observabimus.

AE. RRR.

MEGALOPOLIS.

Patria Polybii, paullo post pugnam Leuctricam Epaminondae consilio ex pluribus aliis circumsitis oppidis coaluit, ut fortius resisteret Spartanis; quare Graecarum urbium *νεωτατη* dicebatur [g]). Chronicon Parium ejus annum natalem statuit V. C. 384.

Autonomi:

Caput Jovis laur. ✠ ΜΕΓ. *Pan nudus rupi insidens d. elata. s. pedum, in area aquila.* AR. III. AE. II. (Pellerin.)

Simillimi his sunt argentei, quos supra recitavimus, communi Arcadum nomine signati, unde verisimile, etiam hos hoc in oppido signatos. Similes Goltzius per peram Zephyrio Ciliciae tribuit.

Numi alii inscripti ΜΕΓ. incertum, utrum huc, an Megara sint avocandi.

AR. et AE. RRR.

Imperatorii.

Tantum in famillia Severi. Hujus, et Caracallae numos tres dedit Pellerinius [h]). Domnae unum addidit Arigonius. In museo Theupoli memoratur unus Elagabali, at verius etiam hic est Caracallae. Notandum enim, plerasque Peloponnesi urbes familiae solum Severi dedicasse monetam, atque id vivo Severo, quod

---

d) L. VIII. p. 615. e) In Arato cap. 45. f) L. c. g) Pausanias L. IX. c. 14. h) Rec. III. p 189.

colligo primum ex capite Caracallae, quod adhuc juvenile, ac plane imberbe proponitur, ex quo fit, ut facile Elagabalus haberi possit, qui reipsa est Caracalla, deinde quod in his numis Geta nunquam dicitur Augustus, sed Caesar tantum.

Epigraphe est: ΜЄΓΑΛΟΠΟΛЄΙΤΩΝ.

AE. RR.

NONACRIS.

Harduinus in Plinio suo [i]) autonomum vulgavit, in quo legit: ΔΗ. ΝΩΝ., quod solvit in ΔΗμος ΝΩΝακρινων, typus: *Protome Dianae.* ☧ *Aquila intra lauream.* Dubium non est, numum hunc per aetatem fuisse attritum, legendumque: ΑΒΥΔΗΝΩΝ, ut collati Abydi numi docent.

ORCHOMENVS.

Fuit praeter Orchomenum Boeoticum hujus nominis urbs alia in Arcadia.

Imperatorii.

In familia tantum Severi signati, et quidem eadem fabrica et forma, qua passim in aliis Peloponnesi urbibus hac aetate signatos videmus: ut adeo jure huic nostro Arcadiae Orchomeno sint vindicandi.

Epigraphe: ΟΡΧΟΜЄΝΙΩΝ. Sunt apud Vaillantium, Pellerinium, Theupoli, at majore numero apud Arigonium.

AE. RR.

PHENEVS.

Autonomi:

Caput Cereris spicis coronatum. ☧ ΦΕΝΕΩΝ. *Mercurius gradiens d. caduceum, s. puellum gestat, juxta quem scriptum:* ΑΡΚΑΣ. AR. m. m. (Pellerin). Eundem exhibet etiam Pembrock, (P. II. tab. 9.) in quo tria signa incusa conspiciuntur, quorum unum conficit epigraphen ΔΕΛΦ. Item AE. II. (Mus. Caes.)

Fuit Arcas Jovis et Callistus filius, quem Juppiter matre in ursam mutata in Arcadiam a Maja educandum misit [k]). Eo ministerio functum Mercurium hic numus docet, et jure, quod et ipse Majae filius fuit. Audi et Ciceronem [l]): *Quintus (Mercurius) quem colunt Pheneatae, qui et Argum dicitur interemisse.* Deorum omnium maxime Mercurium veneratos Pheneatas, eique ludos Hermaea fecisse tradit Pausanias [m]), et Lactantius [n]).

* * *

Caput Cereris spicis coronatum. ☧ ΦΕΝΙΚΟΝ. *Bos gradiens.* AR. III. (Mus. Caes.)

En iterum possessivum ΦΕΝΙΚΟΝ pro gentili ΦΕΝΕΩΝ, ut supra in Arcadia quoque vidimus.

* * *

Caput Dianae ☧ ΦΕΝΕΩΝ. *Equus pascens, intra cujus crura monogramma.* AE. III. (Mus. Caes.)

---

i) T. I. p. 196. k) Apollodor. L. III. c. 8. §. ult. l) Nat. deor. L. III. c. 22. m) L. VIII. c. 14. n) De fals. relig. c. 6.

Vlysses cum perditas equas apud Pheneum reperisset, Dianam inde Ευϱιππαν, *equarum inventricem*, coluisse erecto apud eam urbem templo narrat Pausanias o). Vide praeterea, quae de hoc numo alibi docui p).
AR. et AE. RR.

Imperatorii:

Aurelii, Caracallae, et Plautillae. (Vaill. Theup.)

Epigraphe ΦΕΝΕΑΤΩΝ.

Singularis est numus Plautillae in museo Theupoli citatus: ΕΠΙ. ΧΑΡΙΔΗΜΟΥ. ΦΕΝΕΑΤΩΝ. *Mulier utraque manu facem tenens.* AE. m. m. Nolim de viri eruditi adcuratione dubitare; mirum tamen videtur primo maximi moduli numisma, cum vix hac forma in Peloponnesi urbibus numi signati sint demptis iis, qui ab Achaeis et Arcadibus in Antinoi honorem cusi sunt, qui tamen proprie moneta non fuere, deinde nomen magistratus, quem numis urbium Peloponnesi sub Augustis vix solitum fuisse inscribi constat.
AE. RRR.

PHIALEA.

Antea dicta Phigalia.

Imperatorii tantum in una Severi familia complures editi, et majore numero a Vaillantio.

Epigraphe ΦΙΑΛΕΩΝ typis obviis.
AE. RR.

PSOPHIS.

Autonomum.

Dubium hujus urbis produxi supra in moneta foederis Achaici.

Imperatorii.

ΨΩΦΕΙΔΙΩΝ. Caracallae apud Pellerinium, Getae apud Vaillantium.
AE. RRRR.

STYMPHALVS.

Ad cujus adsitum lacum habitabant aves Stymphalides.

Caput muliebre laur. ℞ ΣΤΥΜΦΑΛΙΩΝ. *Hercules gradiens d. clavam attollit, s. exuvias leonis, in area* ΣΟ. AR. m. m. (Pellerin.)

Caput Herculis imberbe leonis pelle coopertum. ℞ ΣΤΥΜΦΑΛΙΩΝ. *(retrograde). Caput avis cum collo.* AR. III. (Pellerin.)

Herculem apud Stymphalum majore opere cultum, non mirum ob praestitum caede Stymphalidum beneficium. Harum imaginem in numo altero proponi existimat Pellerinius, quae tamen multum diversa sunt forma in numo Nicaeae, et monumentis aliis, quibus Herculis aerumnae proponuntur.
AR. RRRR.

TEGEA.

Diu ignoti fuere urbis hujus numi,

---

o) L. VIII. p. 628. p) Num. vet. p. 140.

dum eorum complures nostra aetate variorum antiquariorum ope lucem viderent.

Autonomi.

Caput Palladis. X ΤΕΓΕ. *Noctua.* AR. III. (Mus. Caes.) In alio *solum* TE. AE. III. (Pellerin.)

Constat ex Pausania, Palladem *Aleae* cognomine ab his Tegeatis magno in honore habitam. Pellerinius aeneos suos, quos citavi, Tegeatis Cretae proprios esse voluit, qua id veri specie, magis patebit ex iis, quae mox dicentur.

* * *

Caput Palladis. X ΤΕΓΕΑ. *Cerva puellum lactans, in nonnullorum area bina monogrammata.* AE. III. (Mus. Caes. Khell Adpendic. I. et II. Pellerin.)

Numi argumentum jam alias praeclare explicavit Khellius q). Narrat Pausanias r), Apollodorus s), et Diodorus Siculus t), Augen Alei Tegeae regis filiam ab Hercule vitiatam natum puellum primo in Palladis, cujus ea sacerdos fuit, luco deposuisse, at vulgato crimine infantem Alei jussu in monte Parthenio expositum, sed cui mox praesto fuit cerva, quae praebito lacte maternam abjecto opem tulit, ex quo facto *Telephus* est appellatus. Alibi narrat Pausanias u), in Helicone Boeotiae cervam Telepho infanti lac praebentem effictam stetisse. In hunc fere sensum Khellius. At Pellerinius aliorsum argumentum traduxit. Nam cum animal partis aversae nequaquam cervam, sed lupam putaret, et constaret ex Cretensium historia, simile beneficium Mileto suo, Apollinis filio, ab hac impensum, numum Tegeae Cretae adjudicavit, cum idem argumentum in Cydoniae quoque numis compareat x). Verum sine dubio praeferenda Khellii sententia, primum quod integerrimus numus musei Caesarei nullum de cerva dubium relinquit, deinde quod in nonnullis numis hujus thematis bina comparent monogrammata, quae eadem sunt in numis aliis certis hujus Tegeae Arcadiae, de quibus mox, quod manifeste patet collatis binis ejus numis a Khellio in Adpendicula II. productis. Accedit, quod in horum antica est Pallas multum a Tegeatis Arcadiae, ut dixi, observata, et cujus Auge Telephi mater sacerdos fuit; denique quod Tegea Cretae perobscurum fuit Cretae oppidum. Numos alios et monumenta, quae hanc Telephi fabulam multo illustrius sistunt, indicabo in numis Pergami Mysiae.

* * *

Caput Dianae prominente retro phareira et arcu. X ΤΕΓΕΑ. *Pallas stans s. hastam, d. aliquid imponit urnae, quam adstans puella offert, in area* ΛΑ. AE. II. (Pellerin.) *In alterius area* IE. (Khell Adpendic. II.) *In alterius area duo monogrammata.* (Khell l. c.)

q) Ll. cc. r) L. VIII. c. 48. s) L. III. c. 9. t) L. IV. c. 33. u) L. IX. c. 31. x) Rec. III. p. 73. Suppl. I. p. 52.

ΑΛΕΟΣ. *Caput barbatum diadematum.* ℞ ΤΕΓΕΑΤΑΝ. *Heros galeatus, cetera nudus stans, s. hastam et clypeum tenens, dextera aliquid acceptat a Pallade, quod adstans puella oblato vase excipit, per aream eadem monogrammata.* AE. II. Numi hujus praecones mox citabo.

Caput Palladis. ℞ ΤΕΓΕΑ. *Heros galeatus, cetera nudus, gradiens d. ensem, s. clypeum opponit.* AE. III. (Pellerin.)

In solo numo II. morabor, qui rite explicatus reliquis lucem impertit. Eum primum edidere, sed, ut apparet, minus integrum Harduinus y), et Haymius z). Adcuratius restituerunt Wachterus a), ac praecipue Pellerinius b). Anticae explicatus planus. Sistit ea Aleum Aphidantis F., Arcadis nepotem, Jovis et Callistus abnepotem, Lycaonis adnepotem. Alei regia adhuc Pausaniae aetate Tegeae monstrabatur, ut et fanum Minervae Aleae ab eo aedificatum, de quo vide plura apud Haymium c). At aversae explicatum nemo omnium, qui numum stitere, est adsecutus. Eum latius exposui in meis Numis vet. d) secutus Apollodorum e), et Pausaniam f), qui perhibent, Cepheum Alei filium et Tegeae regem invitatum ab Hercule, ut sese ad bellum sequeretur, sed conditiones detrectantem, quod se absente Argivorum incursionem metuebat, tum denique persuasum, cum ei Pallas detonsum Medusae crinem in amphora obtulit, quem Sterope Cephei filia, si forte hostes ingruerent, ostentare e moenibus jubebatur. Monere non attinet, numum hunc Aleo synchronum non esse, qui annis circiter 1400 ante Christum Tegeae regnaverit. Numus III. ipsum iterum Cepheum sistit, ut colligitur ex cultu, quem is in binis praecedentibus obtinet. In area numi I. legitur ΛΑ., quo Pellerinius indicari censet aut concordiam cum Lacedaemoniis, aut Tegeatas se profiteri his subjectos. Verum cum in simili alio pro hoc legatur ΙΕ., videtur τo ΛΑ. aliud significare, perinde atque in Aegira Achaiae vidimus.

* * *

Numum ΤΕΓΕΑΤΩΝ. ΑΧΑΙΩΝ descripsi supra in numis foederis Achaici. *AR. RRRR. AE. RR.*

Imperatorii.

In sola Severi familia. (Theupoli, Pellerin.)

Epigraphe: ΤΕΓΕΑΤΩΝ.

Typus illustrior: *Atalanta Tegeaea aprum Calydonium hasta feriens*, in numo Domnae. (Mus. Caes.) Vide, quae huc pertinentia supra in Aetolia notavi. *AE. RRR.*

THELPVSA.

Autonomi.

Caput radiatum. ℞ ΘΕΛ. *intra lauream.* AE. III.

---

y) Num. ill. in Τεγεα. z) T. II. p. 4. a) Archaeol. num. p. 82. b) Rois p. 33. c) L. c. d) Pag. 142. e) L. I. c. 7. f) In Arcad. c. 47.

Similem edidit Neumannus g), sed in quo prior litera Θ deficit. At testatur idem, sese a cl. Wackero, qui praesentem numum vulgavit, edoctum, literas ΘΕΛ. in eo esse luculentas. Idem quoque integer est Veletris in museo Em. Card. Borgia.

AE. RRR.

Imperatorii.

In Severi tantum familia.

Epigraphe: ΘΕΛΠΟΥϹΙΩΝ. (Vaill. Theup.)

AE. RRR.

THISSOA.

Dicta Pausaniae: Θεισσοα ή προς Ορχομενῳ, et fuit una ex oppidis ex quibus conflata fuit Megalopolis h).

Numum: ΑΧΑΙΩΝ. ΘΙΣΟΑΙΩΝ vide supra inter numos foederis Achaici.

AE. RRRR.

C R E T A.

Insularum hujus tractus maxima et nobilissima, Jovisque natalibus, Labyrintho, Minotauro, aliisque fabularum prodigiis inclyta, quorum haud dubie causa meritorum in antiquo lapide jactantius dicitur ab indigenis ΒΑΣΙΛΕΥΟΥΣΑ. ΤΩΝ. ΝΗΣΩΝ, *regina insularum* i). Olim centum digestam per urbes fama ferebat, quarum non paucas numi hodieque superstites nobilitant. Sunt hi argentei aeneique, aurei nondum reperti, habentque tam certum ac peculiarem characterem, ut natales suos celare non possint oculum tractandis numis adsuetum. In argenteis discrimen illud omnium maxime elucet, quod plerique praeter certa remotae antiquitatis indicia duriorem quendam picturae modum offerunt, qui neque in numis serius signatis facile mitescit, raro visis Gratiis in hanc insulam pedem intulisse.

Autonomi:

Nomine totius insulae, iique argentei sunt apud solum Goltzium, inscripti ΚΡΗ. ΚΡΗΤΑΙΩΝ, suntque cistophori omnes, quod genus, ut alibi docebitur, verisimile non est in Creta signatum, unde de vera eorum lectione jure dubitatur.

In numo Haymii k), et musei Pembrock l) cum capite Homeri male lectum ΚΡΗΤΩΝ pro ΙΗΤΩΝ, qui adeo ad insulam Ion pertinent.

Imperatorii.

Horum primus est cum capite Tiberii (Vaill.) reliqui porriguntur usque ad M. Aurelium. Major eorum numerus est cum capite Trajani, quos videsis in muſeo Farnesiano.

Epigraphe constans: ΚΟΙΝΟΝ. ΚΡΗΤΩΝ.

Typi: Hi fabulis domesticis plerum-

g) Num. pop. P. II. p. 161. h) in Arcadic. c. 27. i) Gruter p. 1090. 11. k) T. II. p. m. 72. l) P. II. tab. 80.

que inhaerent, sic: *Europa tauro vecta. Nympha Jovem puellum ulnis complexa, in area hinc cornu Amaltheae, inde aquila. Juppiter infans globo insidens inter septem astra adstante capra.* Hic rex deorum in Creta natus educatusque res nota, unde et dictus *Cretagenes*, de quo infra separato articulo agam. Saepe etiam occurrit *Diana*, nomine Dictynnae, aut Britomartis late in hac insula culta, de qua infra quoque recurret sermo.

* * *

Sunt aenei non pauci minimae formae cum capite Hadriani et Antonini, quorum sola inscriptio in aversa est K. K. Typi sunt: *Ara, super qua globus. — Miles galeatus, cetera nudus gradiens cum hasta et clypeo. — Diana venatrix.* (Mus. Caes. Arigoni.) In his primum K notare Κοινον, dubium non est; de altero ambigi potest, utrum Κιλικιας, an Κρητων, an Κυπριων, an Καρων indicet. Pro Cilicibus stetit Harduinus. Auctor musei Theupoli eos Alexandrinis accensuit m), ad quos eos pertinere nulla ratio suadet. Verisimilius legendum Κρητων, nam fabrica Cretensis potius est, et typus Dianae venatricis in Cretam potius videtur invitare, et miles similis gradiens obvius est in numis Apterae.

* * *

Juppiter Cretagenes. Eum eloquuntur numi sequentes:

ΘΕΟΣ. ΣΕΒΑΣΤΟΣ. ΕΠΙ. ΚΟΡΝΗΛΙΟΥ. ΛΥΠΟΥ. *Caput Augusti radiatum.* ✠ ΤΑΝ. ΚΡΗΤΑΓΕΝΗΣ. ΠΟΛΥΡ. *Caput Jovis laureatum, infra quod fulmen.* AR. m. m. (Barthelemy B. L. T. XXVI. p. 546.)

ΘΕΟΣ. ΣΕΒΑΣΤΟΣ. ΚΡΗΤΩΝ. ΕΠΙ. ΚΟΡΝΗΛΙΟΥ. *Caput Augusti radiatum.* ✠ ΤΑΝ. ΚΡΗΤΑΓΕΝΗΣ. ΙΕΡΑ - - - *Caput Jovis diadematum, infra fulmen.* AR. m. m. (Liebe Goth. num. p. 364.)

ΑΥΤΟ. ΤΙΤΟ. *Caput Titi laur.* ✠ ΖΕΥΣ. ΚΡΗΤΑΓΕΝΗΣ. *Juppiter nudus stans inter septem astra d. fulmen intorquet, s. strophio involuta.* AE. I. Hunc numum post Tristanum et Harduinum (Num. III. in Γαζα.) adcuratius edidit Pellerinius. (Mel. I. p. 341.) Est etiam in Museo Caes.

Priores duos numos erudite explicat Barthelemyus. (l. c.) Signatus uterque in Creta, et prior quidem *Polyrrhenii*, alter *Hierapytnae*, in quo Liebei lapsum jure obelo notat. Nomen ΤΑΝ Doricum est pro ΖΑΝ, vel ΖΗΝ, pro quo in numo III. multo serius signato est solitum ΖΕΥΣ. Verbum ΚΡΗΤΑΓΕΝΗΣ significavit Jovem *in Creta genitum*, cujus alioqui natales a plerisque in Creta constituuntur. Jovem hoc nomine cultum in Creta docet foedus Olontiorum, et Latiorum, in quo: ΟΜΝΕΩ - - - ΤΟΝ. ΖΗΝΑ. ΤΟΝ. ΚΡΗΤΟΓΕΝΕΑ n). Ex his numis habemus etiam imaginem Jovis Cretagenis, nempe cujus attributum princeps est fulmen. Astris cingitur, quia, ut ait Nonnus o).

m) pag. 1134. n) Reines. T. I. p. 501. o) Dionys. XXXI. v. 56.

Ζευς μεν αναξ κατ' Ολυμπον εχει δομον εμπλεον αστρων.

Juppiter rex in Olympo tenet domum plenam astris.

Infra in numis Gazae Judaeae ex Marco Diacono docebo, eundem Jovem Cretagenem ante omnes deos a Gazaeis cultum, sed nomine *Marnas*, et quidem velut *dominum imbrium*, quorsum fulmen apte refertur. In numis Ephesi videbimus etiam Iovem Pluvium fulmine armatum. Ad idem argumentum pertinerent etiam numi Aegii Achaiae inscripti ΚΡΗΤΑΙΟΣ, et typo Jovis fulminantis, quos edidere Spanhemius, Pellerinius, aliique, sed in his non legi ΚΡΗΤΑΙΟΣ, sed ΚΛΗΤΑΙΟΣ in hujus numis dictum. Numum III. Harduinus ob dictas causas Gazae tribuit, verisimilius tamen est, hunc quoque in Creta flatum.

* * *

Cum hic Cornelii Lupi proconsulis Cretae facta fit mentio, juvat alios quoque numos ejus nomine inscriptos, et in variis Cretae urbibus signatos commemorare. Sunt omnes argentei, et cum capite Tiberii, et depicti exstant apud Morellium in Familia Corn. Tab. VII.

ΤΙΒΕΡΙΩ. ΚΑΙΣΑΡΙ. ΣΕΒΑΣΤΩ. ΕΠΙ. ΚΟΡ. ΛΥ. *Caput laur.* ℞ ΣΥΝΚΛΗΤΩ. ΚΡΗΤΕΣ. ΚΥΔ. *Caput Senatus barbatum velatum.* AR. m. m.

Alius, sed in aversa plene scriptum: ΚΥΔΩΝΕΑΤΑΝ.

ΤΙ. ΚΑΙΣΑΡΙ. ΣΕΒΑΣΤΩ. ΚΥΔ. *Caput laur.* ℞ ΚΑΙΣΑΡΙ. ΣΕΒΑΣΤΩ. Κ. ΚΡΗΤΩΝ. Ε. ΚΟΡ. Λ. *Caput Augusti laur.* AR. III.

ΤΙ. ΚΑΙΣ. ΣΕΒΑΣΤΟΣ. Ε. ΚΟΡ. Λ. *Caput laur.* ℞ ΘΕΟΣ. ΣΕΒΑΣΤΟΣ. ΕΛΕΥΘ. *Caput Augusti radiatum.* AR. III.

ΤΙΒΕΡΙΩ. ΚΑΙΣΑΡΙ. ΣΕΒΑΣΤΩ. ΓΟΡΤΥΝΙΩΝ. *Caput laur.* ℞ ΚΑΙΣΑΡΙ. ΣΕΒΑΣΤΩ. ΚΡΗΤΕΣ. Ε. ΚΟΡ. ΛΥ. *Caput Augusti radiatum.* AR. III.

Fuit Cornelius Lupus proconsul Cretae, ut hi numi docent, et fuisse ex familia Lentulorum, probant marmora Capitolina, in quibus ad annum V. C. 697. memoratur consul *L. Cornelius Cn. F. L. N. Lentul. Lupus* p). Eum sub Claudio insidiis Suillii appetitum, interemptumque docet Tacitus; nam objectum fuisse tum inter alia Suillio: *Valerium Asiaticum, Lusium Saturninum, CORNELIVM LVPVM circumventos* q). Et Seneca hunc quoque Lupum inter amicos, et quidem consulares a Claudio caesos narrat r). Haec pleraque jam observavit Havercampus. Nomina igitur decurtata sic explenda: ΕΠΙ. ΚΟΡΝΗΛΙΟΥ. ΛΥΠΟΥ, ut plene comprobat numus Jovis Cretagenis paullo altius citatus. Habemus in numo I. caput Senatus eo cultu, qui grave hoc conlegium decuit, non facie juvenili, ut saepe in numis Asiae. Tres priores numi signati sunt apud Cydoniam, quartus apud Eleuthernas, quintus Gortynam. Hi quoque numi quaesitum Cretensium in Augustum

p) Grut. p. 293. q) Annal. XIII. c. 43. r) Αποκολοκ. sub fin.

adfectum nos edocent, qui tantus fuit, ut a Tiberio, sub quo hi numi signati sunt, asyli jus simulacro D. Augusti petere auderent [s]). Senatum coluere, quia Creta fuit Senatus provincia, cujus exempla passim offerunt numi Asiae proconsularis.

His addendus numus similis rationis:

ΤΙΒΕΡΙΩ. ΚΑΙΣΑΡΙ. ΣΕΒΑΣΤΩ. ΕΠΙ. ΛΑΧΗΤ. *Caput laur.* ✕ ΣΥΝΚΛΗΤΩ. ΚΡΗΤΕΣ. ΚΥΔΩΝΕΑΤΩΝ. *Caput Senatus barbatum velatum.* AR. m. m.

Numum edidere Harduinus [t]), et Morellius [u]). Differt a numo II. supra descripto solo magistratu. Quis fuerit hic Laches, an proconsul, an, quod verius, magistratus Cydoniae proprius, (nam Laches nomen Graecum est) decidere nequeo.

* * *

Addendus et numus alter bilinguis:

IMP. CAES. NER. TRAIAN. OPTIM. AVG. GER. DAC. PART. *Caput laur.* ✕ ΔΙΚΤΥΝΝΑ. ΚΡΗΤ. *Diana venatricis habitu rupi insidens d. telum, s. infantem tenet, adstat hinc et illinc vir armatus.* AR. III. (Tristan. in Traj. Seguin. p. 126. Theup. Vaill.)

Ex mente Tristani proponitur in hoc numo Diana, quae Graecis et *Dictynna* dicta est, insidetque monti Tityro regionis Cydoniatis, in quo ejus templum stetit appellatum Δικτυνναιον secundum Strabonem. Infantem manibus tenet quoniam Diana eadem est cum Lucina partuum praeside. Adstans uterque vir armatus Seguino in mentem revocat enopliam, seu pyrrhicam saltationem inventam a Cretensibus, nimirum Rhea Jovis recens nati vagitum edito a Corybantibus armorum fragore obtundente. Vide plura apud Spanhemium [x]).

* * *

Dubium est, utrum Cretensis moneta sint numi Titi et Domitiani, in quorum postica: ΔΙΟΣ. ΙΔΑΙΟΥ. *Aquila stans.* AE. II. (Morelli in Tito tab. XIV. 1.) Nam et in Mysia fuit mons Ida, et hic Jovi sacer.

AR. RRR. AE. C.

ALLARIA.

Hujus Cretae urbis nulla uspiam mentio, praeterquam in vetere epigrammate, quod post alios edidit Chishull [y]), in quo dicitur: Αλλαριωταν ἁ πολις.

Caput Palladis. ✕ ΑΛΛΑΡΙΩΤΑΝ. *Hercules stans.* AR. m. m. (Pellerin Suppl. III. p. 106.) AR. III. (Mus. M. Duc.)

AR. RRR.

APOLLONIA.

Huc cl. Combius vocat argènteum Hunterianum: A. *Tripus.* Credam verius, extritam literam Z το A praecedentem, numumque esse Zacynthi.

---

[s]) Tacit. Ann. L. III. c. 63. [t]) Num. ill. sub Cydonia. [u]) Impp. in Tiber. tab. IV. n. 25. [x]) ad Callim. in Dian. v. 205. [y]) Ant. Asiat. p. 137.

A P T E R A.

Mediterranea in occidentem.

ΑΠΤΕΡΑΙΩΝ. *Caput muliebre.* ✕ *Vir stans d. quid tenet.* AR. I. (Mus. M. Ducis.)

Eadem adversa. ✕ ΠΤΟΛΟΣΤΟ - *Miles armatus stans, juxta arbutum.* AR. I. (Hunter.)

Caput Jovis. ✕ ΑΠΤΑΡΕΩΝ. *Mercurius stans d. caduceum.* AR. III. (Mus. Caes.)

Caput muliebre. ✕ ΑΠΤΑΡΑΙΩΝ. *Miles gradiens cum hasta et clypeo.* AE. III. (Mus. Caes.)

Horum prior fabricae est perantiquae, et recte inscribit ΑΠΤΕΡΑΙΩΝ, cum in reliquis aevi recentioris sit ΑΠΤΑΡΑΙΩΝ. Haec enim urbs teste Stephano, et Suida nomen traxit ἀπο των πτερων, quod apud hanc urbem Sirenes cantu a Musis superatae alas abjecere, de quo vide plura in meis Numis vet. [z]), quo loco numum priorem edidi, et in numis gentis Petroniae, quibus adde Tzetzem [a]), et monumentum vetus apud Winckelmannum [b]). Serius E in A, vertit receptus in Creta Dorismus. Vetus scholiastes Euripidis: ἁτερος ὁ ἑτερος Δωριστι [c]), et secundum enarratorem Theocriti: Αρταμις Dorice pro Αρτεμις [d]).

* * *

Caput muliebre. ✕ ΑΠΤΑΡΑΙΩΝ. *Apollo nudus sedens d. pateram, s. lyrae innixus.* AR. III. (Pellerin.)

ΑΠΤΑ. *Apis.* (Harduin.)

Videntur hi numi aliam sequi famam, nimirum urbem nomen traxisse a *Ptera* quopiam, qui vetustissimum Delphis Apollinis templum struxit, unde natam fabulam, fabricatum ab apibus templum ex apum cera, et pinnis [e]).

AR. RR. AE. R.

A R C A D I A.

Hujus insulae urbs secundum veterum testimonia, et maritima in ortum. Arcadum Peloponnesi coloniam fecit Pellerinius, sed auctorem reticuit. Eidem is numum tribuit: *Caput Ammonis.* ✕ ΑΡΚΑΔΩΝ. *Pallas stans d. hastam, s. clypeum humi attinet.* AR. II. Tamen causam non adfert, cur huic Cretae urbi potius prae Arcadibus Peloponnesi tribuendus sit. Ipse discriminis hujus rationem probabilem non video. Addit: huic quoque urbi ab Harduino tributum numum, qui tamen, saltem in ejus numis illustratis, non reperitur. Videtur ergo dubium, an propria huic oppido hactenus exstet moneta.

A R S I N O E.

Caput Palladis. ✕ ΑΡΣΙ. *Duo Delphini.* AE. III. (Mus. Caes.)

In hoc et fabrica et typus plane ex Cretae sunt ingenio, et est Stephano Arsinoe ἐννατη Λυκτε, quo docemur, urbem Lycto Cretae urbi paruisse. Vide, quae de hoc in meis Num. vet. p. 144. disserui.

---

z) pag. 143. a) ad Lycophr. v. 653. b) Monum. ant. num. 42. 46. c) Hippolyt. v. 894. d) ad Idyll. I. v. 4. e) Pausan. in Phocaic. p. 810. Philostrat. Vit. Apoll. L. IV. c. 10.

Similem edidit Arigonius, quem Froelichius dubitantis more Graeciae, vel Cypro tribuit f). Serius alium addidit Combius:

Caput muliebre. ☧ ΑΡΣΙ. *Miles nudus stans.* AE. II. (Mus. Hunter.)
AE. RRR.

AXVS.

Caput Jovis, in aliis Apollinis. ☧ [Α-ΞΙΩΝ. *Tripus, per aream monogrammata, aut etiam sine his.* AE. II. III. (Mus. Caes.)

Alii similes, sed scriptum: FΑΞΙΩΝ. (Liebe Goth. num. p. 163. Hunter pag. 65. Dutens Explic. de quelq. Méd. p. 186. 195. 228.)

Quatuor produntur in Creta urbes nomine adfini, *Axus*, *Oaxus*, *Saxus*, *Naxus.* Primae meminit Stephanus: AXVS *urbs Cretae, ut Herodotus libro IV.* sc. cap. 154. Verum in hoc Herodoti loco alia MSS. habent Αξος, alia Οαξος, ut sanc etiam apud Suidam, qui idem factum ex Herodoto exscripsit, legitur Οαξος g). Sed et alibi Stephanus: OAXVS *urbs Cretae.* Et consentiunt scriptores alii. Virgilius h): *et rapidum Cretae veniemus Oaxen*, ad quem versum Servius, quid statueret, incertus inter alia prodit etiam, Oaxen Apollinis filium *Oaxen* in Creta oppidum condidisse. Etiam Vibio Sequestro est *Oaxes Cretae, a quo civitas Oaxia* i). Denique Hierocles in Synecdemo: Οαξιος, Ελευθερνα etc. Sed videtur Axus, et Oaxus eadem fuisse civitas, de quo mox iterum. Saxum oppidum Cretae intulit, non quidem scriptorum veterum quispiam, sed Chishullius fide veteris marmoris in Creta reperti, in quo legitur ΣΑΞΙΟΙ et ΣΑΤΞΙΟΙ k). At enim haec Cretae Saxus suspecta est. Nam Chandlerus, qui marmor illud post Chishullum inspexit, pro ΣΑΞΙΩΝ legendum ΝΑΞΙΩΝ testatur l). Sin istud, nomine ΝΑΞΙΩΝ intelligenda est *Naxus* civitas, quam in Creta constituunt complures inferioris aevi grammatici, quos dabunt Stephani Byzantii interpretes Holstenius, et Pinedus m), a qua urbe nomen habuit celebrata a veteribus, et ipso Pindaro Ναξια ακονη, *Naxia cos.*

Ad numos ut revertar, eos Haymius Saxo Cretae tribuendos censuit n). Revera in numis copiosa sunt exempla τȣ Σ instar [formati. Et confirmata haec conjectura videbatur marmore Chishulli, quod nobis Saxum Cretae prodidit. At enim, cum hanc ex marmore lectionem, ut diximus, secundae Chandleri curae suspectam reddiderint, ad haec reperti sint numi alii, qui certam epigraphen FΑΞΙΩΝ sistunt, cujus primum elementum pro Σ haberi nequit, omittenda sine dubio est Saxus, numique tribuendi Axo, cujus gentile Stephano est Αξιος, scripto adeo in numis ΑΞΙΩΝ,

f) Not. elem. p. 76. g) in Βαττος. h) Eclog. I. v. 66. i) de Flumin. k) Ant. Asiat. p. 114. l) Inscript. ant. in nota ad marm. XVIII. m) sub Ναξος. n) Thes. Br. T. p. II. 181.

sed praefixo digamma Aeolico FAΞΙΩΝ, quo modo in numis Elidis vidimus scriptum FAΛΕΙΩΝ pro ΑΛΕΙΩΝ. Atqui jam alibi vidimus, et disseremus copiosius in tractatu de notis chronologicis, digamma illud promiscue jam forma [, jam F expressum fuisse, quo modo in numis Capuae jam legimus ΚΑΠF, jam ΚΑΠ[. Cum igitur haec Cretae urbs, ut ex his numis discimus, spiritum aliquem nomini suo certe praefixerit, fieri poterat, ut hic a Cretensibus pronunciaretur sono, qui ad literam O accederet, unde exterorum *Oaxus* nasci facile potuit, cum interim Axus, et Oaxus una eademque urbs esset.

Combius numos cum epigraphe seu ΑΞ., quos vulgo Axiae Locrorum tribuimus, seu FAΞΙΩΝ, de quibus modo agimus, Axiae Italiae largitur o). Numos ΑΞ. hoc loco non moror. Cur vero numos FAΞΙΩΝ Cretenses malim, in causa est, quia Stephanus Axo Cretae gentile Αξιος adsignat, diversum vero Axiae seu Italicae, seu Locrorum.

AE. R.

CAMARA.

Autonomum argenteum ΚΑΜΑΡΑΣ typo insolito edidit Goltzius, (in Insul. tab. IV.) quem cum is, tum Nonnius et Harduinus huic Cretae urbi Stephano memoratae donum dederunt.

CERAITAE.

Populus Cretae, ut mox probabimus. *Caput Dianae.* ℞ ΚΕΡΑΙΤΑΝ. *Duplex hastilis ferrum, sed forma varium intra coronam.* AR. II. (Hunter.)

Jure singulari huic numo patriam Cretam dedit eruditus Combius; nam Cretensem faciunt fabrica, typi, dialectus. At nunc propius urbs ipsa investiganda. Nomen adfine suppeditat Polybius, cum narrat, Polyrhenios, CERETAS (Κερεται) Lampaeos, Orios, Arcades a Cnossiis ad Lyttios defecisse p). Stephanus agens de poeta Rhiano: Ριανος γαρ ὁ ποιητης Βηναιος ἠν, Κερεατης, ἡ Κρης. *Rhianus enim poeta Benaeus fuit, vel Cereates, vel Cretensis.* Ex binis ergo his testimoniis habemus et *Ceretas*, et *Cereatas* Cretae. Sed magis apte ad numi epigraphen Suidas, qui eundem Rhianum laudans sic fatur: Ριανος ὁ και Κρης ὠν, Βηναιος (Βηνη δε πολις Κρητης) τινες δε ΚΕΡΑΙΤΗΝ. *Rhianus Cretensis Benaeus (est autem Bene urbs Cretae) alii vero CERAITEM* praedicant q). Eodem modo Eudocia Augusta, quae idem perhibet, Rhianum appellat Cretensem, et quidem Κεραιτην, ut Suidas r). Quocirca nequaquam, quod visum Meursio, aliisque, Suidas ex Polybio corrigendus, sed Polybius ex Suida, cujus Κεραΐτης praeclare cum epigraphe numi ΚΕΡΑΙΤΑΝ conspirat. Satis etiam apparet, postrema Stephani verba: ἡ Κρης ex marginali glossa in textum recepta; nam nonnisi insanus diceret: Rhianum fuisse Benaeum, vel Ceraiten, vel Cretensem, quando et Benaei et Ceraitae populus fuere Cretensis.

o) Mus. Hunter, p. 65. p) Hist. L. IV. c. 53. q) in Ριανος. r) in Ionia sub Ριανος.

Ad situm urbis quod attinet, ex citatis Polybii verbis colligo, eam prope Polyrhenios stetisse, qui fuere populus in occidentem positus. Eandem viciniam arguit etiam typus; nam hastilis ferrum, quale in hoc Ceraitarum numo videmus, frequenter in Polyrheniorum moneta occurrit.

AR. RRRR.

CHERSONESVS.

Ex Chersonesis pluribus, quos antiquus orbis cognitus memorat, Cherso- neso Cretae numi sequentes vindicandi.

Caput Dianae. Ӿ ΧΕΡΣΟ. *Hercules d. clavam attollens, s. leonis exuvias.* AR. I. (Mus. Caes.)

Caput Dianae laureatum. Ӿ ΧΕΡΟΝΑΣΙΟΝ, *in alio:* ΧΕΡΣΟΝΗΣΙΟΝ, *etiam* ΧΕΡΣΟΝΑ., *vel* ΧΕΡΣΟΝΑΣΙΟΝ. *Apollo nudus cortinae insidens d. plectrum, s. lyram.* AR. I. (Pellerin Rec. III. p. 75. et Additions p. 24. Pembrock, Hunter.)

Horum priorem, qui per fabricam, et literarum formam remotissimi est aevi, a me editum vide in meis Numis vet. p. 145. Ipsa vero fabrica et typi utrumque numum huic Cretae Chersoneso invicte tribuunt. Verum cum binae fuerint in Creta Chersonesi, una in occidentali litore juxta promontorium Criumetopon, altera versus Orientem prope Lyttum, dubitari nonnihil potest, ad utram pertineant. Lucem aliquam adfert Strabo, qui de Lytti Chersoneso ait, in ea esse Britomartis templum [s]). Fuit autem Cretensium Britomartis Diana. Narrat praeterea Plutarchus [t]). Tyrrhenos ejus Chersonesi, quae juxta Lyctum est, conditores, huc detulisse signum Dianae a majoribus acceptum. Cum igitur in singulis his numis compareat hujus deae caput, videntur alterius hujus esse Chersonesi. Animadvertenda in Dianae capite corona laurea, quae in utroque numo Pelleriniano comparet, insolitum hujus deae ornamentum. Herculis gestus ictum clava minitantis indicat singulare beneficium, quo a malignis feris totam insulam purgavit [u]).

* * *

Caput Palladis. Ӿ ΧΕΡ. *Navis.* AE. III. (Mus. Caes.)

Hunc etiam huc pertinere alibi ostendi [x]). Ejus rationem non tam ex typo navis peto, quod Chersonesum hanc fuisse Lytti navale prodidit Strabo, quam quod hic numus utriusque faciei typo simillimus est alteri, quem signatum fuisse Lytti, inscriptio ΛΥΤ. manifestat, quemque infra reperies.

AR. RR. AE. RRRR.

CNOSSVS.

Vrbs mediterranea, Minois regia, et Labyrintho celebrata, cujus exstant numi copiosi, et insignes.

---

s) L. X. p. 479. t) de Virt. mul. p. m. 247. u) Diodor. L. IV. p. 263. x) Num. vet. p. 145.

Autonomi.

Minotaurus flexo genu sinistro d. elata globum tenet. ✕ *Quadratum incusum, intra quod Labyrinthus in crucis formam.* AR. m. m. (Pellerin.)

ΠΟΛΧΟΣ. *Caput Apollinis laur.* ✕ ΚΝΩΣΙΩΝ. *Labyrinthus rotundus.* AR. m. m. (Chishull. Ant. As. p. 127. Pellerin.)

Caput Jovis. ✕ ΚΝΩΣΙΩΝ. *Labyrinthus quadratus.* AR. m. m. (Mus. Caes.)

Labyrinthus, opus Daedali a Minoe imperatum, subinde cum Minotauri, tum artificis ipsius carcer, res notior, quam ut commemorando immorer. Eum jactant numi Cnossi, quia prope hanc stetit, et quidem frequentes, ab iis, quos hic descripsi, nonnihil discrepantes, sed quos omnes recitare non attinet. Ex his numus primus omnium maxime insignis cum propter indicia certa longae vetustatis, propter quam et citatus, et propositus est a Barthelemyo y), tum propter ipsum Minotauri typum.

ΠΟΛΧΟΣ numi II. esse nomen magistratus, quis dubitabit post tot alia exempla, quae sufficiunt numi urbium Creticarum? Verum non ita visum Chishullo, cujus lepidam interpretationem ex etymologiae penu petitam, neque improbatam Pellerinio legisse non poenitebit z).

* * *

ΝΙΚΑ. *(etiam sine hoc.) Caput barbatum diadematum.* ✕ ΚΝΩΣΙΩΝ. *Labyrinthus.* AR. m. m. (Pellerin Rois tab. III.)

Existimat Pellerinius, hoc capite proponi veterem Cnossi regem Minoem, et sic ejus in his numis memoriam a grata posteritate renovatam.

* * *

Caput Jovis. ✕ ΚΝΩΣΙΩΝ. *Aquila stans explicatis alis.* AE. II. (Mus. Caes.)

ΚΝΩΣΙΩΝ. *Caput Jovis.* ✕ ΜΝΑΣΙΘΕΟΣ. *Aquila stans explicatis alis.* AE. II. (Hunter.)

Caput Jovis. ✕ ΚΥΔΑΣ. *Aquila stans explicatis alis.* AE. II. (Mus. Caes.)

Caput Jovis. ✕ ΑΡΙΣΤΙΩΝ. *Aquila stans explicatis alis.* AE. II. (Mus. Caes.)

Horum duo priores sequentium veram patriam edocent, nam fuere olim, qui numum tertium Cydoniae tribuerent, quantumvis ΚΥΔΑΣ multum differat a ΚΥΔΩΝΙΑ vero urbis nomine. Ergo ΚΥΔΑΣ aliud non est, quam magistratus nomen, nam et Cicero memorat *CYDAM Cretensem: portentum insulae, hominem audacissimum, et perditissimum* a). Quin et Livius binis locis Cydantes Cretenses aetate postremorum Macedoniae regum florentes prodidit b). Idem sentiendum de vocabulo numi ΑΡΙΣΤΙΩΝ. Similes Pellerinius Aristaeo ignobili Thraciae urbi adjudicavit c). Khellius, cum scriptum sibi videretur ΚΑΡΙΣΤΙΩΝ, quae epigraphe etiam in

y) Mem. B. L. T. XXIV. p. 30. z) l. c. a) Philipp. V. c. 5. b) L. XXXIII. 3, et XLIV. 24. c) Rec. I. p. 195. Suppl. I. p. 52.

numo Arigonii praetenditur [d]), cum Caristo Ligurum dedit [e]). Verum istud ΑΡΙΣΤΙΩΝ non notare urbem, sed magistratum *Aristionem*, alibi luculente comprobavi [f]), ipso Pellerinio serius mecum sentiente [g]).

* * *

Caput Dianae. ☧ ΚΝΩΣΙΩΝ. *Pharetra pendentibus loris.* AE. II. (Mus. Caes.)

Caput Dianae. ☧ ΘΑΡΣΥΔΙΚΑΣ, *vel:* ΑΥΡΙΑΔΑΒ. *Pharetra pendentibus loris.* AE. II. (Mus. Caes.)

In numis loci II. literae per aream saepe miro modo confusae apparent. Ceterum dubitari nequit, esse magistratuum nomina.

* * *

In numis aliis valet etiam epigraphe ΚΝΩ. ΚΝΩΣΙ.

AR. R. AE. C.

Imperatorii:

Bini hactenus comperti, Augusti: ΓΝΩΣΣΙΩΝ. *Labyrinthus.* Tiberii: ΓΝΩΣΙΩΝ. *Minotaurus.*

AE. RRRR.

CYDONIA.

Ex clarissimis Cretae urbibus una, maritima in ora septentrionali versus occasum.

Autonomi.

ΝΕΥΑΝΤΟΣ. ΕΠΟΕΙ. *Caput muliebre floribus redimitum.* ☧ ΚΥΔΩΝ. *Vir nudus utraque manu arcum tenens.* AR. I. (Mus. Caes.)

Caput simile. ☧ ΚΥΔΩΝ. *Vir nudus arcum ad subjectum ignem parans, cui praeterea in nonnullis adblanditur canis.* AR. I. (Mus. Caes. le Blond.)

Numus prior propter anticae epigraphen est unum ex illustrioribus musei Caesarei cimeliis. Ejus sensus: *Nevantus fecit.* Ea si ad ipsum numi opus adludit ut dubium non videtur, unicum istud habemus exemplum artificis nomen suum in moneta professi, quod in gemmis minus rarum. Froelichius pro ΝΕΥΑΝΤΟΣ legit ΗΡΙΚΑΝΤΟΣ, at quam proposui lectionem, duo alii ejusdem musei numi confirmant.

Typo partis aversae indicari videtur Cretensium, ac privatim Cydoniatarum solertia in aptandis arcubus, quam praecipue celebrat Claudianus [h]):

Quis labor humanus tantum ratione sagaci
Proficit? Eripiunt trucibus Gortynia capris
Cornua, subjectis eadem lentescere cogunt
Ignibus, intendunt taurino viscere nervos, — —

Et mox infra:

— — — *morem hinc traxisse Cydonas*
Bellandi.

Similem etiam parandi arcus morem jam commemoravit Homerus [i]):

Αγρει δη πυρ κειον ενι μεγαροισι, Μελανθευ,

---

d) Num. urbb. tab. V. e) Adpendic. II. p. 90. f) Num. vet. p. 146. g) Addit. p. 73. h) in Idyll. Histrix. i) Odyss. Φ. v. 176.

Παρ δε τιθει διφρον τε μεγαν, και κωας ἐπ᾽ ἀυτȣ,
Εκ δε στεατος ἐνεικε μεγαν τροχον ἐνδον ἐοντος,
Οφρα νεοι θαλποντες, ἐπιχριοντες ἀλοιφῃ
Τοξȣ πειρωμεσθα, και ἐκτελεσωμεν ἀεθλον.
Age, ignem accende in domibus, Melantheu,
Et appone sedemque magnam, et pellem super ipsam,
Et profer sevi magnam massam, quod intus est,
Vt juvenes calefacientes, inungentes unguine,
Sic demum arcum tentemus, et perficiamus certamen.

* * *

ΠΑΣΙΩΝ. *Caput Dianae cum pharetra et arcu.* Ӿ ΚΥΔΩΝΙΑΤΑΝ. *Figura succincta stans dexteram versus adstantem canem extendit, s. praegrandem lampadem, omnia intra lauream.* AR. m. m. (Pellerin.)

Numus mole spectabilis, etsi argumenti, si conjecturas excludas, mihi ignoti.

* * *

Caput Bacchae hedera et corymbis redimitum. Ӿ ΚΥΔΩΝ. *Lupa puellum lactans.* AR. I. (Hunter.)

Caput Palladis. Ӿ ΚΥΔΩΝ. *Idem typus.* AR. III. (Pellerin.)

Argumentum istud frequentius in imperatoriis, quam autonomis conspicitur. Exhibet Miletum filium Apollinis et Acacallidis Minois filiae, quae patrem verita natum puerum in silva exposuit, ubi eum lupae jussu Apollinis custodiverunt, et lac praebuerunt, qui adultus in Cariam profectus urbem sibi cognominem aedificavit. Haec Antoninus Liberalis [k]. At secundum Pausaniam Acacallidis Minois filiae, et Mercurii filius fuit Cydon, sed utrum hic a lupa nutritus sit, non addit [l]).

* * *

In numis aliis aeneis III. formae: ΚΥ. ΚΥΔΩ. *Canis excubans — Noctua — Astrum et luna.* Inscriptos ΚΥΔΑΣ esse Cnossi, supra in hac diximus.

* * *

Memorandus denique numus insignis argumenti:

ΑΙΘΩΝ. *Caput Palladis.* Ӿ ΚΥΔΩΝΙΑΤΑΝ. *Noctua diotae insistens, in area Hercules nudus gradiens, et clava ictum intentans.* AR. I.

De hoc numo cum typo utrinque Attico vide, quae in moneta Atheniensium disserui.

* * *

Magistratus. Hunc nonnunquam Cydoniae monetae fuisse inscriptum, probat numus supra citatus adstituto ΠΑΣΙΩΝ. Ejus alterum meo arbitratu exemplum offert nomen ΑΙΘΩΝ, scriptum juxta caput Palladis in numo argumen-

---

[k]) Cap. 30. [l]) L. VIII. c. 53.

ti Attici, quem continuo obtuli. Novi, visum aliquando erudito Dutens, posse illud vocabulum significare epitheton Palladis, quod interpretari liceret *flava* saepe huic deae tribui solitum [m]), neque alienum fuisse ab hac sententia praeclarum Villoisonium, qui binis literis eidem operi subjectis [n]) comprobat, posse τὸ ΑΙΘΩΝ etiam in genere feminino usurpari. Sed enim cur illud verbum violentius cogamus induere naturam cognominis, cum sese magistratus appellationi ultro adcommodet? Si ΑΙΘΩΝ facimus cognomen Palladis, faciamus et ΠΑΣΙΩΝ cognomen Dianae, aut si hoc est nomen certum magistratus, cur non et illud? Neque vero Αἰθων nomen veteribus ignotum. Teste Homero Aethonem se dixit Vlysses, cum in Ithacam rediret, et teste Dutensio [o]) ΑΙΘΩΝ inscribitur etiam numo Lysimachi, in cujus moneta non raro scripta magistratuum nomina occurrunt.

AR. RR. AE. R.

Imperatorii.

Horum non paucos reperias ab Augusto ad Antoninum.

Epigraphe solita: ΚΥΔΩΝ. ΚΥΔΩΝΙΑΤΑΝ.

Typi potiores: *Miletus lactens*, de quo in autonomis.

Juppiter puer caprae insidens.

Singularis est numus aeneus I. formae in museo Caesareo cum capite Claudii, in quo tam inscriptio capitis: ΤΙ. ΚΛΑΥ. ΚΑΙCΑΡ, quam aversae ΚΥΔΩΝΙΑΤΑΝ retrograda est, quo docemur, epigraphen retrogradam non semper altae vetustatis, sed etiam nonnunquam ingruentis barbariei esse indicium, ut revera typus quoque in hoc numo informis est.

* * *

Magistratus in numo Tiberii ex catalogo Theupoli proditur ΕΠΙ. ΣΤΡΑ - - - exeso indicati praetoris nomine. Fuerintne in Cretae urbibus strategi, cum *cosmi* passim memorentur, dubitandum videtur. — ЄΠΙ. CΑΒΙΝΟΥ. in numo Domitiani. (Morelli Impp.)

* * *

Insignes sunt numi argentei, etiam max. mod., cum capite Tiberii, Augusti, Senatus, et mentione Lupi procos. et Lachetis, et Communis Cretensium, quos supra in numis Cretae in genere produxi.

AR. RRR. AE. RR.

ELEVTHERNAE.

Mediterraneae Lappam inter, et Gortynam. Earum *autonomi* alii sunt formae antiquissimae, alii recentioris.

Antiquiores:

Caput muliebre. ⅹ ΕΛΕΥ. ΕΛΕΥΘΕ. ΕΛΕΥΘΕΡΝΑΙΩΝ. *(scriptura recta, vel retrograda.) Apollo nudus stans d. malum, s. arcum.* AR. I. (Mus. Caes. Pellerin.)

---

m) Explic. de quelq. Med. p. 65. n) pag. 229. o) l. c.

Omnia in his numis remota tempora spirant, ac praecipue literarum modus, quem cape sive a numis ipsis, sive eorum iconismis.

Recentiores.

Caput Apollinis laur. ✕ ΕΛΕΥΘΕΡΝΑΙΩΝ. *Apollo nudus cortinae insidens d. pomum gestat adstituta lyra.* AE. III. (Mus. Caes.)

Hujus generis unum, inscriptum ΘΕΡΝΑΙΩΝ, admorso nempe epigraphes principio Goltzius Thernae Thraciae tribuit, inique istud, etsi Harduinus similem ex museo regio produxerit, sed, ut certum est, aeque vitiatum. Pauci sunt typi alii, iique vulgares.
AR. RR. AE. R.

Imperatorii.

Tiberii cum mentione Lupi procos., isque argenteus descriptus est supra inter numos Cretae in genere.
AR. RRRR.

ELYRVS.

Mediterranea in occasum.

MI. *Apis.* ✕ ΕΛΥΡΙΟΝ. *Caput caprae silvestris, infra venabulum.* AR. III. (Mus. Caes. Pellerin.) *In simili additur magistratus* ΤΡΙΑΚΙΝΙΩΝ. (Hunter.) In alio: *Capra silvestris stans, et arbutum adrodens.* AR. III. (Beger.) Sunt etiam fere similes aenei.

Capra silvestris in numis Elyri typus fere perpetuus, seu quod eo animali prae ceteris abundabat Creta, seu quod secundum Elyriorum praeconium Phylacidi et Phylandro Apollinis filiis lac praebuit, ob quam causam et capellam aeneam Apollini Delphico donum misere, ut narrat Pausanias [p]. Frutex numi Begeriani videtur esse decantatus dictamnus, cujus pastu capras Cretenses sagittis ictas ejecisse ferrum veteres complures meminere.
AR. et AE. RR.

GORTYNA.

Vrbs mediterranea illustris famae, quam et copiosa numismata non inficiantur. Fuisse coloniam Gortynis Peloponnesiae, testatur Plato [q].

Autonomi:

Virgo insidens trunco arboris ramosae, cui saepius et aquila insidet. ✕ ΓΟΡΤΥΝΙΟΝ. *(retrograde) etiam sine omni epigraphe. Taurus.* AR. I. In alio: ΓΟΡΤΥΝ. *Europa tauro vecta.* AE. III. (Mus. Caes. Pellerin.)

Virgo in commercio cum aquila expansis alis. ✕ *Bos stans et respiciens.* AR. I. (Hunter.)

Numi sunt fabricae perantiquae. Argumentum explicat Plinius [r]: *Est Gortynae platanus - - statimque ei Graeciae fabulositas superfuit, Jovem sub ea cum Europa concubuisse.* Ejusdem scenae socius est taurus partis posticae, nempe quem ad fallendam puellam mentitus est rex deorum.

---

p) in Phocic. p. 835. q) de Legib. L. IV. p. 708. r) L. XII. §. 5.

* * *

Caputs Jovis diadematum. ℞ ΓΟΡΤΥΝΙΩΝ. *Miles nudus gradiens d. scutum humi attinet, s. hastam.* In aliis: *Vir rupi insidens s. arcum tenet, per aream literae solitariae* A *vel* B. AR. III. (Mus. Caes.)

Adde aeneos alios typis *raptus Europae, tauri cornupetae etc.*

* * *

De Gortyniorum numo cum typo Attico vide, quae in moneta Atheniensium advertimus.

AR. R. AE. C.

Imperatorii:

Obvii sunt cum capite hinc Germanici, inde Caligulae, addito ΕΠΙ. ΑΥΓΟΥΡΕΙΝΩ. ΓΟΡΤ. Est Augurinus cognomen gentis Minuciae, videturque pro consule rexisse Cretam, unde eum Cretae urbes, (nam et Hierapytnae et Polyrhenii numi ejus meminere) monetae suae inseruere. Alios citat Vaillantius, unum Trajani inscriptum ΓΟΡΤΥC. In alio Hadriani: ΓΟΡΤΥC. ΚΟΙΝΟΝ. ΚΡΗΤΩΝ, et testatur Stephanus, eam serius Γορτυς dictam fuisse.

* * *

Insignem argenteum cum mentione Lupi proconsulis vide descriptum supra in numis Cretae in genere.

AR. RRRR. AE. R.

HIERAPYTNA.

In litore meridionali versus orientem.

Autonomi.

Caput muliebre turritum. ℞ ΙΕΡΑΠΥ. ΙΕΡΑΠΥΤΝΙ. *Aquila expansis alis stans juxta palmam, in area* ΜΕΝΕΣΘΕ. *vel* ΙΜΕΡΑΙΟΣ, *vel* ΑΡΙΣΤΑΓΟΡΑΣ *etc.* AR. I. (Theupoli, Pellerin.)

Typus aquilae cultum Jovis, palma uberem in Creta ejus arboris proventum videtur spectare. Nomen urbis duci a Cretico πυτνα, quod idem esset cum πετρα, probat Chishull [s]).

* * *

Astrum. ℞ ΙΕΡΑ. ΚΑΛΛ. *Palma.* AE. III. (Mus. Caes.)

* * *

Singulare tetradrachmum cum typis utrinque Atticis a me olim editum vide supra in moneta Atheniensium. Legitur in hoc magistratus ΖΗΝΟΦΙ. id est: *Zenophilus*, quod nomen exstat quoque in lapide vetere apud Hierapytnam reperto, quem descriptum edidit Donius [t]).

ΤΑΝ. ΔΑΜΑΤΡΑ. ΚΑΙ. ΤΑΝ. ΚΟΡΑΝ. ΑΡΧΕΔΙΚΑ. ΖΗΝΟΦΟΙΛΩ. ΜΕΤΑ. ΤΑΝ. ΠΕΡΙΣΤΑΣΙΝ. ΥΠΕΡ. ΤΑΣ. ΠΟΛΕΟΣ. ΙΔΡΥΣΑΤΟ.

Patet ex ipso hoc numo, male in hoc marmore aut scriptum, aut ex eo lectum ΖΗΝΟΦΟΙΛΩ pro ΖΗΝΟΦΙΛΩ.

AR. RR. AE. RRR.

---

[s]) Ant. Asiat. p. 132. [t]) Inscr. Cl. I. n. 56.

Imperatorii.

Argenteum cum capite Divi Augusti, et nomine Lupi procos, et in aversa typo Jovis Cretagenis vide supra in Creta descriptum.

Caligulae bini citantur apud Vaillantium: ΙΕΡΑΠΥΤΝΙΩΝ. Neronis est in Theupoli.

Magistratus. ΕΠΙ. ΑΥΓΟΥΡ., qui etiam est in numo Gortynae. In alio: ΕΠΙ. ΦΛΑΟΥΙΟΥ. Vterque in citatis Caligulae numis.

AR. RRRR. AE. RRR.

ITANVS.

Maritima in ortum.

Caput Palladis. Χ ΙΤΑΝΙΩΝ. *Aquila stans, in area nonnunquam mulier in piscem desinens, et s. tridentem tenens.* AR. I. II. III. (Mus. Caes.)

Monstrum in area positum Amphitriten censet Pellerinius. Sed eam in piscem exivisse, vix probaverit. Videtur verius esse una ex Tritonum choro.

* * *

Huc etiam pertinet numus similis ΤΑΝΙΩΥ, quem auctor musei Theupoli ad Cretae urbem *Tanum* adegit [u], sed excidit litera ἀρχαιουσα Ι.

AR. R.

LAMPA, LAPPA.

A veteribus *Lampa*, et *Lappa* in Creta memorantur. *Lampen* habet Polybius, cujus incolas vocat Λαμπαιυς [x], et Dio Cassius [y]. Stephano est Λαμπη, Αγαμεμνονος κτισμα, Λαμπαιος. In Notitia eccles. Λαμπαι. Apud Scylacem: Λαμπαια. Plinius quoque *Lampen* citat, sed Arcadiae oppidum. *Lappen* in eadem Creta constituunt Ptolemaeus, Dio [z], Theophrastus: ἐν τῃ Λαππαια [a]. Denique in marmoribus habemus ΛΑΠΠΑΙΩΝ [b], et ΛΑΜΠΑΙΩΝ [c].

Quaestio a nonnullis agitata, sitne una eademque urbs haec Cretae Lampa, et Lappa. Adfirmant istud, qui Stephanum sequuntur, cujus verba sunt in Λαμπη: Ξενιων δε ἐν Κρητῃ δια δυο ππ γραφει την πολιν την Κρητικην. Spanhemius, quod in numis constanter ΛΑΠΠΑΙΩΝ scribi animadvertit, omnem *Lampes* mentionem fastidit, et Stephanum ipsum culpat, cui numorum fidem longe praefert. Dionis vero duplicem lectionem scribarum injuria intrusam adserit, ut adeo unica illi sit Cretae urbs dicta *Lappa* [d]. At praeter Dionis et marmorum testimonium credo posse ex Polybio argui, et Lampen et Lappen in Creta exstitisse. Cum Lyttii, ait [e], suscepto adversus Cnossios bello omnes suas copias in horum agrum deduxissent, conversos repente Cnossios Lyttum praesidio vacuam occupasse, et incendisse, liberis conjugibusque Lyttiorum Cnossum missis. Reversos mox Lyttios conspecta urbis suae fortuna in Lampaeorum urbem concessisse, atque adeo unius diei spatio fuisse ex-

u) Pag. 1301. x) Hist. L. IV. y) L. LI. z) L. XXXVI. a) Hist. plant. b) Gruter p. 1091. 9. Chishull Ant. Asiat. p. 122. Doni inscr. pag. 206. c) Mabillon Mus. Ital. p. 43. d) T. I. p. 342, et Orb. Rom. p. 243. e) L. IV. c. 54.

torres urbe sua, et hospites in aliena, ἀπολιδες ἐν ἡμερᾳ μια και ξενοι. Necesse ergo est, hanc Lampen fuisse Lytto vicinam, ut una eademque die se videre potuerint excidisse patria, et facta alio discessione hospites alterius urbis, et cum Lyttus a Ptolemaeo dicatur ultima mediterranearum in ortum, et Lappa inter primas in occidentem, haec Lappam commigratio unius diei angustiis concludi non poterat cum ob unius ab altera distantiam, tum quod per hosticum fuerat eundem, si Lappam meditarentur, quod morae et periculis obnoxium fuerat. Ex quo patet, esse verisimilius, Lampen et Lappen binas fuisse distinctas Cretae urbes. Idem discrimen numorum quoque testimonio videbatur posse confirmari, sed aliter fors cecidit, ut mox dicetur.

Autonomi.

Caput muliebre laur. ☓ ΛΑΠΠΑΙ. ΣΤΛΩΚΟΣ. *Apollo nudus stans cum lyra.* AR. III. (Mus. Caes. Pellerin.)

Caput Apollinis laur. ☓ ΛΑΠΠΑΙΩΝ. *Lyra.* AE. III. (Mus. Caes.)

Caput muliebre laur. ☓ ΛΑ. *Lyra.* AE. III. (Mus. Caes.)

Caput virile. ☓ ΛΑΠΠΑΙΩΝ. *Tres spicae.* AE. III. (Pembrock.)

Spanhemius numum similem illi, quem primum dedi, ex museo Christinae citat inscriptum ΑΣΤΛ. ΛΑΠΠΑC., quo probat, habuisse Lappam *asyli* jura [f]. Sed aliud docent numi integerrimi, quos descripsi.

Numum III. solo ΛΑ. notatum edidit quoque Pellerinius, sed perperam Lacedaemonem revocavit. Non modo typi Lappae favent, sed et fabrica, quae in hoc numo Cretica tota est.

Idem Pellerinius huc vocavit numum: ΛΑΜΠΑΙΩΝ. *Caput muliebre turritum.* ☓ *Aquila volans intra lauream.* AE. III. Cum nullum ipse de numi lectione dubium moveret, effecit, ut alteri simili, sed in quo adrosa fuit epigraphe, in urbis hujus moneta stationem adsignarem [g]. At serius numos similes integriores nactus facile vidi, nequaquam ΛΑΜΠΑΙΩΝ, sed ΚΑΣΣΩΠΑΙΩΝ legendum, et esse utrumque Cassopes Epiri. *AR. et AE. RR.*

Imperatorii.

In adcuratioribus catalogis recensentur Augusti, Domitiani, Domitiae, Commodi. (Vaill. Theup.)

Epigraphe. ΛΑΠΠΑΙΩΝ.

Typus in Augusti numis: *Apollo cum lyra*, ut in autonomis, reliqui variant. *AE. RRR.*

L A S O S.

Hujus urbis unus Plinius meminit, cui numum hactenus unicum olim vindicavi: (Catal. mus. Caes.)

Caput Dianae. ☓ ΛΑΤΙΩΝ. *Mercurius gradiens cum caduceo.* AE. III. (Mus. Caes.)

---

f) T. I. p. 662. g) Catal. mus. Caes.

ΛΑΤΙΩΝ pro ΛΑΣΙΩΝ Doricum est, ut ΘΑΤΙΩΝ pro ΘΑΣΙΩΝ. In marmoribus saepe Λατιων ἁ Πολις [h]), quae docent, fuisse Lasios Oluntiis finitimos, qui ipsi siti fuere in littore septentrionali versus ortum.
AE. RRRR.

L I S S V S.

A Ptolemaeo in litore meridionali locatur, aliis fere ignota.

Caput muliebre. ☓ ΛΙΣΙΩΝ. (βυστροφηδον). *Delphinus, cui insculptae literae* ΛΔ. AE. III.

Singularem hunc numum, et hactenus unicum olim ex museo Caesareo vulgavi. (Num. vet. p. 152.)
AE. RRRR.

L Y T T V S.

Mediterranea in ortum, urbs perantiqua, et jam Homero Hesiodoque memorata, et credita Spartanorum colonia, de quo vide plura apud Meursium [i]). Dicta a scriptoribus *Lyctus*, et *Lyttus*. Numi posteriorem modum sequuntur.

Aquila volans. ☓ ΛΥ. ΛΥΤ. ΛΥΤΤΙΟΝ, *etiam retrograde. Caput apri.* AR. I. III. (Mus. Caes. Pellerin). *Alii typo fere simili.* AE. III. (Mus. Caes.)

Argentei, quos citavi, vetustissimae sunt fabricae, quorum similes Goltzius, quod ΑΚΤΙΩΝ in iis legeret, Actio tribuit. Aenei plerique recentius opus arguunt, et forte omnino numus desiit anno V. C. 534, quo excisa fuit a Cnossiis, ejusque se oppidani cum Lampaeis miscuere, de quo vide dicta in *Lampa*. Polybius, qui haec prodidit, tamen serius attributi Lyttiis agri meminit [k]).

* * *

Caput Mercurii. ☓ ΛΥ. *Caduceus.* AE. III. (Mus. Caes.)

Caput Palladis. ☓ ΛΥΤ. *Navis.* AE. III. (Mus. Caes.)

Altero numo usus sum ad stabiliendam Chersonesi Cretae monetam [l]).
AR. et AE. R.

O A X V S.

Vide supra *Axus*.

O L V S.

In litore septemtrionali in ortum.

Caput Dianae. ☓ ΟΛΟΝΤΙΩΝ. *Juppiter aetophorus sedens.* AR. I. (Liebe p. 191. Hunter.)

Caput anticae esse Dianae Britomartidos censet Liebeus, cujus signum a Daedalo elaboratum Olunte fuisse Pausanias tradit [m]). Olontii frequenter memorantur in marmoribus Cretensibus, quae recitat Chishull.
AR. RRRR.

P H A E S T V S.

Maritima fere in medio litoris Africam respicientis. Vrbs antiqui nominis, condita secundum aliquos a Minoe, se-

---

h) Chishull Ant. Asiat. i) In Creta L. I. k) Excerpt. leg. c. 45. l) Num. vet. p. 152. m) Boeot. p. 314.

cundum alios a Phaesto Herculis progenie, ut dicetur.

ΓΕΛΧΑΝ. *(retrograde) Vir nudus sedens d. gallum tenet, inde porta, ut videtur, pone arbor, et superne virgulta dependentia.* ✠ ΦΑΙΣΤΙ. *(retrograde) Bos gradiens.* AR. I. (Mus. Caes. et M. Ducis).

Hercules nudus stans d. clavam, s. exuvias leonis, hinc draco se erigens, inde arbor Hesperia. ✠ *Sine epigraphe. Bos gradiens pedibus laxe colligatis.* AR. I. (Mus. M. Ducis.)

Herculis cum hydra pugna, ad ejus pedem humi cancer marinus. ✠ *Sine epigraphe. Bos cornupeta.* AR. I. (Mus. Caes.)

Hercules stans d. clavam, s. arcum, in area exuviae leonis. ✠ ЄΛΙΜΤΙΑΟΝ *(retrograde). Bos pedibus colligatis.* AR. I. (Pellerin.)

ΦΑΙΣΤΙΩΝ. *Hercules nudus leonis exuviis insidens, pone praegrandis diota.* ✠ *Bos gradiens.* AR. I. (Pellerin.)

En Phaesti numos maxime illustres, et plerosque remotae antiquitatis. In numo I. censebam aliquando forte exhiberi Idomeneum Minois nepotem, qui revera a Cretensibus pro deo cultus est, et in cujus scuto, quod ejus signum manu tenebat, pro insigni fuisse gallum gallinaceum ex Pausania docui [n]). Herculem in Phaesti moneta saepe proponi, nequaquam mirum, quod, ut dixi, condita ferebatur a Phaesto Herculis nepote auctoribus Stephano, et Eustathio. At Pausanias Herculis filium facit, qui omisso Sicyonis regno in Cretam navigavit [o]). Herculis cum hydra pugna res est in veterum artefactis obvia, at non perinde adstitutus Herculis pedi cancer marinus, quem praeterea sistit numus III., et cujus causam suppeditat Apollodorus, narrans [p]), cancrum eo in certamine hydrae admorso Herculis pede opem tulisse. ΓΕΛΧΑΝ et ЄΛΙΜΤΙΑΟΝ, etsi vocabula peregrinae Graecitatis, esse nomina magistratuum, mihi facile persuadeo. Bos partis aversae haud dubie laeta pascua indicat, praecipue quod frequenter ejus pedes laxius colligati comparent, quod factum, ne a grege latius aberret. Revera Festus Avienus Phaestum *sola propter pinguia* commendat [q]).

* * *

Vir nudus praegrandibus alis instructus gradiens utraque manu globum jactat. ✠ ΦΑΙϹΤΙΩΝ. *Lupus gradiens.* AE. II. (Pellerin, Theupoli.)

Quem utriusque faciei typus sensum includat, libenter ab alio edoceri me patiar.

* * *

Sunt in museo Caesareo, et apud Pellerinium complures argentei inscripti ΦΑ, et typo tridentis. Hos ut jubente fabrica certum est esse Cretenses, sic aeque decidi nequit, an non ad aliam aliquam Cretae urbem sic incipientem pertineant,

n) Num. vet. p. 154. o) L. II. c. 6. p) Bibl. L. II. c. 4. §. 2. q) Descript. orb. v. 133.

et forte ad Phalasarnam, cui etiam similes tribuit Combius, aut ad sequentem Phalannam, aut aliam hujus initii. Quo magis dubitari potest, utrum ad hanc urbem pertineant aenei, in quorum aversa praeter solum Φ nulla alia legitur litera, quorum binos offert Pellerinius.

AR. R. AE. RRR.

PHALANNA.

Abbas Sestinus vulgandis numis anecdotis musei Ainslieani praeclare de arte nostra meritus sequentem etiam numum insignem nobis obtulit. (Lettere T. III. p. 145.)

Caput imberbe tectum corona fastigiata. ✕ ΦΑΛΑΝΝΑΙΩΝ. *Duo pisces marini situ parallelo, quos inter dimidium animal mihi ignotum.* AR. I.

Oblatus oculis meis numi hujus iconismus me continuo Cretae admonuit. Corona fastigiata ceu in numis Tylissi, pisces situ parallelo dispositi, et quae alia modum monetae Cretensis eloquuntur, qui magis oculis percipitur, quam verbis potest explicari. At enim frustra sic ratiocinabar, nisi praeter notam Thessaliae Phalannam etiam de altera Cretae constaret. Haec animo versantem sublevavit testimonium Stephani, qui laudata Thessaliae Phalanna continuo subjicit: *Est etiam altera Cretae*, addita etiam altera peristasi, *ex qua fuit Phaniades peripateticus.* Fuit ergo in utraque regione urbs ejusdem nominis, quemadmodum fuit Phaestus et Thessaliae et Cretae urbs. Adversus Phalannam Thessaliae et illud pugnat, quod pars aversa exhibet pisces maris incolas cum tamen mediterranea fuerit, et satis a mari remota.

AR. RRRR.

POLYRHENIVM.

Versus litus occidentale.

Autonomi.

Caput Jovis laur. ✕ ΠΟΛΥΡΗΝΙΩΝ. ΧΑΡΙΣ - - *Caput bovis cum infula.* AR. I. (Mus. Caes. Pellerin, Pembrock.)

Videtur typus eo adludere, quod narrat Suidas, Cretenses apud hanc urbem sacra facere esse solitos.

* * *

ΠΟΛΥΡΗΝΙΩΝ. *Caput bovis cum infula.* ✕ ΠΟΛΥΡΗΝΙ. *Pilum hastae.* AR. II. (Mus. Caes.)

Sunt etiam in museo Caesareo aenei cum iisdem typis, quos inter unus tam fabrica, quam litterarum forma adeo insigniter barbarus, ut mirum videri possit, artem unquam in Creta tam turpiter prolapsam.

* * *

Protome Dianae adversa. ✕ ΠΟΛΥΡΗΝΙΩΝ. *Vir nudus gradiens d. extenta, s. hastam transversam gestat.* AR. III. (Mus. Caes.)

Apud Polyrhenium stetisse Dictynnae fanum narrat Strabo.

AR. AE. R.

Imperatorii.

Insignem argenteum cum capite D. Augusti, Jove Cretagene, et Cornelio Lupo

procos. vide supra in numis Cretae in genere.

ΓΑΙΟΝ. ΚΑΙΣΑΡΑ. ΓΕΡΜΑ--- *Caput Caligulae laur.* ✠ ΓΕΡΜΑΝΙ---ΟΥΡΙΝΩ. ΠΟΛυρηνιοι. *Caput Germanici laur.* AE. III. (Mus. Com. Vitzai.)

Explendum: ἐπι ἀυγΟΥΡΙΝΩ, nimirum Minucio Augurino, quem habent quoque numi Gortynae, et Hierapytnae.

ΠΟΛΥΡΗΝΙΩΝ. *Fluvius decumbens*, in numo Trajani. (Pellerin.)

AR. et AE. RRRR.

PRAESVS.

Mediterranea in ortum. Straboni dicitur *Prasus*, sed quod corrigendum cum ex auctoribus aliis, tum numis.

Neptunus sedens d. delphinum, s. tridentem. ✠ ΠΡΑΙ. *Bos cornupeta.* AR. I. (Pellerin.)

Caput muliebre. ✠ ΠΡΑΙΣΙΩΝ. *Bos cornupeta, superne flos.* AR. I. (Mus. M. Ducis a me editus Num. vet.)

Caput Apollinis. ✠ ΠΡΑΙΣΙΣ. *(sic.) Dimidius caper silvestris, et pilum hastae.* AR. (Pembrock.)

* * *

Caput Apollinis. ✠ ΠΡΑΙCΙΩΝ. Π. *vel* ΠΟ. *Fulmen.* AE. III.

Hujus similem primus edidit Liebeus r) at Pellerinius binis locis eum Poemanenis Mysiae restituendum monet s). Perperam, nam ejusdem numi bina exempla integerrima exstant in museo Caesareo, et Liebeum absolvunt. In simillimo, sed minus integro, Froelichius legit ΠΡΑCΙΩΝ, eumque adeo Prasiis Laconicae tribuit t), sed restituendus nostrae Praeso. Huic similem editum etiam vide in Pembrock u).

AR. RRR. AE. RR.

PRIANSVS.

Autonomi.

ΠΡΙΑΝΣΙΕΩΝ. *Neptunus stans d tridentem tenet, vel d. delphinum, s. tridentem.* ✠ *Mulier sedens dexteram versus serpentem extendit, pone palma.* AR. I. (Mus. Caes. Pellerin.)

Caput muliebre. ✠ ΠΡΙΑΝΣΙΕΩΝ. ΠΡΙΑΝCΙΩΝ. *Palma inter gubernaculum et delphinum.* AE. III. (Mus. Caes. Pellerin.)

Vrbem hanc scriptorum nullus diserte memorat. Ejus tamen vestigia reperio apud Stephanum: Πριαισος πολις Κρητης, pro quo certe legendum Πριανσος. Enim vero numos, quos citavi, ad Cretam pertinere, fabrica Cretensis, quae adsuetum oculum vix fallit, aperte monet. Sed neque numi soli Priansum in Creta stabiliunt, nam et in marmoribus, quae restituit Chishull x), ejus luculenta fit mentio: Πριανσιων τοις κοσμοις — ἐν Πριανσιῳ — Πριανσιευς — Πριανσιοι praeclare secundum numos. Fuisse vicinam Hierapytnae, colligitur ex foedere inter hanc et Priansum constituto, quod legitur locis citatis, tum et inter marmora Oxoniensia num. III.

In collocandis his numis varie ab eru-

r) Goth. num. p. 194. s) Rec. II. p. 57, et III. p. 71. t) Not. elem. p. 107.
u) P. II. tab. 25. x) Ant. Asiat. p. 122. 129.

ditis erratum. Priorem Froelichius Prienensibus Ioniae tribuere non dubitavit [y]). Wildius, et Panelius, cum in similibus legerent vel ΠΡΙΑΠΕΙΩΝ, vel ΠΡΙΑΝΕΙΩΝ, eos vel Priapum Hellesponti, vel Prienen Ioniae extorres fecere, ut jam monuit Pellerinius [z]).

AR. RR.

In *imperatorio* Hadriani, quem citant Vaillantius et Harduinus, promulgatur epigraphe ΠΡΙΑΠΕΩΝ typo delphini et gubernaculi, quem etiam in autonomis existere dictum. Jure epigraphen in dubium vocat Pellerinius [a]), videturque hic numus aequa lege Priansum revocandus.

RHAVCVS.

Mediterranea, secundum Stephanum in medio insulae.

Neptunus nudus stans s. equum retinet, d. tridentem. ✠ ΡΑΥΚΙΟΝ. (βουστροφηδον) *Tridens.* AR. I. (Mus. Caes.)

ΡΑΥ. ΡΑΥΚ. *Tridens, vel navis.* (Mus. Caes.)

AR. RRR. AE. RR.

RHITHYMNA.

Maritima in latere insulae septentrionali, olim parum cognita, hodie illustrior nomine *Retimo.*

Caput Palladis. ✠ ΡΙ. *Tridens*, vel: ΡΙΘΥ. *Duo delphini.* AE. III. (Mus. Caes.)

Numis his hactenus ignotis certam olim in hac insula stationem adsignavi [b]).

AE. RR.

SAXVS.

Numi huic Saxo tributi, sunt verius Axi ejusdem Cretae, quam vide.

AE. R.

SYBRITIA.

Hujus oppidi nomen varie a veteribus proditur, at exarandum esse *Sybritia*, docet monumentum a Chishullio productum, in quo ΣΥΒΡΙΤΙΩΝ. Α. ΠΟΛΙΣ, et infra: ΕΞΥΒΡΙΤΙΑΣ [c]), quod postremum positum est pro: ΕΚ. ΣΥΒΡΙΤΙΑΣ, qui contrahendi modus, etsi non obvius, tamen et alibi occurrit. Sic in marmore Prienes Joniae, quod exhibet Chandlerus [d]), legas:

Υπνωδης Φιλιος, Κυπριος γενος, εξαλαμινος Υιος κ. τ. λ.

Dormitans Philius, Cyprius genere, ex Salamine Filius etc.

ubi habes εξαλαμινος pro εκ Σαλαμινος, nempe ex Salamine Cypri urbe. Commonere istud necesse visum, quod hanc contrahendi rationem non satis video eruditis cognitam; nam et Chandlerus, vir sane eximius, vertit: *Hexalaminis filius.* Eadem lex numis quoque stabilitur. Ptolemaeo est mediterranea circa Lappam.

ΣΥΒΡΙΤΙΟΝ. *Mercurius nudus stans d. pateram, s. caduceum.* ✠ *Bacchus Indicus seminudus sedens d. diotam, s. thyrsum.* AR. I. (Pellerin Aditions p. 22).

Bacchus panthera vectus s. thyrsum. ✠ ΣΥΒΡΙΤΙΩΝ. *Mercurius pedem saxo impositum calceat, in area caduceus.* AR. I. (Hunter.)

---

y) Cim. Vindob. p. XXXIV. z) Rec. III. p. 71. a) L. c. b) Num. vet. p. 155. c) Ant. Asiat. p. 113. d) Inscr. ant. p. 13.

Caput Bacchi hedera coronatum, pone botrus. ✗ ΣΤΒΡΙΤΙΩΝ. *Mercurius nudus stans d. oblongum caduceum.* AR. I. (Hunter.)

Caput Bacchi Indici barbatum et hedera redimitum. ✗ *Sine epigraphe. Caput Mercurii pileatum, prae quo caduceus.* AR. I. (Hunter in incertis tab. 66. n. 28.)

Dubitare possis, utrum Creta perfectius quidquam ab artis commendatione dederit. Adeo in his numis eximia omnia, etsi numus primus sit remoti aevi, et oppidum ipsum parum cognitum. Omnes Bacchi et Mercurii cultu occupantur. Postremum, etsi anepigraphum, huc pertinere, collati alii invicte docent.

* * *

Caput Jovis, in aliis: *Mercurii.* ✗ ΣΤΒΡΙΤΙΩΝ. *Delphinus.* AE. III. (Mus. Caes. Pellerin).

Similem primus vulgavit Maffeius [e]), addidit alium Pellerinius, tertium ego ex gaza Caesarea [f]).

AR. RRR. AE. RR.

T A N O S.

Vrbs praeter Stephanum a nemine laudata.

Caput Jovis. ✗ ΤΑΝΟΣ. *Aquila stans.* AE. III.

Nisi Pellerinio hujus numi praeconi accidit, quod auctori musci Theupoli, quem legisse ΤΑΝΙΩΝ pro ΙΤΑΝΙΩΝ supra diximus, habemus numum Stephani testimonium confirmantem, quanquam illud et Holstenio suspectum visum est, qui pro Ταvος legendum Ιταvος existimat.

AE. RRRR.

T E G E A.

Autonomos varios Pellerinius huic Cretae Tegeae muneratus est. Ego verisimilius hos omnes Tegeae Arcadiae restituendos supra in hujus urbis numis dixi.

T H E N A E.

Vrbs Stephano et Callimacho inter Creticas urbes memorata.

Numi inscripti ΘΕΝΕΩΝ nimis obiter meminit Holstenius ad Stephanum p. 134.

T Y L I S S V S.

Caput muliebre cinctum corona floribus distincta. ✗ ΤΥΛΙΣΙΟΝ *(retrograde) Vir nudus stans d. caput caprae silvestris, s. arcum.* AR. I. (Mus. Caes.)

Numum hunc post Liebeum alii omnes Tyli Thraciae urbi obscurae dederunt. At cum numos similes omnes, quotquot in variis museis viderim, Cretensis esse fabricae facile agnoscerem, malui eos Tylisso Cretae vindicare, cujus nomen in Plinio et Solino valde corruptum multo olim labore integrum, sanumque restitui [g]). Nonnullos hujus urbis numos vidi de fraude omnino suspectos, ac praecipue aeneos, quorum unus etiam exstat in gaza Caesarea, et suspectos similes in utroque metallo sibi oblatos

---

e) Ant Gall. p. 116. f) Num. vet. p. 156. g) Num. vet. p. 156.

testatur Pellerinius [h]. Adverte praeterea, omnes hujus urbis numos inscribi ΤΥΛΙΣΙΟΝ, et deceptum videri Liebeum, qui unus in suo vidit ΤΥΛΙΣΙΟΜ, quo praeconio inductus Minervinus, cum terminatio in ΟΜ propria sit urbium Italicarum, numos similes Telesiae Campaniae tribuendos putavit [i].
AR. RR.

E V B O E A.

Secundum Cretam in hoc mari insula maxima.

Communi insulae nomine sunt:

ΕΥ. ΕΥΒΟ. ΕΥΒΟΙΕΩΝ, in Pelleriniano etiam ΕΥΒΟΥ. Typi: *Caput bovis cum, vel sine infulis, bos gradiens, vel cornupeta*, qui typi ad nomen insulae adludunt; etiam *navis etc.* Sunt in museo Caesareo, apud Pellerinium, aliosque.

* * *

Numos aeneos III. formae, in quorum antica est: *Columba addito nonnunquam* ΣΙ. ℞ ΕΥ. *intra lauream*, quos alii Euboeae, alii Siphno largiti sunt, esse Sicyonis Peloponnesi mavult Sestinus [k].
AR. AE. RR.

A E D E P S V S.

Autonomus ΑΙΔΗΨΙΩΝ apud unum Goltzium. (in Graecia).

C A R Y S T V S.

Autonomi.

ΚΑΡΥΣΤΙΩΝ. *Gallus stans.* ℞ *Bos vitulum lactans.* AR. I. (Mus. Savorgnan.)

Caput Herculis leonis exuviis tectum. ℞ ΚΑΡΥ. *Bos jacens, in area tridens, vel clava.* AV. III. (Mus. Caes.) AR. III. (Mus. Savorgnan). In alio: *Caput bovis cum infulis.* AE. III. (Mus. Caes.)

Caput bovis. ℞ ΚΑΡ. *Duae palmae.* AR. III. (Mus. Caes. Gradenigo).

Caput Neptuni. ℞ ΚΑΡΥΣΤΙΩΝ. *Tridens, cui implexus delphinus* AE. III. (Hunter).

Caput bovis. ℞ Κ. *tantum.* AE. III. (Mus. Caes. Hunter).

Priores tres olim edidi, et animadversionibus illustravi [l], erantque hi primi certi hujus urbis numi, nisi velis et certis adnumerare aureum Goltzii, qui hinc *caput Mercurii*, illinc *gallum* offert, praecipue cum gallus quoque numum ex citatis primum insideat.

Eodem loco typos numi I. liberaliter explicavi. En compendio: Carystios bovem aeneum dedicasse Apollini ob victoriam Medicam, nimirum quod propter hanc permissum paterna rura libere bobus suis exercere, narrat Pausanias [m].

---

h) Additions p. 74. i) De monte Vulture p. 201. k) Lettere T. I. p. 49, et p. 151.
l) Num. vet. p. 160, et Sylloge I. p. 30. m) L. X. p. 835.

Atque eodem consilio Plataeenses quoque dedicasse Apollini buculam, idem perhibet [n]. Galli typus videtur allegoricus; nempe pugnax est istud animal, ac cumprimis cum de sterquilinio suo agitur, quo Carystiorum virtus in pellendis Persis, qui laribus suis imminuere, videtur innui, qua de causa etiam constitutus apud Athenienses ἀγων ἀλεκτρυονων, *gallorum certamen*. Adde, creditum gallum in ipsos olim Persas exercuisse imperium, quapropter et dictus fuit Περσικος ὀρνις, *Persicus ales* [o]. Adludere etiam potest ad vetus adagium, cujus meminit Plutarchus [p]: ὁτι τȣς ἐν ειρηνῃ καϑευδοντας ȣ σαλπιγγες, ἀλλ' ἀλεκτρυονες ἀφυπνιζȣσι, *in pace dormientes non a tubis, sed gallis e somno excitari.*

* * *

Numum Arigonii cum praetensa epigraphe ΚΑΡΙΣΤΙΩΝ esse Cnossi Cretae, in hujus numis monui.

AV. RRRR. AR. et AE. RR.

Imperatorii.

Proditi sunt cum capite Trajani, et Antonini. (Mus. Caes. Vaill.)

Epigraphe: ΚΑΡΥΣΤΙΩΝ.

In Antonini quoque numo typus est gallus.

* * *

Mamaeae numum inscriptum ΚΑΡΥΣΤΙΩΝ. ΝΑΥΑΡΧΙ. unus Harduinus, et perfunctorie citat, quin typum, aut museum manifestaret.

AE. RRR.

CERINTHVS.

Autonomus ΚΗΡΙΝΘΙΩΝ apud Goltzium.

CHALCIS.

Insulae totius facile princeps, sita ad Euripum.

Autonomi.

Caput Apollinis. ✕ ΧΑΛΚΙΔΕΩΝ. *addito magistratu, ut:* ΑΣΚΛΗΠΙΟΔΩΡΟΥ *etc. Lyra.* AV. (ex museo M. Ducis a me editus in Num. vet. p. 161.) AR. I. II. III: (Mus. Caes. Pellerin).

Caput muliebre. ✕ ΧΑΛ. *(etiam retrograde).* ΧΑΛΚΙ. ΧΑΛΚΙΔΕΩΝ. *Aquila serpentem, rarius leporem depascens.* AR. III. (Mus. Caes.)

Caput muliebre adversum margaritis profuse ornatum. ✕ ΧΑΛΚΙ. ΣΩΣΙΠΑ. *Prora navis.* AR. III. (Mus. Caes.)

Sunt hi nobiliores hujus urbis numi, ex quibus maxime obvii, quos secundo loco descripsi. Caput numi III. esse Junonis, patebit ex iis, quae in imperatoriis dicentur.

* * *

Caput Neptuni cum tridente. ✕ ΧΑΛΚΙΔΕΩΝ. *Templum distylum, intra quod lapis conoidicus,* AE. III.

---

n) L. X. p. 833. o) Aristoph. in Avib. v. 483. p) in Nicia cap. 9.

Nulla satis probabili ratione Pellerinius numum hunc Chalcidi Syriae tribuit q). Observandi Neptuni plus rationis habuit haec Euboeae urbs ad Euripum posita, tremoribus et procellis, ut testatur Strabo, misere obnoxium.

AV. RRRR. AR. C. AE. R.

Imperatorii.

Huc vocandi videntur sequentes:

ΧΑΛΚΙΔΕΩΝ. *Caput Augusti.* ✠ *Caput muliebre turritum.* (Pellerin).

ΕΠΙ. ΚΛΑΥ. ΕΥΘΥΚΛΙ. ΧΑΛ. *Caput muliebre turritum*, in numo Neronis. (Pellerin).

ΗΡΑ. ΧΑΛΚΙΔΕΩΝ. *Juno rupi insidens d. pateram, s. hastam,* L. Veri. (Mus. ill. com. Vitzai in meis Num. vet. p. 162. Neumann).

ΧΑΛΚΙΔΕΩΝ. *Caput muliebre ornatum*, Severi, (Theup.)

Pellerinius et auctor musei Theupoli numos suos, quos hic descripsimus, Chalcidi Syriae sunt largiti. Sed enim aut nulla est ratio, cur huic Chalcidi sint adimendi, aut sunt variae, cur illi permittendi. Numos Augusti, et Neronis vix esse posse Chalcidis Syriae, argumento est etiam, quod eorum aetate, et usque ad Vespasianum satis constet, Chalcidenen variis regibus paruisse, ut videre est apud Norisium r). Numos duos postremos huc pertinere, eo etiam probatur maxime, quod ex iis abest το ΦΛ. seu praenomen *Flaviae*, quo Chalcis Syriae inde a Vespasiano in numis uti consuevit.

Juno in numo Veri diserte notatur addito ΗΡΑ. Et fuisse Junonem magnis apud hanc urbem adfectam honoribus, ipsi etiam autonomi probant, in quibus ex margaritarum luxu haec deorum regina facile agnoscitur, praecipue cum eundem cultum in numis Plataearum quoque non longe trans fretum dissitarum praeferat. Nescio, utrum satis evincat cl. Neumannus, hos Veri numos inscriptos ΗΡΑ potius Chalcidi Syriae esse tribuendos s).

AE. RR.

ERETRIA.

Haec quoque nobilis hujus insulae urbs.

Caput Dianae cum pharetra. ✠ ΕΡΕΤΡΙΕΩΝ. ΦΑΝΙΑΣ. *vel:* ΧΑΡΙΔΑΜΟΣ *etc. Bos jacens.* AR. I. II. (Mus. Caes. Pellerin, Hunter.)

Caput simile. ✠ ΕΡΕΤΡΙΕΩΝ. ΑΜΦΙΝΙΚΟΣ *vel cum aliis magistratus nominibus. Duo botri pendentes.* AR. III. (Mus. Caes.)

Caput Palladis. ✠ ΕΡΕ. *Diana gradiens arcum tendit.* AE. III. (Hunter.)

Offert antica caput Dianae Amarynthidis apud Eretrienses celebratae, et sic dictae a vicino pago Amaryntho, de quo vide Strabonem t), et Livium u). Etiam Aelianus Eretriensium Dianam citat, sed eam vocat Εμβοϊνθον x), pro quo legendum item videtur Αμαρυνθιον.

Eretrienses Jovi Olympio dedicasse bo-

q) Rec. II. p. 210. r) Epoch. Syrom. p. 272. s) Num. pop. P. II. p. 70. t) L. X. p. m. 448. u) L. XXXV. c. 38. x) Nat. anim. L. XII. c. 34.

vem aeneum auctor est Pausanias. Vide, quae de similibus donariis in numis Carysti mox notavimus.
AR. RR. AE. RRRR.

HISTIAEA.

Fuisse urbem εὐδαίμονα, comprobant numi insignes.

Caput Bacchae racemis redimitum. ✠ ΙΣΤΙΑΙΕΩΝ. *Mulier prorae navis insidens s. velum explicatum tenet.* AR. m. m. AR. III. *In his nonnunquam epigraphe retrograda.* (Pellerin. Mus. Caes.)

Caput simile. ✠ ΙΣΤΙ. *Bos stans, retro vitis.* AR. III. AE. III. (Mus. Caes.)

Typum Bacchae et vitis explicat Homerus, cum urbem vocat: πολυςταφυλον θ' Ἱςιαιαν, *et uvis abundantem Histiaeam.* At mulierem partis aversae eam puto, de qua Eustathius ad citatum versum Homeri y): και ἑτερα δε Ιςτιαια ἀρχαια ἡρωις θυγατηρ Υριεως, ἀφ' ἡς ἡ πολις ὠνομαςται, *et alia quaedam Histiaea vetus heroina Hyrici filia, a qua urbs nomen accepit.* Confirmare istud videtur velum latius, et ad ostentationem extentum, nam velum Graecis ἱςτιον tam ad heroinam, quam nomen urbis alludit.

Exstant etiam aenei typo non multum absimili.

* * *

Huc etiam Pellerinius, aliique traxere aeneos ΙΣ. typo capri, quos esse Issae insulae Adriatici, in hac demonstravi.
AR. C. AE. RR.

STYRA.

Concha. ✠ ΣΤΥ. *Aquila insistens fulmini.* AE. III. (Hunter.)

Sunt bini similes in museo Caesareo, sed quos ex fabrica et typis Graeciae M. partus potius agnosco.

INSVLAE AEGAEI MINORES EVROPAEAE.

Hoc titulo comprehendimus parvas Aegaei maris insulas, quas geographi Europae adhuc accensent, et quarum pleraeque inter Cyclades et Sporades referuntur.

AMORGVS.

Sporadum una, Naxo vicina.

Caput Apollinis laur. ✠ AM. *Sphaera tripodi imposita.* AE.

Numum hunc ex museo suo promulgavit Pellerinius, addito, a Goltzio jam fuisse editum z). Verum in Goltziano plene scribitur ΑΜΟΡΓΙΝΩΝ a), quanquam juxta addatur alter inscriptus item AM. sed typo spherae et circini. Praeterea Goltzius ex binis suis numis unum aureum, alterum argenteum profitetur, at suum Pellerinius aeneum b). Verius istud, nam minorum Archipelagi insularum paucos

y) Il. B. v. 537. z) Rec. III. p. 27. a) Insul. tab. XXII. b) Rec. III. p. 266.

habemus argenteos, aureum certum hactenus nullum. Sed satis constat, non defuisse Goltzio artem multis anxie quaesitam, vile aes in nobile metallum convertendi.

AE. RRRR.

ANDRVS.

Cycladum una, Bacchi cultu celebris.

Autonomi.

Caput Bacchi hedera coronatum. X ΑΝΔΡ. ΑΝΔΡΙ. *Thyrsus, vel panthera.* AE. III. (Mus. Caes. Pellerin.)

Mulier stans d. - - - s. hastam. X ΑΝΔΡΙ. *Diota.* AE. III. (Mus. princ. de Waldeck.)

Sunt hi insulae hujus numi certi. Verum ab eruditis variis ei numi tributi sunt, qui aliorsum sine dubio sunt vocandi. Chiffletius, ut est apud Spanhemium c), binos vulgavit, quorum unum cum epigraphe ΑΝΔΡΙΩΝ jure sibi vindicat Apollonia Illyrici, ut jam observavit Spanhemius ipse. Alter neque typi causa, neque inscriptionis, qua caret, huc referri potest. Aeneum edidit Pellerinius, quem huic Andro largitur: ΑΝΔΡΩΝ. *Fulmen.* Ejus gentile constans fuit Ανδριος juxta scriptores omnes, atque etiam, ut vidimus, numos. Videtur ergo το ΑΝΔΡΩΝ esse magistratus, ut Ανδρων Tejus memoratur scholiastae Apollonii Rhodii d). Aureus ΑΝΔΡΙΩΝ typo hinc Palladis, illinc bovis ad aram stantis uni, quod sciam, notus fuit Goltzio.

Typi Bacchum praedicant, cui sacra insula. In ejus templo quotannis Nonis Januariis fontem vini sapore fluxisse, narrat Plinius e).

AE. RR.

Imperatorium.

Antonini obiter recitat Harduinus sine mentione typi. *Epigraphe*: ΑΝΔΡΙΩΝ.

CEOS vel CEA.

Versus Sunium Atticae promontorium. Numos habemus non modo nomine insulae, sed etiam duorum oppidorum in hac sitorum *Carthaeae* et *Julidis*, quos continuo subjiciam.

Autonomi.

Caput barbatum laureatum, in aliis *quasi radiatum*, in aliis: *Caput imberbe.* X ΚΕ. ΚΕΩΝ. ΚΕΙ. ΚΕΙΩΝ. *Canis dimidius intra radios.* In aliis videtur esse: *Equus dimidius.* AE. III. (Pellerin, Khell Adpendic. II. Mus. Caes.)

Communem typum mox in Carthaea videbimus. Eum Khellius erudite ac apposite ad Aristaeum Apollinis et Cyrenes filium refert, de quo copiosa, quae huc valere possunt, jam dedi in meis Numis vet. (Pag. 108.) Quod vero propius huc pertinet, est, quod narrat Diodorus f), Aristaeum, cum in Cea degeret, Graeciam peste laborantem liberas-

c) Tom. I. p. 209. d) Ad. L. II. v. 354. e) L. II. §. 106, et L. XXXI. §. 13. f) L. IV. p. 324.

se. Ampliorem lucem adfundit Apollonius perhibens g), Aristaeum in communi illa lue in Cea insula sacra fecisse Jovi et Sirio astro, ut Etesiarum ope aeris salubritas restitueretur; addit interjectis aliquibus, hodie quoque Ceos sacerdotes ante Canis, nempe Sirii, exortum vota concipere, quod et confirmat Cicero h). Igitur caput seu barbatum seu imberbe haud dubie est ipsius Aristaei, neque haec varietas officit, nam idem Aristaeus jam Juppiter, jam Apollo habitus est, ut docet Athenagoras i), et jam alias ex Pindaro ostendi k), uti quoque, fuisse eum per Graeciae urbes instar dei cultum, et quidem Αγρεως nomine, et huic hoc nomine signatos in Corcyra numos. In cane autem posticae possumus intueri ipsum Sirium, seu Caniculam, qui radiis ambitur, nimirum quia astrum est, secundum quod explicari etiam debet astrum, quod occupat aversam numorum Carthaeae. Caput Sirii radiatum habes etiam in gemma, opere Caji, quam sistunt Natterus l), et Worlidge m).

* * *

Numum KE. ΤΡΙΠΟΡΙΟΣ a Pellerinio inique huc vocatum vide in Thebis Boeotiae.

AE. RR.

Imperatorii.

Huic insulae in museo Theupoli tributi sunt Cii Bithyniae.

CARTHAEA.

Ejusdem insulae Ceae urbs.

Caput laureatum barbatum, in aliis imberbe. X ΚΑΡ. ΚΑΡΘΑ. ΚΑΡΘΑΙ. *Canis dimidius intra radios, in aliquibus juxta apis.* AE. III. (Khell Adpendic. II. Pellerin.)

Caput juvenile laur. X ΚΑΡΘΑΙ. *Astrum.* AE. III. (Ibid.)

Caput Bacchi hedera redimitum. X ΚΑΡΘΑ. *Botrus, juxta astrum.* AE. III. (Ibid.)

Horum explicatio numorum ex prioribus petenda. Notanda praeterea in his apis. Praeclare istud ad Aristaeum, qui passim auctor mellificii est habitus, ut alibi ostendi n).

Pellerinius et Khellius primi huic Carthaeorum monetae lucem adfudere, quae hactenus non quidem ignota fuit, sed aliorsum injuste aversa; nam binos edidit Haymius o), at cum in iis legeret ΚΑΡΡΑΣ, eos Carrhas in Mesopotamiam traduxit. Alium cum botro et astro protulit Arigonius lecto ΑΡΠΑ, quo errore eum Harpasae Cariae urbi proprium dedit.

AE. RR.

JVLIS.

Haec quoque Ceae urbs.

Autonomi:

Caput laureatum barbatum. X ΙΟΥΛ. *Apis.* AE. III. (Mus. Caes.)

Dubium non est, caput hujus num esse Aristaei, ad quem refertur apis po-

g) Argon. L. II. v. 500. h) De Divinat. L. I c. 57. i) Legat pro Christ. k) Num. vet. l. c. l) Traité p. 27. m) Num. 1. n) Num. vet. p. 106. o) Tom. II. p. m. 141.

sticae, nam eum in Cea reperisse mellis usum, jam ante ad numos Carthaeae monui. Similis huic, sed in cujus antica est caput nudum imberbe, est apud Pellerinium p), item alius apud Hunterum cum capite Herculis.
AE. RR.

Imperatorium

M. Aurelii inscriptum ΙΟΥΛΙΕΩΝ typo Neptuni, editum a Froelichio q) Pellerinius putat hujus esse urbis r), sed quem esse Juliae Phrygiae, in hac dicetur.

CIMOLIS.

Cycladum una.
Caput Palladis. ☧ ΚΙΜΩΛΙ. *Tridens.* AE. III.
Vnicus hic ex Pellerinio cognitus. Sed forte etiam huc pertinet sequens:
Caput Mercurii. ☧ ΚΙΣΩ. *Delphinus.* AE. IV. (Pembrock P. II. tab. 14.) Nimirum scripto forte ΚΙΣΩ pro ΚΙΜΩ.
AE. RRRR.

CYTHNVS.

Cycladum una.
Caput Apollinis. ☧ ΚΥΘΝΙ. *Lyra.* AE. III. (Pellerin, Hunter.)
Caput muliebre. ☧ ΚΥΘΝ. *Balaustium.* AE. III. (Pembrock.)
Goltzius cum argenteos, tum aeneos prodidit, in quibus epigraphe ΚΥΘΝ. ΚΥΘΝΙΩΝ. In horum omnium aversa est canis stans, et in uno supra canem quiddam rotundum, quod Begerus caseum Cythnium summe laudatum censet s), quam sententiam suo calculo adprobat Winckelmannus t). At aliud dicunt numi alii a variis editi. In argenteo Pellerinii juxta canem stantem, supra quem similis clypeolus, legitur ΗΛΙΕΙΕ., et dubitat ipse vir eruditus, an non Cydoniae potius sit restituendus. In aeneo musei Caesarei stat canis intra IV. annulos eadem linea situ omnes perpendiculari collocatos, sed nulla adstituta epigraphe. Princeps Turris Muciae id genus numos, etsi anepigraphos, in Segestanis Siciliae numerat, jure, nam in horum aliis adscriptum urbis nomen.
AE. RRR.

DELVS.

Cycladum notissima ob Apollinis et Dianae natales. Ejus historiam et monumenta late descripsit Dorvilius in Observationibus Crit. mox citandis.

Autonomi.

Caput Apollinis. ☧ ΔΗ. *Lyra.* AR. III. (Pellerin.) AE. III. (Mus. Caes.) *adstituto etiam cycno.* AE. III. (Hunter.)
Sunt hi soli certi hujus insulae numi. Aliorum esto judicium, utrum parem fidem mereantur Goltziani: ΔΗΛΙΟΥ. ΔΗΛΙΑΣ. ΔΗΛΙΩΝ. typis *Apollinis solis*, et *Dianae lunae.* Aenei cum tribus astris et totidem lunulis, quos Goltzius

---

p) Suppl II. tab. VIII. n. 9. q) IV. Tent. r) Rec. III. p. 49. s) Spicil. antiq. p. 29. t) Pierr. grav. de M. Stosch p. 73.

et Arigonius Delum comportant, sunt Veliae Lucaniae, et esse Deli non posse, ipsi globuli adstituti abunde loquuntur.
AR. et AE. RRRR.

Imperatorii.

Horum cum nullus cognitus esset, erat Pyrrhus Ligorius, ut nos docet Holstenius [u]), qui horum plures possedit, et quidem Antonini cum lepida capitis epigraphe: ΑΝΤΩΝ. ΡΟΜΥΛΟΥ. ΒΑϹΙΛЄΩϹ. ✠ ΚΟΙΝΟΝ. ΔΗΛΙΑΤΩΝ. *Romulus et Remus lactentes.* Alium Aurelii et Commodi, in quorum aversa: ΜΑΝΤΕΙΟΝ. ΔΗΛΙΑΤΩΝ. ΝΕΩΚΟΡΩΝ. *Templum monti impositum etc.* At nimio cognitum, nullam in re numismatica esse Ligorii fidem, quam et ipsa ejus numorum descriptio elevat, et satis incaute Holstenius ex his probat, etiam Δηλιατης fuisse Deliorum gentile, quod ignoraverit Stephanus. Vide ineptos hos numos laxius, quam meruerunt, reprobatos in Miscell. Observat. critic. Amstaelod. 1736 p. 86.

I O S.

Sporadum una.

Autonomi.

Caput muliebre laureatum. ✠ ΙΗ. *Ancora.* AE. III. (Pellerin.)

Simillimum aversae typum habes in numis Abydi.

* * *

Caput Bacchi Indici. ✠ ΙΗΤ. *Palma.* AE. III. (Pellerin.)

Apposite ad hunc typum Plinius et Stephanus, adfirmantes, hanc insulam et *Phoenicen* fuisse vocatam.

* * *

ΟΜΗΡΟϹ. *Caput laureatum, in aliis diadematum.* ✠ ΙΗΤΩΝ. *Pallas stans d. pateram, s. hastam, pro pedibus hinc ara ignita, illinc clypeus.* In aliis: *Pallas hastam vibrans.* In aliis: ΙΗΤΩΝ *intra lauream.* (Mus. Caes. Pellerin.)

Fuit Ietis Homeri in numis signandi gravis ratio; nam teste Strabone sepultus erat in hac insula, et secundum Stephanum, et Pausaniam [x]) ejus mater hinc fuit oriunda. Plutarchus in fortunae casibus putat [y]), *δυειν ὁμωνυμων τοις ἐυωδεστατοις φυτοις πολεων, Ιȣ και Σμυρνης, τον ποιητην Ομηρον ἐν ᾗ μεν γενεσθαι λεγȣσιν, ἐν ᾗ δ' ἀποθανειν. Cum duae essent urbes ejusdem cum plantis fragrantissimis nominis, Ios et Smyrna,* (viola et myrrha) *in harum una ajunt natum poetam Homerum, in altera mortuum.* Sed et alii natum eum in hac insula praedicant, ut docet notus versiculus apud Gellium [z]), etsi in hoc alii pro Ιος legendum Χιος putent, tamen eodem loco Gellius, tum et auctor vetus vitae Homeri cum Ietam domo faciunt citato teste gravi Aristotele [a]). In numo simili musei Pembrock

---

u) Ad Steph. in Δηλος. x) L. X. c. 24. y) In Sertor. sub. init. z) L. III. c. 11.
a) Sub. init.

pro IHTΩN perperam legitur ΚΡΗΤΩΝ [b]), erroris utique auctore Haymio [c]).
AE. RR.

Imperatorii.

Bini hactenus comperti, IHTAN. *Palma*, Faustinae jun. [d]). Alter: IHTΩN. *Pallas stans, et jaculum vibrans, humi serpens*, est Lucillae, editus ab Havercampo [e]), quem numum vidi ipse Romae in museo Christinae, eumque integerrimum, at quem Vaillantius perperam Bargyliae Cariae tribuit.
AE. RRRR.

MELOS.

Ex illustrioribus Cycladum.

Autonomi.

Malum Punicum. ✗ M. *scriptum in area quadripartita.* AR. II. Est fabricae perantiquae. (Hunter.)

MA. *Malum Punicum.* ✗ *Area quadripartita.* AR. II. Est fabricae item perantiquae. (Hunter.)

Malum Punicum. ✗ MA. *Diota, ex cujus ansis pendet botrus.* AE. III. (Pellerin Rec. III. tab. CIII. num. 12.)

Caput Palladis. ✗ ΜΑΛΙΩΝ. ΛΥΣΑΝΙΑΣ. *Malum Punicum, omnia intra coronam.* AE. III. (Harduin. Num. urbb. sub *Melos*, le Blond. B. L. T. XL. p. 90.)

Caput Palladis. ✗ ΜΑΛΙΩΝ. ΣΩΣΑΡΧΟ. *Iuvenis curto habitu indutus saxo insidens s. lyram tenet.* AR. m. m. (Pellerin Rec. I. tab. 27.).

Numi hic descripti quorsum pertineant, disputatum ab eruditis. Harduinus et Barthelemyus numos IV. et V. (ab his disputationem ordiri juvat) insulae Melo, Pellerinius et Blondius Maliensibus Thessaliae proprios dixerunt. Blondii argumenta sunt, I. hactenus cognitos non esse argenteos Meli numos. II. omnes hujus insulae numos inscribi constanter ΜΗΛΙΩΝ. III. Herodotum, Thucydidem etc. eam constanter appellare Μηλον, nunquam Μαλον. Sed enim multo mihi videtur verisimilius, utrumque numum Melo restituendum, quod ut comprobem, molliendae primum difficultates a Blondio objectae. Ait primum, ignotos Meli numos argenteos. At non longum tempus, quo adhuc legis instar fuit creditum, non modo non exstare argenteos Lacedaemonis numos, sed etiam per severum Spartanorum institutum ne exstare quidem posse. Adfirmat deinde, omnes Meli numos inscribi ΜΗΛΙΩΝ, non ΜΑΛΙΩΝ. Verum hoc ipsum est, quod quaeritur. Esto, Herodotum, aliosque, quorum bene multos ordine recenset, dixisse semper Μηλον, at iidem hi auctores constanter quoque dixere Θασος, Μεσημβρια, Μηθυμνα, Κυρηνη, Ηπειρος, et tamen in numis legitur ΘΑΣΙΩΝ, ΜΕΤΑΜΒΡΙΑΝΩΝ, ΜΑΘΥΜΝΑΙΩΝ, ΚΥΡΑΝΑΙΩΝ. ΑΠΕΙΡΩΤΑΝ. Si auctores hi scripsissent Dori-

b) Part. II. tab. 80. c) Tom. II. p. 72. d) Panel. Mem. Trev. e) Med. de Christine Tab. LXI.

ce, pro Μῆλος dixissent quoque Μαλος, cumque insula nostra nomen traxerit ἀπο τε μηλε, a *malo*, cujus per rotunditatem speciem referebat, (nam omnium insularum rotundissimam dixit Plinius) recte Dorice dicebatur Μαλος, et sic constanter Doricus Theocritus dixit μαλον, unde Latinorum *malum*. Non nego, in aliis Meli numis, quos continuo describam, legi ΜΗΛΙΩΝ, nimirum etiam urbium, quos modo recensui, numi alii inscribuntur Dorice, alii dialecto communi ΘΑΣΙΩΝ, ΜΕΣΗΜΒΡΙΑΝΩΝ, ΜΕΘΥΜΝΑΙΩΝ etc.: qui mos varius pendebat a varia aetate, et variis incolis.

At quod caput est, epigraphe ΜΑΛΙΩΝ Maliensibus Thessaliae competere nullo pacto potest. Horum gentile, ut in eorum moneta diximus, perpetuum fuit Μηλιευς, vel Μαλιευς, a quo recte deducitur Μαλιεων, quod praeferunt quoque numi; verum an et Μαλιων formari inde potest? Atqui gentile Meli fuit Μηλιος, secundum quod in numis ΜΗΛΙΩΝ, et quod sequitur, Dorice ΜΑΛΙΩΝ. Quod ad typos attinet, caput Palladis sistitur etiam in agnitis Meli numis, quos videbimus, et in iisdem est etiam malum Punicum, aut, si mavelis, pepo, nempe cum adlusione ad vocem μηλον, vel μαλον, ut diximus. Offerunt hi numi nomina magistratuum, ut et numi Meli alii, quos citabimus, nullo hactenus in certis Maliensium numis comperto magistratu. Quod numos ea argenteos signavit, cum tamen Aegaei insulae minores rarissimos ex hoc metallo offerant, in causa esse puto, quod teste Strabone vicinarum insularum fuit ἀξιολογωτερα, cumque constet ex Thucydide [f]), fuisse Melios Spartanorum colonos, tum ex Conone apud Photium [g]), Melum a Spartanis exulibus conditam, sic ut propterea Sparta et Melus foedere semper junctae essent, causam etiam dialecti Doricae manifestam habemus.

His constitutis cum malum Punicum frequens sit in Meli numis typus, et ipsa insula Dorismi patiens, habemus quamdam velut impositam legem, ut numos tres, quos primo loco descripsi, huc avocemus. Novi, numum tertia sede positum a Pellerinio tribui Methymnae, nimirum suadente ΜΑ., et diota ejus formae, qua eam in certis aliis Methymnae numis fictam videmus. Verum hujus formae diota minus tutum judicium constituit; simillimam enim offerunt numi Corcyrae, Boeotorum, Minyae Thessaliae, Naxi vicinae, aliarumque urbium, atque si pertinacius a Meli quoque numis ejusmodi diotam exigas, habebis eam etiam in numo imperatorio, quem infra citabo. At certius discrimen suppeditat malum Punicum, rarum in numis symbolum, quod in certis Methymnae numis nunquam, in certis Meli frequenter conspicitur, sic ut etiam, cum alium inferre typum principem placuit, tamen in nonnullorum area, ut videbimus, minoris formae aliud expressum sit, qui mos apud Sidetes quoque valuit. Nihil ergo amplius

f) L. V. c. 84. g) Narrat. 37.

dubii reliquum, quin malum Punicum cum litteris MA. conjunctum certam constituere Meli monetam existimemus.

Commemorandum adhuc, numum V. a Panelio ex museo le Bret fuisse editum, at cum in eo legeret ΙΔΑΛΙΩΝ, eum Idalium Cypri perperam ablegavit.

* * *

ΜΗΛΙΩΝ -- ΑΡΣΑ. *Protome Palladis, juxta astrum*, vel: ΜΗΛΙΩΝ. ΔΗΜΟϹ. *Caput nudum barbatum*, vel: ΜΗΛΙΩΝ. *Caput Palladis*, *pone malum Punicum*. ℞ ΕΠΙ. ΤΙ. ΠΑΝΚΛΕΟϹ. ΤΟ. Γ. *intra lauream*. AE. I. (Mus. Caes.) AE. II. (Pellerin.) AE. III. (Hunter.)

Malum Punicum. ℞ ΜΗΛΙΩΝ. *Hermathena jaculum vibrans*. AE. II. (Pellerin.)

Tria mala Punica ex uno stamine excrescentia. ℞ ΜΗΛΙѠΝ. *intra lauream*. AE. II. (Pellerin.)

Vir philosophi habitu sedens d. elata. ℞ ΜΗ. *intra lauream*. AE. II. (Mus. Caes.)

Caput Palladis. ℞ ΜΗΛΙѠΝ. *intra lauream*. AE. II. (Mus. Caes.)

Mulier stans d. columnae innixa, *s. infantem tenet*, *in area* ΤΥΧΗ, *omnia intra lauream*. ℞ ΜΗΛΙΩΝ. *intra lauream*. AE. I. (Pellerin.)

Numos hos descripsi adcuratius, quoniam propter repetitos Palladis et mali Punici typos multum illustrant numos, quos supra recitavi. Horum non pauci in opere hiulco scripturam offerunt retrogradam, nullo vetustatis argumento, ut jam ad numos Cydoniae observavi. Similem illis, quos primos proposui, edidit auctor musei Theupoli, verum cum literas ΤΟΓ incautius conjungeret, in iis epochae annum vidit, cum tamen aliud non notent, quam *Tiberium Panclea* fuisse *tertium* magistratu functum.

Numi postremi typus puerperam sistit, sed quam, incertum. Quidquid erit, signum sic propositum fuisse Fortunam urbis habitum, docet scriptum juxta ΤΥΧΗ, nam sic legendum illud vocabulum, non ΝΙΚΗ, ut habet numus Pellerinianus, jam advertit Neumannus [h]).

AR. RRR. AE. C.

Imperatorii.

Horum binos reperio vulgatos, unum Nervae: ΜΗΛΙΩΝ, *Pallas stans*, (Pellerin Rec. III. p. 224.) alterum Elagabali: ΜΗΛΗΩΝ (corrige ΜΗΛΙΩΝ.) *Duo hirci coniscantes media diota ejus formae, quam offert argenteus supra descriptus*. (Arigoni.)

AR. RRRR.

MYCONVS.

In Cycladum numero.

Autonomi.

Caput Jovis. ℞ ΜΥΚΟ. *Botrus*. AR. (Wheler Voyage L. I. p. 100.)

Caput Bacchi adversum. ℞ ΜΥΚΟ. ΜΥΚΟΝΙѠΝ. *Botrus et hordei granum*.

h) Num. pop. P. II. p. 234.

In alio: *Duae spicae junctae.* AE. III. (Mus. Caes. et in meis. Num. vet. p. 159.)

Minus certum, utrum hujus sit insulae numus Pellerinianus: *Caput Bacchi*, ꭗ - - ΚΩΝ. ΕΚΑΤΑΙΟΣ. *Botrus.* AE. I. In urbis hujus nomine Ω pro O permutari nequit, ex quo verisimile, aliter explendam epigraphen.

AR. AE. RR.

Imperatorius.

Cum capite Augusti apud unum Pellerinium. (Rec. III. p. 224.) ΜΥΚΟΝΙΩΝ. *Bacchus stans.*

Frequens Bacchi, ejusque attributorum in Myconi numis typus Plinii testimonium confirmat vinum Myconium eximie laudantis, quod hodieque in hac insula copia et bonitate praestat teste Tournefortio.

AE. RRRR.

NAXVS.

Cycladum una.

Autonomi:

Caput Bacchi hedera redimitum, jam barbatum, jam imberbe. ꭗ ΝΑ. ΝΑΞΙ. *Diota, adstituto etiam thyrso, vel ambiente eam hedera, rarus magistratus, ut:* ΛΕΩΚΡ. AE. I. II. III. (Pellerin. Mus. Caes.)

Jure Bacchum in moneta sua praedicat insula. Nam tanta fuit in ea vinearum fertilitas, ut propterea *Dionysias* quoque diceretur [i]), et Solinus eam hospitam Libero patri adfirmaret, et Maro [k]): *Bacchatamque jugis Naxum.*

Sunt hi certi Naxi autonomi, quos etiam per ipsam fabricam, quae tota est ex insularum hujus tractus ingenio, facile huc vocaveris. Argenteos omnes Naxi nomine insignes pertinere ad Naxum Siciliae, ut aeneos ad Naxum insulam, satis in Naxi Siculae moneta disputavi.

AE. RR.

Imperatorii.

Sunt in familia Severi, edente horum aliquot Vaillantio.

Epigraphe ΝΑΞΙΩΝ. Typi: *Bacchus stans*, vel: *Tres Gratiae se mutuo complexae.*

AE. RRR.

PARVS.

Cyclas, marmoris praestantia commendata.

Autonomi.

Caput Bacchi hedera coronatum. ꭗ ΠΑΡΙΩΝ. ΣΙΛΗΝΟΣ. *Mulier cistae insidens d. duplex folium, s. thyrsum tenet.* AR. m. m. (Hunter.)

Aversa praeclari hujus numi exhibet Baccham mysticae Dei sui cistae insidentem. Ad haec ejus augetur pretium propterea, quia unicus est certus hujus insulae numus, reliquis argenteis aeneisque, quos hactenus justo numero huc

i) Plinius L. IV. §. 22. k) L. III.

vocare consuevimus, tutius Pario Mysiae restituendis ut in hac dicetur.

* * *

Pariis drachmis insculptam fuisse effigiem Arati, ex vetere epigrammate docet Diogenes Laertius [l]), sed ejusmodi numus nondum in conspectum venit, et mihi plane videtur verisimile, vocabulum Αϱατος hujus epigrammatis in mendo cubare, quod jam ante me a viris eruditis ad hunc Diogenis locum fuit observatum. Brunckius in Analectis suis Vol. I. p. 141. n. 80 pro Αϱατος legit ἀκατος, quod est poculi, vel navigii genus. Verum mutatae lectionis in observationibus suis causam non addit.

AR. RRRR.

Imperatorii.

Vnicus hujus classis compertus, isque M. Aurelii: ΠΑΡΙΩΝ. *Protome galeata.* (Theupoli.)

AE. RRRR.

RHENE.

Modica insula Delo vicina.

Imperatorium ΡΗΝΙΩΝ cum capite Maximi dedit Tristanus, aliosque in fraudem induxit [m]). Legendum in hoc ΤΗΝΙΩΝ, et est Teni insulae.

SCYRVS.

Ad Euboeam. Argenteus ΣΚΥΡΙΩΝ apud unum Goltzium.

SERIPHVS.

Cycladum una et ignobilis, autonomos tamen illustres habet.

ΣΕ. *Chimaera.* ※ *Columba volans intra lauream.* AR. I. III. (Mus. Caes.)

Mirum videatur, tam obscuri nominis insulam, quae Tacito per contemptum *saxum Seriphium* dicitur [n]), quam et ignobilitatem ei palam imputant Cicero [o]), et Origines [p]), tam illustres, neque infrequentes numos feriisse, cum tamen multo insigniores aliae ejus tractus numis argenteis fere destituantur. Occurrit quoniam Siphnus insula locuples, ac Seripho fere contigua simillimos tam metallo et fabrica, quam utriusque faciei typis numos signavit, hujus egestatem illius opibus sublevatam, et utramque insulam felici inter se concordia et bonorum communione vixisse ea aetate, qua hi Seriphiorum numi cusi sunt. Ceterum quando, ut saepe factum videmus, in numis similibus solum Σ inscribitur, discerni nequit, ad utros hi pertineant, etsi certum sit, ad alterutros pertinere. Vide, quae de his alia ad proximam Siphnum notabuntur.

* * *

Caput juvenile tectum galea alata in volucris caput exeunte. ※ ΣΕΡΙ. *Harpa.* AE. III. (Hunter.)

Praeclarum numus hic continet argumentum. Capite anticae quis negabit exhiberi heroem Persea lectis iis, quae

---

l) L. IV. c. VI. in fine. m) Tom. II. p. 435. n) Annal. IV. c. 21. o) De Senect. c. 3. p) Contra Celsum L. I.

ad numos Philippi V. Macedoniae regis, Larissae Thessaliae, Iconii Lycaoniae, aliarumque urbium adfatim disseruimus? quibus locis egimus etiam de harpa, quam aversa sistit, cultro uni fere Perseo proprio. At quid Perseo cum Seripho commune, expediendum. Narrant Hyginus q), Apollodorus r), et Lucianus s), Perseum ex Danae recens natum ab avo Acrisio, qui oraculi monitu nepotis se manu caesum iri cognoverat, arcae inclusum, et in mare dejectum Seriphum forte delatum, repertumque a piscatoribus ad insulae regem Polydectem delatum, ac liberaliter in templo Minervae fuisse educatum. Serius etiam reversum in insulam tradit Apollodorus t), regemque Polydectem quod asperius matrem tractaverat, objecta Gorgone in saxum vertisse. Praeclare secundum hunc numum Pausanias, qui cum narrasset, Perseo prope Mycenas honores haberi, addit, multo vero maximos in Seripho u), nimirum ob dictas causas, atque etiam hoc suo cive gloriatos scribit Aelianus x).

AR. R. AE. RRRR.

SICINVS.

Inter Cycladas exigui nominis.

Caput virile nudum. ✗ ΣΙ. *Apis.* In aliis: ΣΙΚΙ. *Botrus.* AE. III. (Pellerin, Hunter.)

AE. RRR.

SIPHNVS.

Cycladum una, quae teste Herodoto y) ejus viciniae insularum ditissima habita fuit propter auri, argentique fodinas, quibus opulentiam suam debuit, et quas testantur quoque Pausanias z), et Eustathius a). Has opes confirmant residui magna copia argentei etiam tetradrachmi.

Autonomi.

ΣΙ. *Chimaera.* ✗ *Aquila, vel columba volans intra lauream, adduntur saepe variarum vocum principia.* AR. I. III. (Mus. Caes.)

Numos simillimos a vicina Seripho fuisse signatos, in hac vidimus, sed causam illatae utrisque Chimaerae nondum divinare licuit. Qui utrumque populum Corintho oriundum dixere, ii potius conjecturam a typo Chimaerae petitam, quam certam auctoritatem secuti sunt, quos inter Begerus b). Atqui hoc pacto Chios quoque statuemus aut Aegypto, aut Boeotia oriundos, quia Sphingem in moneta sua signavere.

Hactenus illustres hi numi in sua tuti statione videri poterant, cum litem iis nuper intendit cl. abbas Sestinus, dejerans, eos injuria in Siphnum fugitivos herae Sicyoni restituendos. Causas adfert, I. quia hodie frequentius in vicinia veteris Sicyonis effodiuntur. II. quia ejusdem sunt fabricae cum certis Sicyonis numis. III. quia typum habent

q) Fab. LXIII. r) L. II. c. 4. s) Dial. mar. 12. t) L. II. c. 4. §. 3. u) L. II. c. 18. x) De Nat. anim. L. III. c. 37. y) L. III. c. 57. z) L. X. c. 11. a) Ad Dionys. Perieg. v. 525. b) Thes. Brand. T. I. p. 456.

Chimaeram proprium Corinthi symbolum, cui Sicyon vicina fuit [c]. Verum, pace viri clarissimi dixero, non possunt omnes hae causae persuadere, ut novae huic sententiae subscribam, praevalente ex causis solidioribus vetere, cujus argumentum princeps est perfecta horum numorum similitudo cum numis Seriphi quos profecto non distingueres, nisi epigraphe in illis ΣΙ., in his ΣΕ. discrimen faceret. Non negat Sestinus, numos inscriptos ΣΕ. esse Seriphi, quo ergo pacto negare potest, numos cum epigraphe ΣΙ. esse Siphni, quando nonnisi utriusque vicinia, et politicus inter utramque nexus tam anxiam monetae concordiam imperare potuit? Abstineo in re, ut opinor, evidente argumentis aliis.

* * *

Caput muliebre. ✠ ΣΙΦ. *Avis sursum evolans intra quadratum.* AR. I. (Pellerin.)

Numus est operis pervetusti.

Caput muliebre nudum. ✠ ΣΙΦ. *Aquila volans rostro serpentem stringit.* AE. III. (Hunter.)

Caput Apollinis laur. ✠ ΣΙΦΝ. *Tridens.* AE. II. (Pellerin.)

Caput Jovis laur. ✠ ΣΙΦΝ. *Arbor.* AE. II. (Pellerin.)

ΕΠΙ. ΗΡΟ. *(retrograde) Protome Palladis.* ✠ CΙΦΝΙΩΝ. *Columba stans.* AE. II. (Pellerin.)

In postremo hoc numo epigraphe retrograda vetustati numi tribuenda non est, cum aversa inscriptionem recentis formae offerat. Simile ingruentis barbariae exemplum in Meli moneta vidimus.

* * *

Peractis numis hujus insulae ad incertos progrediamur, quos quidem cl. Sestini censura ad unum omnes, tanquam certos Sicyonis, Siphno eripiendos adserit. Juvat eorum illustriores commemorare, nam omnium adcuratum catalogum idem vir eruditus composuit.

Caput Apollinis laur. ✠ ΣΙ. *Columba volans.* AR. IV. (Hunter.) AE. III. (Mus. Caes.) *addito in nonnullis magistratu, ut:* ΑΙΝΕΑΣ — ΑΠΟΛΛΩΝΙΟΥ — ΚΛΕΑΝΔΡΟΥ etc. AE. III. (Mus. Caes. Hunter.)

Columba stans, in area ΑΝΔΡΟΓΙΜΟΣ. ✠ ΣΙ. *Tripus intra lauream.* AE. III. (Hunter.)

ΣΙ. *Planta incerta.* (Sestino *Columba stans.*) ✠ ΕΥ. *Tripus intra lauream.* AE. III. (Neumann, et in meis Numis vet. p. 159, sed quem ibi perperam causa τȣ ΕΥ., et extrito ΣΙ. Euboeae tribueram. Sed et similem Pellerinius, cum juxta ΣΙ. scriptum videret ΔΗ., Sidetibus Pamphyliae inique tribuit.)

Caput Apollinis laur. ✠ ΣΙ. *intra lauream.* AE. III. (Pellerin in numis Mileti.)

Hos numos esse Sicyonis, diserte adfirmat Sestinus. Causa illi una, quod in eo tractu sunt obvii testibus eo commeantibus. Sit sua huic testimonio re-

c) Lettere. T. I. p. 142.

verentia. Hoc misso magis in Siphnum inclinat animus. Columbam volantem in certis Siphniorum argenteis vidimus, et in certo eorum aeneo vidimus caput Apollinis, quod nunc in praesentibus quoque recurrit, aut pro hoc ejus attributum tripodem. Auctore Stephano [d]) fuit in Siphno oppidum dictum *Apollonia*, ex quo liberalior ejus dei in hac insula cultus potest adfirmari. Sin parum validum quis putaverit hoc argumentum, is validius aliud pro Sicyone adferat. In numo postremo a Pellerinio lectum M pro Σ, eumque propterea perperam donatum Mileto, diximus in numis Sicyonis.

* * *

Σ. *Columba volans.* ✕ *Columba volans.* AR. III. IV. (Mus. Caes. Sestini.) AE. III. (Neumann.)

Columba volans, *in area* ΑΛΕΞΙΩΝ, *vel* ΟΛΥΜΠ. *etc.* ✕ ΣΙ. *intra lauream.* AE. III. (Hunter. Pellerin.)

ΣΙ. Columba stans. ✕ ΕΥ. intra lauream. AE. III. (Sestini.)

Columba volans. ✕ ΕΥ. *vel* ΘΕΥΦ. *intra lauream.* AE. III. (Pellerin, Neumann.)

Omnes item hos numos Sicyoni largitur Sestinus. Vt non nego, eos Sicyonis esse posse, ita exclusa Siphno Sicyoni debere tribui, certam rationem non video. Causas pete ex iis, quae jam dicta sunt.

AR. RR. AE. C.

Imperatorii.

Vulgati sunt: Balbini unus: ΣΙΦΝΙΩΝ. *Pallas stans jaculum vibrat.* (Arigoni.) Alii Gordiani cum eodem typo. (Vaillant, Arigoni.)

AE. RR.

SYRVS.

Cycladum una.

Dimidius bos cornupeta. ✕ ΣΥΡΙΩΝ. *Spica.* AV. VI. (Theupoli)

Moneta aurea e minoribus his insulis nondum prodiit. Adverto, bovem cornupetam et spicam occurrere etiam in numis Syracusarum. An non forte in orbiculo minuto fugientibus reliquis literis legendum ΣΥΡΑΚΟΣΙΩΝ?

* * *

Caput barbatum turgente e fronte uno vel duplice cornu. ✕ ΣΥΡΙ. ΣΥΡΙΕΩΝ. *Caper stans propter arbutum, vel spicam.* AE. III. (Pellerin.)

Mirum in numo altero gentile ΣΥΡΙΕΩΝ, cum ΣΥΡΙΩΝ et analogia et Stephanus exigant. Antica exhibet Pana, ejusque comitem caprum aversa.

AV. RRRR. siquidem est Syri. AE. RRR.

TENVS.

Inter Cyclades.

Autonomi.

Epigraphe. ΤΗ. ΤΗΝΙ. ΤΗΝΙΩΝ. In argenteo Hunteri, si modo huc pertinet, est solum Τ.

Typi: *Caput cum cornu arietis, in aliis barbatum, in aliis imberbe.* ✕ *Neptunus stans vel sedens d. delphinum, s. tridentem, in area saepe balaustium.* AR. II. (Hunter.) AE. II. III. (Pellerin, Mus. Caes.) In aliis: *Neptunus, aut ejus attributa etc.*

---

d) In Ἀπολλωνια.

In parte antica videntur expressa capita Jovis Ammonis, ejusque filii Bacchi. Vide, quae de his observabimus in moneta Cyrenaicae.

AR. RRRR. AE. C.

Imperatorii.

Inscripti ΤΗΝΙΩΝ proditi sunt Sabinae, (Pellerin.) Antonini, Alexandri, et Maximi. (Vaillant.)

Typi obvii praeter sequentem: *Tridens, cui implicatus serpens*, in numo Alexandri. (Vaill.) Narrat ex Philochoro Clemens Alexandrinus [e]), Neptunum in hac insula pro medico habitum. Quae causa est juncti tridenti serpentis.

AE. RR.

THERA.

In mari Cretico, Cyrenensium metropolis.

Autonomi:

Caput juvenile adversum. ꭗ ΘΗ. *Tres delphini.* AE. III. (Pellerin.)

Vnicum hunc certum habemus hujus insulae numum, quem enim alterum conjungit Pellerinius scripto supra navim ΘΗΡΑ, certus est Corcyrae numus, ut manifestant non modo typi, sed et numus alter geminus, cujus ectypon mihi miserat nobil. Jacobus Gradenigo, qui praeterea literas luculentas ΚΟ. exhibet.

AE. RRRR.

Imperatorii.

ΘΗΡΑΙΩΝ, ΘΗΡΕΩΝ memorantur cum capite Aurelii, Veri, et Commodi, (Vaill. Theup.) typo plerumque *Hermae*.

AE. RRR.

e) Admonit. ad gent.

ASIA.

BOSPORVS CIMMERIVS.

Regnum Bosporanum a Bosporo Cimmerio, quod nomen est angusto freto, quo palus Maeotis cum Ponto Euxino committitur, in Bosporanos Europaeos, et Asiaticos secatur. Europaeos, quatenus numismatici sunt, lustravimus in Taurica. Restant Asiaticorum urbes binae ex numis quoque cognitae.

GORGIPPIA.

Vrbs memorata Straboni. Apud Demosthenem queritur Dinarchus rhetor, Athenis in foro erectas fuisse statuas aeneas Paerisadi, Satyro, Gorgippo, dirissimis tyrannis [a]). Fuit Paerisades rex Bospori, Satyrus tyrannus Heracleae, uterque aequalis Demosthenis. Videtur ergo circum eadem tempora fuisse Gorgippus rex Bospori, saltem in ejus parte, atque ab hoc Gorgippia nomen traxisse.

Autonomi.

Caput Apollinis. ℞ ΓΟΡΓΙΠΠΕΩΝ. *Tripus inter duo monogrammata.* AE. II.

Binos similes exstare in museo Pellerinii, ex Cl. Blondii literis intellexi.
AE. RRRR.

PHANAGORIA.

Ad ipsum Bosporum, Bospori Asiatici urbs princeps.

Autonomus.

Caput barbatum nudum. ℞ ΦΑ. *Arcus et sagitta.* AE. II. (Pellerin.)

Hic aversae typus frequens est per Bosporum, et Chersonesum Tauricam, quae causa fuit, cur numum hunc Pellerinius omissis aliis urbibus a ΦΑ. incipientibus huic Phanagoriae tribuendum putaverit.

Caput Panos. ℞ ΦΑΝΑ. *Arcus et sagitta.* AE. III. (Sestini Lettere T. IV. p. 100.)
AE. RRRR.

* * *

Numos REGVM BOSPORI vide in regibus Ponti.

COLCHI.

Euxino et regno Bosporano in orientem adsita. Argenteos binos prodidit Goltzius inscriptos ΚΟΛΧΩΝ et ΚΟΛΧΟΙΣ [b]), quos esse hujus gentis est ar-

a) Contra Demosth. p. 178. B.   b) In Asia tab. I.

bitratus. Eos altero errore Harduinus Golgo Cypri dedit. Satis nunc constat, numos similes pertinere Miletum Ioniae, quod docent typus leonis astrum respectantis et adstitutum monogramma MI. Vnicam urbem numismaticam habet Colchis, nempe Dioscuriadem, de qua continuo.

DIOSCVRIAS.

Maritima.

Autonomi.

Duo pilei Dioscurorum. ✕ ΔΙΟΣΚΟΥΡΙΑΔΟΣ. *Meta, vel pharus.* AE. II. (Haym, Pellerin, Arigoni.)

Pilei ad urbis nomen, et Dioscurorum cultum, a quibus urbs nomen traxit, adludunt, ut revera ab his condita fuit teste Mela, aut si fides Ammiano c), et Plinio d), ab Amphito et Telchio Spartanis, penes quos nota Dioscurorum veneratio. Sed Milesiorum fuisse coloniam, seriusque dictam Sebastopolin scripsit Arrianus e). Secundum Strabonem f), et Iustinum g) post expeditionem Argonauticam huic orae praefuerunt Rhecas, et Amphistratus Dioscurorum aurigae, unde populus dicti *Heniochi*, *aurigae.* Ad haec Pontus Euxinus a Dioscuris, qui zodiaci partem geminorum nomine constituunt, regitur teste Manilio h):

Euxinus Scythicos Pontus sinuatus in arcus
Sub Geminis te, Phoebe, colit.

Ex quibus omnibus causis tenemus cur adsitae Euxino urbes, ac praecipue Dioscurias frequentius Dioscurorum pileos in numis jactent. De typo aversae minus confidenter possum arbitrari, quod in eo definiendo variant auctores. Haymius metam dixit, Pellerinius pharum.

AE. RRR.

PONTVS.

PROLEGOMENA.

Quod factum in Campania, et Creta vidimus, et videbimus iterum in Lycia, ut unius regionis tractusve urbes conspirarent non typis solum, sed toto numorum modo, id ab urbibus Ponti, et nonnullis finitimae Paphlagoniae multo luculentius, multoque certiore consilio factum videmus. Atque haec in typis, metallo, volumine concordia tanta est, atque haec omnia sic uni Ponto, et Paphlagoniae propria, ut numum hoc ingenio praeditum, etsi epigraphe vitium fecit, continuo pronunciemus Ponticum, et si forte urbs numo inscripta hoc nomine nulla in hoc tractu a geographis memoretur, non dubitemus tamen ex ipsis his typis dicere Ponticam, et a veteribus omissam statuere. Possu-

c) L. XXII. cap. 8. d) L. VI. §. 5. e) Peripl. Ponti. f) L. XI. p. m. 758.
g) L. XLII. c. 3. h) L. IV. v. 753.

mus in nonnullis causam typorum solidis conjecturis eruere, in aliis non item. En tibi eorum catalogum additis nonnullis observationibus.

* * *

Caput Palladis. ☧ *Vir juvenis galeatus, ala nonnunquam galeae adfixa, vestitus stans d. porrecta gladium, plerumque unco munitum, s. caput resectum, jacente pro pedibus trunco, hoc quoque in nonnullis alato.* AE. I. In numis Amisi, Cabirorum, Comanorum Ponti, Amastrios et Sinopes Paphlagoniae.

Caput juvenile tectum galea recurva mentum includente ☧ *Pegasus pascens sublato pede dextero anteriore.* AE. II. In numis Amisi et Chabactorum.

Argumentum numorum, quos priore loco stiti, late olim explicavi [i]), cujus epitome est: ab omnibus causis invicte argui, proponi in iis Perseum Medusae percussorem, has vero causas constituere galeam in nonnullis alatam, gladii modum, nempe harpam, et quod serius compertum, ipsum etiam Medusae corpus in nonnullis penna instructum, quae omnia ad unum hujus caedis argumentum possunt referri. Praeclare etiam cum hoc facto in parte antica conjungi Palladem, cujus consilio Perseum istud ausum constat. Denique et in numis alterius loci, quos infra in Amiso magis illustrabo, ex galea et conjuncto Pegaso agnoscendum Perseum. Attuli etiam causam, cur hic Danaes filius majore studio a Ponti urbibus observatus fuerit. Gravium nempe scriptorum auctoritate constare, quos inter eminent Herodotus [k]), et Plato [l]), creditum Persis, genus sese nomenque ipsum ducere ab heroe Perseo. At non minus constat, Ponti reges a Persis, et nobilissima Achaemenidarum stirpe descendisse, quam prosapiam testantur numi quoque, non modo horum Ponti, sed et Cappadociae regum (nam et hos a Persis ortos consentiunt veteres) in quorum area solis lunae que astra plerumque collucent, tracta nimirum a Persis religione, apud quos utrumque sidus magno in honore, et praesentium numinum loco fuit. Placuit ergo urbibus Ponti, et Paphlagoniae, quae Ponti regibus paruere, non modo illustre hoc Persei factum, sed et solis lunaeque astra, (nam et haec frequenter aream numorum, quos Ponti urbes percussere, occupant) monetae inferre, ut hoc pacto illustrem, et a priscis regibus deductam regum suorum originem praedicarent.

Haec ordine atque nitide comprobata credideram, neque de eruditorum consensu dubitaveram, cum repente cum admiratione viderem, sententiam meam a viro summo Pellerinio in postremo suo opere, quod *Additions aux recueils des Médailles* inscripsit, acriter impugnari stabilita nova sua, quam paucis lectori proponere lubet [m]). Ait, hoc typo in suo Amastrios numo exhiberi Tiridatem percussorem Phereclis sive Agathoclis,

---

i) Num. vet. p. 172. k) L. VII. c. 59. l) in Alcibiad. I. p. 120. m) Pag. 54.

qui pro Antiocho II. Syriae rege provincias omnes trans Tigrim sitas rexit, et propter crudelitatem fuit exosus omnibus, ac privatim Tiridati, quod ejus pudicitiam tentaverat. Ergo Amastrianos origine Persas veteris patriae amore Persis hoc numo Phereclis caedem gratulatos, quod ea perpetrata vetus majorum suorum regnum recuperavere. Satis apparet, scripsisse haec Pellerinium, quando oppressus senectute cum oculorum acie memoriae etiam jacturam coepit experiri. Adeo inconsulta omnis haec est oratio, et invitis Musis prolata, et praetereunda potius videretur, quam refutanda, nisi metus esset, ne cui minus attento imponat praestantis ejus viri auctoritas. Iam primum istud ignoro, cur is in numo Tiridatem potius videat, quam Arsacem fratrem, quando historia, quae Phereclis caedem refert, in genere memorat, Arsacem cum fratre minore et conjuratis eam caedem peregisse? Sed esto levius istud. Quod ait, Amastrianos origine Persas laetatos eo, quod Phereclis caede majorum hi regnum recepere, numos hujus facti testes feriundos curasse, bis gravissime offendit. Nam primum non reflexit animum vir eruditus, eundem typum non in unis haberi Amastrios numis, sed et Amisi, Cabirorum, Comanorum, Sinopes. An vero et harum cives origine Persae? An non ex hac typi concordia palam fit, eo contineri argumentum, quod ad omnes Ponti urbes aeque pertineat? Deinde quo pacto Amastriani poterant Persis suis receptum regnum gratulari, quando per Phereclis caedem non hi, sed Parthi adepti sunt imperium, Persae vero eo facto non libertate servitium, sed dominos tantum mutavere? Denique meminisse oportuerat Pellerinium, quod ipse omnium optime noverat, in numos Graecos veteris ejus aevi, quo similes numi malleum experti sunt, vix vocata fuisse argumenta historica, aut si forte admissa sunt, symbolis potius fuisse involuta, neque tam manifeste proposita. Abstineo pluribus argumentis aliis, quae qui volet, adeat cl. Neumannum, male consutam hanc Pellerinii doctrinam praeclare ac solide impugnantem [n]).

* * *

Caput juvenile galeatum. ℞ *Pharetra.* AE. II. In numis Amasiae, Amisi, Chabactorum, Gaziurae, Laodiceae, Pimolisorum, Amastrios, Sinopes.

Dixi: caput juvenile galeatum, quod alii definite Palladis dicunt. At in multis, quos vidi, non ambigua sunt lineamenta viri, quae Martem potius facerent. Accedit, in numo Pimolisorum, quem edidit Pellerinius, galeatum illud caput revera esse barbatum. At constat a Graecis Martem jam barbatum, jam imberbem fictum.

* * *

Aegis Palladis inserto Medusae capite.

n) Num. pop. Part. II. p. 1.

℞ *Victoria gradiens elato super humerum palmae ramo.* AE. II. In numis Amisi, Cabirorum, Comanorum, Laodiceae, Amastrios, Sinopes.

Caput Jovis. ℞ *Aquila insistens fulmini.* AE. I. II. In numis Amasiae, Amisi, Cabirorum, Gaziurae, Amastrios, Sinopes.

Caput juvenile diadematum, in aliquibus alatum. ℞ *Cornu copiae inter binos Dioscurorum pileos.* AE. III. In numis Amasiae, Amisi, Sinopes.

Caput Cupidinis ℞ *Pharetra et arcus.* AE. III. In numis Amisi et Sinopes.

Horum rationem typorum velle expedire inutilis videatur opera, et in meras denique conjecturas exitura. Satis esto, hoc catalogo concordiam numorum Ponticorum, fortasse in commercii commodum constitutam, ob oculos posuisse.

AMASIA.

Mediterranea ad Irin fl., urbs celebris, et Strabonis nostri patria. Videtur Amazoni originem suam debuisse; nam in numo concordiae cum Nicomedensibus Amasea proponitur Amazonis cultu. (Vaill. sub Commodo.)

Autonomi.

Caput juvenile galeatum. ℞ ΑΜΑΣΣΕΙΑ. *Pharetra.* AE. III. (Mus. Caes.)

Caput Jovis. ℞ ΑΜΑΣΣΕΙΑΣ. *Aquila fulmini insistens.* AE. III (Mus. Caes.)

Caput imberbe diadematum. ℞ ΑΜΑΣΣΕΙ. *Cornucopiae inter Dioscurorum pileos.* AE. II. (Wilde.)

Omnes hi typi in moneta Pontica sunt obvii, de quibus vide, quae mox supra dixi in prolegomenis ad numos Ponticos.

AE. RR.

Imperatorii.

Majore numero exstant a Domitiano usque ad Mamaeam. De numo Claudii dubio vide infra sub *Concordia.*

Epigraphe: ΑΜΑ. ΑΜΑC. ΑΜΑCΕΙΑ. ΑΜΑCΙΑC. In numo Trajani musei Caesarei ΑΜΑCΕΩΝ. quod verum est urbis gentile ipsi Straboni familiare; sed in numo Commodi ΑΜΑCΕΙΤ. (Pellerin Rec. III. p. 208)

Typi illustriores.

Substructio quadrata, juxta constanter minuta arbor. Substructioni saepe impositum est templum 4. columnarum, vel pro hoc est aquila, tum praeterea in numis Commodi et Alexandri superne Sol quadrigis vectus. (Mus. Caes. Pellerin.)

Hujus typi in Amaseae numis obvii explicatum me ignorare profiteor.

* * *

Fluvius unus vel duo decumbentes, Faustinae jun. Commodi. (Vaill.)

Cum unus est, Irin haud dubie notat, qui urbem praeterlabitur. Cum duo, alter videtur Halys, ad quem Amasensium ager se porrexit teste ipso Strabone [o]).

---

[o]) L. XII. p. m. 840.

Serapis sedens cum calatho in capite d. extenta, s. hastam, pro pedibus animal triceps, Caracallae. (Vaill.)

Serapis jure in numum Ponticum vocatur, cum constet, numen istud ex Ponto in Aegyptum evocatum. Tamen animal adstitutum minus recte Cerberum dixit Vaillantius, ut dicemus in prolegomenis ad numos Alexandrinos.

* * *

Conditor:

ЄΡΜΗϹ. ΚΤΙϹΑϹ. ΤΗΝ. ΠΟΛΙΝ. *Aquila rostro coronam stringens trunco arboris insistit*, Severi. (Haym.)

Sensus epigraphes est: *Mercurius, qui urbem condidit.* At enim tacentibus mythologis ignoramus, quae causa fuerit, cur pennatus hic deus, ut Apollo et Neptunus Trojam, sic ille Amaseam muniret.

* * *

Nomina ab Impp.

Nomen *Hadrianae* primum comparet in numis Commodi, et constanter retinetur in numis sequentium imperatorum. Sub Severo dicitur *Hadriana, Severiana, Antoniniana*, sub Alexandro: *Hadriana, Severiana, Alexandrina.*

* * *

Metropolis Ponti. ΜΗΤΡΟΠ. ΠΟΝΤΟΥ. Hic titulus occurrit primum in numo Trajani, (Arigoni.) et Plotinae, (Vaill.) cumque exstet numus alius Trajani cum simplice ΑΜΑϹЄΩΝ, (Mus. Caes.) verisimile est, Amasiae metropoleos Ponti honorem a Trajano tributum. Vaillantius id factum contendit ab Hadriano p) immemor numi Plotinae, quem ipse citat. Harduinus cum in numo Aurelii legeret: ΜΗΤ. ΠΡΩΤ. ΠΟΝΤ., arguit, Amasiam fuisse primam Ponti metropolin q), verum τὸ ΠΡΩΤ. referri non posse ad ΜΗΤ., docent numi Severi inscripti: ΜΗ. ΝЄ. ΠΡ. Π., in quibus metropoleos et primatus tituli a neocoratu dirimuntur. Metropoles Ponti se scripsere etiam Neocaesarea vicina, et Tomi Moesiae, fuitque et Amasiae et Neocaesareae metropoleos dignitas iterum confirmata a Justiniano r).

* * *

Prima Ponti. Π. Π. — ΠΡ. Π. — ΠΡΩ. ΠΟ. — ΠΡ. ΠΟΝΤΟΥ. — ΠΡΩΤ. ΠΟΝΤΟΥ. Haec obvia. In numo Commodi: ΠΡ. Τ. ΠΟΝ. nempe: ΠΡωτη Τȣ ΠΟΝτȣ. (Pellerin Rec. III. p. 208.) Rursum perstringendus Vaillantius, qui concessum a Commodo primatus Ponti honorem adserit s), cum tamen ipse Faustinae jun. numum cum hoc epitheto promulvagerit. Harduinus M. Aurelii numum jam cum ejus honoris mentione citat. Videtur ergo ab hoc ad hunc apicem evecta.

* * *

Neocoratus honorem videtur adepta a M. Aurelio; nam in numo M. Aurelii,

p) Num. Graec. p. 207. q) Num. ill. sub. Amasia. r) Novell. XXVIII. tit. IV. c. 2. s) Num. Graec. p. 210.

quem refert Harduinus, et in praecedentibus ejus mentio non fit. Occurrit autem primum in numo Faustinae jun. (Vaill.) et in sequentibus omnibus. Non igitur ex numis probari potest, neocoratum urbi tributum ab Hadriano, quod sanxit Vaillantius [t]).

* * *

Concordia memoratur in numo Claudii, si fides Harduino eum prodenti, ΣΑΡΔΙΑΝΩΝ. ΑΜΑΣΕΙΑΣ. At verior ejus lectio: ΣΑΡΔΙΑΝΩΝ. ΜΝΑΣΕΑΣ., ut dicetur in Sardibus. Concordia cum Nicomedia est in numo Commodi.

* * *

Epocham sedulo monetae suae inscripsere Amasenses praefixo plerumque ЄΤ. vel ЄΤΟΥϹ.

ΒΙΡ. Trajani. (Mus. Caes.)

ΡΝЄ. ΡΝΗ. Antonini. (Haym, Pellerin.)

ΘΞΡ. Faustinae jun. (Vaill.)

ΡΠΘ. Faustinae jun. (Harduin ex museo regio, Num. ill. sub *Amasea*, et Hist. Aug. p. 789.)

ΡΠΘ. Commodi. (Pellerin Rec. III. p. 208.)

ΡϘΘ. Commodi (Vaill.)

ϹΗ. Severi, Domnae, Caracallae, Getae. (Vaill. Mus. Caes.)

ϹΘ. Severi, Caracallae. (Mus. Caes. Vaill.)

ϹΙΓ. Getae. (Catal. d'Ennery.)

ϹΚΗ. Alexandri. (Mus. Caes. Pisani, Theupoli.)

ϹΛΔ. ejusdem. (Vaill.)

ϹΜΒ. Mamaeae. (Vaill.)

In figendo aerae Amasensis principio variarunt eruditi, divisi inter annos V. C. 743. 744. 746., de quo vide plura apud Belleyum [u]). At demonstravit Mazzolenus, alium ab anno V. C. 747. esse non posse [x]). Non posse incipere hoc anno serius, minus quidem tuto probat ex anno Mamaeae ϹΜΒ. Etenim hoc admisso mors Alexandri longius differtur, quam ut istud cum rationibus chronologicis consistere possit, quod quidem luculente me probaturum spero in moneta ejus imperatoris. Forte igitur rectius in hoc numo legendum ϹΛΑ. At vero habeo numum alium, qui idem praestat officium, eumque certae fidei, intelligo numum Commodi cum anno ΡϘΘ. 199. Hunc si addas ad 747., intelliges, numum signari debuisse ab autumno V. C. 945., cujus ipsius anni die ultimo caesus est Commodus. Ergo aera Amasensis serius anno V. C. 747. initium ducere non potuit. Non potuisse incipere citius, conficit numus integerrimus Alexandri, isque maximae formae musei Caesarei cum anno ϹΚΗ., 228., qui, si addatur ad 747., prodibit annus V. C. 974, a cujus anni autumno usque ad autumnum 975. supponitur signatus numus. Jam vero Alexander, qui in hoc numo Augusti et titulo et ornamentis omnibus condecoratur, mense Martio anni

t) Num. Graec. p. 217. u) Mem. B. L. T. XXX. p. 330. x) Mus. Pis. Part. II. p. 147.

Juliani 975. caeso Elagabalo imperium auspicatus est. Ergo hoc anno maturius numus hic feriri non potuit, neque adeo epocha in annum anteriorem promoveri. Turbat quidem hanc legem citatus Faustinae jun. numus cum anno ΡΠΘ, qui adeo signatum se profitetur V. C. 935., cum tamen haec Faustina jam V. C. 928. diem obiverit. Verum aut Amasenses imperante Commodo hujus matrem etsi mortuam memoriae causa restituerunt, aut annus ab Harduino, qui solus hactenus hunc numum promulgavit, male est lectus. Manet ergo pro initio aerae Amasensis immotus annus V. C. 747.

Idem aerae initium habuere etiam Germanicopolis, et Neoclaudiopolis Paphlagoniae urbes, ut in his probabitur. Quam aerae concordiam in numis urbium Ponti cum videret Belleyus, conjecit, Augustum hoc anno V. C. 747. ex Bithynia, Paphlagonia, et Ponti parte unam constituisse provinciam, quod refert Strabo, etsi hic annum dissimulet, atque hinc urbes instituendae novae epochae ansam cepisse.

AE. RR.

AMISVS.

Maritima Halyn inter et Irin fluvios, urbs celebris, Atheniensium et Milesiorum colonia secundum Strabonem, et Arrianum [y]), neque opibus numismaticis minus clara.

Autonomi.

Caput juvenile tectum galea recurva mentum includente. Ⅹ ΑΜΙΣΟΥ. *Pegasus pascens sublato pede dextero anteriore.* AE. II. (Mus. Caes.)

Caput juvenile nudum alatum. Ⅹ ΑΜΙΣΟΥ. *Cornucopiae inter binos Dioscurorum pileos.* AE. III. (Mus. Caes. Wilde, Pembrock Part. II. tab. 35.)

Caput juvenile numi prioris esse herois Persei, abunde docuimus in prolegomenis ad numos Ponticos. Cum eo jungitur Pegasus ex causa certa. Secundum enim mythologorum doctrinam natus ex defluo Medusae sanguine, cum ejus collum demeteret Perseus, hujus beneficio ortum suum debuit [z]). Aliud praeterea docet haec aversa, nimirum tetradrachma Mithridatis VI. Ponti regis, in quorum aversa est Pegasus, in eadem hac Amiso signata, quod opinari facit non quidem sola causa Pegasi, sed quod hic eodem prorsus modo, quo in dicto Amisi numo, et pascit, et dexterum crus attollit. At constat etiam teste Cicerone [a]), fuisse Amisi ejus regis domicilia. Similes utrinque typos vide infra in numo Chabactorum. Sitne caput numi alterius Persei quoque, decidere vereor. Confidentior Wildius propter adpositam alam Calaidem Boreae F. statuit, a quo ait conditam Amisum, nullo tamen prodito auctore [b]). Ex Amazone, quam habet numus *Concordiae*, arguendum, creditum Amisenis, urbem suam ab Amazone conditam.

* * *

y) Peripl. Eux. z) Hesiod. Theog. v. 280. Apollodor. L. II. c. 4. §. 2. a) Pro leg. Manil. b) Sel. num. p. 57.

Caput muliebre turritum. ℞ ΑΜΙΣΟΥ. *Noctua intra coronam.* AE. II. (Pellerin.)

Caput Bacchi hedera coronatum. ℞ ΑΜΙ-ΣΟΥ. *Cista mystica, cui incumbit thyrsus, per aream varia monogrammata.* AE. III. (Mus. Caes.)

Habes in numo I. noctuam, quia ut diximus, condita ab Atheniensibus Amisus ferebatur.

* * *

Caput Palladis. ℞ *Perseus stans d. harpam, s. caput Medusae resectum, trunco pro pedibus jacente.* AE. I. (Hunter.)

Caput Jovis ℞ *Aquila fulmini insistens.* AE. I. (Mus. Caes.)

Caput juvenile galeatum. ℞ *Pharetra.* AE. III. (Mus. Caes.)

Aegis Palladis inserto Medusae capite. ℞ *Victoria gradiens palmae ramum super humero effert.* AE. III. (Mus. Caes.)

Protome Cupidinis alata. ℞ *Pharetra et arcus.* AE. III. (Pellerin.)

Horum aream numorum saepe insident astra solis et lunae, Pontica item symbola, quae, ut et numismata hoc loco descripta habes explicata in prolegomenis ad Ponti numos.

* * *

De numis argenteis inscriptis ΠΕΙΡΑ huc forte vocandis vide, quae docebimus in numis Sinopes Paphlagoniae.

* * *

Nexum cum Roma adhuc libera profitentur sequentes:

ΑΜΙΣΟΥ. *Protome Palladis.* ℞ ΕΠΙ. ΓΑΙΟΥ. ΠΑΠΕΙΡΙΟΥ. ΚΑΡΒΩΝΟΣ. *Roma galeata sedens d. Victoriolam, s. clypeum, infra:* ΡΩΜΗ. AE. II. (Pellerin. Suppl. II. p. 24.)

Alius, sed cum magistratu: ΕΠΙ. ΓΑΙΟΥ. ΚΑΙΚΙΛΙΟΥ. ΚΟΡΝΟΥΤΟΥ. AE. II. (Vaill. in fam. Caecil.)

Non pauci exstant numi urbium Bithyniae, Paphlagoniae, Ponti, qui *C. Papirium Carbonem* offerunt, qui eas provincias exeunte saeculo VII. urbis conditae rexit, de qua numorum classe agam copiosius in prolegomenis ad numos Bithyniae. Numus alter *C. Caecilium Cornutum* memorat. Eo Vaillantius intelligendum putat Caecilium Cornutum praetorium, qui sub Tiberio accusatus sibi ipsi mortem conscivit [c]). At cum numus hic, si magistratum demas, praecedenti, ut gutta guttae, similis sit, nolim utrumque intervallo centum fere annorum dirimere, et magis verisimile puto, Cornutum circum eadem Papirii tempora eas provincias rexisse.

* * *

Imperatorum aetate signati sunt:

ЄΤ. CΞΗ. *Caput Bacchi.* ℞ ΑΜΙϹΟΥ. ЄΛЄΥ. *Cista Bacchi et thyrsus.* AE. III. (Pellerin.)

ΑΜΙϹΟΥ. ЄΛЄΥΘЄΡΑϹ. *Protome Palladis.* ℞ ЄΤΟΥϹ. - - - *Fluvius decumbens s. urnae innixus.* AE. III. (Mus. Caes.)

Prior per annum epochae, de qua in-

c) Tacit. Ann. IV. 28.

fra, in imperium Maximini cadit. De titulo ЄΛЄΥΘЄΡΑϹ agetur in imperatoriis.

AE. C.

Imperatorii.

Primorum imperantium aetate Ameni aut nullam signavere pecuniam, aut nonnisi autonomos. Caput extulere Hadriano demum imperante, monetam suam imperatoriam ab elegantibus drachmis auspicati, paucis urbibus Graecis permisso, ex argento ferire numos. Sed et hic sive mos, sive privilegium paullo post Hadrianum sub Antonino exspiravit, reliqua inde ejus moneta usque ad Saloninum tota aenea.

Epigraphe: ΑΜΙϹΟΥ. rarius: ΑΜΙϹΟϹ., at ΑΜΙϹΗΝΩΝ. in numo Concordiae, de quo mox, et alias rarius.

Typi: qui sunt in moneta argentea, eos infra in epocha memorabo. Qui sunt in aenea, idoneum nihil offerunt.

* * *

ЄΛЄΥΘЄΡΑϹ. *liberae* constanter amabat addere, ut et Plinius senior eam dixit *Amisum liberam*, et Plinius junior scribens ad Trajanum d): *Amisenorum civitas et libera et foederata beneficio indulgentiae tuae legibus suis utitur.* De hoc argumento vide plura infra in epocha.

* * *

Concordia in binis celebratur: ΑΜΙϹΟϹ. ΑΜΑϹΤΡΙϹ. *Duae Amazones stantes*, in numo Antonini. (Vaill.) In altero Maximini praeter solitum ΑΜΙϹΟΥ. ЄΛЄΥΘЄΡΑϹ. ЄΤ. ϹΞΗ. additur: ΑΜΙϹΗΝΩΝ. ΜΙΛΗϹΙΩΝ. *Serapis stans*, qui Amisum respicit, (ducto nempe ex Ponto ejus dei cultu) *et Apollo sedens*, qui Miletum jure pertinet. (Vaill.)

* * *

Epochae annum Amisi numi omnes, modo integri sint, ostentant praefixo vocabulo ЄΤΟΥϹ. En eorum catalogum praemissis argenteis, alioquin et tempore prioribus.

Argentei Amisi cum epocha.

ΡΞΓ. *Pallas stans d. Victoriolam, s. clypeum*, Hadriani. (Mus. Caes.)

ΡΞΔ. *Capricornus cum globo et cornucopiae*, Hadriani. (Vaill.)

ΡΞЄ. *Ceres stans*, Hadriani. (Mus. Caes.)

ΡΞϚ. *Mercurius stans*, Hadriani, Sabinae. (Vaill. Mus. Caes.)

ΡΞΖ. *Mulier stans d. extenta, s. hastam*, Hadriani, Sabinae. (Mus. Caes.)

ΡΞΗ. *Mulier stans d. pateram, s. hastam*, Sabinae. (Vaill.)

ΡΞΗ. *Ceres stans.* Hadriani. (Mus. Caes.)

ΡΞΘ. *Venus genuflexa d. speculum*, Sabinae. (Vaill.)

ΡΞΘ. *Aequitas stans*, Aelii Caes. (Vaill.)

ΡΠΘ. Fortuna stans, Antonini. (Mus. Caes.)

d) L. X. ep. 93.

Aenei Amisi cum epocha.

CMЄ. Caracallae. (Mus. Caes. Vaill. Liebe.)

CMH. Caracallae. (Mus. Caes.)

CMΘ. Diadumeniani. (Vaill.)

CΞH. Maximini, (Vaill.) et in autonomo supra citato.

Aerae Amisenae initium antiquarii hactenus fere omnes duxerunt ab anno V. C. 721. Rationem repetunt a Strabone, cujus verba sunt: *liberatam a D. Caesare* (nempe victo Pharnace, ut ad annum V. C. 707. refert Dio) *Antonius regibus subjecit; deinde vexata est a Stratone tyranno, liberata rursum ab Augusto post victoriam Actiacam.* Cum igitur definite Strabo tempus liberatae ab Augusto urbis pronunciet, fieri potuit, quod opinatur etiam Vaillantius [e]), ut Amiseni se ipsos antea a Stratonis violentia liberarent adjuvante fors M. Antonio, eamque libertatem serius Augustus confirmaret.

Ducendam aeram ab anno V. C. 721 ex numis Diadumeniani et L. Aelii conficiunt eruditi. Annus CMΘ. in numo Diadumeniani rite comprobat, non potuisse incipere citius, ut patebit ducenti calculum. At non perinde firmum argumentum captum ex numo Aelii cum anno PΞΘ., non potuisse epocham incipere serius, quod verum esse potest tantum in eorum sententia, qui Aelium Kal. Ian. V. C. 890. vita functum statuerunt. Nam si pro aerae principio sumas annum sequentem 722., annus PΞΘ. incipiet in autumno V. C. 890., Aelio jam Kalendis Ian. ejusdem anni e vivis sublato. At vero cum certum sit, Aelium mortuum non Kal. Ian. 890., sed 891., ut probabimus in moneta hujus Caesaris, vi hujus numi poterit initium hujus aerae differri in annum V. C. 722., non refragantibus huic calculo reliquis Amisi numis hactenus cognitis. Certiora docebit dies.

Pro simplice hac Amisi aera triplicem varia aetate usitatam ex numis stabilire aggressus est Abbas Mazzolenus [f]), unam ab anno V. C. 707. teste numo Caracallae cum anno CNЄ., quem citat Holstenius [g]), alteram, quae eadem est cum nostra, ab anno V. C. 721., tertiam ab V. C. 723. jubente istud numo Aelii cum anno PΞЄ., quem ex regia Gallorum gaza vulgavit Pagius. Nihil agit vir eruditus, cum vero propius sit, utrumque numum male lectum. Quod ad Caracallae numum attinet, est in museo Caesareo numus similis illi, quem citat Holstenius, typo etiam Victoriae in bigis, sed in quo luculentus est annus CMЄ. non CNЄ. Male igitur novam aeram stabilimus ex prono errore seu Holstenii inconsultius legentis, aut typothetae M in N mutantis. Simile peccatum agnosco in anno PΞЄ Aelii, pro quo haud dubie reponendum PΞΘ. Elementum Θ, si, circuli pars dexterior aevo erosa est, facile potest elementi Є speciem praebere, quod Hadriani jam aetate in ipsis etiam Amisi numis arcuatum fuit. Et vero numus hic quem Pagius ex regia gaza citat, Vaillantio, qui eam solicite excussit, ignotus

e) Num. Graec. p. 249. f) Mus. Pisan. Part. II. p. 621. g) Ad Stephan. in Ἀμισός.

tamen fuit, at bene cognitus alter Aelii cum anno ΡΞΘ. ex eodem museo. Taceo absurda alia, qua ex hac triplicis aerae doctrina consequuntur, et quae jam alibi prolixius exposui h).
AR. et AE. RR.

ASIBA.

Mediterranea in Ponto Cappadocico, cujus meminit Ptolemaeus.

Imperatorius.

Gordiani: ACIBAIΩN. *Juppiter sedens.* (Vaill. Harduin.)
AE. RRRR.

CABIRA.

In Ponto Cappadocico versus Armeniam minorem.

Autonomi.

Caput Palladis. ✕ ΚΑΒΗΡΩΝ. *Perseus stans caede Medusae occupatus.* AE. I. (Haym.)

Aegis Palladis inserto Medusae capite. ✕ ΚΑΒΗΡΩ. *Victoria gradiens palmae ramum super humero effert.* AE. II. (Pellerin.)

Caput imberbe galeatum. ✕ ΚΑΒΗΡΩΝ. *Aquila fulmini insistens.* AE. fere I. (Hunter.)

Sunt hi typi omnes Pontici, quos explicavi in prolegomenis ad numos Ponti. Spectata orthographia differunt numi a scriptoribus, Strabone, Plutarcho, Appiano, qui urbem τα Καβειρα appellant, ut et Latini *Cabira.*
AE. RRR.

CERASVS.

Maritima in Ponto Polemoniaco, unde arborem cognominem pomis suis nobilem, Hygiae donum, advexit Lucullus teste Ammiano i).

Imperatorii.

ΚЄΡΑϹΟΥΝΤΙΩΝ. - - ϹΟΔ. *Juppiter stans*, Hadriani. (Panel ex le Bret Mem. Trev.)

ΚЄΡΑϹΟΥΝΤΙΩΝ. ЄΤ. Η. *Satyrus stans d. taedam, s. pedum*, M. Aurelii. (Vaill.)

Posteriorem hunc numum mendose promulgavit Spanhemius, cum pro dicta epigraphe legeret: ΚЄΡΑϹΟΥΝ. ΤΙΑΝЄΩΝ k).

Arrianus in Periplo ex Pharnacia, de qua infra, et Cerasunte unam eandemque urbem facit, cum ait: *haec Pharnacia olim Cerasus vocata fuit.* Huic orationi jam contradixit Cellarius teste usus Strabone multo aliud adserente, et utrumque oppidum disjungente. At Arrianum adfligunt etiam numi praesentes ei ipsi coaevi, qui diserte docent, valuisse adhuc tum Cerasuntis nomen, neque ab adventitio Pharnaciae fuisse extrusum.

Epochae annum utrum significent literae ϹΟΔ. in citato Hadriani numo, incertum.

Annus imperii M. Aurelii τῳ ЄΤ. Η. expressus.
AE. RRRR.

CHABACTA.

Vnus Strabo urbis hujus meminit Irin

h) Num. vet. p. 166. i) L. XXII. c. 13. k) Caess. Julian. p. 45.

inter et Halyn sitae, sed quam χαβακα apellat, vocabulo utique per librarios luxato, ut numi docent.

Autonomi.

Caput imberbe galeatum. ✠ XABAKTΩN. *Pharetra, in area astra solis et lunae.* AE. II. (Haym, Pembrock.)

Aegis Palladis inserto Medusae capite. ✠ XABAKTΩN. *Victoria gradiens elato super humerum palmae ramo, in area eadem astra.* AE. II. (Haym. Hunter.)

Caput juvenile tectum galea recurva mentum includente. ✠ XABAKT. *(retrograde) Pegasus pascens sublato pede dextero anteriore.* AE. II. (Pellerin Suppl. I. p. 32.)

De numis binis prioribus cum typis Ponticis vide prolegomena ad numos Ponti. Tertio simillimum jam vidimus in moneta Amisi, unde explicationem pete. Confirmatur adeo ab his numis id, quod tradit Strabo, fuisse Chabacta Amiso vicina.

AE. RR.

COMANA.

Mediterranea in Ponto Galatico ad Irin Fl., ubi vetustissimum et sanctissimum Bellonae templum stetit, ut refert Hirtius [1]), aliique.

Autonomi:

Caput Palladis. ✠ KOMANΩN. *Perseus stat Medusae caede occupatus.* AE. I. (Theupoli.)

Aegis Palladis inserto Medusae capite. ✠ KOMANΩ. *Victoria gradiens elato super humerum palmae ramo.* AE. III. (Mus. Caes.)

Hos Pontici argumenti numos explicavimus in prolegomenis Ponti. Numi prioris aversam aevo fuisse attritam, patet ex verbis auctoris, qui catalogum Theupolianum concinnavit. Sed recte eam restituunt numi Ponticarum urbium analogi.

AR. RR.

Numi *coloniae*, et *imperatorii* Graeci.

COL. IVL. AVG. *Felix.* COMANORVM. *Templum distylum, in quo mulier stans diducto pallio instar Junonis Pronubae*, in numo Caracallae. (Vaillant, Harduin.)

Tria fuere Comana in Asia minore, una in Ponto, de quibus hic agitur, altera in Cappadocia magna, tertia in Pisidia. Quibus tribuendus sit hic numus, jure dubitatur. Vaillantius in haec Ponti Comana propendet, Harduinus in altera Cappadociae. Historici nihil opis conferunt, qui Comana quaepiam fuisse coloniam dicere neglexerunt. Verum ante omnia investigandum, quorsum pertineant imperatorii Graeci, inscripti KOMANЄΩN. Eccos:

KONANЄΩN. (sic.) *Juppiter stans*, M. Aurelii, (Vaill.) *Dioscuri stantes*, M. Aurelii, (Catal. d'Ennery p. 596.) *Bacchus stans:* Philippi. (Panel ex le Bret. Mem. Trev.)

---

1) Bell. Alex.

ΙΕΡΟΚΑΙCΑΡΕΩΝ. ΚΟΜΑΝΕΩΝ. ΕΤ. ΒΟΡ. *Templum, in quo Victoria cippo insistens.* Severi. (Vaill.)

ΙΕΡΟΚΑΙ. ΚΟΜΑΝΕΩ. ΕΤ. ΒΟΡ. *Idem typus*, Caracallae laureati barbati. (Pellerin Rec. III. p. 215.)

ΚΟΜΑΝΕΩΝ. *Mensis stans*, Alexandri. (Vaill.)

Hos numos Comanis Pisidiae confidenter tribuit Vaillantius. In numo Severi concordiam inter Hierocaesarienses Lydiae et Comanenses initam videt, et annum ΒΟΡ. esse Hierocaesareae, cujus initium duceretur ab anno V. C. 779. grata nempe hac Lydiae urbe adversus Tiberii beneficia, quibus eam terrae motu aliquot ante annis concussam, ut revera eo malo collabefactatam refert Tacitus, recreavit [m]). In eadem sententia est Harduinus, nisi quod aerae initium figat ad autumnum V. C. 775. Vtriusque sententiam de epochae principio evertit numus Caracallae; nam si anno Vaillantii 779. addatur annus numi 172., hunc Caracallae numum signari oportuit ab autumno V. C. 950., quo anno novennis erat Caracalla, quam aetatem prodit etiam in omnibus numis Romanis hoc anno cusis; sed dictus numus Caracallam liberaliter barbatum sistit. Multo minus, ut ex dictis patet, valere potest principium epochae ab Harduino anno 775. illigatum.

Diverso ab his tramite incessit Cl. Wise [n]), qui Hierocaesarienses Lydiae, ac praetensam illam hos inter et Comanenses Pisidiae ὁμονοιαν penitus excludit, Comanenses vero Ponti honoris causa dictos *Hierocaesarienses* putat, iisque hunc Severi numum largiendum. Epocham autem ducendam ab V. C. 788., aut circiter, quo tempore Pythodoride mortua Comana ad Romanos pervenere. Haec ille conjicientis more, et argumentis aliis abstinet.

Audacior primum haec Cl. viri conjectura visa, continuo magis expensa prae altera priorum antiquariorum sententia adrisit. Tot habemus per Asiam minorem Caesareas, Neocaesareas, Diocaesareas, Hierocaesareas, Sebastes, Sebastopoles, Claudiopoles, Neoclaudiopoles, Germanicopoles, quarum vetera nomina imperatorum nominibus permutata fuere, ut idem honos ad nostra quoque Comana derivari facile potuerit, atque ut alia Caesarea ob stabilitum apud se Jovis cultum dicta est Diocaesarea, alia Ponti, ut se ab aliis Caesareis distingueret, Neocaesarea, sic nostra Comana se dixerint *Hierocaesarea*, idque cumprimis apposite, nam circumsitus ager, et Comanis obnoxius passim a Strabone dicitur ἱερα χωρα, et τȣ ἱερεως propter templi religionem, et quod sacerdoti paruit. Refert idem Strabo, Cabira, haec quoque Ponti oppidum, a Pompejo dicta *Diopolin.* Ergo si exstaret numus ΚΑΒΗΡΩΝ. ΔΙΟΠΟΛΙΤΩΝ., male perinde argueremus, Cabira et Diopolin esse urbes diversas, et utriusque in eo notari concordiam.

m) Num. Graec. p. 273. n) Mus. Bodl. p. 205.

Ceterum opus non est commemorare, urbes saepe abjecta appellatione sua vetere deinceps adventitio constanter nomine usas, ut factum a Caesariensibus Cappadociae, aut abjecto adventitio respexisse vetus, cujus exemplum praebent Mantinea, Edessa Macedoniae, et Ancyra, aut vetus junxisse cum adventitio honoris vocabulo, cujus, quod nota sunt, exempla adferre piget. Vt concordiam inter utramque urbem initam opinemur, nulla certa ratio suadet, et fuere antiquarii priores nimium saepe liberales in ea ex numis statuenda, quorum praeceps judicium jam perstrinxit Pellerinius, et supersunt adhuc, quae censore egent. Sane in his, de quibus agimus, numis abest vox ΟΜΟΝΟΙΑ, et cum in numis Concordiae utriusque urbis, cujus in iis fit mentio, expressus plerumque sit typus, in his simplex tantum est. Novi per utriusque criterii absentiam evidenter argui non posse, non notari in his numis concordiam, at cum utrumque absit, absunt etiam certi concordiae characteres, et non cogimur eam profiteri, cum aptiorem alium habemus explicatum. Eodem consilio Vaillantius epigraphen ΙЄΡΟΠΟ. ΚΑCΤΑΒΑ. non de binis diversis urbibus cepit, sed de Castabalis solis, quae Hieropolis quoque nomen habuisse conjecit o). Accedit denique, raros esse urbium Lydiae numos epocha insignes, cum tamen haec frequenter Ponticarum urbium monetae inscribatur. Quare etsi hanc meam, et Cl. Wise sententiam non tantis putem argumentis confirmatam, ut vet rem aliorum continuo loco motam existimem, verisimiliorem tamen prae hac censeo, et hos numos Comanis Ponti tribuendos.

In *Epochae* jam etiam exordium inquirendum. Illud, quod dictavere Vaillantius et Harduinus, jam refutavi. Erudito Wise placuit annus V. C. 788. Additis huic annis 171. habemus annum V. C. 959. in cujus autumno coepit annus Comanorum 171. At tum Caracalla annum circiter XVIII. agebat, cum qua aetate liberalior barba, quam numus offert, componi non potest. Hanc Caracalla primum adpendit, cum trib. potestatem XII. numeraret, ut istud inspecta locupletiora musea luculente ostendunt. Ea illi obtigit V. C. 962., igitur annus Comanensium 172. anteriori V. C. anno respondere nequit; neque respondere potest alteri, qui sit posterior anno 964., nam hoc anno mense Februario mortuus est Severus, in cujus quoque numo legitur idem annus 172. Igitur initium epochae ducendum est ab autumno V. C. 791. vel 792., qui respondent annis Christi 38. 39. Refert Dio, Caligulam Polemoni Polemonis F. paternum imperium, Pontum nempe, ex S. C. tribuisse V. C. 791 p). Forte tum beneficiorum aliquid in Comanenses fluxit, quod instituendae epochae causam suffecit, ac etiam tum fieri poterat,

o) Num. Graec. p. 124. p) L. LIX. §. 12.

ut Hierocaesareae honorificum titulum simul caperent.

An etiam alii duo supra citati numi Graeci ad haec Comana pertineant, difficilior quaestio. Suadere istud videtur typus in numo Alexandri, qui proponit deum Mensem, cum Strabo testetur, hunc deum inter primos a Comanensibus cultum. Verum ejus deastri honores per totam praecipue Asiam minorem late patuere. Minus habeo, quod de numis KONANЄΩN statuam, sintne tribuendi his nostris Comanis, an referendi ad urbem Pisidiae, quam Notitiae vocant Κοναvη.

Denique ut ad citatum supra coloniae numum redeam, si numi Graeci Severi, Caracallae, et Alexandri revera sunt horum Comanorum Ponti, hic illis coloniae numus vix competet. Nam quae urbs se coloniam professa est in numo Caracallae, ejus mentionem non dissimulasset in numo Alexandri. Vocandus igitur videretur hic numus ad alia Comana seu Pisidiae, seu Cappadociae. At ex omnibus his satis apparet, Comanorum monetam sub imperatoribus signatam copiosiorem adhuc lucem postulare.
AE. RRR.

GAZIVRA.

Mediterranea ad Irin fl., inclyta olim, sed Strabonis aetate deserta.

Autonomi.

Caput Jovis. ⵅ ΓΑΖΙΟΥΡΩΝ. *Aquila insistens fulmini.* AE. I. (Pellerin.)

Caput juvenile galeatum. ⵅ ΓΑΖΙΟΥΡΩΝ. *Pharetra.* AE. II. (Haym. Theupoli.)

Vide de his typis prolegomena Pontica. *AE. RRR.*

LAODICEA.

Nemo veterum Laodiceae cujusdam Ponticae meminit. Verum cum numi, quos mox recitabimus, typos habeant uni Ponto proprios, necesse est fuisse in eo oppidum aliquod sic dictum, cui numi hi debeantur. Testatur tamen Pellerinius, in geographia Turcica MS. memorari urbem *Ladik* inter Amasiam et Osmandgik.

Autonomi.

Aegis Palladis inserto Medusae capite. ⵅ ΛΑΟΔΙΚΕΩΝ. *Victoria gradiens palmae ramum super humero gestat.* AE. II. (Haym.)

Caput juvenile galeatum. ⵅ ΛΑΟΔΙΚΕΩ — *Pharetra.* AE. II. (Pellerin.)
AE. RRRR.

LIVIOPOLIS.

Vix attinebat meminisse obscuri hujus Ponti oppidi ex autonomo Arigonii: ΛΙΙV. typo botri, nisi viderem, illud a Froelichio in urbium catalogum receptum q). Epigraphe haud dubie manum medicam postulat, ut plures aliae per Arigonii opus.

MACROCEPHALI.

Horum solus Plinius meminit, quos in

q) Not. elem.

Themiscyra Irin inter et Thermodontem collocat. His tamen Goltzius autonomos tribuit: *Caput Neptuni.* ✠ ΜΑΚΡΟ, *vel* ΜΑΚΡΟΚΕΦΑΛ. *Caput bovis intra lauream.* Sed hos referendos Corcyram, in hujus insulae numis docui.

NEOCAESAREA.

Mediterranea ad Lycum Fl., urbs Ponti Polemoniaci nobilissima teste Ammiano. Catalogum ejus numorum omnium dedit cl. Sestinus [r]).

Autonomus.

Caput Herculis laureatum, ad humeros clava, in area ΚΘ. ✠ ΝΕΟΚΑΙϹΑΡΕΙΑϹ. *intra lauream.* AE. II.

Numum hunc a Cl. Iacobo Biancano Bononiensi mecum communicatum olim vulgavi [s]). Per annum epochae, in quam mox inquiram, signatus est V. C. 844. imperante Domitiano.

AE. RRRR.

Imperatorii.

Exstant a Tiberio usque ad Gallienum.

Epigraphe: ΝΕΟΚΑΙΣΑΡΕΙΣ, in numo Tiberii. (Vaill. Theup.) ΝΕΟΚΑΙϹΑΡΕΩΝ, Caligulae, Domitiani, Faustinae jun. (Pellerin.) ΝΕΟΚΑΙϹΑΡΙΑϹ. Valeriani, Gallieni. (Pellerin, Arigoni.) In aliis. ΝΕΟΚ. ΝΕΟΚΑΙϹ.

Typi obvii, plerumque *templum 4. columnarum.* Singularem alium vide mox in *Metropoli.*

* * *

Metropolis honore claruisse testantur numi, quem urbi accessisse a Nerone V. C. 815. censet Vaillantius, quo Pontus Polemoniacus ab eo in provinciam fuit redactus. Hunc honorem jactare incipit numus M. Aurelii, (Vaill.) neque is deinceps omittitur, inscripto ΜΗΤ. ΜΗΤΡΟ. At in numo Alexandri: ΜΗΤ. ΠΟΝΤΟΥ. (Vaill.) Ad hanc metropoleos dignitatem videtur adludere typus singularis, qui est in numo Severi apud Haymium: *Sex mulieres tutulatae stantes, quarum media gubernaculum tenet,* quibus verisimile est indicari totidem Ponti illustriores urbes Neocaesareae metropoli subjectas. Simile exemplum videbis infra in numo coloniae Laodiceae Syriae, et Damasci.

Neocoratus in numo unico Valeriani ΔΙϹ. ΝΕΩ. (Sestini Lettere P. III. p. 10.)

* * *

Commune saepe inscripsit inde a M. Aurelio, solito ΚΟΙΝΟΝ. In numo Getae: ΚΟΙΝον ΠΟντȣ [t]), quo docemur, totius Ponti nomine hic constitutos fuisse ludos.

* * *

Hadrianam se scripsit in numo Faustinae jun. ΑΔΡΙΑΝΩΝ. ΝΕΟΚΕϹΑΡΕωΝ. (sic.) (Pellerin.) et in alio Getae. (Mus. Caes.)

* * *

Magistratus urbis proprii observantur in binis numis Caligulae, in quorum

r) Lettere P. III. p. 5.
s) Num. vet. p. 167.
t) Pellerin. Mel. I. p. 165.

aversa: ΑΓΡΙΠΠΙΝΑΝ, typo Agrippinae matris sedentis. Notantur autem nude: ΑΡΤΕΜΩΝΟС. vel: ЄΡΜΟΓЄΝΟΥС. (Pellerin Mel. II.)

* * *

Epochae anni plerumque inscripti praefixo ЄΤ. En eorum catalogum:

ΚΘ. in autonomo supra citato.

ϘΗ. M. Aurelii. (Vaill.)

ΡΜΒ. Getae. (Vaill.) Severi. (Sestini.) Caracallae (Sestini.)

ΡΜR. Severi. (Mus. M. Ducis, com. Vitzai, Haym.) Getae Caesaris. (Haym.)

ΡΜΗ. Domnae. (Vaill. Theup.) Getae Caesaris. (Sestini.)

ΡΞ. Alexandri. (Vaillant. Num. Graec. in iconismo.)

ΡΞΒ. Alexandri. (Vaill.)

ΡΟΗ. Gordiani. (Panel. num. Trebon. p. 18.)

ΡϘΒ. Valeriani. (Pellerin.)

ΡϘΘ. Gallieni. (Arigoni.)

Antequam stabilire epocham aggredior, expediendum, quem valorem habeat annus ΡΜR, qui sic exaratus comparet in numis Severi et Getae. Eum Haymius pro ΡΜΒ. habet u). At mihi elementum R habere valorem episemi, seu ς videtur, nam hoc modo effictum senarium in Syriae urbium numis intuemur. At quod dixi, multo certius probant synchronae Caesareae Cappadociae drachmae, quarum binas cum capite Severi, et luculento ЄΤ. R. habet museum Caesareum, quae adeo nota ex Haymii lege indicabit Severi annum II., quod nullo pacto verisimile, quia certum est, Cappadociam nonnisi adulto anno II. Severi juxta domesticum annorum suorum calculum victo Pescennio in partes Severi concessisse. Quocirca verisimile, eandem notam in synchrono Neocaesareae numo senarii quoque potestatem habere. Constat, Graecorum episemon formarum fuisse omnium patiens, at nullius fere literae formam minus variatam, quam τȣ B. Legendum ergo ΡΜR. 146.

Epochae Neocaesariensis exordium ad annum V. C. 815. fixit Vaillantius, quod judicium jure impugnat Harduinus ex numo Aurelii Aug. cum anno ϘΗ., qui additus ad 815. coepit in autumno V. C. 912. exiturus in autumno anni sequentis. At Aurelius nonnisi V. C. 914. mortuo Pio Augustus dictus est. Sed Harduinus, qui Vaillantii Scyllam vitaverat, suam tamen Charybdin reperit, dum aerae principium statuit annum 817. Recitavit ipse numum Severi cum anno ΡΜΗ., qui ex calculi lege incipit in autumno V. C. 964. At Severus jam mense Februario ejusdem anni diem obivit. At his incommodis liber est annus V. C. 816., quo coepisse aeram suffragantibus numis statuo. Non potuisse incipere citius, ex numo Aurelii mox vidimus. Non serius, recte quidem probaret citatus Severi numus cum anno ΡΜΗ., nam signatus esset ab autumno V. C. 963. nullo in sequentem autumnum effugio, quia hic imperator proximo Februario mortuus est. At enim numum hunc, quem ex museo Mediceo citat Vaillantius, vidi ipse, qui

u) Tom. II. p. m. 315.

tamen non PMH., quod is adseverat, sed solitum PMR inscriptum offert. Ejus tamen vicem supplet numus Getae adhuc Caesaris cum eodem anno, seu, ut paullo supra explicui, 146., qui si addatur ad 816., docebit numum signatum ab autumno V. C. 961., quo anno labente Geta Augusti titulum abstulit, ut copiose in ejus moneta docebitur.

Vaillantio judice, qui epocham ab anno V. C. 815. inchoavit, ejus instituendae causa fuit, quod hoc anno Polemo II. Pontum a se dictum Polemoniacum Neroni cessit. Probabimus infra in moneta regum Ponti ex numo ejus regis cum anno ΚΔ., eum adhuc ab autumno V. C. 814. Ponto praefuisse. Ergo ante annum 815. Pontus in Romanorum potestate esse non potuit, atque consultis numis, qui epochae initium ad annum 816. constituunt, verisimile fit, hoc demum anno Pontum Romanis accessisse, quo factum, ut hos demerendi causa non Neocaesarienses modo, sed et vicini Trapezuntii et Zelitae ab hoc tempore epocham novam ducerent.

AE. RR.

PHARNACIA.

Maritima, ex vetere Cotyoro condita teste Strabone.

Autonomus.

Caput Jovis. ꭗ ΦΑΡΝΑΚΕΩΝ. *Bos gradiens.* AE. II. (Pellerin.)

AE. RRR.

PHINEVM.

Ab uno Stephano obiter *τοπος του Ποντου* dicitur. Neglecto eo, quem Goltzius in Thesauro proponit, alium nobis exhibet Arigonius inscriptum ΦΙΝΕ. typo tripodis, quem Froelichius in urbium catalogo Notitiae suae elementaris huic Stephani Phineo tribuit. Sed forte fallit Arigonii lectio nimium saepe intuta.

PIMOLISA.

Hujus oppidi, siti in agro Pimoliseno, meminit Strabo, et ex eo Stephanus.

Autonomi.

Caput galeatum barbatum. ꭗ ΠΙΜΩΛΙΣ - - *Pharetra.* AE. III. (Pellerin.)

Caput galeatum juvenile. ꭗ ΤΙΜΩΛΙΣΩΝ. *Pharetra.* AE. II. (Pembrock P. II. tab. 31.)

Suapte patet, in altero hoc numo legendum ΠΙΜΩΛΙΣΩΝ confirmante hanc lectionem etiam simili Hunteriano. De typis his Ponticis vide prolegomena ad Pontum.

AE. RRR.

SEBASTOPOLIS.

Mediterranea, memorata Ptolemaeo et Plinio, et marmori, quod recitat Corsinus [x]): ΣΕΒΑΣΤΟΠΟΛΕΙΤΩΝ. ΤΩΝ. ΕΝ. ΠΟΝΤΩ.

Autonomus:

Caput Bacchi hedera redimitum ꭗ CE-

x) Dissert. agon. p. 32.

ΒΑCΤΟΠΟΛЄΙΤΩΝ. *Cista, ex qua prospectat serpens.* AE. III. (Pellerin.)
AE. RRRR.

Imperatorii.

Reperti duo cum eadem epigraphe:
Diana Ephesia, Antonini. (Arigoni.)
Juno Pronuba, Domnae. (Pellerin Rec. III. p. 256.)

Putabat aliquando Pellerinius, numum suum tribuendum Myrhinae Aeolidis, quae teste Plinio *Sebastopolis* vocabatur [y]), sed idem serius in eandem hanc Ponti Sebastopolin consensit [z]).
AE. RRRR.

SMAETA.

Domnae numum edidit Harduinus ΣΜΑΙΤΩΝ. ET. PMB. typo templi. Ex nonnullis indiciis numum ad aliquam Ponti urbem pertinere recte opinatus est, etsi Smaetae geographorum nemo meminerit. At indubitatum videtur tam ratione typi, quam epochae, numum Zelam ejusdem Ponti pertinere, et pro vero ΖΗΛΙΤΩΝ lectum ΣΜΑΙΤΩΝ. Non desunt exempla, M pro H, et A pro Λ lecta esse. Si dubitas, confer numos Zelae Ponti.

TRAPEZVS.

Maritima versus Colchidem, urbs nobilis, Sinopensium colonia teste Xenophonte [a]), et Diodoro Siculo, qui eam jam Colchidi inserit [b]).

Autonomi.

Hos praeter Goltzium nemo vidit.

Imperatorii.

Horum tres primus edidit Froelichius [c]), addidere deinde suos Theupolius, et Pellerinius. Hactenus a Trajano usque ad Gordianum procedunt.

Epigraphe constans: ΤΡΑΠЄΖΟΥΝΤΙΩΝ.

En hujus urbis numos hucusque cognitos:

ЄΤ. I. *nomen urbis intra lauream*, Trajani (Theupoli.)

ЄΛΡ. *Mensis eques medio suo et equi corpore*, Severi. (Mus. Caes.) In alio simili, sed Caracallae, praefigitur ЄΤΟΥC. (Mus. princ. Waldeck.)

ΘΛΡ. *Serapis stans*, Caracallae. (Mus. Caes.)

ЄΤ. ΡΝЄ. *Mensis eques*, *juxta ara*, Elagabali. (Pellerin Rec. III. p. 204.)

ΓΞΡ. *idem typus*, Alexandri. (Pellerin ibid.)

— *Fortuna stans*, Gordiani. (Mus. Caes.)

Epochae principium jam Froelichius ad annum V. C. 816 fixit, cum quo omnes anni his numis inscripti componi possunt. Ex anno Elagabali tenemus, non posse principium epochae in anteriorem aliquem annum cadere. Fuit ergo Trapezuntiis idem epochae initium, quod Neocaesariensibus et Zelitis, et eadem haud dubie ejus stabiliendae cau-

y) l. c. z) Suppl. I. p. 50. a) Exped. Cyri. b) L. XIV. c. 30. c) IV. Tent.

sa, quam vide supra in numis Neocaesareae.

* * *

Annos imperii sub praecedentibus imperatoribus fuisse aeri insertos, probat citatus numus Trajani.

* * *

Ex mente Froelichii numi Commodi et Severi, inscripti ΤΡΑΠΕΖΟΥΠΟΛΕΩϹ, quos Vaillantius Trapezopoli Cariae tribuit, huc quoque revocandi sunt, cum quo sentit et Pellerinius [d]). Verum injustam hanc esse rapinam, in hac Cariae urbe docebo.

AE. RRR.

TRIPOLIS.

Castellum et locus obscurus ad mare, cui insignes quosdam Trajani numos largitur Pellerinius [e]), sed quos verisimilius esse Tripolis Cariae, in hujus numis statuemus.

ZELA.

Mediterranea versus Armeniam, Triarii clade, et I. Caesaris de Pharnace victoria illustris.

Imperatorii.

Oppido pauci cum capite Domnae, et Caracallae, suntque apud Vaillantium, et in museo Caesareo.

Epigraphe: ΖΗΛΙΤΩΝ. ΤΟΥ. ΠΟΝΤ. in numo integerrimo Caracallae. (Mus. Caes.) At Vaillantius in binis Domnae legit: ΚΟΙΝΟΝ. ΖΗΛΙΤΩΝ. (Num. Graec. p. 272.)

Typi: *Templum 6. columnarum — Juppiter sedens.*

* * *

Epochae annum omnibus his inscripsit praefixo ЄΤ. Quam varius et ioncnstans fuerit Vaillantius, et quam insigniter in definienda hac aera peccaverit, jam observavit Pellerinius [f]), et ipse ad similem musei Caesarei numum comprobavi [g]). Tam in Domnae, quam Caracallae numis est: ЄΤ. ΡΜΒ., qui adeo ab anno V. C. 707., anno nempe victoriae J. Caesaris, deduci nequit, ut opinabatur Vaillantius. Neque valere potest annus 706. Froelichii [h]), neque 708. Harduini, quorum uterque inconsulto Vaillantii praeconio deceptus est. Est ergo haud dubium epochae exordium annus V. C. 816. exemplo Neocaesareae, et Trapezuntis, cui addendo annum ΡΜΒ, seu 142., qui est in his numis, prodit annus V. C. 957., quo peradolescens adhuc fuit Caracalla, qualem eum reipsa numus musei Caesarei sistit. Causam probabilem constitutae ad hunc annum epochae vide supra in numis Neocaesareae.

* * *

Praeter hos nullus hactenus Zelae numus editus est. Quem cum capite Trajani obtulit Haymius [i]), ipse sub finem praefationis ad Tomum II. pertinere Smyrnam docuit.

AE. RRR.

---

d) Mel. II. p. 112 et 130. e) Rec. III. p. 206. f) Mel. II p. 320. g) Catal. Mus. Caes. P. I. p. 139. h) IV. Tent. p. 257. i) T. II. p. m. 266.

REGES
PONTI ET BOSPORI CIMMERII.

Placuit utriusque regni principes conjungere, quia major pars regum Ponti, quorum habemus numos, Bosporum una tenuit, et quod verisimile est, ejusdem epochae annos utrique numis suis inscripsere, ut dicetur.

Vtriusque regni numi praeclaros nacti sunt enarratores, quorum lucubrationes eo ordine, quo prodivere, lubet commemorare. Dissimulatis vetustioribus, quorum non aeque felices fuere conatus, quoniam carebant subsidiis, quae serius accessere, eruditus de Boze anno 1725. praeclaram de regibus Bospori usque ad Mithridatis VI. Pontici tempora dissertationem edidit, quae exstat in Memoriis inscriptionum Tomo VI. p. 549. Eodem anno prodivit Lutetiae opus postumum Vaillantii, quod inscribitur: *Achaemenidarum imperium, sive regum Ponti, Bospori, et Bithyniae historia ad fidem numismatum accommodata.* Vt sunt pleraque Vaillantii festinantius, et minus ἀκριβως scripta, ita opus istud tanto peccat frequentius, quod auctore morte praevento limae beneficio caruit. Proximus ad explicandos regum Bosporanorum numos accessit P. Stephanus Souciet S. I. edito insigni commentario, cui titulus: *Histoire chronologique des Rois du Bosphore Cimmerien*, qui insertus est ejus operum Tomo III. typis dato Parisiis 1736. in 4to. Successit eruditus Cary, jam in regum Thraciae numis cum laude commemoratus, cujus perelegans habemus opus: *Histoire de Rois de Thrace, et de ceux du Bosphore Cimmerien éclaircie par les Médailles, à Paris 1752. in 4to.* Eodem ipso anno prodivit Vindobonae opus insigne: *Regum veterum numismata anecdota aut perrara notis illustrata.* Frons auctorem praefert Franciscum Comitem de Khevenhüller, sed manum duxit P. Erasmus Froelich, ut de omnium fere regum numis, sic de Ponticis et Bosporanis in hoc commentario praeclare meritus, ut ex his nostris patebit. Idem triennio post numos Bosporanos nondum cognitos protulit, novisque observationibus illustravit in opere: *Ad numismata regum veterum anecdota, aut rariora accessio nova.* Per insignes ergo tantorum virorum conatus nihil jam aliud restat, quam ut pro instituti mei brevitate summa eorum capita proponam, insertis ubique numis, qui serius detecti sunt.

Epocham Bosporanam, de qua agemus post productos omnes numos, nunc προληπτικως figimus ad annum V. C. 457. ante Christum 297.

REGES BOSPORI CIMMERII.

Regnum dictum *Cimmerium* ab urbe pervetusta Cimmerico, posita olim in peninsula, Ponto et palude Maeotide intercepta [k]), quae hodieque vetus no-

k) Strabo L. XI. p. m. 756.

men in *Crimea* detortum obtinet. Dictum *Bosporus* a freto ejusdem nominis, hodie *Caffa*, quod Pontum cum Maeotide cunjungit, et regnum ipsum in duas partes secat, quarum una Europaea, et ipsa peninsula est, cujus caput Panticapaeum, altera Asiatica, cujus caput Phanagoria. Inde a tertio urbis conditae saeculo Bosporum suos habuisse reges constat, eosque durasse usque in tempora Constantini M., numi palam docent, quousque nulli regum veterum aliorum numi porriguntur, si forte numos regum Persiae Sasanidarum demas, sed quorum certa aetas figi nequit, cum notis chronologicis destituantur.

Bosporanorum regum numi haec habent sibi propria, I. quod epocham, aut regis sui annos plerique inscribunt, II. quod saepe altera parte imperatoris R. effigiem sistunt, quae primis duobus Romae imperantis saeculis, quando artes nondum plane collapsae fuere, satis commode discernitur, deinceps vero vix discerni potest, nisi cum annus epochae suppetiás venit, nam imperatorum nomina adscripta non sunt, III. quod numos eorum habemus aureos, argenteos, et aeneos, et aureos quidem magno numero, et ex auri genere, quod electrum dixere veteres, admixta nempe argenti portione, de quo egimus alibi.

Primam regum stirpem fuisse Archaeanactidarum, docet Diodorus Siculus, quae coepit V. C. 267. et desivit 309. Alterius, quae successit, caput fuit Spartacus I. Hunc post aliquot ex ea gente principes, quos vide apud Cl. Bozium excepit

PAERISADES I. rex Bospori.

Propter praeclara in remp. merita a suis post mortem pro deo cultus teste Strabone. Regnavit inde ab V. C. 405. usque 443. Vide Bozium.

N u m u s.

Caput regis diadematum. Ӿ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΠΑΙΡΙΣΑΔΟΥ. *Pallas sedens d. Victoriolam, s. clypeo innixa, intra sellae fulcra monogramma* ΠΑΝΤ., *in imo tridens.* AV. (Boze ex mus. reg. Gall.) Similem alium se vidisse Vindobonae testatur Froelichius. (Not. elem. p. 154.)

In praeclaro hoc numo pars aversa adeo similis est parti aversae, quae est in numis Lysimachi regis Thraciae, ut nisi Bosporani regis inscriptum nomen legeretur, eum nullo eroris metu numum Thracium diceres. Etenim non modo conspirat metallum, et typus princeps Palladis, sed etiam modus inscriptionis, tridens, et monogramma eandem in hoc quoque numo stationem occupans. In numis Lysimachi eodem loco, observamus varias literas, plerumque ΒΥ. ΚΑΛ. ΙΣ. ΤΟ., quibus verisimile diximus indicari *Byzantium*, *Chalcedonem*, *Istrum*, *Topirum*, quibus in oppidis hi essent numi cusi. Ex eadem ergo lege το ΠΑΝΤ. numi, de quo agimus, indicabit *Panticapaeum*, quae fuit Bospori Europaei urbs praecipua. Plena haec cum moneta Lysimachi concordia dubitare non sinit, fuisse certam aliquam causam, cur rex Bosporanus monetam suam cum moneta vicini regis tam exacte conformaret. Constat vero etiam, postremos XI. Paerisadis annos incidere in tempora Lysimachi. Soucie-

tus numum hunc tribuit Paerisadi III., sed argumentis, quae facile refutaveris [l]. Eum tamen, quod mirum, sequitur Froelichius. Cimelium istud veram nominis lectionem comprobat, cum ab auctoribus varie exaretur, Παρυσαδης, Παρισαδης, Περισαδης, Βερισαδης. Vide Bozium [m].

AV. RRRR.

* * *

Paerisadis I. successores proximi nomine solum cogniti sunt, reliquorum deinceps ipsa nomina ignota. Horum omnium, ut et illorum, qui Paerisadem praecessere, numos non habemus, etsi eorum aliquos reperiundi spes temere abjicienda non est, si verum est, quod refert Polyaenus a Bozio citatus [n], Leuconem Paerisadis patrem per fraudem veteris pecuniae valorem mutasse. Horum regum postremus Paerisades III. regnum Bospori Mithridati VI. Ponti regi tradidit, ut paullo infra in hoc dicetur.

REGES PONTI.

Regnum Ponti a Ponto Euxino nomen traxit, et erat portio Asiae minoris Colchide, Cappadocia, Paphlagonia, mari Euxino intercepta. Ejus primus rex, aut satrapa fuit Artabazes, ut nonnullis visum, a septem Persis oriundus, certe ex stirpe Achaemenidarum, ex qua ipsi Persiae reges fuere teste Herodoto [o]. Enim vero adhuc et illi, qui se a Mithridate VI. Eupatore genus ducere professi sunt, Achaemenidas se professi sunt, ut dicetur infra in Mithridate Bospori rege. Cum Darius Hystaspis regnum Persicum in satrapias divisisset, Artabazen Ponto praefecit, a quo reges successores genus duxere, quorum illos, qui proxime secuti sunt, quoniam numis carent, obiter enumero. Qui plura volet, adeat Reinerum Reineccium, et Vaillantii historiam Achaemenidarum.

ARTABAZEN regni auctorem secutus forte est RHODOBATES, hunc filius MITHRIDATES I., qui cum Cyro minore contra Artaxerxem Mnemonem conspiravit, et imaginem Platonis in academia ponendam curavit, de quo auctores varii a Reineccio citati. Succedit filius ARIOBARZANES I. adhuc patre vivo Lydiae, Ioniae, Phrygiae satrapia ab Artaxerxe Mnemone donatus. Sequitur

MITHRIDATES II. rex Ponti.

Ariobarzanis F. Regnavit per Alexandri M. bella Persica, post cujus mortem ab Antigono exagitatur. Habuit cognomen Κτιςυ, *conditoris*, sed quod alii filio tribuunt.

Numus:

Caput regis diadematum. Ӿ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΜΙΘΡΑΔΑΤΟΥ. *Juppiter sedens d. Victoriolam, s. hastam, in area astra solis, et lunae, juxta monogramma.* AR. I. (Pellerin Mel. I. p. 104.)

---

l) l. c. p. 67. m) l. c. p. 552. n) pag. 564. o) L. VII. c. 11.

Tota praestantissimi hujus numi aversa capta est ex nota Alexandri M. moneta argentea, quod ipsum ab aliis quoque regibus fuit observatum, quos in magni ejus regis numis enumeravi. Pellerinius eum Mithridati III. tribuendum putavit. Non repugno. Malui Mithridatem II., quia hic per ipsum Alexandri regnum, et aliquanto etiam post regnavit. De utroque astro Ponticis regibus familiari agemus proxime.

In numis perpetuo scriptum reperitur ΜΙΘΡΑΔΑΤΗΣ, non ΜΙΘΡΙΔΑΤΗΣ, eamque scripturam Graeca etiam marmora confirmant. Ac jure istud, cum ducatur a vetustissimo Indorum *mitra*, quod *solem* et *amicum* significat, ex quo Persae, et Graeci inserta aspirata fecerunt *Mithra* p). Jure igitur carpendi auctores Graeci non pauci, qui Μιθϱιδατην eum appellant mutato perperam A. in I. Non item, ut recte observat Spanhemius q), auctores Latini, in quorum lingua saepius A nominum propriorum in I abiit. Sic ex Ακϱαγας, Καταvα, Μασσαλια ducta sunt *Agrigentum*, *Catina*, *Massilia*. Addo, dixisse Graecos Μασσανισσα, quin et Appianum Μασσανασσα, et Latinos *Massinissa*.

AR. RRRR.

MITHRIDATES III. nonnullis Κτιϛης, ut diximus in numis patris Mithridatis II Hic Cappadociae, et Paphlagoniae partem sibi subjicit. Sequitur secundum aliquos MITHRIDATES IV. socer Antiochi M., quem excepit filius

PHARNACES I. rex Ponti.

Sinopen V. C. 572. expugnat, et regni sedem constituit. Multa per Asiam minorem turbat. Moritur exeunte saeculo VI. urbis conditae. Praeter Mithridatem V. habuit Laodicen nuptam Achaeo Asiae minoris tyranno.

N u m i.

Caput regis diadematum modeste barbatum. ✕ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΦΑΡΝΑΚΟΥ. *Vir curto habitu indutus stans capite et pedibus alatis d. demissa racemum pantherisco adstanti porrigit, s. caduceum et cornucopiae, vertici imminet fulmen, in area astra solis et lunae, inde* ΠΣ. AV. m. m. (Mus. M. Ducis) AR. m. m. (Pembrock, Wilde.)

Aureum ex cimeliis M. Ducis post alios adcuratius olim edidi. Miram partis aversae figuram causa variorum attributorum Pantheon dixi, Mercurium, Bacchum, Jovem, Abundantiam complexum r). Vaillantio Bacchus, Froelichio Mercurius creditur. Eruditus le Blond adfirmat, esse imaginem dei Mensis, qui teste Strabone apud Cabira Ponti urbem nomine Pharnacis templum habuit, sed abstinet argumentis, quae sententiam hanc verisimilem efficiant s). Sane prae omnibus probandum fuerat deum Mensem hoc etiam cultu fuisse propositum. Enimvero nimio hic diversus est ab eo, quo in variis Asiae minoris urbium numis proponitur.

Observanda etiam astra solis et lunae,

p) Paullini Systema Brahman. p. 1. q) T. I. p. 125. r) Num. vet. p. 168.
s) Descr. des pierr. grav. T. I. p. 82.

quae in his numis, tum praecipue Mithridatis VI. nepotis, et urbium Ponti, tum etiam nonnullis regum Cappadociae obvia sunt. Dixeram olim, eo indicari derivatam a Persis religionem, ex quorum sanguine Ponti reges fuere [t]), nam teste Herodoto [u]) Persae sacrificant Soli et Lunae. Belleyus utroque astro indicari cultum Mensis Pharnacis a Persis inductum censet [x]). Vtrum rectius, arbitrentur eruditi. Vtrumque hoc sidus sic regum Ponticorum proprium habebatur, ut Athenienses, cum numos Mithridatis VI. nomine ferirent, illud adstituere non negligerent.

AV. AR. RRRR.

MITHRIDATES V. EVERGETES
rex Ponti.

Pharnacis I. filius. Romanos cum observare studeret, eis auxilia bello Punico III. et adversus Aristonicum, qui Attali Pergameni haeredem sese ferebat, misit, quo factum, ut socius et amicus P. R. diceretur. Mortuus est fraude suorum circa annum V. C. 630.

Numus.

Caput regis diadematum. ✠ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΜΙΘΡΑΔΑΤΟΥ. ΕΥΕΡΓΕΤΟΥ. *Figura barbata stans capite modio insignito, et divinitatis pallio amicta, d. aquilam, s. sceptrum transversum, in area* ΓΟΡ. *et monogramma.* AR.

En ipsa verba Vaillantii numum ex museo Card. Maximi discribentis, sed quae ab ipso iconismo multum abludunt. Nam in hujus antica exhibetur caput regis laureatum, figura aversae tegitur pileo crucigero, manu sinistra pro sceptro tenet palmae ramum, ut adeo de typis hujus numi, qui aliter describitur, aliter pingitur, nihil audeam statuere. Ait Vaillantius, neminem in deorum historia tantisper versatum esse, qui figuram aversae statim ad Serapin non revocaret. At cuperem in certo aliquo antiquitatis monumento Serapin hoc cultu propositum videre.

Mithridates hic Straboni passim dicitur Ευεργετης [y]), ut et Appiano [z]).

Annus ΓΟΡ. 173. incipit ab autumno V. C. 629., qui circiter fuit Mithridatis penultimus.

* * *

Numum ΒΑΣΙΛΕ -- ΜΙΘΡΙΔΑ -- ΦΙΛΟ -- quem eruditi huic Mithridati tribuunt, quare in moneta regum Armeniae, quorsum is haud dubie pertinet.

AR. RRRR.

MITHRIDATES VI. EVPATOR DIONYSVS.
Ponti primum, deinde et Bospori rex.

Patrem puer amisit, vitatisque caute tutorum insidiis, cum per aetatem licuit, regnare aggressus, auctus deinde etiam Bospori regno, quod sibi ejus rex Paerisades III. cesserat, domitis bello Scythis aliisque barbaris juventutem ad graviora, quae animo conceperat, bella

t) Num. vet. p. 176. u) L. I. c. 131. x) B. L. T. XI. hist. p. 130. y) L. X.
z) Bell. Mithr. c. 10.

erudivit. Collisus deinde cum Romanis, quod Paphlagoniam invasisset, Nicomedem Bithynia, Ariobarzanem Cappadocia ejecisset, Man. Aquillium legatum inter ludibria et cruciatus enecasset, omnes per Asiam Italici generis uno die interficiendos curasset, universam Asiam seu Romanam, seu regiam, seu liberam cum parte insularum sibi subjecisset, indicto bello, et in XXVI. annos porrecto, gravissimis cladibus a Sulla, Lucullo, ac denique Pompejo M. adfectus, deinde in Bosporum profugus, sed a suis proditus, desperatis omnibus caput militi Gallo amputandum dedit V. C. 691. Ejus hanc habe imaginem ex Velleio [a]): *Vir neque silendus. neque dicendus sine cura, bello acerrimus, virtute eximius, aliquando fortuna, semper animo maximus, consiliis dux, miles manu, odio in Romanos Hannibal.* Ejus historiam latius descriptam vide apud Appianum, Plutarchum, Iustinum, aliosque.

Ex agmine uxorum et pellicum numerosam habuit sobolem, cujus majorem partem dirus ipse generis sui carnifex seu metu insidiarum, seu furore actus interemit. Ex filiis memorandi MACHARES, quem ipse primum Bospori regem dixit, sed quia pacem cum Lucullo fecit, ad mortem adegit. PHARNACES II. post patrem rex Bospori, de quo infra. Filia CLEOPATRA nupta Tigrani Armeniae regi.

Numi.

Caput regis diadematum. ※ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΜΙΘΡΑΔΑΤΟΥ. ΕΥΠΑΤΟΡΟΣ. *Cervus pascens in area* Δ, *et astra solis et lunae, omnia intra coronam hederaceam.* AV. (Cary, Pellerin.) In alio *praeterea monogramma* ΠΕΡ. AV. (Mus. M. Ducis.)

Caput regis diadematum. ※ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΜΙΘΡΑΔΑΤΟΥ. ΕΥΠΑΤΟΡΟΣ. *Cervus pascens, vel Pegasus pascens, in area varians annus epochae, astra solis et lunae, et varians litera solitaria, omnia intra hederaceam.* AR. I. (Mus. Caes.)

ΕΥΠΑΤΟΡΟΣ cognomen omnes hi numi offerunt, quod Mithridati VI. inditum Strabo, Appianus, aliique testantur, sed ejus causa incerta. Ex hoc nomine Mithridates urbem in Ponto a se condi coeptam appellavit *Eupatoriam*, quam cum Pompejus M. imperfectam reperisset, de se *Magnopolin* vocavit [b]). Vtriusque animalis pascentis veram causam nemo hactenus reperit. Tamen eos, qui Pegasum pascentem sistunt, videri signatos Amisi hujus ipsius causa typi, dixi supra in moneta Ponticae hujus urbis. Vtriusque astri causam verisimilem in numis Pharnacis expedivi. Monogramma ΠΕΡ. indicat Pergamum Mysiae, in qua cusus numus testibus Cistophoris, in quibus ea urbs eodem monogrammate notatur. Constat autem, Mithridatem consedisse Pergami, quo tempore ejus dux Archelaus in Graecia cum Sulla bellum gessit [c]). Constat etiam, Pergamenos benevolentia in Mithrida-

---

a) L. II. c. 18. b) Strabo L. XII. c) Plut. in Sulla p. 458.

tem, et in Romanos odio, qui ex his in Aesculapii templum confugerant, statuis haerentes sagittis confecisse [d]).

Corona hederacea ad cognomen *Dionysi* seu *Bacchi* aperte adludit. Ita enim diserte Appianus de hoc Mithridate [e]): και διαδεχεται Μιθριδατης ὑιος, ῳ Διονυσος και Ευπατωρ ἐπωνυμα ἠν. *Ei successit Mithridates filius, cui Dionysi et Eupatoris cognomina fuere.* Et Cicero de Asianis [f]). *Mithridatem, deum illum patrem, illum conservatorem Asiae, illum Evium, Nysium, Bacchum, Liberum nominabant.* Repertum istud cognomen credidere aliqui teste Plutarcho [g]), quod in compotationibus palmam semper abstulit, aut verius eo etiam judice, quod perinde atque olim Bacchus illaesus a fulminibus fuit. Serius iidem Asiani in Cistophoris suis M. Antonio quoque, nam et hunc Bacchum dixere, coronam hederaceam sunt largiti, de quo vide ejus IIIviri numos.

Anni epochae in his numis assidui. Comperti hactenus sunt: ΘΣ. ΒΙΣ. (Mus. Caes.) ΘΙΣ. (Theup.) ΑΚΣ. (Spanheim epist. III.) ΒΚΣ. (Mus. Caes.) ΓΚΣ. (Mus. M. Ducis.) ΔΚΣ. (Apost. Zeno.) Fixo ad annum V. C. 457. aerae initio annus primus ΘΣ. ducitur ab autumno V. C. 665. postremus ΔΚΣ. ab anno 630.

* * *

Numum Mithridatis VI. nomine ab Atheniensibus signatum vide in horum moneta.

AV. RRR. AR. RR.

PHARNACES II.
rex Bospori, subinde et Ponti.

Mithridatis VI. hic filius, cum videret patris res perditas, et ab hoc sibi insidias strui, conciliata sibi militum voluntate passus est patrem jam omnia desperantem violentas sibi manus inferre V. C. 691., ejusque ad Pompejum misso cadavere regnum Bospori in parricidii praemium abstulit, dictus praeterea amicus populi R. Quietus tantisper, donec metus aderat, cum imperium R. Caesaris et Pompeji dissidiis turbatum intelligeret, spe recuperandi regni aviti illectus, relicto in Bosporanis Asandro Pontum invadit, et extruso Romanorum praesidio patris ditionem omnem sibi subjicit. Ea re audita Caesar ex Aegypto advolat, commissoque ad Zelam Ponti urbem praelio Pharnacem fundit, fugatque, quem deinde a clade in Bosporum profugum Asander interimi jussit V. C. 707.

N u m i :

Caput regis diadematum. ·Ж ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΒΑΣΙΛΕΩΝ. ΜΕΓΑΛΟΥ. ΦΑΡΝΑΚΟΥ. *Apollo sedens ante tripodem d. ramum, s. lyrae inixus, in area anni hactenus comperti* ΕΜΣ. ϛΜΣ. ΖΜΣ. *in area monogramma. vel litera* Δ. AV. AR. (Mus. Caes.)

En in his numis turgidos titulos *regis regum*, et *magni.* Regem regum sese ambitiose appellaverit post subactos vicinos regulos, quo etiam titulo intu-

---

d) Appian. Mithr. c. 23. e) Mithr. c. 10. f) pro Flacco c. 26. g) Sympos. L. I. p. 624.

muit coaevus Tigranes Armeniae et Syriae rex. Ex eadem causa adsciverit nomen magni, quod Mithridati quoque patri tributum a scriptoribus novimus, sed quo ipse, saltem quod ex numis constet, usus non est. At consultius hoc elogio abstinuisset, si apud animum reputasset, Magnum patrem a cognomine Magno Pompejo internecione victum, et se ipsum ab eodem Magno precarium Bospori regnum accepisse.

Anni his numis inscripti respondent annis V. C. 701. 702. 703. nimirum turbidis tum Romanorum rebus ob Crassum recenter a Parthis caesum coepit sese efferre homo impotens, et altiora animo concipere. Solitarium Δ indicare annum IV. regni Pharnacis contendit Vaillantius, sed quam sententiam jam evertit Froelichius. Enimvero eadem litera Δ et variae aliae occurrunt etiam in numis Mithridatis patris, quas tamen, quoniam secundum epochae annos non consequuntur, ne ipse quidem Vaillantius annos regni notare poterit adserere. Igitur in utrisque perinde ac monogrammata erunt notae monetariorum. Neque obest, successorem Asandrum, ut continuo videbimus, regni annos numis suis inscripsisse, nam hic annis epochae plane abstinuit, substituendo his annos regni. Ruit ergo princeps Vaillantii argumentum, quo is ex litera Δ initium aerae Ponticae anno V. C. 448. adfixit [h]).

In numo simili Patinus pro ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΒΑΣΙΛΕΩΝ. legit ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΟΣΣΑΝ [i]), sed deceptum fuisse virum eximium jam ostendit Bozius [k]).
AV. AR. RR.

A S A N D E R.

Archon primum, dein rex Bospori.

Eum Pharnaces, ut diximus, Bosporo praefecit, dum is Pontum, ereptasque patri provincias recuperare nitebatur. Victum a Caesare, et ad suos e clade reducem interficiendum curat V. C. 707., et Bosporum retinet. At Caesar hominis in regem suum perfidiam detestatus Mithridati Pergameno, de quo infra, bellum in Asandrum mandat, et ipsum Bospori regnum addit [l]), sed Bosporum ingressum evertit Asander, ut docet Strabo a Casaubono praeclare correctus [m]). Firmata sic potentia primum ethnarchae nomine secundum Lucianum [n]), sed archontis secundum numos, accedente subinde Augusti auctoritate regis nomine Bosporo praefuit. Mortuus est V. C. 740. regno uxori Dynami Pharnacis F. relicto [o]). Lucianus, qui eum morte voluntaria exstinctum tradit, quod militum animos in Scribonium, de quo infra, inclinare videret, addit, vixisse eum annos XCIII., et adhuc extrema senecta equestri et pedestri pugna nemine inferiorem habitum [p]).

N u m i :

Caput Asandri imberbe nudum. X AP-

h) Reg. Bosp. p. 205. i) Ad Sueton. p. 25. k) Hist. B. L. T. XII. p. 292. l) Dio L. XLII. §. 48. Hist. Bell. Alex. cap. ult. m) L. XIII. p. m. 927. n) In Macrob. o) Dio L. LIV. §. 24. p) l. c.

ΧΟΝΤΟΣ. ΑΣΑΝΔΡΟΥ. ΒΟΣΠΟΡΟΥ. *Victoria prorae navis insistens*, *in area* H. AV. (Vaill.) *in area* XH. AR. (Cary.)

Caput Asandri diadematum. ✗ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΣΑΝΔΡΟΥ. *Idem typus*, *in area:* Δ. ς. Z. H. ΙΔ. Iς. IZ. KΓ. (Mus. Caes. Froelich, Cary, Pellerin Suppl. III. p. 3. Sestini Lettere p. 35.)

Asandrum, quem, antequam regium nomen obtineret, ethnarcham a Luciano dici vidimus, numi priores ἀρχοντα, *principem*, posteriores, *regem* appellant, et diadema addunt. Verum quid de notis arithmeticis sentiendum sit, dubius haeret Froelichius. Verisimile quidem est, indicari annos principatus, deinde regni. Sed creat difficultatem annus KΓ. Constat ex Luciano, Asandrum ab Augusto regem pro ethnarcha appellatum. Fieri istud non potuit ante annum V. C. 723., quo demum Octavianus victo ad Actium Antonio jus in orientis regna obtinuit. Si ergo ad annum 723. addas annum numi 23., habebis annum V. C. 746., sed Asander, ut supra vidimus, jam anno V. C. 740. diem obivit. Ergo aut fallit Lucianus, aut numus, aut hae notae aliud indicant. Non temere suspicor, Asandrum jam ante a M. Antonio, qui plures reges per Pontum, Armeniam, aliasque provincias constituit, regem appellatum, ut eo amico reddito auxilia sibi in futuros casus pararet, et in ea subinde dignitate ab Octaviano confirmatum, quod idem in Polemone Ponti rege factum novimus. Istud si ita habet, nolim adfirmare, errasse Lucianum, sed minus fuisse in oratione adcuratum.

AV. RR. AR. RRRR.

MITHRIDATES PERGAMENVS
rex Bospori.

Mithridatis VI. ex pellice filius. Ei Caesar dictator propter collatam insignem in bello Alexandrino opem primum tetrarchiam Galatiae regis nomine tribuit. Ab eodem deinde Bospori rex, cum regnum adire pararet, ab Asandro e medio tollitur, ut mox supra dictum.

Hujus Mithridatis Pergameni binos numos edidit Seguinus [q]), sed eorum prior est Mithridatis ejus, qui Polemoni II. in Bosporo successit, alter est autonomus Pergami, ut suis locis docemus.

POLEMO I.
rex Ponti, *subinde et Bospori.*

Scribonius quidam, Mithridatis sese nepotem ferens, seque ab Augusto post Asandri mortem regem Bospori constitutum, regnum occupat ducta Dynamie Asandri vidua. Qua re audita M. Agrippa, qui tum orientis res procurabat, Polemonem regem ejus Ponti, qui ab eo, aut secundum Victorem [r]) a filio Polemone *Polemoniacus* dictus est, misit, ut Scribonio bellum inferret, qui tamen hominem superstitem amplius non reperit, nam cognita fraude caesus est ab ipsis Bosporanis. Vrgente dein de Agrippa ipse genti rex praeficitur. Haec

q) Num. sel. p. 62. r) In Nerone.

Dio ad V. C. 740 [s]). Habuit hic Polemo patrem Zenonem rhetorem Laodicenum Phrygiae, cujus illustria fuere in Antonium IIIvirum merita cumprimis in bello contra Labienum, quae praecipua causa fuerit, cur is filio Polemoni partem Ponti regio titulo subjecerit. Quo id anno factum, ignoratur, sed Dio eum jam anno V. C. 718. Ponti regem appellat [t]). Triennio post ab eodem IIIviro Armeniam quoque minorem abstulit [u]). V. C. 728. ab Augusto dictus socius et amicus P. R. [x]) ac denique V. C. 740. Agrippae, et Augusti voluntate regnum Bosporanum obtinuit, ut diximus. Interiisse in bello cum finitimis barbaris, binis locis perhibet Strabo.

Vxor I. *Dynamis* filia Pharnacis, neptis Mithridatis VI., Asandri primum, deinde Scribonii vidua [y]), nullis ex ea natis liberis.

Vxor II. *Pythodoris*, de qua, natisque ex ea liberis infra.

N u m i :

BACIΛЄΩC. ΠΟΛЄΜΩΝΟC. *Caput regis diadematum.* ✠ M. ΑΝΤΩΝΙΟC. ΑΥΤ. ΤΡΙΩΝ. ΑΝΔΡΩΝ. *Caput Antonii IIIviri nudum.* AR. (Patin ad Sueton. p. 298.)

Confirmat hic numus ea, quae de Polemone Ponti rege ab Antonio constituto supra diximus. Eidem Polemoni Froelichius tribuit numum inscriptum: ΜΑΡΚ. ΑΝΤΩΝΙΟΥ. ΠΟΛΕΜΩΝΟΣ. ΑΡΧΙΕΡΕΩΣ [z]). Sed eum esse in Ciliciam referendum, dicetur in numis Olbae Ciliciae.

* * *

ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΠΟΛΕΜΩΝΟΣ. *Caput regis diadematum.* ✠ IMP. CAESAR. AVG. *Caput Augusti nudum.* AE. (Vaill.)

Similis adversa. ✠ ΚΑΙΣΑΡΟΣ. ΣΕΒΑΣΤΟΥ. *Caput Augusti nudum.* AE. (Seguin Num. sel. p. 317.)

Hos numos Polemoni I. tribuendos arguunt aversae cum capite Augusti. Nam Polemo II. nonnisi post ejus mortem in Ponto regnavit. Praeclare hi numi confirmant, quod refert Strabo [a]), Polemonem ob res praeclare gestas regia dignitate primum ab Antonio, deinde Augusto fuisse ornatum.

* * *

Placet coronidis loco commemorare insigne marmor repertum apud Cymen Aeolidis, et ab illustri Peyssonello Lutetiam missum. Ejus partem, quae Polemonis I. nomen continet, jam recitavit Caryus, et ex eo Froelichius, sed integrum deinde edidit Com. Caylus addito insigni commentario eximii in nostris studiis Belleyi [b]). Verba, quae huc pertinent, sunt:

ΕΠΙ. ΙΕΡΕΟΣ. ΤΑΣ. ΡΩΜΑΣ. ΚΑΙ. ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΟΣ. ΚΑΙΣΑΡΟΣ. ΘΕΩ.

---

s) L. LIV. §. 24. t) L. XLIX. §. 25. u) Dio L. XLIX. §. 44. x) Dio L. LIII. §. 25. y) Dio L. LIV. §. 24. z) Ad Num. reg. accessio p. 88. et Not. elem. p. 205. a) L. XII. p. m. 867. b) Rec. d'Antiq. Tom. II. p. 170.

ΤΙΩ. ΘΕΩ. ΣΕΒΑΣΤΩ. ΑΡΧΙΕΡΕΟΣ. ΜΕΓΙΣΤΩ. ΚΑΙ. ΠΑΤΡΟΣ. ΤΑΣ. ΠΑΤΡΙΔΟΣ. ΠΟΛΕΜΩΝΟΣ. ΤΩ. ΖΗΝΩΝΟΣ. ΛΑΟΔΙΚΕΟΣ.

Marmor istud docet, Polemonem V. C. 752. fuisse adhuc in vivis, nam hoc demum anno Augustus dictus est *pater patriae*. Fuisse etiam, quamvis absentem, honoris causa sacerdotem in templo, quod Cymaei Aeolidis Romae et Augusto dedicavere. Credo, reverentiae causa omissum nomen ΒΑΣΙΛΕΩΣ, etsi tum, cum marmor istud positum esset, regna Ponti, et Bospori teneret.

AR. et AE. RRRR.

PYTHODORIS regina Ponti.

Ejus vitam ac numos prolixa dissertatione chronologica illustravit Soucietus, quae est in ejus dissertationum Tomo III. In simili argumento subinde multo adcuratius versatus est insignis Belleyus c). Nos summa capita perstringemus. Patrem habuit Pythodorum natum apud Nysam Cariae *), sed qui relicta propter ignobilitatem patria vicinas et magis illustres Tralles Lydiae commigravit, ubi et Asiarcha fuit. Ejus viri immensas opes, et cum Pompejo M. amicitiam depraedicat Strabo d). Pythodoridem sibi Polemo I. mortua Dynamie, quam V. C. 740. factus rex Bospori uxorem duxerat, matrimonio junxit. Hoc a barbaris Aspurgitanis in acie caeso Pythodoris in regno Ponti, at non Bospori, ut dicetur infra post Polemonis II. numos, successit, subinde altero matrimonio Archelao Cappadociae regi nupta, cum hic V. C. 770. fraude Tiberii Romam evocatus mortem oppeteret, in suum Ponti regnum rediit, cumque ibi plures adhuc annos magna prudentiae et moderationis laude regnasset, mortua est, ut visum Soucieto, anno V. C. 791. Haec ex variis Strabonis locis.

Proles habuit ex Polemone marito I. *Polemonem*, qui in Ponti regno successit, II. *Zenonem* dictum ex nomine avi paterni. Eum Armeniae majoris populi ad se accitum regem dixerunt, sed nomine *Artaxiae* ex nomine urbis Artaxatae, Germanico ejus capiti insigne regium imponente V. C. 771 e). III. Filiam *anonymam*, nuptam Cotyi V. Thraciae regi, quo a patruo Rhascuporide caeso vidua permansit relicto filio, qui successit f).

Numi:

Caput Augusti, secundum alios Tiberii laureatum. ☧ ΒΑΣΙΛΙΣΣΑ. ΠΤΘΟΔΩΡΙΣ. ΕΤΟΤΣ. Ξ. *Capricornus.* AR. III. (ex Mus. Rothelin.)

---

c) B. L. T. XXIV. p. 67.

*) Gravem errorem errat Soucietus, qui ejus patriam facit Nisaeam navale Megarorum juxta Atticam. Straboni dicitur Νυσαεος, quod est gentile Nysae Cariae Trallibus vicinae; at urbs Megaridis fuit Νισαια, et gentile Νισαιος, quod utrumque comprobant et historici et numi.

d) L. XIV. p. m. 960. e) Tacit. Ann. II. 56. f) Strabo.

Caput Tiberii laur. ✠ ΒΑΣΙΛΙΣΣΑ. ΠΥΘΟΔΩΡΙΣ. ΕΤΟΥΣ. Ξ. *Bilanx.* AR. III. (Seguin Num. sel. p. 45.)

Seguinus et Vaillantius, cum in numo II. non satis integro pro ΕΤΟΥΣ. legendum putarent ΚΟΤΥΟΣ, non dubitavere eum tribuere filiae Pythodoridos anonymae, quam mox supra Cotyi Thraciae regi nuptam dixi, censueruntque, patere ex hoc numo, filiae perinde ac matri fuisse nomen Pythodoridos. Serius collatus prior integerrimus ex museo Rothelinii, qui luculentum ΕΤΟΥΣ exhibet, alterius quoque lectionem sanavit. Certum igitur, numum hunc esse Pythodoridos Ponticae. Vide de hoc plura apud Bimardum g).

At pertinacius disputatum, cujus sit caput numi prioris, an Augusti, an Tiberii, de quo vide disserentem Soucietum h), qui tamen mavult perinde ac in altero Tiberium agnoscere. Verum secundum iconismos, quos Belleyus suae de Pythodoridos numis dissertationi praefixit i), numus prior indubitatum sistit caput Augusti, alter Tiberii. Addit idem infra k), a viris multo in re numismatica usu exercitatis Augustum in numo praecedente agnitum. Ea lis otiosa non est, nam magnum momentum confert ad explicandum annum Ξ numis his inscriptum, ad quem modo aggredior.

Ad annum ergo Ξ, 60., quod attinet, eum Soucietus ab anno V. C. 713. deducit, quo Polemonem I. post praelium Philippense a M. Antonio dictum Ponti regem conatur evincere. Hanc deinde aeram ab uxore Pythodoride continuatam, sic ut annus Ξ exeat in autumno V. C. 773. Ejus sententiae accessit etiam Baro Bimardus l). Causam suam etsi magnis conatibus, et per longas ambages tueatur Soucietus, tamen eruditos omnes nondum nactus est consentientes. Nam quod ille, Reineccium, ut videtur, secutus, Polemonis I. regnum ab anno 713. orditur, una conjectura nititur. Alii istud serius factum putant propter merita patris Zenonis in bello Labieni, qui V. C. 714. Asiae provincias vexavit. Et vero Froelichius, cui ignota non fuere, quae Soucietus disputaverat, tamen fatetur, se definire non posse, an hic annus Ξ sit regni, vel vitae Pythodoridos, vel alterius epochae m). Si verum est, quod confidenter adserit Belleyus, in numo priore esse caput Augusti, in altero Tiberii, omnis continuo difficultas evanescit. Nam cum utriusque numo idem annus Ξ inscribatur, patet, eundem annum fuisse postremum Augusti, primum Tiberii, quem constat fuisse V. C. 767., et praeterea utriusque numi, de quo agimus, natalem, a quo si auferamus annos 60., erimus in anno V. C. 707., quod justum sane erat constituendae in Ponto novae epochae tempus; nam eodem anno victus est a I. Caesare Pharnaces II., qui inde ab aliquot annis Ponti regnum usurpaverat, et crudeli imperio exercuerat.

Sed neque typi capricorni, et bilan-

g) Ad Iobert. T. II. p. 345. h) Pag. 29. et 38. i) B. L. T. XXIV. p. 67. k) Pag. 78. l) Ad Iobert. T. II. p. 345. m) Reg. Bosp. p. 151.

cis praetereundi. Cum Soucietus in utroque numo caput Tiberii viderit, non poterat capricornum ad notum Augusti horoscopum revocare. Alium igitur, eumque ingeniosum modum excogitavit, quo capricornum et bilancem, zodiaci, mensiumque signa ad deum Mensem singulari in Ponto religione observatum refert [n]). Si in numo priore ex Belleyi sententia est caput Augusti, rursum in proclivi res erit; habebit enim Augustus capricornum suum sibi ex causa cognita amicum. Tametsi fieri poterat, ut existimat Belleyus [o]), ut ex eadem causa in Ponto zodiaci signa monetae inferrentur, ex qua in regionibus aliis, ac praecipue in Aegypto, Syria, Mesopotamia monetae illata sunt, etsi haec eadem causa nondum satis perspecta sit. Sane in numis, qui regum Parthorum capita offerunt, pro signis mensium ipsa mensium nomina fuisse scripta novimus.

AE. RRRR.

POLEMO II.

rex Ponti, et Bospori.

Polemonis I. et Pythodoridos F. Fratre Zenone, ut Armeniae majoris sceptra capesseret, evocato, ipse apud matrem pro caeso patre Ponti reginam restitit. Matre mortua Caligulae beneficio paterna regna Pontum et Bosporum obtinuit V. C. 791 [p]). At Claudius illi V. C. 794. pro Bosporo, quem Mithridati largitus est, partem Ciliciae dedit [q]). Vt erat vir stolidi ingenii, facile persuaderi se passus est a Berenice Agrippae I. Iudaeorum regis filia, subinde famigerata Titi amica, ut Iudaico ritu circumcisus sese uxorem duceret. At non diu duravit conjugium. Nam Berenice vagis amoribus inhians non multo post Polemoni, atque hic vicissim Iudaicae religioni valedixit [r]). Idem postea Neroni, incertum, qua de causa, Pontum sponte cessit, qui deinde in provinciam redactus est, ut perhibent Suetonius [s]), Aur. Victor, qui addit, ab eo partem Ponti dictam Pontum Polemoniacum, et Eutropius [t]). Quid eo deinceps factum, incertum. Cum hoc Polemone desinunt reges Ponti.

Numi:

ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΠΟΛΕΜΩΝΟΣ. *Caput diadematum.*

ΕΤΟΥΣ. ΙΑ. *Caput Claudii laur.* AR. (Vaill. Num. praest. in Claudio.)

ΕΤΟΥΣ. ΙΕ. *Caput diadematum Agrippinae jun.* AR. (Pellerin Rois. p. 187.)

ΕΤΟΥΣ. ΙΗ. *Caput Neronis radiatum.* AR. (Vaillant.)

ΕΤΟΥΣ. ΙΘ. *Caput Neronis radiatum.* AR. (Froelich ex Mus. Rothelin.)

ЄΤΟΥС. Κ. *Caput Neronis laur.* AR. (Pellerin Rois p. 187. Khell Supplem. ad Vaill. p. 24.)

ЄΤΟΥС. ΚΓ. *Caput Neronis laur.* AR. (Patin ad Suet. p. 298, sed qui in hoc perperam Augustum pro Nerone vidit.)

ΒΑС. Π. ΚΔ. *Caput diadematum.* Ӿ IMP. NERO. CAES. AVG. *Caput radiatum.* AR. (Vaill.)

---

n) Pag. 40. o) Pag. 36. p) Dio L. LIX. §. 12. q) Dio L. LX. §. 8. r) Joseph. Ant. Iud. L. XX. c. 7. s) In Ner. c. 18. t) In Nerone.

Ex hoc numorum catalogo patet, Polemonem II. non continuasse aeram a Polemone I. coeptam, cujus annum Ξ in Pythodoridos numis vidimus, sed inscripsisse monetae annos regni sui, inserto etiam observantiae causa capite tum imperantium. Cum ergo regnum auspicatus sit V. C. 791., annus IA. incipiet ab autumno V. C. 801., annus IE., qui est in insigni numo Agrippinae junioris, ab autumno V. C. 805. Mulierem Polemo observandam duxit, non modo praevalidam per mariti Claudii socordiam, sed etiam per spem futurae potentiae, cjus filio Domitio jam tum in familiam Claudiam, et nomen Neronis adoptato, et jam non obscure ad imperium destinato. Anni reliqui in tempora Neronis cadunt, quorum primus IH. ducitur ab autumno V. C. 808., postremus KΔ. ab autumno 814. Factum anno sequente 815. vel 816, ut rex Neroni Ponti regnum cederet; nam non aliam ob causam Ponti urbes novam auspicatae fuerint epocham, quam exhibent numi Neocaesareae, Trapezuntis, et Zelae, et quae certe ab anno V. C. 816. ducitur, ut in his diximus. Singularis est numus postremus bilinguis, ad quem juvat observare, ejusdem rationis numos aureos et argenteos eadem aetate cum capite Neronis apud vicinam Caesaream Cappadociae signatos fuisse.

Omnes hi Polemonis II. numi in Ponto signati sunt. Ex Bosporo, quem solido triennio tenuit, nullum habemus. Numi Pontici et Bospori facile suis se modis distinguunt.

AR. RR.

RELIQVI SOLIVS BOSPORI REGES.

Supra in Pythodoridos vita leviter attigimus, caeso Polemone I. uxorem Pythodorida Ponti quidem, at non una Bospori regnum tenuisse. Vaillantio, et Soucieto, qui eam Bospori quoque reginam dixere, litem intenderunt Froelichius, Belleyus, et Caryus cum ex silentio coaevi et Pontici Strabonis, qui cum subjectas ei ditiones enumerat, nusquam Bospori meminit, tum ex testimonio numorum, qui, quo tempore Pythodoris Pontum rexit, reges Bosporanos memorant. Ad comprobandum istud Belleyus eximium adfert Strabonis testimonium, qui agens de Chersoneso Taurica, haec addit u): *και νυν ὑπο τοις των Βοσπορανων βασιλευσιν, ὁς Ρωμαιοι καταςησωσιν, ἁπαντα ἐςιν*, *et nunc Bosporanorum regibus, quos Romani constituerint, haec omnia parent.* At quo tempore haec scripsit Strabo, Pythodoris in Ponto regnavit, ut ait alibi x): *νυν δε χηρευει, τα τε λεχθεντα ἐχουσα χωρια - - nunc vidua est, et possidet, quae diximus, loca.* Regum Bosporanorum nomina, qui inter Polemonem I. et II. intercessere, reticet Strabo, at eos produnt numi, Sauromaten I. et Rhescuporida I., de quibus continuo.

TI. IVLIVS SAVROMATES. I.

ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΣΑΥΡΟΜΑΤΟΥ. *Ca-*

u) L. VII. p. m. 480. x) L. XII. p. m. 834.

put regis diadematum. ✕ *Caput Augusti.* AE. III. (Vaill. Num. Graec. p. 6.)

Caput regis diadematum, hinc monogramma ΠΑΝ., *inde* ΙΒ. ✕ ΚΑΙΣΑΡΟΣ. ΣΕΒΑΣΤΟΥ. *Caput Tiberii laur.* AE. III. (Sestini Lettere p. 35.)

ΤΙ. ΙΟΥΛΙΟΥ. ΒΑCΙΛЄѠC. CΑΥΡΟΜΑΤΟΥ. *Caput imberbe diadematum.* ✕ *Victoria gradiens, in area* ΜΗ. AE. II. (Cary.)

Τ. ΙΟΥΛΙΟΥ. ΒΑCΙΛЄѠC. CΑΥΡΟΜΑΤΟΥ. *Sella curulis, super qua laurea, hinc hasta cum clypeo, inde fax ardens.* ✕ *Corona querna, intra quam* ΗΜ. AE. II. (Cary.)

- - - ΜΑΤΟΥ. ΑCΠΟΥΡΓΟΥ. *Hasta cum clypeo, in area* ΚΔ. ✕ ΤЄΙΜΑΙ. Β. - - - *Sella curulis, super qua laurea.* AE. III. (Cary ex mus. reg.)

ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΣΑΥΡΟΜΑΤΟΥ. *Caput regis diadematum.* ✕ *Clypeus cum tripode, in area* ΜΗ. AE. II. (Citatus a Cary ex mus. reg. p. 45.)

Caput regis diadematum barbatum. ✕ ΒΑ. C. *Vir nudus citis quadrigis vectus s. elata, superne* ΚΔ. *et clava.* AE. II. (Pellerin Rois. p. 36.)

Alium Sauromatae I. vide in Pepaepirie sequente.

Froelichius omnes hos numos Sauromatae nomine insignes tribuit Sauromatae partis Thraciae regi, quem arbitratur fuisse fratrem Cotyos VI. Thraciae regis. Vna illi causa, (nam Thraciae rex hoc nomine nullus proditur) quod numi hi similes sunt ejus Cotyos numis y). Verum et hos numos esse Cotyos Bosporani, non Thracii, dicetur infra in ejus numis. Generatim numi omnes, qui notas arithmeticas ΙΒ. ΚΔ. ΜΗ. exhibent, quas omnes in his Sauromatae numis et sequente Pepaepireos videmus, et videbimus dehinc quoque, Bosporani sunt. Earum explicatum non tentavit Caryus z), etsi mirum ei videretur, hos tantum, neque alios numeros (de epochae annis non hic sermo) in his regum Bospori numis reperiri, eosque aequidistantes, nempe 12. 24. 48, sic ut videri possit, aliquem cycli modum apud Bosporanos valuisse.

Statuto ergo, hos numos esse Bosporanos, ab iis docemur, ejus gentis reges, qui jam inde a Pharnace II. coepere Romanis esse obnoxii, deinceps quoque perrexisse Romanos principes palam observare, sive quod ab iis ad regnum fuere promoti, sive illud confirmatum. Sauromates hic qua ratione illud obtinuerit, non constat. Tamen ex numo I. patet, eum imperante Augusto, et forte mox post caesum Polemonem I. Bosporo praefuisse. In numo II. dixi esse caput Tiberii, idque fide Cl. Sestini, etsi epigraphe Augustum potius indicet. Numi III. ac IIII. comprobant, ejus regnum in Tiberii adhuc imperium porrectum, nam observantiae ergo ejus adoptavit nomina *Tiberii* ac *Julii*, quod et a successore Rhescuporide factum.

Numi IIII. et V. offerunt sellam curulem et lauream, nempe honores, et mu-

y) Reg. Bosp. p. 159. z) Pag. 44.

nera, quae a principibus R. tanquam socii et amici P. R. consecuti sunt. Istud ne ambiguum haberetur, in numo IV. additur TEIMAI. *honores.* Vide similia exempla in numis regum Thraciae, et Ptolemaei Numidiae regis. Harduinus edidit numum, quem ipse a se visum testatur [a]): IOΥ. ACΠΟΥΡΓΟΥ. *Clypeus*, infra ΚΔ. ✠ ΤΕΙΜΑΙ. ΒΑCΙΛΕΩC. ΚΟΤΥΟC. *Sella curulis, supra quam laurea.* AE. III. Satis certum, numum hunc esse eundem cum illo, quem loco V. descripsi, et forte mancam in utroque inscriptionem ex utroque integrandam. Nomen ACΠΟΥΡΓΟΥ dubium non videtur ex gente Bosporana captum, cui nomen *Aspurgiani*, quos habitasse juxta paludem Maeotidem, et a quibus interfectum Polemonem I., testatur Strabo, et ex eo Stephanus.

AE. RR.

PEPAEPIRIS REGINA.

ΒΑΣΙΛΙΣΣΗΣ. ΠΗΠΑΙΠΙΡΕΩΣ. *Caput reginae diadematum, in area* IB. ✠ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΣΑΥΡΟΜΑΤΟΥ. *Caput diadematum.* AE. II. (Theupoli, Sestini Lettere p. 36.)

Eximius hic numus reginam Pepaepirin, Sauromatae uxorem, et omnibus hactenus ignotam sistit.

AE. RRRR.

RHESCVPORIS I.

ΤΙΒΕΡΙΟC. ΙΟΥΛΙΟC. ΒΑCΙΛΕΥC. ΡΗCΚΟΥΠΟΡΙC. *Caput diadematum barbatum.* ✠ *Caput muliebre diadematum, in area.* ΚΔ. AE. II. (Cary.)

BA. P. *Caput regis nudum, infra quod* ϛΚΤ. *in alio:* ΑΛΤ. ✠ *Caput Tiberii nudum.* AV. (Cary, Vaill. Num. praest. T. II. p. 43.)

BA. P. *Caput regis diadematum, juxta* IB. ✠ ΓΑΙΟΥ. ΚΑΙΣΑΡΟ - - *Caput Caligulae nudum.* AE. III. (Cary.)

En alium adhuc regem, qui, quo tempore Pythodoris in Ponto regnavit, Bospori rex fuit. Numus I. eo est insignis, quod et sequentes praeclare illustrat. Etenim cum in eo Rhescuporis sese appellet *Tiberium Julium*, certum est, fuisse eum regem imperante Tiberio. At cum numi sequentes per annos epochae in ejusdem Tiberii aetatem incidant, certum est etiam, in illis litteram P non indicare *Rhoemetalcem*, aut regem alio nomine ab P incipiente, sed *Rhescuporida*, quoniam certum hoc nomine sub Tiberio Bospori regem numus I. prodit. Baldinus, qui numum cum anno ΑΛΤ. novae editioni Vaillantii inseruit, monogrammate BA. P. Rhoemetalcem Thraciae regem intelligendum censuit, at non advertit animum, reges Thraciae nunquam epocham numis suis inscripsisse, quem lapsum jam perstrinxit Caryus. Anni ϛΚΤ. 326. et ΑΛΤ. 331. ducti a capite epochae, nempe V. C. 457, incidunt in annos V. C. 782. 787. Numus postremus docet, Rhescuporin regem adhuc fuisse sub initium imperantis Caligulae, sed non multo post aut mortuum, aut ex-

---

a) Opp. sel. P. 141.

trusum, inde probatur, quod Caligula, qui V. C. 790. imperium adiit, anno sequente in Bosporum induxit Polemonem II., cujus numos jam descripsimus supra.

AV. RRR. AE. RR.

MITHRIDATES.

Regno Bosporano, quod a Caligula V. C. 791. Polemoni II. datum diximus, Claudius V. C. 794. praefecit Mithridatem data Polemoni parte Ciliciae [b]). Hic Mithridates genus a magno Mithridate duxit teste Dione [c]). Jure adeo se ipse professus est *prolem magni Achaemenis* [d]). Eum auditis fratris Cotyos criminationibus iterum dejecit Claudius circa annum V. C. 800. translato in fratrem proditorem regno. At Mithridates amissa recuperare satagens exercitum colligit, sed Romanis armis inferior, se suisque omnibus, retento uno Achaemenidarum fastu, victorum arbitrio permissis, Romam ducitur. Haec prolixe Tacitus [e]).

Froelichius hunc Mithridatem fratremque Cotyen filios Cotyos V. Thraciae regis statuit, et Claudii beneficio regno Bosporano donatos [f]). Sed praeterquam quod sententiam hanc nullo argumento stabilit, illud obstat, quod uterque, ut mox vidimus, fuit ex Achaemenidarum genere, quos aliquando in Thraciam derivatos non constat. At certum est praeterea, Cotyen V. Thraciae regem, praetensum utriusque patrem, ab indigenis Sapaeis genus duxisse teste Strabone [g]).

Numi.

ΒΑϹΙΛΕѠϹ. ΜΙΘΡΑΔΑΤΟΥ. *Caput regis imberbe diadematum.* ✕ ΙΒ. *Clava, ex qua pendent exuviae leonis, hinc pharetra, inde tridens.* AE. II. (Cary.)

Numus hic a Seguino perperam tribuitur Mithridati Pergameno [h]), ut supra in hoc notavimus.

* * *

Numum aeneum: ΝΕΡΩΝΑ. ΚΑΙΣΑΡΑ. - - *Caput Neronis.* ✕ ΕΠΙ. ΚΛΑΥΔΙΟΥ. ΜΙΘΡΑΔΑΤΟΥ. *Bilanx*, non esse hujus Mithridatis, jam enim ante Neronem regnum amisit, sed inscriptum Claudium Mithridatem esse verisimilius magistratum urbis cujuspiam Asiaticae, jam probavit Caryus [i]).

AE. RRRR.

COTYS I.

Fratris Mithridatis primum proditorem, deinde pro eo Bospori regem mox vidimus. Ejus reliqua ignorantur.

Numi.

ΒΑ. Κ. *Caput regis, in area* ΒΝΤ. ✕ *Caput Agrippinae jun.* AV. (Baldin. ad Vaill. T. II.)

ΒΑ. ΚΟ. *(in monogrammate) Caput laur. infra* ϛΝΤ. ✕ *Caput Neronis laur.* AV. (Mus. Caes.)

ΝΕΡΚ. *(in monogrammate) Caput laur., infra* ΘΝΤ. ✕ *Caput laureatum.* AV. (Cary.)

Numus prior signatus est ab autumno

---

b) Dio. L. LX. §. 8. c) l. c. d) Tacit. Ann. L. XII. c. 18. e) Ann. XII. 15. seq. f) Reg. Bosp. p. 153. g) L. XII. p. m. 833. h) Num. sel. p. 69. i) Pag. 53.

V. C. 808 sub initia imperantis Neronis, quo adhuc tempore praepotens fuit Agrippina. Ejus Augustae etiam numum, sed Ponticum, vidimus in Polemone II. Numus alter, quem edidi, pictumque stiti in mea Sylloge I. k) cusus est ab autumno V. C. 812. Dixi ibidem, caput laureatum anticae esse ipsius regis Cotyos. At cum verisimile jam non videatur, voluisse regem pro diademate usurpare gestamen imperatorum lauream, malim in una numi parte expressam dicere effigiem Neronis tum imperantis, in alia Claudii jam tum quidem mortui, sed cujus beneficio regnum debuit. Motum a Cl. Sestino dubium me impulit, ut in veritatem adcuratius inquirerem. In numo tertio *το* ΝΕΡΚ. Caryus legit ΝΕΡΩΝ. ΚΟΤΥΣ, quod non improbabile.

ΒΑ. ΚΟ. *(in monogr.) Caput regis nudum*, *infra* ΕΞΤ. ✕ *Caput laureatum.* AV. III. (Sestini Lettere p. 37.)

Sestinus caput aversae statuit esse Vespasiani, quod repugnat historiae chronologicae. Additis enim ad annum V. C. 457. annis Bosporanis 365, emergit annus V. C. 822, in cujus autumno exivit dictus Bosporanorum annus 365. At Vespasianus nonnisi Kalendis Julii ejus anni, et quidem in remotissima adhuc tantum Aegypto agnosci imperator coepit, Roma usque ad exitum Decembris Vitellio adhaerente. Ergo caput laureatum praecedentis est imperatoris, et quantum ex dubiis lineamentis conjicere licet, vel Galbae, vel Vitellii.

AV. RRR.

RHESCVPORIS II.

Hujus regis memoriam cetera deperditam conservavit monumentum artis nostrae.

Numus:

ΒΑCΙΛΕѠC. ΡΗCΚΟΥΠΟΡΙΔΟC. *Caput diadematum.* ✕ *Caput Domitiani laur.*, *infra* ΠΤ. AV. (Baldinus l. c.)

Annus ΠΤ. incipit ab autumno V. C. 836., qui fuit tertius Domitiani imperantis.

AV. RRRR.

SAVROMATES II.

Aetate Trajani fuisse in Bosporo regem Sauromatem, sequentes numi docebunt, ac praeterea Plinius junior, qui meminit legati a rege Bospori Sauromata missi l).

Numi.

ΒΑCΙΛΕѠC. CΑΥΡΟΜΑΤΟΥ. *Caput regis diad.* ✕ *Caput Trajani laur.*, *infra* ϾϤΤ. AV. (Pellerin Rois. p. 37.)

Eadem adversa. ✕ *Caput Trajani laur. infra* ΔΥ. AV. (Baldin. l. c.)

ΒΑCΙΛΕѠC. CΑΥΡΟΜΑΤΟΥ. *Caput diad.*, *juxta sceptrum.* ✕ *Caput Trajani laur.*, *infra* ΗΥ. AV. (Cary.)

ΒΑCΙΛΕѠC. CΑΥΡΟΜΑΤΟΥ. *Caput diad.* ✕ *Caput Trajani laur.*, *infra* ΓΙΥ. AV. (Pellerin Suppl. III. p. 1.)

Eadem adversa. ✕ *Caput Hadriani laur.*, *infra* ΓΙΥ. AV. (Haym. T. II. p. m. 68.)

Alius cum anno ϛΙΥ. AV. (Sestini Lettere.)

k) Pag. 86. l) L. X. epist. 13. seq.

Alius cum anno HIT. AY. (Cary.)

Alius cum anno KT. AY. (Sestini l. c.)

Eadem adversa. Ӿ BKT. *Aquila coronam rostro stringens.* AE. II. (Cary.)

Eadem adversa. Ӿ MH. *intra quernam.* AE. II. (Cary.)

Numi hi partem imperii Trajani, partem Hadriani occupant. Horum primus per annum ЄϞT. 395. signatus est ab autumno V. C. 851., quo eodem anno, exeunte Januario, Trajanus mortuo Nervae successit. Eximius prae omnibus annus ΓIT. 413. postremus Trajani, et primus Hadriani, qui in utriusque imperatoris numis comparet, et plurimum valet ad stabiliendum aerae Bosporanae initium, ut dicetur.

Numum postremum Caryus propter vultus lineamenta Sauromatae II. pro I. tribuendum putat, si modo haec satis tutum criterium suppeditant.

AV. et *AE. RR.*

COTYS II.

Imperante Hadriano fuisse in Bosporo regem nomine Cotyos, docet Arrianus in periplo. Ejus testimonium numis rite stabilitur.

Numi:

BACIΛЄωC. KOTYOC. *Caput diadematum, prae quo sceptrum.* Ӿ *Caput Hadriani laur., infra* ϛKT. *et* HKT. AY. (Cary, Mus. Caes.)

BACIΛЄωC. KOTYOC. *Caput diadematum, prae quo tridens.* Ӿ MH. intra quernam. AE. II. (Cary.)

BAK. *(in monogrammate) infra* KΔ. *omnia intra lauream.* Ӿ KAΠЄ. *Frons templi.* AE. II. (Cary.)

Anni ϛKT. 426. et HKT. 428. respondent annis V. C. 882. et 884. Vterque imperio Hadriani illigatur. Annus HKT. reperitur etiam in numo successoris Rhoemetalcis, quo docemur, eundem annum fuisse Cotyos II. postremum, et Rhoemetalcis primum.

In numo postremo *το* KAΠЄ cum typo templi haud dubie indicat templum Jovis Capitolini honori in Bosporo fuisse erectum, ut recte conjicit Caryus. Sed conferendus hic numus cum numo regis Eupatoris.

AV. et *AE. RRR.*

RHOEMETALCES.

Numi:

BACIΛЄωC. POIMHTAΛKOY. *Caput diadematum, ante quod in nonnullis sceptrum.* Ӿ *Caput Hadriani laur., infra:* HKT. ΘKT. AΛT. ΓΛT. AY. (Cary, Mus. Caes. Sestini.)

Eadem adversa. Ӿ *Caput Antonini laur., infra* MT. BMT. ΔMT. ЄMT. ZMT. NT. AY. (Cary, Sestini.)

BACIΛЄωC. POIMHTAΛ - - *Caput diadematum, prae quo tridens.* Ӿ MH. *Victoria gradiens.* AE. II. (Cary.)

Diximus in numis Cotyos II., ex anno HKT. certo constare, hoc aerae Bosporanae anno Rhoemetalcen regnare coepisse. Opportune Caryus Capitolinum citat, quo testante aetate Antonini revera Rhoemetalces in Bosporo regnavit, de quo testimonio agemus etiam in sequente Eupatore.

AV. RR. AE. RRR.

EVPATOR.

Hujus Eupatoris meminit Lucianus,

cum narrat, (in Pseudomantie) venisse in Bithyniam legatos Eupatoris regis Boporani, qui annuum tributum repraesentarent, quod factum imperante M. Aurelio, quae aetas numis quoque confirmatur. Eum etiam Caryus ex Capitolino felici conjectura eruit, cujus verba sunt [m]): *Rimetalcem in regnum Bosporanum audito inter ipsum et* curatorem *negotio remisit.* Quo loco pro *curatorem* legendum *Eupatorem* recte existimat. Patet inde, Rhoemetalcem, qui praecessit, ab Eupatore regno pulsum, restitutum ab Antonino, eique forte mortuo successisse Eupatorem.

Numi:

ΒΑCΙΛΕΩC. ΕΥΠΑΤΟΡΟC. *Caput diadematum, juxta sceptrum.* ☧ *Caput Antonini laur., infra:* ΒΝΥ. ΓΝΥ. ΕΝΥ. ϛΝΥ. In aliis: *Capita adversa M. Aurelii, et L. Veri, infra:* ΘΝΥ. ΞΥ. ΓΞΥ. ϛΞΥ. ΖΞΣ. AV. (Sestini, Cary, Mus. Caes.)

ΒΑCΙΛΕΩC. ΕΥΠΑΤΟΡΟC. *Capita duo adversa, alterum nudum, velatum tutulatum alterum.* ☧ ΒΝΥ. *Mulier sedens d. globum.* AE. II. (Pellerin Rois. p. 37.)

Perperam hunc numum Caryus Sauromatae III. tribuit.

ΒΑ. ΕΥ. *supra* ΝΟ. *infra* ΚΔ. *omnia intra lauream.* ☧ ΚΑΠΕ. *Frons templi.* AE. II. (Mus. Caes.)

ΒΑ. Ε. *Caput equi.* ☧ *Protome barbata et galeata cum clypeo.* AE. III. (Sestini Lettere p. 40.)

Priorem Froelichius olim Eumeni regi Pergameno tribuit, sed notavit errorem Caryus collato altero simili, quem supra in Cotye II. recitavimus. Idem de literis ΝΟ. dubitavit, utrum revera in numo existant. Sed testari possum, Froelichium recte vidisse, numumque esse integerrimum, etsi de harum sensu literarum nihil aeque certi possit adfirmari.

AV. RR. AE. RRR.

SAVROMATES III.

Ex solis numis cognitus.

Numi:

Pellerinius hujus regis numum ex museo suo citat cum anno 472. Reliqua dissimulat [n]). Signatus adeo est inde ab autumno V. C. 928. et cadit in tempora M. Aurelii.

ΒΑCΙΛΕΩC. CΑΥΡΟΜΑΤΟΥ. *Caput diadematum.* ☧ *Caput Commodi laur. infra* ΖΟΥ. ΕΠΥ. ϛΠΥ. ΖΠΥ. ΘΠΥ. AV. (Pellerin Addit. p. 1. Mus. Caes. Cary.)

Eadem adversa. ☧ *Caput Severi laur. ante quod astrum, vel globulus, vel lunula, infra* ϘΥ. ΒϘΥ. (posterior hic est etiam aeneus III. in museo Caesareo, et Pellerinii.) ΔϘΥ. AV. (Cary. Mus. Caes.)

Eadem adversa. ☧ *Capita adversa laur. Severi et Caracallae, infra* ΕϘΥ. ϛϘΥ. ΗϘΥ. Ͳ. ΑͲ. ΕͲ. AV. (Pellerin Rois. p. 37. 38. Sestini Tom. III. p. 169. Cary.)

Eadem adversa. ☧ *Caput Severi laur., in area aquila, infra* ϛͲ. AR. III. (Sestini.)

m) In Antonino. n) Rois p. 38.

Eadem adversa. ✠ *Eques pacificatoris habitu. in area astrum, et* B. AE. II. (Cary.)

Eadem adversa. ✠ *Mulier sedens d. globum, s. hastam, in area caput Severi laureatum, et* BM. AE. II. (Cary.) Vide plures aeneos alios apud Sestinum.

Numum aeneum cum binis in antica capitibus adversis, quem Caryus tabula III. n. 8. sistit, et huic Sauromatae tribuit, esse Eupatoris, ex verbis Pellerinii colligitur °).

AV. R. *AR.* RRRR. *AE.* RR.

RHESCVPORIS III.

Regnasse sub Caracalla, durasse in ipsum Alexandri imperium, ex solis numis constat.

Numi:

ΒΑϹΙΛΕωϹ. ΡΗϹΚΟΥΠΟΡΙΔΟϹ. *Caput diadematum.* ✠ *Caput Caracallae laur., infra* ΗΦ. ΑΙΦ. ΒΙΦ. AV. (Cary. Sestini.)

Eadem adversa. ✠ *Caput Elagabali laur., infra* ЄΙΦ. EL. (Sestini.)

Eadem adversa. ✠ *Caput Alexandri Sev. laur., infra* ΑΚΦ. AR. (Cary ex Spanhemio.) *Alius cum anno* ЄΚΦ. AR. (Sestini.)

AV. et AR. RRR.

COTYS III.

Regem hunc numi in Alexandri Sev. tempora vocant.

Numi:

ΒΑϹΙΛΕωϹ. ΚΟΤΥΟϹ. *Caput diadematum.* ✠ *Caput Alexandri laur., infra:* ЄΚΦ. ΖΚΦ. ΗΚΦ. ΘΚΦ. ΛΦ. AR. AE. III. (Mus. Caes. Cary. Sestini.)

Postremum numum edidit Patinus, sed in eo legit ΑΦ. Verum recte observat Caryus, annum Bosporanum 501. cadere in ea tempora, quibus regnavit Sauromates III., cujus habemus numos cum annis ϛϘΥ. ΑΦ. ЄΦ. Verius igitur legendum ΛΦ., praecipue cum ejusdem Cotyos habeamus numum cum anno proxime praecedente ΘΚΦ. et cum proxime sequente ΑΛΦ. in successore Ininthimevo. Addo, in numis circa annum ΑΦ. signatis comparere duorum imperatorum capita, Severi et Caracallae.

AR. et AE. RRR.

ININTHIMEVVS.

ΒΑϹΙΛΕωϹ. ΙΝΙΝΘΙΜΗΥΟΥ. *Caput diadematum, juxta sceptrum.* ✠ *Caput Alexandri laur., infra* ΑΛΦ. AR. (Cary ex Seguino.)

AR. forte unicus.

RHESCVPORIS IV.

Numi:

ΒΑϹΙΛΕωϹ. ΡΗϹΚΟΥΠΟΡΙΔΟϹ. *Caput diadematum.* ✠ *Capita Maximini, Gordiani III. Philippi, Decii, Valeriani, Gallieni, infra:* ΑΛΦ. ϛΛΦ. ΘΛΦ. ΑΜΦ. ΒΜΦ. ΓΜΦ. ЄΜΦ. ϛΜΦ. ΖΜΦ. ΗΜΦ. ΘΜΦ. ΞΦ. ΓΞΦ. AR. mixti. AE.

Horum similem edidit Khellius cum

°) Rois. p. 37.

anno nondum cognito ΛΗΦ. p) verum in hoc legendum haud dubie ΑΜΦ., nam observo, in numis Bosporanis constante lege praecedere monades, sequi decades, denique centenarios. Non raro in literarum lectione perperam captum Λ pro Α, et Η pro Μ, et vicissim, satis constat.

Inde a Caracalla numorum Bosporanorum fabrica in pejus semper ruere coepit, sic ut deinceps ab his vera imperatorum effigies discerni non possit. Deinceps ergo nequaquam, quod antehac factum, ex vultu imperantis annos epochae, sed ex annis epochae vultum imperantis definimus.

AR. AE. RR.

TEIRANES.

ΒΑCΙΛΕΩC. ΤΕΙΡΑΝΟΥ. *Caput diadematum.* ✕ *Caput Probi laur., infra* ΓΟΦ. AE. (Cary.)

AE. forte unicus.

THOTHORSES.

ΒΑCΙΛΕΩC. ΘΟΘΟΡCΟΥ. *Caput diadematum.* ✕ *Caput Diocletiani, vel Maximiani laur., infra:* ΗΠΦ. ΒϟΦ. ΓϟΦ. ΔϟΦ. ϛϟΦ. ΗϟΦ. ΘϟΦ. AE. III. (Cary, Froelich, Pellerin.)

AE. RR.

SAVROMATES IV et V.

Caryus ex Constantini Porphyrogeniti libro de administrando imperio tres sub Diocletiano Bosporanos principes eruit, Rhescuporidem, ejusque filium Sauromatem, et nepotem Sauromatem. Sed hactenus eorum numos nacti non sumus.

RHESCVPORIS V.

ΒΑCΙΛΕΩC. ΡΗ - - - *Caput diadematum, juxta tridens.* ✕ *Caput Constantini M. laureatum infra* ΓΙΧ. AE. III. (Mus. Caes.)

ΒΑCΙΛΕΥC. ΡΗCΚΟΥΠΟΡΙC. *Caput diadematum, juxta tridens.* ✕ *Caput Constantini M., infra* ϛΙΧ. ΗΙΧ. ΚΧ. ΑΚΧ. ΒΚΧ. ΓΚΧ. ΔΚΧ. AE. III. (Cary, Pellerin Rois. p. 38.)

SAVROMATES VI.

Hunc quoque ex Constantino Porphyrogenito eruit Caryus, sed et hunc certis suis numis destitutum.

* * *

De aerae Bosporanae et Ponticae exordio.

Verum aerae Bosporanae et Ponticae exordium diu eruditos varias in sententias distraxit, quas, ne vetera, et jam inutilia recoquam, videre potes in commentariis Froelichii, et Caryi. Eruditi hi IIviri exordium istud explicare aggressi editis anno 1752. suis lucubrationibus, quin alteri de alterius proposito constaret, in eo ambo consensere, epocham Bosporanam ducendam ab autumno V. C. 457. Sententiam suam stabilivere consensu numorum plurium, qui Vaillantio aliisque ignoti fuere, et quorum deni-

p) Supplem. ad Vaill. p. 160.

que judicio exordium istud revocari amplius in dubium non potest. Numi post horum conatus detecti tantum abest, ut oraculi veritatem elevent, ut eam etiam praeclare confirment.

Exordium istud ab anno V. C. 457. invicte stabilit annus ΓΙΤ. 413., qui idem est in numo pridem cognito Sauromatae II. cum capite Hadriani, et idem in numo ejusdem Sauromatae II. cum capite Trajani recens reperto a Pellerinio q). Ex utriusque hujus numi testimonio liquet, annum Bosporanum 413. fuisse eum ipsum, quo mortuus est Trajanus, et successit Hadrianus. Factum istud circa medium Augustum V. C. 870. P. X. 117. Ab hoc si auferamus annos 413., remanebit pro aerae exordio annus V. C. 457. Finge, epocham incipere ab anno 456. Additus huic annus Bosporanus 413. effluxisset in autumno V. C. 869. At Hadrianus nonnisi anno sequente inde ab Augusto imperare coepit. Finge iterum initium epochae ab anno 458. Additus annus numi 413. coepisset in autumno 870. Verum Trajanus jam praecedente Augusto diem obivit. Eodem modo ex anno ΘΠΤ., qui est in numo Commodi, et Sauromatae III., probatur, aeram incipere non potuisse V. C. 458.; nam tum annus ΘΠΤ. coepisset in autumno V. C. 946., at Commodus die ultimo Decembris V. C. 945. caesus jam est.

Iidem viri praestantes Caryus et Froelichius in eo etiam conspiravere, quod verisimile iis visum, eandem esse aeram Bosporanam cum Pontica, seu ea, quam reges Ponti Mithridates V. et VI. numis suis inscripsere. Vaillantius initium aerae Ponticae deduxit ab anno V. C. 448., quam sententiam praeclare refutatam vide apud Caryum r). Istud certum, easdem difficultates non occurrere in ea sententia, quae utrique aerae idem exordium, nempe ab anno V. C. 457, constituit. Horum virorum judicio si stare lubet, quaeri rursum potest, utrum Bosporani a Ponto, an Pontici a Bosporo aeram sint mutuati? Verisimilius censet Caryus s), a Mithridate VI. Ponti rege in Bosporum recens acquisitum aeram Ponticam illatam, et a magno hoc rege ibi stabilitam a successoribus retentam fuisse. Quae fuerit causa constitutae in Ponto V. C. 457. epochae, deficientibus ejus aetatis monumentis non constat. Varia conjecerunt Froelichius et Caryus, quin tamen ipsi suis sibi conjecturis satisfacerent.

Praeter communem hanc utrique regno epocham alia comparet in numis Pythodoridos ducta verisimiliter ab V. C. 707., ut in ejus reginae moneta diximus. Asander et Polemo II. regni annos in numis suis signavere.

---

q) Suppl. III. p. 1. r) Pag. 18. s) Pag. 16.

PAPHLAGONIA.

Quae de Paphlagoniae numis in genere dici possunt, jam praecepta sunt supra in prolegomenis ad numos Ponti.

ABONI TICHOS, quod et IONOPOLIS.

Maritima, σμικρα πολις Arriano [t]), et Stephano, et Straboni πολιχνιον, celebris tamen evasit aetate Antonini, et M. Aurelii fraude Alexandri impostoris, quem Lucianus opere singulari, cui titulus, *Pseudomantis*, perstringit, qui ope serpentis cicuris, quem impune manibus tractavit, cuique *Glyconis* nomen indidit, novum sese Aesculapium ferebat, constituto etiam hac in urbe oraculo, ad quod Paphlagones, gentesque finitimae ingente numero confluxere, ipsis etiam Romanis fraudi involutis.

Autonomus.

Caput Jovis. X ΑΒΩΝΟΥ. ΤΕΙΧΟΥ. *Aquila expansis alis, in area monogramma.* AE. III. (Wise mus. Bodl. p. 257. num. 1.)

Non satis haec rarissimi numi epigraphe conspirat cum testimonio scriptorum, qui oppidum hoc constanter dixere Αβωνυ τειχος, *Aboni moenia*, unde gignendi casus esse non potest ΤΕΙΧΟΥ, sed ΤΕΙΧΕΟΣ, vel contracte ΤΕΙΧΟΥΣ, quem posteriorem modum revera forte habuerit numus, sed litera postrema aevo extrita. Apparet ex forma literarum, aliisque causis, cimelium istud antiquitate multum anteire imperatorios, de quibus continuo.

AE. RRRR.

Imperatorii.

Hujus oppidi exstant nomine *Abonoticheos* et *Ionopoleos.* Praecedant illi vetustioris nominis.

Aboniticheos nomine exstant cum capite Antonini, et M. Aurelii.

Epigraphe ΑΒΩΝΟΤЄΙΧЄΙΤΩΝ.

Typus: *Serpens in spiras erectus capite humano, infra quem in nonnullis scriptum:* ΓΛΥΚΩΝ.

Numos hos prolixe illustravit Spanhemius [u]). Goltzius, et Sponius [x]) in suis pro ΓΛΥΚΩΝ legerunt ΓΛΑΥΚΟΝ, quod est contra fidem numorum aliorum rite inspectorum, contra fidem Luciani mox laudati, contra fidem metri, quod idem Lucianus conservavit:

Ειμι ΓΛΥΚΩΝ, τριτον αιμα Διος, φαος ανθρωποισι.

Sum GLYCON, tertia soboles Jovis, lumen mortalibus. Compositum istud erat ab Alexandro in Glyconis serpentis sui gratiam, ut attonito populo fidem faceret. Persona capitis humani serpenti addita apposite ad testimonium Luciani, qui illud e pictis linteis confectum fuisse ab impostore narrat. Quando coeperint hae praestigiae, et quamdiu duraverint, idem non edixit. Sed satis appa-

---

t) In periplo. u) Tom. I. p. 213. x) Recherch. p. 496.

ret ex his numis, eas jam coepisse sub Antonino, et sub ipsum L. Verum, cujus numum nomine *Ionopolis* mox producam, continuatas. Si fides Harduino adserenti, in numo Antonini musei Foucault legi

Epochae annum: ЄT. PA., et praeterea de hujus exordio certum quid definiri posset, tempus propius teneremus. At numus hic nemini alteri conspectus fuit, atque ut exstaret, annos numi PA. per omnes Antonini annus vagatur. Interea Harduini periculo figatur aera ad V. C. 803.

AE. RRR.

Ionopoleos nomine. Addit Lucianus in eodem opere y), ausum Alexandrum postulare ab imperatore, ut Aboni tichos deinceps *Ionopolis* appellaretur. Et istud illum impetrasse, docet numus musei regii cum capite L. Veri:

ΙΩΝΟΠΟΛЄΙΤΩΝ. ΓΛΥΚΩΝ. *Serpens cum capite humano inter spiras adsurgens.* (Patin, Vaillant.)

Et quod magis mirum, etiam comperta fraude mansit tamen deinceps Ionopolis nomen. Sic Marcianus Heracleota z) *εἰς πολιν Αβονȣ τειχος, την νυν Ιȣνοπολιν λεγομενην*, *in urbem Aboni tichos, nunc dictam Ionopolin*, quod et testantur aevi posterioris monumenta, ut in Novella XXIX. tit. 8.

Subjicit continuo Lucianus: ejusdem Alexandri jussu *νομισμα καινον ἐγκεχαραγμενον, τῃ μεν τȣ Γλυκωνος, κατα θατερα δε, Αλεξανδρȣ, ϛεμματα δε τȣ παππȣ Ασκληπιȣ και την ἁρπην ἐκεινην τȣ πατρομητορος τȣ Περσεως ἐχοντος*, *numum novi generis signatum, hinc Glyconis imagine, inde vero Alexandri, coronam avi Aesculapii, et harpen illam proavi materni Persei gestantis*, nimirum ut supra dixerat, processit in publicum *ἁρπα ἐχων κατα τον Περσεα, ἀφ' ȣ̔ ἑαυτον ἐγενεαλογει μητροθεν*, *harpen praeferens instar Persei, ad quem per matrem genus suum vocavit.* At hujus generis numus nondum visus.

AE. RRR.

AMASTRIS.

Ab Amastrie, Oxyathrae fratris Darii filia, cujus numos post Heracleam Bithyniae recensebimus, nomen traxit, cum antea teste Plinio Sesamum vocaretur. Stephanus fuisse eandem cum vetere Cromna perperam adseruit.

Autonomi.

Horum vetustiores Ponticos habent typos.

Caput Palladis ✕ ΑΜΑΣΤΡΕ. *Perseus stat Medusae caede occupatus.* AE. I. (Pellerin.)

Caput juvenile galeatum. ✕ ΑΜΑΣΤΡΕ. *Pharetra.* AE. III. (Mus. Caes.)

Caput Jovis. ✕ ΑΜΑΣΤΡΕ. *Aquila insistens fulmini.* AE. II. (Pellerin.)

Aegis Palladis inserto Medusae capite. ✕ ΑΜΑΣΤΡΕ. *Victoria gradiens palmam super humero effert.* AE. II. (Haym.)

De his typis vide, quae notavimus in prolegomenis ad numos Ponti.

y) Sub. fin.   z) Sub. fin. Peripli.

* * *

Caput muliebre turritum. ✕ ΑΜΑΣ-ΤΡΕΩΣ. ΓΜ. *Thyrsus, omnia intra coronam.* AE. III. (Haym. T. II. p. 172.)

Dubium non videtur, literas ΓΜ. indicare annum epochae. At quae ista? Ejus principium Haymius nimium sedulus conjectura sane infirma ab anno V. C. 473. opinatur posse deduci. Verum ex numo unico, eoque autonomo frustra in ejus exordium inquirimus.

Caput muliebre galeatum laureatum et stella insignitum. ✕ ΑΜΑCΤΡΙΕΩΝ. *Juppiter sedens d. aquilam, s. hastam.* AR. I.

Illustris cum volumine, tum metallo. Eum Cl. abbas Sestinus vulgavit ex museo Ainslieano. (Lettere T. IV. p. 101.)

* * *

Autonomi recentiores, et ex Augustorum aevo.

ΑΜΑCΤΡΙC. *Caput muliebre velatum turritum.* ✕ CЄΒΑCΤΗ. *Victoria stans* AE. II. (Pellerin.)

En honorificum *Sebastes* titulum huic urbi datum. Paucae sunt urbes, quae istud honoris nomen in moneta jactant, etsi fuerint non paucae, quae Sebastes nomen abolito vetere sumpserunt.

* * *

ΖЄΥC. CΤΡΑΤΗΓΟC. *Caput Jovis.* (Pellerin.)

In solis forte Amastrios numis Juppiter Στρατηγε, *imperatoris*, aut *exercitus ducis* nomine occurrit. Idem et in imperatoriis redit.

* * *

ΟΜΗΡΟC. *Caput Homeri diadematum.* ✕ ΑΜΑCΤΡΙΑΝΩΝ. ΜЄΛΗC. *Fluvius Meles decumbens d. lyram.* AE. II. (Patin Num. Impp. p. 2.)

Eadem adversa. ✕ ΑΜΑCΤΡΙC. *Caput muliebre velatum turritum.* AE. III. (Hunter)

Eadem adversa. ✕ ΑΜΑCΤΡΙΑΝΩΝ. *Victoria gradiens.* AE. III. (Mus. Caes.)

Vulgo notum, Homerum propter Meletem Smyrnae fluvium natum. Verum ardua quaestio, cur is in Amastrianorum monetam vocatus sit. Patinus aenigma facile expedit adserendo, certum esse, fuisse Amastrin Smyrnaeorum coloniam, sed auctorem non citat, etsi verisimile omnino sit, vetus Sesamum, ut plerasque Ponti urbes, colonis Ionibus constitisse. Cum vero hi Homerum apud se natum gloriarentur, horum etiam coloni Amastrie constituti domesticum istud suum decus ostentaverint in numis. Vide Homerum etiam in imperatoriis.

AE. RR.

Imperatorii.

Exstant copiosi a Domitia usque ad Gordianum.

Epigraphe: ΑΜΑCΤΡΙΑΝΩΝ.

Typi variorum deorum, heroumque effigies additis nominibus offerunt, sic:

ΖЄΥC. CΤΡΑΤΗΓΟC. *Juppiter stans d. hastam, pro pedibus aquila*, Antonini. (Mus. Caes.) Vide autonomos.

ΗΡΑ. *Juno stans socio pavone*, Antonini, et Faustinae sen. (Vaill.)

ΗΡΑ. ΖЄΥC. CΤΡΑΤΗΓΟC. *Juno et Juppiter Strategus hastati stantes*, Antonini. (Mus. Caes.)

ΑCΚΛΗΠΙΟC. vel: ΥΓЄΙΑ. *Aescula-*

pius vel *Hygia stantes*, Antonini, Faustinae jun. (Vaill.)

ΟΜΗΡΟϹ. *Caput Homeri*, M. Aurelii. (Vaill.) Vide autonomos.

Μ. ΑΥΡΗΛΙΟΝ. ΚΑΙϹΑΡΑ. *M. Aurelius eques*, Antonini. (Vaill.)

ΙΟΥΛΙΑΝ. ΜΑΙϹΑΝ. ϹƐΒΑϹ. *Protome Maesae sub Cereris specie d. spicas, s. papaver praetendentis.* ✠ ΑΜΑϹΤΡΙΑΝΩΝ. *Juppiter et Juno hastati stantes intra zodiacum.* AE. I. (Haym. T. II. p. 346.)

* * *

Metropolis. ΑΜΑϹΤΡΙΑΝΩΝ. ΜΗΤΡΟΠΟΛƐΙΤΩΝ, in numo Trajani, et Plotinae. (Mus. Caes.) Plotinae numum cum hoc titulo jam vulgavit Patinus, sed videtur suspectus habitus Vaillantio et Pellerinio, nam neuter Amastrien inter urbes metropoles nominavit.

Concordia notatur in numo Antonini: ΑΜΙϹΟϹ. ΑΜΑϹΤΡΙϹ. *Duae Amazones turritae stantes jungunt dexteras media inter has ara.* (Vaill.) Videntur ergo Amastriani binas agnovisse urbis suae auctores, unam historicam, nempe Amastrien reginam, alteram mythologicam, nempe Amazonem exemplo multarum aliarum Asiae minoris urbium. Refert Stephanus, Amastrien nomen abstulisse ab Amazone cognomine, idque ex testimonio Demosthenis. At hic intellexerit haud dubie, Sesamum, quod fuit vetus Amastrios nomen, ab Amazone fuisse conditam. Harduinus etiam ex inscripto ΟΜΗΡΟϹ. et ΜƐΛΗϹ. concordiam cum Smyrnaeis capit, sed utriusque nominis in Amastrianorum monetam vocati causam magis probabilem in autonomis dedi.

Magistratus in unico numo: ƐΠΙ. ΑϹΚΛΗΠΙΑΔΟΥ. (Vaill.)

Situs ad Parthenium fl. ΠΑΡΘƐΝΙΟϹ. *Fluvius decumbens*, M. Aurelii. (Vaill.)

De *epocha* dubia, et nomine *Sebastes* egi in autonomis.

AE. C.

CROMNA.

Maritima prope Amastrien, cui et incolas suppeditavit, regina Amastrie ex vicinis oppidis colonos in novam suam urbem evocante.

Autonomi.

Caput Jovis. ✠ ΚΡΩΜΝΑ. *Caput muliebre cinctum corona eminentiore.* AR. (Pembrock, Pellerin, Hunter.)

AE. RRR.

CYTORVS.

Autonomos aeneos maritimae hujus urbis unus prodidit Goltzius: ΚΥΤΟΡΙΩΝ. (in Insul., tab. II.)

GERMANICOPOLIS.

Imperatorii cum urbis hujus nomine signati complures, sed in familia Severi tantum. Cum plures fuerint per Asiam minorem Germanicopoles, una haec nostra, olim dicta *Gangra*, sed quae in gratiam Claudii nomen mutaverit, ut conjectat Belleyus, altera in Bithynia, tertia in Isauria, huic postremae Vaillantius numos hoc nomine inscriptos est largitus. Sed Belleyus dissertatione sin-

gulari eos Paphlagoniae vindicavit [a]) his motus argumentis, I. quod in numo regio et Arigoniano scribatur: ΓΕΡΜΑΝΙΚΟΠΟΛΙC. ЄCTIA. ΘЄΩΝ. ΠΑ. quas postremas literas legit ΠΑφλαγονιας. At in numo Arigonii cum capite Severi mira est haec epigraphe: ΑΡΧΠΑΦΓЄΡΜΑΝΙΚΟΠΟΛΙCЄCTIAΘЄΩΝ., in qua difficile sane est decidere, an το ΑΡΧ. notet ΑΡΧοντα, an ΑΡΧιερεα, an ΠΑΦ. sit hujus ipsius magistratus nomen, ut ordo postulat, an ΠΑΦλαγονιαν indicet. Sed neque lubet immorari, quia parum fideles novimus Arigonii iconismos. II. Argumentum capit ex annis epochae, de qua infra. Harduinus in numo musei regii legit: ΓЄΡΜΑΝΙΚΟΠΟΛΙC. ЄΛΓ. Quare eum Germanicopoli Bithyniae vindicat, quae teste Plinio antea *Helgas* dicta fuit. At singularem hunc numum alibi laudatum non video, et forte deceptus est legendo ЄΛΓ. pro anno epoche CΔI., qui revera in aliquibus hujus urbis numis exstat.

Epigraphe: ΓЄΡΜΑΝΙΚΟΠΟΛΙC. vel ΓЄΡΜΑΝΙΚΟΠΟΛΕΩC., cui plerumque additur: ЄCTIA. vel ЄCTIAC. Θ. vel plene ΘЄΩΝ. Censet Belleyus, eam sic vocatam propter plura templa urbis moenibus inclusa. Atque hoc sensu video a Virgilio Trojam item vocari *deorum domum* [b]): *O patria! o divum domus Ilium!*

Typi varias offerunt deorum effigies. At singularem aversam habet numus Domnae, quem olim edidi ex museo Com. Festetics [c]).

ΓЄΡΜΑΝΙΚΟΠΟΛЄΩC. Є - - - ЄΤ. CΔI. *Figura fluvii barbata decumbens d. Palladium, s. arundinem, infra* ΞΑΝΘCC. AE. I.

Xanthus ad Trojam fluxit, ergo hoc typo et hac epigraphe Germanicopolis nostrae situs indicari non potest. Neque potest hoc Xantho intelligi fluvius Paphlagoniae fors neglectus a geographis ob ignobilitatem, nam quod Palladium d. tenet, istud Trojae Xanthum manifesto arguit. Videntur ergo Germanicopolitae, ut pluribus ibi verisimile dixi, Xanthum, qui a veteribus passim deus habitus est, suo quoque larario, tanquam εςια θεων intulisse, aut fuere coloni ex Troade profecti, et Xanthum eadem ratione signavere in moneta, qua Amastriani Meletem, ut in his diximus.

* * *

ΓЄΡΜΑΝΙΚΟΠΟΛЄΩC. *Taurus gradiens*, in numo Domnae musei M. Ducis, quem ibidem edidi.

Forte unicus hic numus est, qui quadam veri specie Germanicopoli Bithyniae tribui possit; nam abest epochae annus et Εςια θεων, et secundum Plinium haec urbs dicebatur *Boos coete*, id est: *bovis stabulum.*

* * *

Epocham nonnulli inscripsere praefixo

---

a) B. L. Γ. XXX. p. 324. b) Aen. II. 241. c) Num. vet. p. 170.

ЄΤ. Annos varios quatuor reperit Belleyus: C. CIA. CIΔ. CIЄ. At in binis, quos edidi, annus scribitur hac lege: ЄΤ. CΔΙ. Belleyus ducendam aeram putat ab anno V. C. 747. exemplo Amasiae Ponti, et Neoclaudiopolis Paphlagoniae, cujus causam supra in Amasia exposui.

AE. RR.

IONOPOLIS.

Vide supra in *Aboni tichos.*

MASTIA.

In Paphlagoniae urbibus memoratur Plinio *Mastya Milesiorum*, qui locus in mendo cubare visus est Harduino, aliisque, quod ejus urbis aliorum nemo meminit. At Pellerinius *autonomum* citat d), qui exstat in cimeliis curiae Lugdunensis Galliae, in cujus aversa: ΕΠΙ. ΓΑΙΟΥ. ΠΑΠΕΙΡΙΟΥ. ΚΑΡΒΩΝΟΣ. ΡΩΜΗ. *Roma sedens*, qui typus est etiam in numo Amisi, obvius autem in moneta urbium Bithyniae. Constat vero, Bithyniam, tum Ponti et Paphlagoniae partem exeunte rei Romanae saeculo VII. unam provinciam effecisse, ut late disputabitur in prolegomenis ad numos Bithyniae. Vrbis epigraphen Pellerinius ait esse *Mastia*, sed qualis reipsa in numo sit, non prodit. Vindicatur igitur Paphlagoniae sua Mastia, corrigendumque Plinii *Mastya*. Tabulae *Mastrum* videtur idem esse cum Mastia.

AE. RRR.

NEOCLAVDIOPOLIS.

Ptolemaeus vetus et novum urbis nomen conjungit: Ανδραπα, ἡ και Νεοκλαυδιοπολις.

Imperatorium M. Aurelii nuper vulgavit Sestinus: (Lettere T. IV. p. 101.) ΝΕΟΚΛΑΥΔΙΟΠΟΛΕΙΤΩΝ. *Ara cum serpente adsurgente.* Sed jam olim numum Severi edidit Belleyus ex museo de Cotte e), in cujus aversa (urbis epigraphen dissimulat) *aquila coronam rostro stringens super ara inter duo signa militaria addito epochae anno* CΘ. Numum hunc esse unicum hactenus cognitum censet Belleyus. At Tristanus numum Caracallae edidit typo *serpentis arae insidentis.* Epigraphe in numi ambitu exteriore: ΚΛΑΥΔΙΟΠΟΛЄΙΤΩΝ, in interiore: ΝЄΟ f). Dubium hic est, an το ΝЄΟ. praecedere debeat urbis nomen, an sequi. In priore sententia fuit Tristanus, numumque propterea Neoclaudiopoli tribuit. In altera Harduinus, et cum το ΝЄΟ. legeret ΝЄΟκορων, numum Claudiopolin Bithyniae transtulit g). Quod Harduini opinionem videtur refellere, est, non tam, quod scribendum fuerat ΝЄΩ. ad indicandum ΝЄωκορων, (nam passim in numis Cyzicenis et Pergamenis legas ΝЄΟΚΟΡΩΝ pro ΝЄΩΚΟΡΩΝ.) quam quod Caracallae aetate, cujus caput offert numus, ac jam multo ante haec Bithyniae urbs non amplius Claudiopolis, sed vetere Bithynii nomine monetam suam inscripsit, ut infra videbimus, neque ex numis, saltem certis, constet, hanc urbem,

d) Suppl. II. p. 24. e) B. L. T. XXX. p. 334. f) Comment. hist. T. II. p. 214.
g) Num. ill. p. 83.

utrovis nomine numos suos inscripserit, neocoratus honore gavisam. Claudiopolis Isauriae, et alterius praetensae in Lycaonia nullos esse numos, probabimus in numis Claudiopolis Bithyniae. Ex quo sequitur, numum hunc potius esse Neoclaudiopolis, si modo rite est lecta epigraphe; nam in hac rei numismaticae luce diffidere Tristano licet insigniter quidem erudito, sed nondum his subsidiis instructo. Eodem loco alium Severi citat Harduinus similem Tristani numo, addito ЄT. Cϛ. Hic si unquam exstitit, haud dubie est Neoclaudiopoleos: nam exactus hic annus ad epocham hujus urbis, quam mox statuemus, incidit in ipsum Severi imperium. Claudiopolis Bithyniae aliud secuta est aerae exordium.

Epocha, quantum ex unico certo hujus urbis numo, et unico anno CΘ. colligere licet, coepit sub autumnum V. C. 747. exemplo Amasiae et Germanicopolis, ut definivit Belleyus, et exposui supra in Amasia Ponti.

AE. RRRR.

POMPEIOPOLIS.

Mediterranea Gangram inter et Sinopen secundum tabulam Peutingeri. Harduinus hoc nomine latere veterem Amisum putat, quae testante Plinio dicta fuit Pompejopolis una cum adjuncta Eupatoria a Mithridate condita [h]). At Amisus, cujus copiosos habemus imperatorios, nunquam vetus suum nomen obliteravit, et haud scio, an unquam Paphlagoniae contributa fuerit, in qua nostram Pompejopolin sitam ipsi numi eloquuntur.

Imperatorii.

M. Aurelii et uxoris apud unum hactenus Vaillantium.

Epigraphe ΠΟΜΠΗΙΟΠΟΛΙC. addito MHTP. vel MHTPO. ΠΑΦΛ*αγονιας*, atque his titulis hujus sese urbis numi satis a numis Pompejopolis Ciliciae discernunt, quae insuper epocham inscripsit, qua caret nostra. A quo tempore metropolis dici coeperit, tuto adfirmari nequit.

Typi sunt obvii.

AE. RRR.

SESAMVS.

Vrbs Paphlagoniae jam memorata Homero [i]). Fuit vicina Amastrii, aut ipsa Amastris mutato nomine. Vide Cellarium.

Caput barbatum laur. X ΣΗΣΑ. *Caput muliebre.* AE. III.

Praeter hunc nullus alius urbis hujus numus cognitus, quem nuper Sestinus ex insigni museo Ainslieano vulgavit.

AE. RRRR.

SINOPE.

Hujus tractus urbium clarissima, Milesiorum colonia, sed V. C. 572. a Pharnace I. capta Ponti regum sedes fuit. Expugnata a Lucullo coloniam Romanam recepit serius, ut dicetur.

---

h) L. VI. §. 2. i) In Catal. v. 360.

Autonomi:

ΦΛΕΙΑ. *(retrograde) Bos cornupeta.* Ӿ ΣΙΝΩ. *Rota intra quadratum incusum.* AR. II. (Sestini Lettere tab. IV. n. 23.)

Caput muliebre. Ӿ ΣΙΝΩ. *Aquila piscem depascens, in area:* ΚΡΗ. — ΔΙΟΝΥΣ. — ΕΚ. etc. AR. II. III. (Mus. Caes. Pellerin.)

* * *

Caput muliebre cinctum corona eminentiore. Ӿ ΣΙΝΩ. *Aquila adversa explicatis alis.* AR. III. (Pembrock. Pellerin.)

Exstant argentei non pauci huic non multum absimiles, nisi quod in aversa parte pro aquila est noctua simili cultu, nimirum adversa explicatis alis, et juxta pro ΣΙΝΩ. legitur ΗΕ. infra ΠΕΙΡΑ. (Pembrock P. II. tab. 11.) vel. ΑΙΠΥ. infra ΠΕΙΡΑ. vel: ΣΠΛ (retrograde) infra ΠΕΙ - - (Hunter tab. 41. n. 22. 23.) In aliis aversae epigraphen facit ΜΝΑΣ. (Mus. Caes.) vel. ΚΤΗ. (Pellerin) ΣΩΧΑ. (Dutens Explic. de quelq. méd. p. 51.) ΔΙΑΝ. vel ΟΝΖΙΚΟΥ. (Sestini Lettere p. 91.) Habent hi numi remotae vetustatis indicia omnia. Pellerinius suum cum ΚΤΗ. tribuit *Ctemenis* Thessaliae, quod vix cuipiam probabitur. Cl. Dutens suum cum ΣΩΧΑ. ad hanc Sinopen vocat, quia, ut dixi, cum praesente certo Sinopensi similis fere est naturae. (l. c.) In simili musei Caesarei, et apud Pellerinium legitur ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ. Eum Pellerinius Athenis in honorem Demetrii Poliorcetae cusum est suspicatus, (l. c.) quod quidem aegre persuaserit. Cl. Combius eos, quos supra ex Hunteriano citavi, propter adscriptum ΠΕΙΡΑ. Petrae Achaiae tribuit, hoc quoque judicio fallace, nam satis constat, id genus numos in ora Ponti Euxini reperiri. Denique Abbas Sestinus, cum in ΠΕΙΡΑ quoque urbis nomen videret, eos Amiso Ponti tribuendos censet, de qua Strabo [k]): eam a Milesiis fuisse aedificatam, ab Atheniensibus subinde colonis frequentatam, vocatamque ab his Piraeeum. Fuerit causa appellationis portus patrius Piraeeus. Judicium istud satis videtur probabile, suffragante etiam typo noctuae, ac tum certum etiam, oppidanos abjecto Piraeei nomine subinde vetus Amisi revocasse. At vero si ob dictam causam numi ΠΕΙΡΑ Amisum pertinebunt, quorsum ablegabimus eos, qui pro ΠΕΙΡΑ habent ΜΝΑΣ. vel ΣΩΧΑ vel aliud? An et hos dabimus Amiso? sed cur? Res valde incerta.

* * *

Caput Persei herois tectum galea alata et incurva. Ӿ ΣΙΝΩΠ - *Harpa super cippo.* AE. III. (Mus. Caes.)

Illustris hic numus, etsi mole, fabrica, metallo ignobilis liberalem mihi olim materiem ad stabiliendum in Ponto Persei cultum obtulit [l]), de quo argumento vide etiam prolegomena ad numos Ponticos.

k) L. XII. p. m. 823. l) Num. vet. p. 172.

Caput Palladis. ※ ΣΙΝΩΠΗΣ. *Perseus stans Medusae caede occupatus.* AE. I. (Hunter.)

Caput Jovis. ※ ΣΙΝΩΠΗ. *Aquila insistens fulmini.* AE. II. III. (Hunter, Mus. Caes.)

Aegis Palladis inserto Medusae capite. ※ ΣΙΝΩΠΗΣ. *Victoria gradiens palma super humerum elata.* AE. II. (Mus. Caes.)

Caput juvenile galeatum. ※ ΣΙΝΩΠΗΣ. *Pharetra.* AE. II. (Theupoli. Hunter.)

Caput juvenile nudum. ※ ΣΙΝΩΠΗΣ. *Cornucopiae inter duos pileos Dioscurorum.* AE. III. (Pellerin.)

Protome Cupidinis alata. ※ ΣΙΝΩΠΗΣ. *Pharetra et arcus.* AE. III. (Pellerin.)

De typis his Ponticis vide, quae praecepimus in prolegomenis ad numos Ponti. *AR. RR. AE. R.*

* * *

Colonia a I. Caesare deducta non infrequentes signavit numos etiam cum capite conditoris, sed eo jam vita functo, causa nimirum benevolentiae, porriguntur que numi cum imperantium capite usque in Gallieni tempora. Cl. Belleyus Sinopes coloniae numos omnes collegit, et eruditis praeceptis illustravit m), cujus laboris partem jam occupavit Froelichius in *Appendiculis II. novis* anno 1744. in 8vo editis, subinde anno 1762. a Khellio in 4to recusis. Multa etiam de Sinopes numis praeclare disseruit Abbas Fontenu n). Ex his, quae cum primis ad plenam numorum coloniae Sinopes intelligentiam pertinent, excerpam, correctis, quae ab his peccata videbantur.

Epigraphe: Colonia Iulia Caesarea Felix Sinope, vel plenius SIN. SINOPE. SINOPES. mixtis nonnunquam barbare literis Graecis CINO. CINOPЄ., ipso etiam in multis opere perquam barbaro. Dicitur *Iulia* et *Caesarea*, quod posterius rarius occurrit, a I. Caesare coloniae auctore. In nonnullis additur A. vel AV., quod AV*reliam* aliqui interpretati sunt, cum AV*gustam* notet; nam dictum AV. jam occurrit ante Aurelios in numo Aelii. Inde a Maximino plerumque scribitur: C. R. I. F. S., ubi τὸ R. notat *Romana*.

Magistratus IIVir, sed cujus nomen exesum, notatur in unico numo Augusti, (Belley.) ut etiam EX. D. D. in solis numis Augusti et Caligulae.

Typi illustriores:

Caput Serapidis, aut is stans, adsidente nonnunquam animali tricipite; non raro in lectisternio decumbit.

Serapidis cultus hic domesticus; nam hinc ejus signum a Ptolemaeo Alexandriam importatum, ut dicetur in prolegomenis ad numos Alexandrinos.

Dioscuri stantes cum equis suis. Typus Ponticus. (Sestini Lett. T. IV. p. 101.)

Nemesis typus non infrequens. Reliqui obvii.

* * *

Epochae Sinopenses, quoniam permul-

m) B. L. T. XXVI. p. 456. n) B. L. T. X. Mem. p. 465.

tum ad rationes chronologicas valent, adcuratius tractandae. Harum annus aliquis numis Sinopes, sed coloniae, plerumque inscribitur hoc modo: A. vel AN. CCLV. etc. Epocha Sinopenses usi fuere duplici, quam numi invicte stabiliunt. Eccas:

Epocha I. ab anno V. C. 684., cujus stabilitae causa fuit, quod hoc anno Lucullus Sinopen, quae Mithridati paruit, expugnavit, eamque, ut Appianus tradit, statim liberam edixit o), non vero ut Vaillantio visum, tum continuo colonia deducta est, nemine istud veterum dictante. Aliud ejus deductae tempus mox dabimus.

Epocha II. ab anno V. C. 709. Haec antea ab eruditis illigata fuit annis V. C. 705. 706. 707., et praesto illis fuit titulus speciosus. Pharnaces Mithridatis VI. filius Romanis bello civili Caesaris et Pompeji distentis Pontum invasit, et expugnatas ejus urbes, quas inter Sinope, omni immanitate vexavit. At iis libertatem restituit Caesar dictator victo V. C. 707. ad Zelam Pharnace, unde iis visum, novam tum a Sinopensibus coeptam aeram. At numi alii serius comperti novae hujus aerae exordium ab autumno V. C. 709. dimoveri non patiuntur, ut demonstrabimus. Non ergo victoria Caesaris de Pharnace, et impetrata altera haec libertas causa fuit instituendae alterius epochae, sed quod Sinope hoc anno, ut verisimile est, coloniam recepit, et deducente quidem I. Caesare, quod non modo titulus I*uliae* comprobat, et quod eo mortuo cum ejus adhuc capite tanquam conditoris signavit monetam, sed quod satis constat, multas ab eo urbes colonis frequentatas.

Lubet a numis epochae II. ordiri, quod hanc Sinopenses numis priorum imperatorum inscripsere. Sunt omnes ex Belleyo capti, nisi cum aliter notatur.

Anni epochae II. ab anno V. C. 709.

AN. XXIII. *Caput I. Caesaris* ✕ *Caput August.* (Mus. Caes.)

AN. XXXI. *Caput Augusti.* ✕ *Capita Caii et Lucii Caes.* (Mus. Caes.) De hoc numo male explicato vide infra.

A. XXXVI. *Caput Augusti.* ✕ *Capita Caii et Lucii Caes.* (Pelerin Mel. I. p. 250.) Et hic male explicatus, ut dicetur.

AN. LXXXIII. Caligulae.

AN. CII. Neronis. ✕ Agrippinae matris. In alio: Octaviae. (Pellerin, Mus. Caes.)

AN. CIIII. Neronis. ✕ Octaviae.

AN. CXIII. Neronis. (Sestini Lettere T. IV. p. 101.) Vide de hoc numo mox infra.

CXX. Titi adhuc Caesaris.

CXLI. Nervae.

AN. CLXXVIII. Hadriani.

ANN. CLXXXII. Aelii.

AN. CCIIII. M. AVR. VERO. CAES. M. Aurelii adhuc Caesaris. In alio: Faustinae jun.

AN. CCVII. Faustinae jun.

ANN. CCLII. Caracallae.

ANN. CCLV. Getae Aug.

CCLXI. Diadumeniani.

o) In Mithridatic.

Calculo subducto ex annis, qui sunt in numis Nervae et Diadumeniani, patebit, epocham non potuisse maturius anno V. C. 709. incipere, et non potuisse serius, docet annus Aelii Caes., qui praeterea confirmat, Aelium non Kal. Jan. V. C. 890. diem obivisse, quod visum aliquibus, sed iisdem Kalendis anni sequentis. Docet item annus CXIII. in numo Neronis cum epigraphe manca --- CLAVD. AVG. GER --- Eum Sestinius perperam Claudio tribuit; nam tum annus CXIII. neutri se epochae adcommodaret. Legendum ergo: NERO. CLAVD. etc. Additus ergo annus 113. ad 709. coepit anno V. C. 821, quo anno caesus est Nero mense, ut creditur, Iunio. Praecipiente ergo hoc numo necesse aut Neronis caedem aliquanto serius patratam, aut Sinopensium annum aliquanto maturius occoepisse. Anni reliqui facile se huic calculo subjiciunt, si rationem sequare, quam in describendis his numis tenui. At magnum malum intulit Froelichius, Belleyo quoque, Mazzoleno, et Pellerinio fallace suo indicio in partes tractis. Nam is, cum numum II. cum anno XXXI. promulgaret p), in aversa edixit exhiberi capita jugata M. Antonii et Cleopatrae. (Cautius in locum Cleopatrae Octaviam suffecere Belleyus et Mazzolenus q). Constituto ergo Antonii capite cum non posset annum XXXI. deducere ab epocha II., seu V. C. 709., (nam tum signatus esset numus anno V. C. 739. pridem mortuo Antonio) necesse fuit ad epocham I. Luculleam, seu V. C. 684. recurrere, numumque adeo V. C. 714. cusum profiteri. Serius hic lapsus suapte Froelichium advertit. Etiam in margine exemplaris, quo ipse usus est, et quod nunc penes me est, sic errorem suum correxit, ut adsereret mecum, in ejus numi aversa proponi capita Caii et Lucii, annumque XXXI. non ducendum ab anno 684. aerae vetustioris sed ab autumno 709. aerae recentioris, ut adeo numum, de quo agimus, signari oportuerit ab autumno anni 739. biennio postea, quam uterque ab Augusto adoptaretur. Revera Khellius novum istud Froelichii praeceptum minime aspernandum ratus, cum eas Appendiculas anno 1762. novis typis restituendas curaret, illud novae huic editioni inserere non neglexit. Et vero, qui hunc Froelichii numum ob oculos habeo, adfirmare ipse possum, utrumque caput nihil habere Antonii vel Octaviae, sed esse puerilia, qualia tum Cajum et Lucium decebant.

Hoc Froelichii oraculo deceptus Pellerinius, et ipse in numo ex propositis III. cum anno XXXVI. hinc caput Augusti, inde M. Antonii et Octaviae vidit. Quo adserto coactus et ipse fuit, annum inscriptum ab epocha priore 684. ducere. At cum sic numus signatus esset ab autumno V. C. 719., quo tempore satis constat, non quidem, quod Pellerinius docet, repudiatam ab Antonio Octaviam, (nam istud contigit V. C. 722.) sed aperte ne-

p) Appendic. II. novae 1744. p. 3.

q) In num. Mus. Pis. P. II. p. 171.

glectam, effugium sibi quaerit auctor necessarium magis, quam verisimile, tum Sinopensibus de averso Antonii amore nihil adhuc fuisse compertum. Sed enim in hoc quoque numo capita Caii et Lucii agnosco, annumque XXXVI. perinde ab epocha 709. derivandum. Denique viguisse sub Augusto apud Sinopenses epocham II., invicte comprobat numus Augusti a me recens museo Caesareo illatus cum anno XXIII., qui si duceretur ab epocha I. 684., necesse esset numum signatum ab autumno V. C. 706., quod aperte repugnare, nemo est, qui non intelligat.

Anni epochae I. ab anno V. C. 684.

AN. CCXCIIII. Alexandri Sev. (Mus. Caes.)

AN. CCCV. Maximini, (Mus. Caes.) et Maximi.

AN. CCCVIII. CCCX. CCCXI. Gordiani.

AN. CCCXV. CCCXVIIII. Philippi sen.

AN. CCCXIX. Philippi Caes. (Mus. Caes.)

AN. CCCXXX. Gallieni (Mus. Caes.)

Per numum Gordiani cum anno CCCVIII. et Philipporum cum anno CCCXIX. manet haec aera fixa ad annum V. C. 683. vel 684. Interim cum ex melioris notae historicis constet, Sinopen V. C. 684. a Lucullo fuisse captam, Belleyus aliique ipsum hunc annum pro aerae initio seposuere.

Ab his ergo numis docemur I., Sinopenses, cum primum deducti sunt coloni, mox aeram novam invexisse, eaque ob recentis beneficii memoriam continuo in numis usos, sic tamen, ut propterea non obliterarent veterem, quam serius resuscitavere. Poterant sane uno eodemque tempore uti duplice aera, ut usi fuere Antiocheni Syriae, Ascalonitae, aliique pauci, quos constat, duplicem variam epocham in uno eodemque numo signasse. At Sinopenses eam tantum aeri intulere, quae principe apud eos loco fuit, et videtur verisimile, utramque illos conjunxisse in actis publicis, quae utriusque notandae spatium dedere. II. Quaecunque causa fuit, praetulere serius aeram veterem, atque istud forte jam sub Elagabalo, cujus desunt numi, certe sub Alexandro Severo.

AE. RR.

REGES PAPHLAGONIAE.

PYLAEMENES.

Habemus numos perpaucos Graecos regis Pylaemenis nomine insignes. Fuit quidam Pylaemenes Paphlagonum rex jam Homero cognitus r), ex eorum ille numero, qui Trojanis adversum Graecos auxilia misere:

Παφλαγονων δ'ἡγειτο Πυλαιμενεος λασιον κηρ.

Paphlagonibus vero praeerat Pylaeme-

r) Il. B. v. 851.

nis animosum cor. Sed memorantur etiam reges Pylaemenes aetate Alexandri M., et exeuntis reip. Romanae, quos vide apud Reineccium, cui quidem verisimile visum, Paphlagonum reges omnes dictos fuisse Pylaemenes addito nonnunquam alio nomine, quod idem in Ptolemaeis Aegypti regibus factum. Sane non alia de causa ea regio videtur dicta *Pylaemenia* [s]. Enimvero Nicomedes Bithyniae rex, ut haberet speciosum aliquem titulum, quo filium in Paphlagoniae regnum intruderet, eum, inquit Iustinus [t], *Pylaemenem Paphlagonum regum nomine appellat, et quasi stirpi regiae reddidisset regnum, falso nomine tenet.* Idem hic Justini Pylaemenes a Mithridate VI. dire exagitatus, et regno pulsus, restitutus deinde a Pompejo, moriens regnum Romanis legavit. Sed altior adhuc Pylaemenes ab Eutropio proditur qui Romanis adversus Aristonicum auxilia misit. Horum posteriorum alicui sequentes numi vindicandi.

Numi.

Caput bovis adversum. Ӿ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΠΥΛΑΙΜΕΝΟΥ. ΕΥΕΡΓΕΤΟΥ. *Caduceus.* AE. III. (Spon. Recherch. p. 307.)

Caput regis imberbe nudum prominente retro clava. Ӿ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΠΥΛΑΙΜΕΝΟΥ. ΕΥΕΡΓΕΤΟΥ. *Victoria gradiens.* AE. III. (Haym. Tom. II. p. m. 57.)

Conjecturas de typis, et nomine ΕΥΕΡΓΕΤΟΥ vide apud Sponium et qui integram de numo ex propositis primo dissertationem scripsit, Seb. Faeschium, quae exstat etiam in Graecis Gronovii Tomo IX. Pylaemenen Amyntae Galatiae regis F. habemus ex marmore Graeco Ancyrano, sed ad quem numi hi pertinere non possunt, cum hunc constet, regnum nunquam adivisse, ut dicetur in ejusdem Amyntae numis.

AE. RRR.

[s] Plin. L. VI. §. 2. [t] L. XXXVII. c. 4.

BITHYNIA.

PROLEGOMENA.

Bithyniae historia numismatica propter ejus numorum, ac potissimum epochae cognitionem accuratius tractanda. Eam principio reges tenuere, de quibus agetur in regum numis. Horum postremus Nicomedes IV. diem obivit V. C. 679., vel 680, aut secundum Appianum 678. [a]), qui populum Romanum regni haeredem ex testamento reliquit. Coepit tum Bithynia a viro vel consulari, vel praetorio gubernari.

Primus magistratus Romanus, quem Bithyniae numi produnt, est *C. Papirius Carbo*. Sunt hi autonomi, et praeter urbis nomen inscribunt: ΓΑΙΟΥ. ΠΑΠΙΡΙΟΥ. ΚΑΡΒΩΝΟΣ. Typus potior: *Roma galeata sedens d. Victoriolam, s. hastam, inferne scriptum:* ΡΩΜΗ. Cum hoc magistratu sunt numi urbium *Bithynii*, *Nicaeae*, *Nicomediae*, *Prusae*, et extra Bithyniam *Amisi* Ponti, et *Mastiae* Paphlagoniae, de quibus suo loco agitur. Horum nonnullis epocha inscribitur, quae fuit Bithynica, et quidem numis Nicaeae: ΒΚΣ. ΔΚΣ., Nicomediae et Prusae ΔΚΣ. Amisus et Mastia ea abstinent, quoniam extra Bithyniam sitae, atque adeo ejus epocha ad has non pertinuit. Hunc C. Papirium Carbonem praefuisse Bithyniae, prodidit Dio ad annum V. C. 687. Hic cum prolixe narraret, magnam fuisse ea aetate (κατα τον χρονον εκεινον) Romanis inditam curam, ne quis largitionibus pervium se praeberet, ejus adfert exemplum luculentum: M. Cottam e provincia Bithynia reducem a C. Carbone repetundarum fuisse accusatum, quod adeo placuit Romanis, ut hunc, etsi tribunicio tantum munere functum, consularibus honoribus exornaret. At vero hunc ipsum Carbonem *serius* (ὕστερον) eidem Bithyniae regendae admotum, cum nihilo moderatius sese gereret, vicissim a Cottae filio fuisse in jus vocatum, et reum peractum. His Dionis verbis docemur quidem, C. Carbonem fuisse in Bithynia, verum cum verbis vagis utatur: *ea aetate*, *serius*, quae plures annos possunt complecti, de anno definite non constat. Novimus, M. Cottam fuisse consulem V. C. 680., et anno sequente rexisse Bithyniam. (Pigh. Sigon.) Ex annis ΒΚΣ. et ΔΚΣ. apparet, Carboni saltem in biennium prorogatam provinciam.

Alter est *C. Vibius Pansa* in numis *Apameae Myrleae*, et *Nicomediae*: ΕΠΙ. ΓΑΙΟΥ. ΟΥΙΒΙΟΥ. ΠΑΝΣΑ. Inscribuntur anni ΕΛΣ. ΖΛΣ. In uno Nicomediae Morellius legit ΒΛΣ., at recte con-

---

a) Bell. civ. L. I. c. 111.

tendit Liebeus, male lectum B pro E [b]), quod confirmatur Pelleriniano ΖΛΣ. Nam verisimile non est, Pansam fuisse in eadem provincia praetorem ab anno Bithynico 232. usque 237. Pansa hic idem est, qui consul V. C. 711. una cum collega Hirtio in praelio ad Mutinam periit. Fuisse eum Bithyniae praefectum, alia monumenta non prodidere. Est apud Morellium numus ΝΙΚΟΜΗΔΕΩΝ. *Caput I. Caesaris nudum.* ※ ΕΠΙ. ΓΑΙΟΥ. ΟΥΙΒΙΟΥ. ΠΑΝΣΑ. *Victoria gradiens.* (in Fam. Vibia.) Quoniam hic numus Iulium Caesarem cum Pansa conjungit, eo antiquarii tanquam subsidio ad figendam Bithyniae epocham usi sunt. At vero nimium vaga sunt I. Caesaris tempora, ac praeterea in vulgandis similibus numis nimium video variare eruditos, nam Vaillantius in suo pro ΝΙΚΟΜΗΔΕΩΝ legit ΠΕΡΓΑΜΗΝΩΝ, (Num. Graec. p. 1.) Gallandus ΝΙΚΑΙΕΩΝ. (Wolterek Electa p. 80.)

* * *

Epocha igitur Bithynica ope paucorum horum numorum, adhibitis etiam in consilium numis regum, definienda, expensis simul variis eruditorum judiciis.

Harduinus eam fixit ad annum V. C. 442., qui fuit item exordium aerae Seleucidarum [c]). Solus Papirii Carbonis numus cum anno ΒΚΣ. hanc sententiam evertit. Nam hic annus Bithynicus responderet anno V. C. 663., quo regibus suis adhuc paruit Bithynia, ut argumentis aliis abstineam, quae vide apud Froelichium [d]).

Spanhemio aptior visus annus V. C. 466., quem ope Syncelli statuere nititur [e]). Eum sequitur Froelichius [f]) propter numum Nicomedis IV. cum anno ΖΣ., qui citatur in museo Theupoli, quique adeo, ut videbimus, Haymiano et Morelliano calculo repugnat. Ceterum huic exordio indicia hactenus cognita non obstant, demptis numis Vibii Pansae cum capite I. Caesaris, quos paullo altius recitavimus.

Liebeo placuit annus V. C. 473. propterea, quia quivis annus hoc posterior componi non potest cum anno Bithynico ΕΛΣ., qui est in numo Pansae [g]). Nam si, ut placuit Morellio, exordium hujus epochae esset annus 476., dictus Pansae numus signatus fuisset anno V. C. 710., quo anno Tullium Cimbrum rexisse Bithyniam docet Pighius. Admisso igitur Liebei anno 473 Pansa vi annorum ΕΛΣ. ΖΛΣ. fuisset praetor Bithyniae annis V. C. 707. 708., tum 709. praetor Galliae Cisalpinae. Notandus hic Havercampi lapsus, qui a Liebeo epochae exordium statui annum V. C. 476. contendit [h]), quem tamen ipsum annum Liebeus solide impugnat statuto suo 473.

Haymius adoptavit annum V. C. 474 [i]). Nam cum ex Justino colligeret, Nicomedem II. mortuum circa annum V. C. 660. et postremum annum in hujus numis reperiret 187., coepit ab anno V. C. 660.

b) Goth. num. p. 238. c) Chronic. vet. test. d) Animadv. in num. vet. urb. p. 72. edit. Florent. e) Tom. I. p. 515. f) l. c. et Not. elem. p. 196. g) Goth. num. p. 238. h) Fam. Morell. p. 448. i) Tom. II. p. m. 56.

annis 187. retrorsum progredi, atque ita ad annum 474. adhaesit, quem adeo in epochae exordium selegit. Verum reperit Pellerinius numum Nicomedis II. cum anno 188. Quare aut epochae exordium uno anno est anticipandum, et tum congruet cum Liebeano, aut mors Nicomedis II. serius figenda.

Morellius annum V. C. 476. maluit, quem secutus est Perizonius, ut testatur Havercampus [k]. Sed annum hunc valere non posse, patebit ex iis, quae infra docebimus.

Quae in hac causa fuerit sententia Vaillantii, non satis intelligo. In suis Familiarum numis [l]) praeoptavit eundem cum Morellio annum, nempe V. C. 476., saltem ut ex calculo apparet, nam typographi lapsu statuitur ibi annus 466. Alibi maluit annum V. C. 473 [m]).

Postremus Belleyus olim annum V. C. 473. adoptavit, saltem ut ex ejus calculo colligitur. (B. L. T. XXX. p. 332. in nota). Adhaesit ergo sententiae Liebei. Serius in dissertatione singulari, qua Bithynicam hanc aeram in examen vocavit, maluit annum V. C. 472. (B. L. T. XLII. Hist. p. 44.) Argumenta, quibus causam suam probat, haec sunt. Mortuus est Nicomedes IV. anno V. C. 680. circa autumnum. Exstat in museo regio numus ejus regis cum anno ΘΣ., 209. Hic additus ad 472 coepit in autumno V. C. 680. Ergo aera Bithynica serius anno 472 collocari nequit, ne numus cum anno 209 a nobis statuatur post regis mortem signatus. Non potuisse aeram incipere priore aliquo anno, probat anno ΕΛΣ, 435, quem supra numis C. Vibii Pansae inscriptum vidimus. Atqui constat, inquit, Pansam fuisse praetorem Bithyniae inde a dimidio anni V. C. 707 usque ad dimidium anni 708, quo exacto tempore abivit recturus Galliam Cisalpinam. Ergo si annum 235 addamus ad 472, necesse erit hunc Pansae numum V. C. 707. cusum profiteri, neque posse valere annum praecedentem, quia tum Pansa in Bithynia nondum fuit. Ex quo arguit denique, caput epochae sine dubio illigandum esse anno V. C. 472, illumque esse eum ipsum, quo Nicomedes I. regnum auspicatus est, dignam aerae constituendae causam.

At vero totum hoc Belleyi ratiocinium evertit numus Nicomedis IV., nuper in lucem protractus a Sestinio, (Lettere T. III. p. 146.) cui inscriptus est annus ΑΙΣ. 211, binis adeo annis auctior suo ΘΣ, 209. Quare hoc numo imperante epochae exordium saltem toto biennio anticipandum erit. Accedit, a viro praeclaro nonnulla tanquam certa adferri, quae tamen ut probaret, non laboravit, v. c. mortuum esse Nicomedem IV. anno V. C. 680, aliis id factum V. C. 678. vel 679 adserentibus. Item Nicomedem I. regnum adivisse V. C. 472. Sed et praeterea alia nascitur difficultas definiendi tempus, quo praeturam in Bithynia obiverit Vibius Pansa, quod jam, ut patet, ex incerto adhuc aerae Bithynicae principio definiri nequit.

Ex hoc ergo Nicomedis IV. numo

k) In Fam. Morell. p. 313. l) In Fam. Papiria p. 208. m) Reg. Bithyn. p. 363.

cum anno 211 docemur, epochae hujus initium non posse posterius anno V. C. 469, vel 470 constitui, ac vel ideo suapte corruere sententias Liebei, Haymii, Morellii, et Belleyi, quo vitio hactenus sola Spanhemii conjectura caret, quemadmodum exposuimus. Neque tamen vel haec hucusque secura est, et exspectanda subsidia alia, quae tot incerta, quibus Bithyniae historia laborat, e medio tollat.

Quod ad regimen politicum Romanorum in hoc tractu attinet, docent laudati Papirii numi, cujus nomen etiam numis Mastiae Paphlagoniae, et Amisi Ponti inscriptum est, Pontum et Paphlagoniae partem jam exeunte saeculo VII. urbis conditae Bithyniae praetori fuisse attributam, fugato nempe a Pompejo Mithridate, et Pharnace filio intra Bosporum concluso. Nam circa hoc tempus, ut inscripti epochae anni comprobant, Papirius Bithyniam rexit. Altera Paphlagoniae pars tum huc non pertinuit, quae proprios habuit reges. His exstinctis Augustus eorum ditionem cum Amasia conjunxit, ac tum vocabatur ἐπαρχια Ποντικη, ut docet Strabo. Factum istud haud dubie anno V. C. 747., nam ab hoc anno Amasia Ponti, Germanicopolis, et Neoclaudiopolis Paphlagoniae aeram suam testibus numis inchoarunt. Idem Augustus partem Ponti Polemoni I. cessit, qui ab hoc dictus est *Polemoniacus*. At Polemo II. totum eum tractum Neroni restituit, qui eum cum reliquo Ponto conjunxit V. C. 815. vel 816., ex quo memorabili eventu Ponti urbes Neocaesarea, Trapezus, et Zela epocham inchoarunt ducto principio ab anno V. C. 816. Exinde Pontum subjectum fuisse Bithyniae proconsulibus, numi affatim comprobant signati Nicomediae, in quibus ea urbs dicitur ΜΗΤΡΟΠΟΛΙΣ. ΚΑΙ. ΠΡΩΤΗ. ΒΙΘΥΝΙΑΣ. ΚΑΙ. ΠΟΝΤΟΥ., atque istud circum tempora Domitiani et Trajani. Non multo post mutatus provinciae status. Nam cum ex prima Augusti divisione V. C. 727. esset provincia senatus, quam ob causam etiam legimus numis inscriptos proconsules, de quibus mox, Augustis subinde fuit attributa, ac tum vice proconsulum missi in hanc provinciam legati Augusti pro praetore marmoribus passim id docentibus. Factum istud sub Trajano, vel adhuc antea, putat Norisius [n]), quia in marmore Gruteri [o]) C. Plinius legatus pro praetore consulari potestate huc a Trajano missus dicitur. Verum negat istud Spanhemius [p]), cum propter alias causas, tum etiam quia teste Dione [q]) Bithynia ab Hadriano demum Caesaris provincia facta est. Ad marmor vero Gruteri quod attinet, ait, Plinium non ordinaria, sed extraordinaria potestate in Bithyniam ad inspiciendum civitatum statum missum. De varia hac Bithyniae et Ponti conditione lege copiose disserentem Belleyum [r]).

PROCONSVLES Bithyniae primo Romae imperantis saeculo saepissime inscrip-

n) Cenot. Pis. diss. II. c. 11. o) Pag. 291. p) Tom. II. p. 593. seq. q) L. LXIX. §. 14. r) B. L. T. XXX. p. 331.

ti fuere numis urbium hujus provinciae. Factum istud, quamvis rarius, in aliis quoque provinciis, at quod uni Bithyniae proprium est, proconsulis nomini addidere nomen ΠΑΤΡΩΝΟΣ, *patroni*, nempe, qui proconsules fuere, eosdem et patronos suos agnovere Bithyni. Ipsum istud confirmant eximia epigrammata, quae conservavit Muratorius [s]), secundum quae variae Bithyniae urbes proconsuli suo, addito ΠΑΤΡΩΝΙ. ΚΑΙ. ΕΥΕΡΓΕΤΗΙ. grati animi monumenta dedicavere. Istud vocabulum ΠΑΤΡΩΝ a principibus antiquariis aliorsum fuit acceptum, et in eo latere nomen urbis Patrarum Achaiae passim creditum, quo factum, ut proconsules omnes, qui illud adjectum habent, Achaiae proconsules ex numis, quamvis et his repugnantibus, ad hanc usque aetatem haberentur. Haec clientelae professio non simplex tantummodo fuit, sed, ut continuo videbimus, iterata etiam fuit, v. g. B. ΠΑΤΡΩΝΟΣ. eo modo, quo archontes, praetores etc. suam iterasse dignitatem passim in numis conspicimus. Abstineo pluribus, quia hoc argumentum fuse alibi tractavi [t]). Tamen hoc loco in historiae subsidium omnia proconsulum nomina, ut ea sub singulis imperatoribus in numis produntur, restituta, ubi necesse est, vera lectione, recitabo.

ΕΠΙ. ΑΝΘΥΠΑΤΟΥ. ΘΩΡΙΟΥ. ΦΛΑΚΚΟΥ. ΕΙΡΗΝΗ. *Pax stans d. caduceum.* X ΝΙΚΟΜΗΔΕΩΝ. *Caput Augusti.* (Pellerin Mel. II.)

ΕΠΙ. ΑΝΘΥΠΑΤΟΥ. ΘΟΡΙΟΥ. *Aper* X - - - ΝΟΙΑ. ΝΙΚΟΜΗ. *Caput juvenile diadematum turgentibus e fronte binis cornubus.* (Morelli in Fam. Thoria).

Dubium non est, autonomum hunc ab eodem Thorio procos. signatum. Havercampus, cui praecedens Pellerinianus ignotus fuit, eum L. Thorio Balbo tribuit, et quoniam in hujus denariis caput Iunonis Sispitae comparet, etiam in praesente hujus deae caput proponi credidit. Verum cum dicto capiti adscriptum sit ΟΜΟΝΟΙΑ, ex analogia ab aliis numis ducta est caput *Concordiae*, ut in praecedente ΕΙΡΗΝΗ *Pax* proponitur. Eadem manus medica admovenda Vaillantii de hoc numo judicio [u]). Fuisse genti Thoriae cognomen *Flacci*, ab hoc primum numo docemur.

ΕΠΙ. ΠΟΠΛΙΟΥ. ΟΥΙΤΕΛΛΙΟΥ. ΑΝΘΥΠΑΤΟΥ. Μ. ΝΙΚΟΜΗΔΕΩΝ. in numo Germanici. (Mus. Caes. Vaill. Morelli in Fam. Vitell.)

Fuit hic P. Vitellius patruus Vitellii Aug., cujus opera Germanicus in bello Germanico multum usus est, ejusdem etiam comes, cum in Orientem proficisceretur, effecitque eloquentia, ut Cn. Piso Germanici parricida condemnaretur. Ipse V. C. 784., tanquam qui cum Sejano collusisset, peremptus est [x]). Docet ergo hic numus, eundem hunc Vitellium rexisse Bithyniam, quo id anno, non constat. Verisimile est, quod censet Vaillantius [y]), eum a bello Germanorum cum Germanico reducem destinatum in

---

s) Thes. inscr. p. 1073. seq. t) Num. vet. p. 185. u) In Fam. Thoria. x) Sueton. Tacit. y) In Fam. Vitell.

Bithyniam V. C. 770., cumque eodem hoc anno Germanicus de victis Germanis triumpharet, P. Vitellium pro suo in Caesarem adfectu numos in Bithynia cum ejus capite feriundos curasse, anno mox sequente sese Germanico in orientem profecto junxisse comitem.

Γ. ΚΟΗΛΙΟΣ. ΒΑΛΒΟC. ΑΝΘΥΠΑΤΟΣ. in area monogramma, incertum, an Nicaeam, an Nicomediam notet, in numo Claudii. (Morelli. in Fam. Coel.) Sed Vaillantius legit: ΚΟΙΛΙΟΣ. (Num. Graec. p. 13.)

Quis fuerit hic C. Coelius Balbus, incompertum.

Λ. ΜΙΝΔΙΟΣ. ΒΑΛΒΟΣ. ΑΝΘΥΠΑΤΟΣ. *Porticus*, *cujus epistylio inscriptum*: ΝΙΚΑΙΕΩΝ., *in numo Claudii.* (Morelli in Fam. Mind. Vaillant. Num. Graec.) In aliis Claudii et Britannici apud utrumque: ΜΗΤΡΟ. ΝΕΙΚΟ.

Vaillantius, qui numos tres cum hujus proconsulis nomine produxit, ei praenomen A. nempe *Auli* tribuit, fors typographi lapsu. Ignotus in historia est hic L. Mindius Balbus. Similem Spanhemius post alios perperam tribuit Corintho [z]).

Λ. ΜΙΝΔΙΟΣ. ΑΝΘΥΠΑΤΟΣ. ΠΑΤΡΩΝ. *Mulier gradiens et respiciens d. extenta*, in numo Claudii. (Morelli, et in meis Num. vet. p. 185.)

Hactenus hic numus ab omnibus tributus fuit Patris Achaiae, ut ibidem docui. Incertum tamen, in qua Bithyniae urbe sit signatus, et an ad proconsulem L. Mindium Pollionem, de quo mox, pertineat. Conjecturam ce typo eodem loco proposui.

ΕΠΙ. Λ. ΜΙΝΔΙΟΥ. ΠΟΛΛΙΩΝΟΣ. ΑΝΘΥΠΑΤΟΥ. ΠΑΤΡ. *Caput Palladis*, in Numo Claudii. (Morelli in Mindia, Haym. T. II. p. 230.)

Vaillantius sub eodem imperatore binos dedit, sed inscriptos: ΕΠ. Λ. ΜΙΝΔΙΟΥ. ΒΩΛΑΝΟΥ. ΑΝΘΥΠΑΤΟΥ. ΠΑΤΡ. Dubium non videtur, pro ΒΩΛΑΝΟΥ legendum ΠΟΛΛΙΩΝΟΣ., quod postremum legunt accuratissimi Haymius, et Morellius. Ignotus hic etiam L. Mindius Pollio. Hi quoque numi passim tributi Patris Achaiae.

ΕΠΙ. ΦΙΡΜΟΥ. ΑΝΘΥΠΑΤΟΥ. ΠΑΤΡΩΝΟΣ. ΤΗΣ. ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩΣ. ΝΕΙΚΟ. in numo Claudii. (Vaill.)

ΕΠΙ. ΦΡ. ΠΑΣΙΔΙΗΝΟΥ. ΦΙΡΜΟΥ. ΑΝΘΥΠΑΤΟΥ. Β. ΠΑΤΡΩΝΟΣ. ΤΗΣ. ΜΗΤΡ., *sequitur* ΜΗΝΙΚΟ. *in monogrammate*, *id est:* ΜΗτροπολις ΝΙΚΟμηδεια, in numo Claudii. (Pellerin Mel. II. p. 26.)

- - - - ΠΑΣΙΔΙΗΝΟΣ. ΦΙΡΜΟΣ. ΠΑΤ - - - in medio ΑΝΘΥΠΑΤΟΣ. *et monogramma*, *quod lego:* ΕΝ. ΝΙΚαιᾳ, *vel* ΝΙΚΟμηδειᾳ, in numo Claudii. (Mus. Caes).

ΚΛΑΥΔΙΟΥ. ΡΟΥΦΟΥ. ΑΝΘΥΠΑΤΟΥ. ΠΑΤΡ. *sine urbis mentione*, in numo Claudii (Vaill.) In ejusdem Augusti numo apud Arigonium legitur, quanquam mendose, ΚΛΑΥΔΙΟΣ. ΡΟΥΦΟΣ. ΑΝΘ. ΠΑΤΡΟΣ.

---

z) T. I. p. 592.

Γ. ΚΑΔΙΟΣ. ΡΟΥΦΟΣ. ΑΝΘΥΠΑΤΟΣ. ΝΙΚΑΙΕΩΝ. *Porticus, ut in numis Mindii Balbi*, in insignibus duobus numis, in quorum uno caput Claudii, prae quo duae spicae, in altero caput Messalinae cum totidem spicis, et epigraphe: ΜΕΣΣΑΛΕΙΝΑ.ΣΕΒΑΣΤΗ.ΝΕΑ. ΗΡΑ. (Pellerin. Rec. III. p. 227.)

Hunc Cadium Rufum fuisse proconsulem Bithyniae, docet Tacitus [a]: *Damnatus et lege repetundarum Cadius Rufus accusantibus Bithynis*, quod factum refert ad annum V. C. 802. Eundem in senatorium honoren post longum XX. annorum intervallum restitutum ab Othone, idem Tacitus narrat [b]). Numi Messalinae simillimi proponuntur a Vaillantio [c]), et Morellio [d]), nisi quod ab utroque pro Γ.ΚΑΔΙΟΣ. legitur ΓΕΛΛΙΟΣ, quae lectio ex utroque integerrimo Pelleriniano corrigenda est, ut Pellerinius ipse binis locis monet [e]).

Μ. ΤΑΡΚΥΙΤΙΟΥ. ΠΡΕΙΣΚΟΥ. ΑΝΘΥΠΑΤΟ. ΝΕΙΚ. *Ara, cui inscriptum:* ΠΑΤΡΩΝΟΣ. in numo Neronis. (Mus. Caes.)

Numi huic similes a variis sunt vulgati, sed cum haud dubie vitiati fuerint omnes, eorum fallax lectio ingentia in rem numismaticam monstra invexit, quae prolixe olim recensui, et perstrinxi [f]). Praetensus igitur *Tarquitius Pretanicus* Harduini [g]), et mirabilis formula: ΕΞȣσιαν ΑΝΘΥΠΑΤΟϱικην ΠΡΑΤΤΩΝΤΟΣ. ut est apud Vaillantium, et Morellium [h]), deinceps exulabunt, docente istud integerrimo hoc musei Caesarei numo. Hujus Tarquitii meminit Tacitus [i]): *Damnatus iisdem consulibus Tarquitius Priscus repetundarum Bithynis interrogantibus.* Id factum V. C. 814., justa poena, ut qui VIII. ante annis Statilium Taurum Africae proconsulem instigante Agrippina postulavit atque evertit [k]). Ambiguum hactenus, sintne hi numi percussi Nicaeae, an Nicomediae.

ΕΠΙ. ΑΤΤΙΟΥ. ΛΑΚΩΝΟΣ. ΑΝΘΥΠΑΤΟΥ. ΝΕΙΚΑΙΕΩΝ. *Capricornus, cornucopiae, thyrsus super ara, cui inscriptum:* ΝΕΡΩΝΟΣ. in numo Neronis. (Morelli in Fam. Attia, Hist. B. L. Tom. III. p. 197.)

Idem hic numus laudatur a Vaillantio, sed sine mentione τȣ ΝΕΡΩΝΟΣ. Ex analogia numorum Tarquitii plane persuasum mihi est, etiam in hoc pro praetenso ΝΕΡΩΝΟΣ. legendum ΠΑΤΡΩΝΟΣ. Hujus Attii Laconis nullam usquam reperio mentionem.

ΕΠΙ. Μ. ΠΛΑΝΚΙΟΥ. ΟΥΑΡΟΥ. ΑΝΘΥΠΑΤΟΥ. in numis Vespasiani.

M. Plancius Varus proconsul in plurium Bithyniae urbium numis legitur, qui omnes Vespasiani caput offerunt, suntque collecti apud Morellium in familia Plancia. Id praeterea habent peculiare, quod in plerisque urbis nomen juxta Vespasiani caput ponatur. Sunt vero ΚΛΑΥΔΙ., in aversa: *Caput muliebre.* (Morelli l. c.) ΚΛΑΥΔΙΟ. *Aquila*

a) Ann. XII. 22. b) Hist. I. 77. c) Num. Graec. d) In Gellia. e) Rec. III. p. 277. et Mel. II. p. 27. f) Num vet. p. 187. g) Num. urb. p. 124. h) in Fam. Tarquit. i) Ann. L. XIV. 46. k) Tacit. Ann. XII. 59.

stans. (Ibid.) Pertinent hi *Claudiopolin*, quae et *Bithynium* dicta fuit. ΝΕΚΑ. (sic) ΝΕΙΚΑΕΙ. *typis variis.* (Morelli, Pellerin.) ΠΡΟΥΣΙΕΙΣ. *Ara.* (Haym. T. II. p. m. 248). Videtur pertinere Prusiadem ad mare. ΗΡΑΚΛΕΩΤΑΝ. *Caput Herculis.* (Sestini Lettere T. IV. p. 104.) Hic Plancius Varus legitur etiam in numo Apameae Phrygiae cum capite Vespasiani.

Vaillantius hujus M. Plancii Vari numos adhuc sub Tito et Domitiano recitat, et Morellius dedit numum, cujus antica dissimulatur, inscriptum: Μ. ΠΛΑΝΚΙΟΥ. ΟΥΑΡΟΥ. ΑΝΘΥΠΑΤΟΥ. Β. ΤΗΣ. ΜΗΤΡΟΠΩΛΕΩΣ. ΜΗ. ΝΙΚΟΜ. (in Fam. Planc. num. 9.) sed cum videatur verisimile, in antica et Titum et Domitianum Caesaris nomine proponi reipsa ad Vespasiani imperium pertinent.

ΕΠΙ. Μ. ΜΑΙΚΙΟΥ. ΡΟΥΦΟΥ. ΑΝΘΥΠΑΤΟΥ. ΒΙΘΥΝΙΑ. *Genius Bithyniae stans cum gubernaculo*, in numo Vespasiani, (Morelli in Fam. Maecia, Catal. d'Ennery.) et Titi. (in eod. Catal.)

Idem Maecius Rufus memoratur in numo Domitiani, sed adhuc Caesaris, (Morelli, Catal. d'Ennery.) qui adeo sub Vespasiano item signatus est, typo *clypei cum hasta.* Eundem citat etiam Vaillantius, sed perperam legit ΜΑΡΙΟΥ. pro ΜΑΙΚΙΟΥ. (Num. Graec. p. 25.) Ex his numis corrigendae Suetonii editiones, in quibus scribitur *Metius Rufus* Africae praefectus [l]), quod late probat Perizonius apud Havercampum [m]). In Catalogo d'Ennery p. 528. laudatur numus Hadriani cum eodem M. Maecio Rufo procos., sed cui praeconio vereor, ut sit habenda fides.

ΕΠΙ.Μ.ΣΟΥΛΠΙΚΙΟΥ.ΠΡΟΚΛΟΥ. ΑΝΘΥΠΑΤ. ΝΕΙΚ. in numo Titi. (Vaill. et Morelli in Fam. Sulpic.)

* * *

Imperante Vespasiano aliquid videtur in Bithynia immutatum, et aliquamdiu saltem ΕΠΙΤΡΟΠΟΣ, *procurator*, reip. praefuisse, docente istud numo, quem mox dabimus.

* * *

Numi cum BITHYNIAE mentione.

Imperatorios tantum hujus classis habemus. Horum alii offerunt ΚΟΙΝΟΝ, seu *Commune* totius provinciae, omnes imperante Hadriano signati, alii ad politicum regimen pertinent. En tibi utrumque genus:

IMP. CAES. TRA. HADRIANO. AVG. P. P. *Caput Hadriani laur.* ℞ COM. BIT. *Templum 8 col.*, *cujus epistylio inscriptum* ROMSPAVG. AR. m. m. (Vaill. Mus. Caes.)

ΑΥΤ. ΚΑΙC. ΤΡΑ. ΑΔΡΙΑ. CEB. *Caput laur. vel nudum.* ℞ ΚΟΙΝΟΝ. ΒΕΙΘΥΝΙΑC. *Templum 8 col.* AE. m. m. (Mus. Caes. et alibi.)

Vide similes alios, sed cum capite *Antinoi* in hujus numis.

CABEINA. CEBACTH. *Caput Sabinae*

l) In Domitiano. m) Ad Morellii fam. Macciam.

spicis coronatum. ✗ *Eadem aversa.* AE. m. m. (Mus. Farn. et Pisan.) In alio: *Caput Sabinae solito cultu.* AE. II. (Mus. Caes.)

Alius, sed: *Templum 2 col., intra quod tria simulacra muliebria stantia.* AE. m. m. (Tristan. T. I. p. 414.)

Sub unius Hadriani imperio signati sunt numi *Communis* conventus totius provinciae. Testes ergo haud dubie sunt singularis cujuspiam beneficii, quod Bithyni ab hoc Caesare abstulere. Constat, Hadrianum favisse Bithynis causa quoque Antinoi sui in hac provincia nati. Docet praeterea Dio [n]), eum tradita senatui Pamphylia sibi Bithyniam servasse. Cujus honori erectum videatur templum in his numis conspicuum, difficile est divinare. Buonarrotus [o]), et Mazzolenus [p]) existimant, esse templum ipsius Hadriani honori consecratum. Verum hanc sententiam saltem quadam sui parte fallere, arguit numus I., qui docet, ROMam etiam in honoris societatem adscitam. Vaillantius in suo ad numum I. commentario docet, templum hoc esse *Romae et Augusto* dedicatum [q]). Revera indulgente Octaviano etiam Nicomediae erectum fuisse templum Romae, et sibi, tradit Dio [r]). Darem istud, si numi epigraphe esset ROMETAVG., qualis est in numis obviis argenteis Pergami, et aeneis Lugduni, ut creditur, signatis. Verum pro litteris ET est luculentum SP non modo in numo Vaillantii, sed etiam in integerrimo musei Casarei, quam is difficultatem plene intactam relinquit, perinde quasi utrumque promiscue posset usurpari. Sed enim ut has sententias evertere facile fuit, ita verisimilem literis SP dare significationem, arduum. Si tres figurae muliebres numi postremi essent integrae, aliquid forte posset erui. Tristanus in iis tres mulieres videt, Palladem, Sabinam, et forte Pudicitiam. Abstineo a conjecturis.

* * *

Numum *M. Maecii Rufi procos.* cum capite Vespasiani et addito ΒΙΘΥΝΙΑ vide supra in numis proconsulum.

ΕΠΙ. Λ. ΑΝΤΩΝΙΟΥ. ΝΑΣΩΝΟΣ. ΕΠΙΤΡΟΠΟΥ. ΒΙΘΥΝΙΑ. *Mulier s. gubernaculum tenens*, in numo Vespasiani. (Haym. T. II. p. 247.)

Επιτροπȣ, *procuratoris*, in nullo alio certo numo vetere fit mentio, de cujus munere agemus alibi. Typus non Fortunam, ut Haymio placuit, sed genium, vel symbolum Bithyniae indicat; nam similis mulier etiam comparet in numis Hadriani inscriptis ADVENTVI. BITHYNIAE. Ex hoc numo videtur corrigenda mira epigraphe, quam ex numo Domitiani sic proponit Vaillantius [s]). ΕΠΙ. ΠΡΟ. ΕΜΙΛΙΟΥ. ΑΝΤΩΝΙΟΥ. ΝΑΖΩΝΟΣ. Istud tanto magis certum, quia typum dicit esse *clypeum cum spiculo*, seu hasta, qui typus etiam est in numo Maecii Rufi proconsulis Bithyniae, ut vidimus supra. Eundem numum aliter

n) L. LXIX. §. 14. o) Osserv. p. 22. p) Mus. Pis. p. 30. q) Num. praest. T. II. p. 138. r) L. LI. §. 20. s) Num. Graec. p. 25.

legit Harduinus, ac non minus inique, et Rhodum transfert [t].

ЄΠΙ. ANT. NICΩNOC. ΠΡ. CЄB. ANTI. B. KI. (sic.) ΠΟΝΤΟΥ. *Diana venatrix*, in numo Faustinae sen. (Haym. T. II. p. m. 284.)

Nimis mihi suspecta lectio. *Niso* nec Graecum nomen est, nec Romanum saltem cognitum facile. Deinde B solitarium, quo notaretur Βιθυνια, et KI. pro KAI. monetarii scilicet errore, quae quidem minus mihi probantur, etsi ceterum constet, Bithyniam et Pontum sub uno rectore stetisse, de quo egimus paullo altius. Ea epigraphes male lectae suspicio tanto ingravescit magis, quod numos habemus Antonini Pii: ЄΠΙ. ANT. ZHNΩNOC. ΠΡ. CЄB. ANT. ΦΙΛΙΠΠΟΠΟΛЄΙΤ. (Mus. Caes. Pellerin Mel. II. p. 357.) Si conferamus geminam inscriptionem, facile deprehendemus, esse unam eandemqne, Haymianum vero numum minus fuisse integrum. Statuendo igitur, praesentem Faustinae sen. numum, qui alioquin imperante item Antonino signatus est, Philippopolin Thraciae pertinere, omnis tollitur ambiguitas.

ALYATTA.

Oppidum Bithyniae parum cognitum.

Autonomi.

Caput galeatum. ꭗ ΑΛΥ. vel ΑΛΥΑΤΤΗΝΩΝ. *Lyra.* AE. III.

Numum hunc Panelius olim ex museo le Bret edidit, sed solo ΑΛΥ. notatum, eumque Alyattis Bithyniae tribuit [u]. Aliquot post annis ipsum hunc numum restituit, sed in eo legit plenius: ΑΛΥΑΤΤΗΝΩΝ [x]. Posterior haec lectio si vera, dubitari non poterit de numo hoc his Bithyniae Alyattis tribuendo. Quod si lectio ΑΛΥ. valet, mallem cum Alyziae Acarnaniae propter lyrae typum tribuere, quia is tractus Apollini peculiari modo sacer fuit, ut in hac diximus.

APAMEA.

Ad Propontidem post Rhyndacum fl.

Autonomi.

ΑΠΑΜΕΩΝ. *Caput Apollinis laur.* ꭗ ΤΩΝ. ΜΥΡΛΕΑΝΩΝ. *Lyra, infra annus.* ΖΛΣ. AE. II. (Pellerin.)

ΑΠΑΜΕΩΝ. ΜΥΡΛΕΑΝ - - *Caput juvenile laur.* ꭗ ΕΠΙ. ΓΑΙΟΥ. ΟΥΙΒΙΟΥ. ΠΑΝΣΑ. *Lyra, infra annus* ΕΛΣ. AE. III. (Liebe p. 238.)

Fuit haec urbs teste Strabone aliisque dicta antea *Myrlea* a Myrlo Colophoniorum duce, ut refert Stephanus, sed eversa fuit a Philippo V. Macedoniae rege, et data Prusiae Bithyniae regi, qui eam instauratam ab uxoris nomine *Apameam* vocavit, quod praesentes numi praeclare confirmant. Eustathius eam sic dictam contendit ab uxore Nicomedis Epiphanis [y].

AE. RRRR.

Coloniae Apameae numi exstant a Nerone usque ad Valerianum, et Gallie-

---

t) Num. urb. in *Rhodus.* u) Num. Cistoph. p. 39. x) Mem. Trev. 1737. Octob. y) Ad Dionys. v. 918.

num, quorum omnium catalogum vulgavit cl. Sestinius [z]), quos inter praestantissimus is, si modo genuinus, quem ex museo privato citat, inscriptus IMP. DID. CAESAR. IVLIANVS. AVG. M. SCANTILLA. AVG.

Epigraphe: C. I. C. A. Vaillantius numos sic inscriptos tribuit *Carthagini Antiquae*, Harduinus jam Caesaraugustae Hispaniae, jam Corintho. Ast Belleyus conferendo epigraphes alias pleniore scriptura: C. I. C. A. — C. I. C. A. APA. —— ac demum: COL. IVL. CONC. AVG. APAM., egregie evicit, omnes hos numos Apameae tribuendos, et quidem huic Bithynae, nam nullam urbem aliam Apameae nomine praeditam constat fuisse coloniam [a]). Quo anno deducta fuerit, non constat. Strabo eam coloniam jam vocat. Propter epitheta *Juliae Augustae* videtur conditorem habuisse Augustum.

Typi illustriores: *Genius addito:* GENIO. P. R. In alio: DIANAE. LVCIF. *Dea gradiens singulis manibus singulas faces praefert.* Diana Sophocli dicitur Αμφιπυρος [b]), nempe ut explicat vetus grammaticus: *quia utraque manu facem gestat, eadem cum Hecate.*

D. D. id est. *Decreto Decurionum* fere omnibus additur.

AE. R.

BITHYNIVM, quod et CLAVDIOPOLIS.

Mediterranea in Maryandinis. Ptolemaeus: Κλαυδιοπολις ἡ και Βιθυνιον. Et Dio [c]): ὁ γαρ Αντινοος ἦν μεν ἐκ Βιθυνιϰ πολεως Βιθυνιδος, ἣν και Κλαυδιοπολιν καλϰμεν. *Erat enim Antinous ortus Bithynio urbe Bithyniae, quam et Claudiopolin vocamus.*

Vtroque nomine hujus urbis habemus numos.

Autonomi.

Exstant tantum nomine Bithynii, nimirum signati antea, quam ea urbs a Claudio nomen sibi sumeret.

ΒΙΘΥΝΙΕΩΝ. *Caput Bacchi.* ℞ ΕΠΙ. ΓΑΙΟΥ. ΠΑΠΙΡΙΟΥ. ΚΑΡΒΩΝΟΣ. ΡΩΜΗ. *Roma sedens.* AE. II. (Vaill. Morell. in Fam. Papiria.)

Vrbis hujus gentile est Βιθυνιευς, sicut provinciae Βιθυνος. De Papirio Carbone magistratu Romano egimus in prolegomenis ad numos Bithyniae.

AE. RRR.

Imperatorii.

Exstant et Claudiopolis et Bithynii nomine. Praemitto numos cum priore epigraphe, quia haec tantum in priorum imperatorum moneta valuit.

Nomine Claudiopolis.

Cogniti a Vespasiano usque ad Antoninum saltem in numis certis.

Epigraphe: ΚΛΑΥΔΙΟΠΟΛΙϹ. ΚΛΑΥΔΙΟΠΟΛΕΩϹ. ΚΛΑΥΔΙΟΠΟΛΕΙΤΩΝ.

Fuere Claudiopoles plures, una Bithyniae, altera Isauriae, tertia Galatiae, quarta Cappadociae, aut Armeniae minoris, quinta secundum nonnullos anti-

---

z) Lettere P. III. p. 11. a) B. L. Mem. T. XXV. p. 105. b) Trachin. v. 218.
c) L. LXIX. §. 11.

quarios Lycaoniae. Ad quam ex his quinque pertineant numi sic inscripti, disquirendum. Quam quintam dixi, nunquam exstitit, nisi per conjecturam nonnullorum antiquariorum, ut in Lycaonia probabimus. Quarta videtur ultra fines orbis numismatici posita. Tertia Galatiae si unquam fuit, ignobilis fuit, et uni Ptolemaeo nota, et forte ab hoc cum altera Bithyniae confusa, ut putat Cellarius. Restant igitur duae aliae a me primo loco positae. Non ignoscenda in hujus urbis numis recensendis Vaillantii oscitantia, cum illos, quos in suo Graecorum numorum opere pag. 23. 34. 42. esse Claudiopolis Bithyniae adserit, eosdem pag. 198. alteri Isauricae largitur, ut adeo satis appareat, sententiam ab eo prolatam temere et inconsulto. Eodem modo Harduinus nulla certa ratione alios in Bithyniam, in Lycaoniam alios vocat. Patinus Domitiani numum, quem solum citat, in Isauriam transfert. Non expenderunt illi, quibus Isauria placuit, disertum Ammiani locum agentis de Claudiopoli Isauriae [d]): *quam deduxit coloniam Claudius Caesar.* Ergo in numis his, qui omnes sunt Claudio posteriores, omissa non esset coloniae mentio, si ad hanc Isauriae Claudiopolin pertinerent. Quare tuto omnes Claudiopoli Bithyniae, quae una adhuc restat, tribui possunt, ut sane numi Vespasiani inscripti ΚΛΑΥΔΙΟ., et cum nomine M. Plancii Vari procos., de quibus egimus supra in prolegomenis Bithyniae, Claudiopoli nostrae eripi nequeunt.

Numi hactenus noti cum epigraphe Claudiopolis offerunt capita Vespasiani, Domitiani, Hadriani, et Antonini. Harduinus numos Gordiani et Tranquillinae cum epigraphe ΚΛΑΥΔΙΟΠΟΛΙΤΩΝ vulgavit, sed praeterquam quod neque typi, neque musei mentionem addat, eo etiam claudicat fides, quod inde ab Hadriano, ut mox videbimus, urbis hujus numi saltem certi omnes nomine Bithynii vetere signati sunt.

Neocoratum etiam infeliciter adserit uterque, et quidem Harduinus ex numo Antonini: ΚΛΑΥΔΙΟΠΟΛΕΙΤΩΝ. ΝΕΩΚ. Satis esto ad infirmandam fidem, numum auctori non visum, sed corrigi tantum Occonem legentem ΜΥΔΙΟΠΟΛΕΙΤΩΝ, sed ut patet, non in melius. Vaillantius numum Caracallae protulit inscriptum:ΚΛΑΥΔΙΟΠΟΛΕΙΤΩΝ.ΝΕΩ. Est hic numus apud Tristanum, sed in quo legitur ΝΕΟ., non ΝΕΩ., atque hunc esse Neoclaudiopolis Paphlagoniae, in hujus urbis numis monui. Et vero si haec urbs fuisset neocora, non omisisset hujus mentionem honoris in numis posterioribus Bithynii nomine signatis. Vnde sequitur, certos hujus urbis numos cum *Claudiopolis* nomine non porrigi ultra Antoninum, atque etiam vulgatum hujus numum esse ambiguae fidei, ut mox dicetur.

* * *

Epocha in uno hactenus numo deprehensa est. Est is Domitiani cum anno ΡΜΔ. (Mus. Caes.) Fluctuat ergo initium

d) L. XIV. cap. 8.

epochae intra annos 691. et 706. Videntur Claudiopolitae usi aera Caesariana, nisi aliam privatam suam habuere.
AE. RR.

Imperatorii.

Nomine Bithynii.

Bithynii nomen vetus resuscitatum est abolito, saltem in numis, Claudiopolis vocabulo, inscripto ΒΕΙΘΥΝΙΕΩΝ. ΒΙΘΥΝΙΕΩΝ. Ejus causa videtur fuisse Hadrianus, qui hos Bithynienses propter natum apud eos Antinoum suum impensius dilexit derivato etiam adfectu in Mantinenses Arcadiae, quia ab his Bithynienses oriundi fuere, ut supra in *Arcadia* ex Pausania docuimus. Atque ut idem Hadrianus Mantinensibus, qui in Antigoni regis gratiam Antigonenses se vocavere, auctor exstitit, veteris Mantineae nominis restituendi, sic idem Bithyniensibus cognatis videtur persuasisse. Sane primi numi epigraphen Bithynii praeferentes sunt cum capite Antinoi. At quaeri potest, fueritne deinceps in moneta plane abolitum Claudiopolis nomen? Causam dubii facit numus Antonini cum nomine Claudiopolis, et typo botri, quem vulgavit Vaillantius. At videtur hic perperam Antoninum pro Hadriano vidisse. Sane in numo simili musei regii Harduinus Hadriani caput agnoscit. Deinde ipse olim numum Antonini ex museo Caesareo edidi inscriptum ΑΔΡΙΑΝΩΝ. ΒΙΘΥΝΙΕΩΝ., quo deinceps nomine numi hujus urbis omnes usque ad Gallienum, etsi rari, signati sunt. Desivit ergo deinceps inde ab Hadriano in numis appellatio Claudiopolis, etsi serius iterum ipsum hoc nomen praevaluerit; ut docent Notitiae, Itineraria, et Constitutio Justiniani [e]).

Antinoi numi inscribuntur: Η. ΠΑΤΡΙϹ. ΑΝΤΙΝΟΟΝ. ΘΕΟΝ. ΑΔΡΙΑΝΩΝ. ΒΙΘΥΝΙΕΩΝ. Nimirum, ut diximus, haec urbs Antinoi patria. Vide de his numos Antinoi. Memorabilis esset numus, quem Vaillantius ex museo Christinae citat, in quo: *Caput Commodi.* ✕ *Caput Antinoi.* In hoc numo, quem adcurate ipse Romae exploravi, aut caput Herculis juvenis, quod in aliis quoque hujus urbis numis sub Commodo percussis exstat, in caput Antinoi refictum est, aut Antinous prorsus non est, sed ipse Hercules. Opus enim valde rude est.

* * *

Hadrianam se urbs vocavit ob beneficia, quae ab Hadriano Antinoi sui gratia abstulit. Sic adhuc inscribitur in numo Gallieni.
AE. RR.

CAESAREA.

Mediterranea inter Rhyndacum fl. et Olympum montem, antea dicta *Smyralea*, aut *Smyrdiana*.

Autonomus.

ΘΕΟΝ. ΣΥΝΚΛΗ. *Caput muliebre turritum.* ✕ ΚΑΙΣΑΡΕΙΑΣ. *Sagitta intra coronam.* AE. II. (Pellerin.)

---

e) Novell. XXIX. tit. 8.

Caput muliebre velatum turritum ☓ ΚΑΙΣΑΡΕΩΝ. *Sagitta, in area monogramma.* AE. III. (Sestini Lett. T. IV. p. 102.)

Huic Caesareae suum numum tribuendum putat Pellerinius. Observandum in eodem numo una parte Є et C, altera E et Σ.

AE. RRRR.

Imperatorii.

Sunt cum capite Augusti, Lucii Caes., Claudii, et Neronis. Magnum huic urbi malum intentavit cl. Sestinus, cum edicto sanxit, omnes ejus numos restituendos Trallibus [f]. Sed mitius cum ea agendum censui ex causis, quas in moneta Trallium dabimus. Numos ergo hujus Caesareae statuimus sequentes:

ΟΥΗΙΔΙΟΣ. ΠΩΛΛΙΩΝ. ΚΑΙΣΑΡΕΩΝ. *Caput Augusti nudum.* ☓ ΜΕΝΑΝΔΡΟΣ. ΠΑΡΑΣΙΟΥ. *Templum 8. col., in area capricornus et caduceus.* Editus a Goltzio, (Num. Aug. Tab. 74.) eumque esse genuinum, probat similis sequens.

ΠΟΛΛΙΩΝ. ΚΑΙΣΑΡΕΩΝ. *Caput Augusti nudum.* ☓ *Eadem aversa.* AE. II. (Morelli Num. Aug. Tab. 41. n. 21.)

ΟΥΗΙΔΙΟΣ. ΚΑΙΣΑΡΕΩΝ. *Caput Augusti nudum, pone* ΣΕΒΑΣΤΟΣ. ☓ ΜΕΝΑΝΔΡΟΣ. ΠΑΡΡΑΣΙΟΥ. *Caput Jovis.* AE. III. (in meis Num. vet. p. 176. Pembrock P. II. Tab. 83.)

ΠΑΡΡΑΣΙΟΣ. ΜΕΝΑΝΔΡΟΥ. *Caput Augusti laur.* ☓ ΚΑΙΣΑΡΕΩΝ. *Figura nuda stans d. pateram, s. caduceum.* AE. III. (Pellerin.)

De his numis fusius disputavi in opere citato, ex quo compendio nonnulla excerpam.

Memoratur in illis famosus ille *Veidius Pollio*, a scriptoribus passim dictus Vedius Pollio libertinus, et secundum Plinium *ex amicis Divi Augusti.* Ejus quoque meminit marmor laudatum a Grutero [g], et marmor Atheniense recens editum a Chandlero [h]. Ο. ΔΗΜΟΣ. ΠΟΠΛΙΟΝ. ΟΥΗΔΙΟΝ. ΠΟΠΛΙΟΥ. ΥΙΟΝ. ΠΟΛΛΙΩΝΑ. Fuit oriundus ex hac Bithyniae Caesarea, neque dubium est, ab eo impetratum, ut quae *Smyralea* antea vocabatur, subinde *Caesareae* nomine fulgeret. Sic et Bithynio per Antinoi gratiam *Hadriani* nomen additum. Sane haec urbs neque antea, neque post inclyta fuit, quod ipsum et numorum egestas docet; argumento, se temporarium splendorem uni Veidio debuisse, quem adeo instar patroni sui, ut fere soli amabant Bithyni, in numis suis proposuit. Imperante Hadriano terrae motu graviter fuisse afflictam, docet Eusebius [i]. Serius in Notitiis hujus Caesareae nomen recurrit.

Perstringendi etiam copiosi lapsus in explicandis his numis admissi.

Spanhemius το ΟΥΗΙΔΙΟΣ interpretatus est *Ovidius*, et adstitutum caput dixit esse ejus poetae, quod reipsa Augusti est, ut patet ex addito ΣΕΒΑΣΤΟΣ numi III. Erroris causa fuit nu-

f) Lettere T. IV. p. 59. g) Pag. 224. 3. h) Inscr. ant. p. 52. i) In Chronic.

mus alius similis, qui ferebatur inscriptus: ΟΤΗΙΔΙΟΣ ΝΑΣΩΝ [k]). At fraudem detexit Massonius singulari dissertatione inserta Tomo IV. oper. Ovid. edit. Amstael. p. 121. Advertit enim, posteaquam numum novo examini subjecit, a falsario vocabulum ΚΑΙΣΑΡΕΩΝ in ΝΑΣΩΝ scite translatum esse, quo etiam loco pag. 127. testatur, parum exercitatum fuisse magnum Spanhemium in discernendis numis genuinis ab adulterinis. Prono altero errore idem Spanhemius caput numi III., quod Jovis dixi, propter vocabulum ΠΟΛΛΙΩΝ in aliis hujus generis numis scriptum esse *Asinii Pollionis* Augusto item perchari putat, cum tamen utrumque nomen ejusdem sit Veidii Pollionis. Nullam igitur ex his numis habemus aut Ovidii, aut Pollionis effigiem.

In numo simili Vaillantius et Harduinus pro ΟΤΗΙΔΙΟΣ perperam legerunt ΚΟΥΠΕΔΙΟΥ.

Idem Vaillantius, ac post eum Havercampus [l]) hos numos Caesareae Palaestinae signatos adseruere, quem lapsum jam notarunt Harduinus [m]) et Pellerinius [n]). Iam solum illud, quod in his numis mentio fiat Veidii Pollionis, eos huic Bithyniae Caesareae vindicat.

* * *

ΚΑΙΣΑΡΕΩΝ. *Capricornus*, in numo Lucii Caes. (Vaill.)

ΛΕΥΚΙΟΥ. ΚΑΙΣΑΡΟΣ. *Victoria.* Ӿ ΚΑΙΣΑΡΕΩΝ. *Aquila.* (Pellerin Suppl. II. p. 46.)

Dubium non videtur, numum hunc esse hujus Caesareae. In primo Augusti numo, quem supra descripsi, est item capricornus. Numum alterum Pellerinius dedit Caesareae Palaestinae, cujus tamen nullam certam video causam. Typus aquilae cultum Jovis eloquitur, quem praecipue fuisse observatum apud Caesaream Bithyniae, laudatus Augusti numus docet.

* * *

Capita Claudii et Messalinae se respicientia. Ӿ ΒΡΕΤΑΝΝΙΚΟΣ. ΚΑΙΣΑΡΕΩΝ. *Ipse togatus stans.* AE. II. (Morelli Impp. T. II. p. 57.)

Indicavit etiam Vaillantius, sed eum perperam in Palaestinam amolitur. (in num. Messalinae.)

* * *

ΚΑΙΣΑΡΕΩΝ. ΛΑΡΑΣΙΟΣ. *Jupiter stans*, in numo Neronis Caesaris. (Pellerin.)

Est hujus Caesareae causa inscripti magistratus, quem aliae Caesareae in monetam non vocaverunt. Sed Sestinus nomine ΛΑΡΑΣΙΟΣ. intelligendum Iovem Larasium censuit, sed quod minus certum, ut dicetur in Trallibus. Huc etiam haud dubie pertinebunt numi: ΚΑΙΣΑΡΕΩΝ. *Fasciculus 4 spicarum:* vel: *Pallas telum vibrans*, quos rursum Vaillantius Palaestinae largitur. Alius typo

---

k) T. I. p. 53. 54. et in Addend. p. 719. l) Impp. Morell. T. I. p. 408. m) Num. pop p. 38. n) Mel. II. p. 12.

equi gradientis apud eundem certe est Cymes Aeolidis, ut in hac monebo.

Cum Nerone desinunt certi hujus urbis numi hactenus cogniti. Addidit tamen unum Vaillantius cum capite Caracallae: ΚΑΙϹΑΡΕΩΝ. ΚΙΒΥΡΑΤΩΝ, quo indicari concordiam inter Caesarienses istos, et Cibyratas Phrygiae adseruit. At hoc loco το ΚΑΙΣΑΡΕΩΝ est honoris appellatio, ut in Cibyratarum numis dicemus.

* * *

Magistratum, ut vidimus, monetae inscripsere. In numis Augusti: ΜΕΝΑΝΔΡΟΣ addito ΠΑΡΑΣΙΟΥ, nempe patris nomine. In numo Neronis ΛΑΡΑΣΙΟΣ. At *Veidius Pollio* magistratus non est, sed verius patronus, ut supra diximus.

AE. RR.

CHALCEDON.

Vrbs illustris ad Bosporum Thracium, dicta *urbs caecorum*, quia Megarenses, qui urbem condidere, pejorem hunc situm elegerunt prae commodiore trans Bosporum alio, ubi postea Byzantium conditum. Vide praeter alios Tacitum o).

Autonomi.

Inscribuntur ΚΑΛ. ΚΑΛΧ. sed recentiores, ut et imperatorii plenius: ΚΑΛΧΑΔΟΝΙΩΝ. Apud scriptores est metathesis literarum K et X, scribunt enim Χαλκηδων. Dialectus Dorica H in A convertit. Numorum modum servat etiam marmor Latinum, quod Luculli res gestas laudat, in quo est CALCHADONA p). Goltzii ΧΑΛΚΕΔΩΝ certe fallit, nam in similibus Arigonianis est solitum ΚΑΛΧΑΔΟΝΙΩΝ. Fallit etiam Begeri ΧΑΛΚΗΔΩΝ, ut dicetur.

* * *

Caput barbatum nudum. ✕ *Quadratum informe.* AV. III (Pellerin.)

Caput simile. ✕ ΚΑΛΧ. *Rota.* AR. III. (Pellerin.)

ΚΑΛ. *Bos stans* ✕ *Quadratum incusum.* AR. III. (Mus. Caes.)

ΚΑΛΧ. *Bos spicae insistens.* ✕ *Quadratum incusum.* AR. fere II. (Pellerin.)

Horum primum Pellerinius nulla alia causa, nisi quod simile caput habeat illi, quod est in numo II., Chalcedonium putat. Reliqui tres, qui sine dubio hujus sunt urbis, longam praeferunt vetustatem. In numo III. litera K formae est insolentioris, quam habes in mea Sylloge I. p. 33.

In autonomis reliquis typi obvii.

* * *

Concordiam cum Byzantio e regione posito indicant numi inscripti ΒΥΖΑΝ. ΚΑΛΧΑ., de quibus egi in numis Byzantii.

* * *

Vulgavit Begerus numum cum praetensa epigraphe ΧΑΛΚΗΔΩΝ, et typo lyrae intra quadratum q). Sed eum esse Chalcidis Euboeae, jam vidit Pellerinius.

AV. dubius, *AR. RRR. AE. RR.*

---

o) Ann. XII. 63.

p) Gori Inscript. T. II. p. 255.

q) Thes. Br. T. I. p. 486.

Regius.

De argenteo max. mod. cum capite et epigraphe Lysimachi Thraciae regis, quem edidi ex museo Savorgnan r), egimus in numis hujus regis.

Imperatorii.

A Trajano ad Tranquillinam usque.

Epigraphe constans ΚΑΛΧΑΔΟΝΙΩΝ., sed Vaillantius plerumque obtrudit ΚΑΛΧΑΔΩΝΙΩΝ.

Typi in Apollinis cultu plerumque occupantur. Et vero antiquissimum Chalcedone stetisse ejus dei templum testatur Lucianus s). Quare in his numis frequens *lyra*, *tripus obvoluto serpente*, *gryphus*. Saepe ipse *cycno sublime effertur*, nimirum fuisse cycnos Apollinis adsessores, et canoros homines, antequam in aves mutarentur, narrat idem Lucianus t), et ab Apolline junctis cycnis Cyrenen Hypsei filiam in Libyam avectam, refert Pherecydes u). Teste Nonno x).

λυρην δ' ἐρρiψεν Απολλων,
Και πτεροεις πεποτητο λιπων πτεροεντας ὀιστους
Ειδος ἐχων κυκνοιο.

lyram projecit Apollo,
Et alatus avolavit relinquens alatas sagittas
Formam habens cycni.

Denique Socrate auctore y) cycni sunt Apollinis ministri, et vaticinandi arte praediti, canuntque suavius instante morte, quia laetantur, se brevi cum Apolline suo conjunctum iri.

* * *

Magistratus ΙΠΠΩΝ sine mentione dignitatis in numo Antinoi. (Seguin.)
AE. R.

CIEROS.

Autonomum inscriptum ΚΙΕΡΕ. Pellerinius Prusiadi ad Hypium tribuit, quam sententiam infra in numis *Prusiadis ad mare* refutabimus.

CIVS.

Numos hoc nomine inscriptos vide infra in *Prusiade ad mare*.

CLAVDIOPOLIS.

Vide altius *Bithynium*.

CRATIA.

Vide mox in *Flaviopoli*.

EREBOEA.

Imperatorius Commodi: ΕΡΕΒΟΙΩΝ. *Hercules stans.* At Ptolemaeus, qui unus obscure hujus urbis inter mediterraneas Bithyniae meminit, eam vocat Ερiβοιαν. Ceterum hic numus a nemine alio laudatur, praeterquam a Vaillantio et Harduino.
AE. RRRR.

FLAVIOPOLIS.

Mediterranea, olim dicta *Cratia*, Κρατεια, sed numi Κρητιεων scribunt, forte Ionice. Appellata serius *Flaviopolis*, in

r) Num. vet. p. 62. s) In Pseudomant. t) De Electro. u) Schol. Apollonii ad L. II. v. 500. x) Dionys. L. II. v. 218. y) Apud Platon. in Phaedon.

numis tamen novo nomini vetus fere constanter additur. Aevo inferiore sola appellatio prisca videtur in usu fuisse, ut apparet ex Constitutionibus et Notitiis.

Imperatorii.

A Severo usque ad Gallienum.

Epigraphe: ΚΡΗΤΙΕΩΝ. ΦΛΑΟΥΙΟΠΟΛΕΙΤΩΝ. – ΚΡΗΤΙΑ. ΦΛΑΟΥΙΟΠΟΛΙC., in unico Caracallae numo apud Vaillantium ΚΡΗΤΙΕΩΝ tantum.

Typi obvii. Apud Liebeum [z]): *Satyrus capripes, vel ipse Pan cornutus stans d. adsilientem hinnulum arripit, s. pedum et hinnuli exuvias.*

AE. RR.

GERMANICOPOLIS.

Sintne huic Bithyniae urbi aliqui numi tribuendi, disputatum supra in Germanicopoli Paphlagoniae.

HADRIANI.

Mediterranea ad Olympum M. quod docent numi, situ tamen minus certo, quae causa fuit, cur a quibusdam Mysiae urbibus accenseretur, nam Olympi jugum saltem Australe in Mysiam pertigit. De hoc vide plura in meis Numis vet. p. 179., et apud Massonum in vita Aristidis §. III.

Autonomi.

Protome Aesculapii. Ӿ ΑΔΡΙΑΝΕΩΝ. *Telesphorus stans.* AE. III. (Mus. Caes.)

ΙΕΡΟC. ΔΗΜΟC. *Caput juvenile laur.* Ӿ ΑΔΡΙΑΝΕΩΝ. *Fortuna stans.* AE. II. (Pellerin.)

AE. RRR.

Imperatorii.

Ab Hadriano ad Saloninam usque.

Epigraphe: ΑΔΡΙΑΝΩΝ. ΑΔΡΙΑΝΕΩΝ. Varius hic scribendi modus nonnullos adhaerere fecit, cui ex pluribus hujus tractus oppidis ab Hadriano nomen sortitis recte adscribendi sint hi numi. At enim numi utroque modo inscripti conspirant in magistratu archonte et nonnunquam etiam typis, ut adeo dubium non videatur, utrosque ad hos Olympi Hadrianos pertinere. Diversitas scripturae ΑΔΡΙΑΝΩΝ, et ΑΔΡΙΑΝΕΩΝ diversas urbes non arguit, nam perinde legitur ΤΥΑΝΩΝ, et ΤΥΑΝΕΩΝ, tum ΝΙΚΑΕΩΝ, et ΝΙΚΑΙΕΩΝ. Vide huc spectantia etiam in proxima Hadrianopoli.

Typi admodum varii, sed argumenti obvii.

ΑΔΡΙΑΝΩΝ. ΤΥΧΗ. *Caput muliebre turritum*, in numo M. Aurelii. (Vaillant.)

Similem Lucillae Vaillantius Adramnis Coelesyriae, nescio quibus, tribuit. Forte in utroque legendum ΑΔΡΑΗΝΩΝ, sic ut numi hi sint Adraae Arabiae. Sane in vicina Bostra eadem occurrit epigraphe, idem typus.

* * *

z) Pag. 318.

Magistratus.

Archon ΑΡΧ., etiam Α. ΤΟ. Β. legitur in numis Aurelii, Valeriani, Saloninae. (Vaill. Arigoni.)

Praetor: ЄΠΙ. СΤΡΑ. ΔΙΟΔ. ΦΙΛΟΞ. ΤΟΥΚ. (sic) Γ. ΙΟΥΛ. ΑΔΡΙΑΝΟΝ. (sic) Antonini. (Pellerin.) ЄΠΙ. СΤΡΑ. ΑΥΡ. ΛΟΛ. ΠΡΟΚΛΟΥ. ΑΔΡΙΑΝΕΩΝ. Elagabali. (Mus Albani.)

* * *

Mentio situs: ΑΔΡΙΑΝΩΝ. ΠΡΟС. ΟΛΥ. ΟΛΥΜ. ΟΛΥΜΠΟΝ, insolentius: ΑΔΡΙΑΝΕΩΝ. ΕΝ. ΟΛΥΜΠΩ, in numo Hadriani. (Sestini Lett. T. IV. p. 103.)

* * *

Concordia cum vicinis Nicaeensibus, et Cianis.

AE. RR.

HADRIANOPOLIS.

Vaillantius et Harduinus numos omnes hoc nomine inscriptos Hadrianopoli Thraciae adjudicavere. At cognitos hactenus habemus numos aliquot, qui ex certis indiciis ejus monetae detrahendi sunt, ut continuo patebit.

Autonomus:

Caput Palladis. ✕ ΑΔΡΙΑΝΟΠΟΛΙΤΩΝ. *Deus Mensis stans d. - - - s. hastam.* AE. II. (Hunter.)

Mensis effigies in moneta urbium Europaearum insolens, at obvius in numis urbium Asiae minoris.

Imperatorii.

ΑΔΡΙΑΝΟΠΟΛЄΙΤΩΝ. ЄΤ. ΒΞ. *Diana venatrix*, in numo Severi. (Vaill.)

In Thraciam pertinere hunc numum recte negarunt Wisius, et Pellerinius, nam hujus urbes monetae suae inscripsisse annos epochae, non constat. Accedit, mirum omnino videri, ex tot Hadrianopolis Thraciae numis, quibus musea omnia abundant, unicum hunc esse numum epocha insignem. Quare cum aliae fuerint extra Thraciam Hadrianopoles, harum una manifesto respicienda.

ΑΔΡΙΑΝΟΠΟΛЄΙΤΩΝ. ЄΠΙ. СΤΡΑ. СΑΝΑΙΔΟΥ. *Imperator stans adstante hinc Pallade, inde muliere stolata d. amphoram gestante*, in numo Hadriani. (Pellerin. Rec. III. p. 210.)

Praetores Hadrianopolis Thraciae in numis non habuit, sed praesides, ἡγεμονας.

ΑΔΡΙΑΝΟΠΟΛ. ΑΡΧ. ΔΙΟΦΑΝΤΟΥ. ΑΛЄΞ. *Victoria gradiens, in area* СЄ. in numo Alexandri Sev. (Pellerin. l. c.)

Rursum Hadrianopoli Thraciae obstat magistratus archon, atque etiam literae СЄ., si modo hae epochae annum notant.

Ad quam ergo Hadrianopolin citati hic numi pertineant, inquirendum. Ex nonnullis, quae hoc nomine extra Europam memorantur, Hadrianopolis illa, quae ab Hierocle et Notitiis Bithyniae accensetur, unum alterumve saltem ex citatis hic numis sibi videtur vindicare. Bithyniae urbes nonnullae epocham et magistratus varios in numis proposuere. Tamen ad unam eandemque urbem vix pertinebunt numi loco II. et III. laudati, quia illius magistratus dicitur praetor, hujus archon, nisi forte eadem urbs

tempore Hadriani habuit praetorem, aetate Alexandri archontem, quod idem mox supra vidimus in Hadrianis, et videbimus infra in Hadrianotheris et Nicomedia. Neque ejusdem urbis esse possunt numi I. et III., si modo *το* CЄ. numi III. epocham notat. Dificile est, de his numis certi quid statuere, cum quod exiguus adhuc est eorum numerus, et pauci ii nullum certum criterium offerunt; tum quod plures fuere Hadrianopoles. Quin dubium non est, fuisse urbes plures, quae adscititium ab imperatore quopiam nomen tulere, quin de eo nobis constet. Quis nostrum sciret, Stratoniceam Cariae Hadrianopolin quoque dictam, nisi istud adsereret Stephanus, et numus nuper repertus confirmaret? Vt adeo absonum non sit conjicere, posse unum alterumve ex his numis ad urbem aliquam pertinere, quae dissimulato vetere suo nomine aliquamdiu adscititio novo usa fuerit. Quare, ut veritas certius eruatur, exspectandae adhuc aliae numorum suppetiae.

* * *

Epocham BΞ. Vaillantius, Harduinus, Froelichius duxere ab anno V. C. 885. Id certum, cuicunque Hadrianopoli hic Severi numus tribuendus est, epochae principium cadere intra annos imperii Hadriani, a quo ea urbs seu condita, seu instaurata, seu beneficiis ornata nomen accepit inducta insuper nova epocha. In area numi III. legitur CЄ., quae literae a reliquis avulsae epochae annum videntur testari. Quo pacto alteram habemus Hadrianopolin; nam una eademque urbs, quae in Severi numo signavit annum BΞ., in numo Alexandri CЄ. scribere non potuit.

* * *

Erant, qui Hadrianos et Hadrianopolin unam urbem putarent. Hos inter fuit Carolus a S. Paulo, sed quem in subjecta nota jure correxit Lucas Holstenius [a]), in quo et erravit Fabricius. (Bibl. Graec. L. IV. c. 30. p. 376.) Atque ut aliis argumentis abstineam, in Notitiis manifeste inter utramque distinguitur. Pellerinius conjicit, Hadrianos ad Olympum etiam Hadrianopolis nomine signasse monetam [b]). At non videtur verisimile, Hadrianos altero hoc nomine usos, quo nomine in vicinia urbs alia praedita fuit.

HADRIANOTHERAE.

Vrbs mediterranea, et, ut ex Notitiis arguitur, in vicinia Hadrianorum versus Mysiam, nisi in hac reipsa sita fuit, nam auctores plerique eam huic inserunt. Condita fuit ab Hadriano, ut nomen arguit, et testatur Spartianus in ejus vita: *Oppidum Hadrianotheras in quodam loco, quod illic feliciter esset venatus, et ursam occidisset, aliquando constituit:* Et Dio [c]) *και πολιν ἐν τῃ Μυσιᾳ ὀικισας Αδριανῃ Θηρας ἀυτην ὠνομασεν*, *et conditam in Mysia urbem* Hadriani venationes *vocavit.* Quibus adde Cedrenum.

Autonomi.

Caput Herculis cum clava. ✕ ΑΔΡΙΑ-

a) Geogr. sacr. p. 252. b) Rec. II. p. 20. c) L. LXIX. 10.

ΝΟΘΗΡΙΤΩΝ. *Leo.* AE. III. (Pembrock.)

ΙΕΡΑ. ΣΥΝΚΛΗΤΟΣ. *Caput juvenile.* ✠ *Eadem epigraphe. Aesculapius stans.* AE. II. (Pellerin.)

AE. RRRR.

Imperatorii.

Ab Hadriano usque ad Philippum.

Epigraphe, ut in autonomis. In numo Severi max. mod. apud Arigonium mendose urbis nomen scribitur ΑΔΡΙΑΝΟΘΥΡΥΤΩΝ, geminato errore; rectius in numo simillimo musei Albani, ejusdemque Severi: ΑΔΡΙΑΝΟΘΗΡΕΥΤΩΝ, ut adeo duplex habeamus urbis gentile, Αδριανοθηριτης, ut passim, et Αδριανοθηρευτης, et recte istud, nam Αδριανοθηρα est *Hadriani venatio*, et Αδριανοθηρευτης. *Hadriani venator.*

Typi illustriores: *Caput ursi*, quod refertur ad ursam ab Hadriano in venatione peremptam, ut diximus. *Caput apri* in numo Antinoi, scripto juxta: ΑΔΡΙΑΝΟΥ. ΘΗΤΑ. *Hadriani servus*, ut legit, et interpretatur auctor musei Theupoli. Quis non videt, legendum hic esse ΑΔΡΙΑΝΟΥΘΗΡΑ, atque adeo lepidam ejus interpretationem penitus elusam?

* * *

Magistratus Vaillantius in numo Domnae legit. ΕΠΙ. ΔΙΟΓΕΝΟΥΣ. ΑΡ. Vnde doceremur, fuisse *archontem* hujus urbis magistratum. At Pellerinius in binis suis ejusdem Domnae, et cum eodem aversae typo Severi equitis legit: ΣΤΡ. ΔΙΟΓΕΝΟΥΣ. (Mel. II. p. 139.) Pellerinii judicium confirmat citatus ex Arigonio Severi numus, in quo: ΕΠΙ. Σ. ΠΑΝΚΡΑΤΙΟΥ. ΔΙΟΓΕΝΟΥΣ. Ergo *praetores* habuit ea urbs saltem Severi aetate, nam habuisse eam serius archontem, docet numus Vaillantii cum capite Philippi sen., nisi forte et hic dormitet vir praestans, in quo: ΕΠΙ. ΑΥΡ. ΣΩΚΡΑΤΟΥΣ. ΑΡΧ. Α.

AE. RR.

HERACLEA.

Maritima in Maryandinis, colonia Megarensium et Tanagraeorum, unde in numis dialectus Dorica, quanquam ea non constanter valuit, ut videbimus. Aedificatam a Boeotis oraculi monitu prolixe narrat Iustinus [d]). Fuit urbs aliquando potens, quae proprios etiam tyrannos habuit, quorum numos infra prodemus. De hujus fortuna urbis vide Memnonem [e]) et Buonarrotium [f]).

Autonomi:

ΤΟΝ. ΚΤΙΣΤΑΝ. *Protome Herculis capite diademato addita clava.* ✠ ΗΡΑΚΛΕΩΤΑΝ. - - ΠΟΝΤΩ. *Hercules Cerberum fune trahens, juxta signum Cereris super basi.* AE. m. m. (Pellerin. Suppl. III. p. 81.)

Alius sed cum epigraphe ΗΡΑΚΛΕΩΤΑΝ. ΜΗΤΡΟΠΟΛΙΤΑΝ. (Harduin. Num. urb. p. 67.)

Numi hi docent, Herculem ab Heracleotis conditorem habitum, typum vero explicat Mela de hac Heraclea disserens [g]): *juxta specus est Acherusia, ad*

d) L. XVI. c. 3. e) B. L. T. XIV. p. 279. f) Osserv. ist. p. 275. g) L. l. c. 10.

manes, ut ajunt, pervius, atque inde extractum Cerberum existimant. In eandem sententiam Xenophon [h]), et Eustathius [i]). Epigraphe reliqua explicabitur in imperatoriis.

* * *

Caput Herculis. ☧ ΗΡΑΚΛΕΙΑ. *Caput muliebre corona fastigiata, et floribus distincta.* AR. III. (Pellerin.)

Caput Herculis. ☧ ΗΡΑΚΛΕΙΑ. *Clava.* AR. IV. (Mus. Caes.)

Caput Herculis. ☧ ΗΡΑΚΛΕΩΤΑΝ. *Clava, pharetra, arcus.* AE. II. (Mus. Caes.) In alio simili: ΗΡΑΚΛΕΩΤΑΝ. ΘΡ. AE. III. (Sestini Lettere T. IV. p. 93.)

Vt moneta vetus insignem offert numorum copiam cum Heracleae inscriptione, ita in multis admodum dubium, cui ex tot Heracleis per tres orbis partes sparsis sint tribuendi. Quocirca res ad unas saepe conjecturas redit. Numum ex hic descriptis primum huc vocat Pellerinius, quia caput muliebre cum simili corona comparet in numis vicinae Cromnae. Plus fiduciae in binis sequentibus musei Caesarei, quod eos Ill. Comes Ludolf in his oris degens apud hanc Heracleam reperit. Praetereo copiosos numos alios propter dictam causam jure ἀδεσποτης. Sestinius numum suum Heracleae Thraciae tribuendum conjecit, quia literae ΘΡ. significare possent ΘΡακων. Sed Heracleam Thraciae in numis semper dictam Perinthum, neque usam fuisse dialecto Dorica, quia opus Ionum fuit, alibi dixi.

* * *

Pellerinius argenteum inscriptum ΤΕΡΣΙΚΟΝ, ut olim Hercules Cerberum, ad hanc urbem vi adegit, qui Tarsi Ciliciae est, ut in hujus numis dicetur.

Idem aeneum, in quo hinc *Caput Jovis*, inde H *intra coronam*, hujus esse Heracleae conjecit, sed quem potius permittendum Elidi, in hujus regionis numis verisimile diximus.

AR. RR. AE. RR.

Imperatorii.

Incipiunt sub Trajano, ab hoc usque ad Severi tempora nullus cognitus; inde usque ad Gordianum porriguntur saltem certi; nam quos cum capite Gallieni et Saloninae obtulit Pellerinius, utrum huc pertineant, non satis expeditum.

Epigraphe sub Trajano: ΗΡΑΚΛΕΩΤΑΝ. ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΙΤΑΝ. A Severo usque ad Gordianum multa inconstantia: ΗΡΑΚΛЄΙΑC. ΗΡΑΚΛΗΑC., quin etiam (si modo bene legit Vaillantius) ΗΡΑΚΛЄΩΝ. ΗΡΑΚΛЄΩΤΩΝ, addito in omnibus his constanter ЄΝ. ΠΟΝΤΩ. Sub Gordiano: ΗΡΑΚΛЄΩΤΑΝ. ЄΝ. ΠΟΝΤΩ., aut, ut sub Trajano: ΗΡΑΚΛЄΩΤΑΝ. ΜΑΤΡΟΠΟΛЄΙΤΑΝ. Ex quo colligimus, usque ad Severi tempora valuisse dialectum Doricam, ab hoc Ionicam, priorem retractam sub Gordiano, forte quia civitas promiscue

h) Exped. Cyri L. VI.

i) Ad Dionys. v. 791.

ex Doribus et Ionibus constiterit. Dores conditores supra narravimus. Per dialectum Ionicam juvari posset Strabo, qui diserte binis locis Heracleam Milesiorum coloniam profitetur k), nisi eam omnium veterum consensus Dorum faceret, et iis locis eruditi pro Μιλησίων legendum censerent Μεγαρέων. At haec utriusque gentis permixtio accidere facile potuit multis Milesiorum coloniis in eo tractu positis.

* * *

Typos Hercules conditor plerumque suppeditavit, aut *Hesperidum poma tenens*, aut *taurum*, aut, ut est in insigni musei Caes. numo, *equum Diomedis domans;* aut *aprum Erymanthium humeris gerens*, aut *Amazonem fugientem insequens*, aut, ut in numis Gordiani, *Cerberum catena trahens.* Illustrior est sequens:

ΗΡΑΚΛΕΩΤΑΝ. ΜΑΤΡΟϹ. ΑΠΟΙΚΩΝ. ΠΟΛΙΩΝ. *Theatrum turba refertum, intra quod templum, statua Herculis sedentis, juxta victor stans cum palmae ramo*, in numo Gordiani. (Buonarroti Osserv. ist. p. 275.)

Singularis hujus epigraphes explicatio continuo dabitur.

* * *

Metropolis. Vaillantius binis locis numos inscriptos ΗΡΑΚΛΕΩΤΑΝ. ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΙΤΑΝ. Heracleae Thraciae tribuit l). Fuit haec eadem cum Perintho, at haec multo serius Heracleae appellationem accepit, ut constat ex ejus numis, in quibus usque ad Gallienum Perinthi nomen durat. Quare hi numi Heracleae nomine inscripti Perinthum Heracleam revocari non possunt. Agnovit ipse eodem in opere difficultatem m), quare aliam Heracleam respexit. Exclusit tamen etiam hanc Bithyniae ob metropolis titulum, quia in Ponto duae jam fuerint metropoles, Amasea et Neocaesarea. Rem primum in medio reliquit Pellerinius n), at serius ipse agnovit, numos cum hac inscriptione esse hujus Heracleae, titulum autem metropolis esse potius honoris epitheton o). At vero hanc litem optime componunt citati supra autonomi duo, unus Pellerinii, qui inscribitur: ΗΡΑΚΛΕΩΤΑΝ. ΕΝ. ΠΟΝΤΩ, Harduini alter: ΗΡΑΚΛΕΩΤΑΝ. ΜΑΤΡΟΠΟΛΕΙΤΑΝ., qui cum certe sint unius ejusdemque urbis, patet, eam Heracleam, quae in Ponto fuit, fuisse etiam metropolin.

Nequaquam huic sententiae officit, quod adversus eam adfert Vaillantius, fuisse jam binas in Ponto metropoles, neque cum Pellerinio confugiendum ad titulum mere honorificum, aut quod exiguae saltem Bithyniae partis cum jurisdictione fuerit metropolis. Etenim vocabuli metropoleos non una fuit significatio, ut late explicabitur in Tractatu de Metropolibus. Alia enim est *urbis matris*, nimirum quae colonias eduxit, alia, at sensu minus proprio, capitis provin-

k) L. XII. p. m. 816. 817. l) Num. Graec. p. 150. et 196. m) pag. 208. n) Mel. II. p. 254. o) Suppl. III. p. 83.

ciae. Vt Augustorum aevo urbes omnes, quae metropoles se dixere, fuere tantum metropoles in altera hac significatione, sic una fuit Heraclea, quae se metropolin, *matrem urbium* dixit, nimirum ut in citato supra Gordiani numo ipsa de se jactat: ΜΑΤΡΟϹ. ΑΠΟΙΚΩΝ. ΠΟΛΙΩΝ., *matris coloniarum urbium*. Et vero colonias aliorsum deduxisse Heracleotas, innuit Aristoteles p), quas inter fuere Chersonnesus Taurica, et Callatia Moesiae, de quo vide Buonarrotium hujus numi eruditum interpretem q). Fallitur igitur Harduinus, qui prima hac significatione nusquam vocabulum metropolis in numis occurrere adseruit r).

* * *

Mentio situs ΕΝ. ΠΟΝΤΩ., quod in numis hujus urbis certis semper additur, nisi quando pro hoc scriptum est ΜΑΤΡΟΠΟΛΙΤΑΝ., ut adeo alterutro epitheto satis se ab aliis Heracleis putaverit discretam. Scripsit autem se *Ponti*, non quod in Ponto proprio sita esset, sed quod Ponto Euxino adjaceret, qua ratione etiam Tomitae Moesiae se scripsere ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩϹ. ΠΟΝΤΟΥ. Sic etiam nostram hanc Heracleam his verbis laudat Stephanus: πολις Θρακης ἐν τῳ Ποντῳ, quo loco eo sensu videtur Heracleam dicere Thraciae, quia Maryandinos, in quibus posita fuit, revera fuisse Thracas conjectat Strabo, consentiente etiam Xenophonte s), et Arriano t).

* * *

Concordiam inter hos Heracleotas et Sebastenos seu Phrygiae, seu Galatiae vidit Pellerinius in numo Severi: ϹΕΒΑϹΤ. ΗΡΑΚΛΕΩΝ. (Mel. II. p. 123. et 308.) Ait vir eruditus, fabricam hujus numi esse similem fabricae aliorum hujus urbis numorum, de quo ipse viderit. At qua ratione ipse serius potuit adserere, hujus urbis nomen non scribi, nisi ΗΡΑΚΛΕΙΑϹ. vel ΗΡΑΚΛΕΩΤΑΝ u)? Revera hoc dempto in nullo alio scriptum reperio ΗΡΑΚΛΕΩΝ., nisi in numo Maesae, quem citat Vaillantius. Cujuscunque Heracleae numus est, vix credam indicari concordiam, nam neque hujus Heracleae, neque utriusque Sebastes conspectus hactenus concordiae numus, et το ϹΕΒΑϹΤ. videtur potius nomen urbis honorificum.

* * *

Neocoratum etiam huic urbi unus largitur Pellerinius, commemorando I. numum Gallieni ΗΡΑΚΛΕ - - ΝΕΩΚΟΡΩ. typo *urnae ludorum*, ex cujus numi fabrica rursum conjectat, numum hunc hujus esse urbis. (Mel. II. p. 222.) II. ex numo Saloninae: ΗΡΑΚΛΗΑϹ. ΝΕΩΚΟΡΩΝ. typo *Veneris stantis, et d. pomum ostentantis*. (Suppl. I. p. XI.) Intentat rursus fabricam, et quod nulla alia Haraclea in numis scripsit ΗΡΑ-

p) Politic. L. V. c. 5. q) L. c. r) Num. pop. in Amasia. s) Exped. Cyri. L. VI. t) In Periplo. u) Suppl. III. p. 83.

ΚΛΗΑϹ. Observa, rursum hoc loco sibi contradicentem Pellerinium, qui aliam hujus urbis epigraphen serius non agnovit, quam ΗΡΑΚΛЄΙΑϹ. vel ΗΡΑΚΛЄΩΤΑΝ., ut mox diximus. Vocabulum quidem ΗΡΑΚΛΗΑϹ in certo hujus urbis numo musei Caesarei cum capite Caracallae observatur; interea Pellerinii argumenta, numos hos cum mentione neocoratus huc pertinere, tanta non videtur, ut non aliis Heracleis per Asiam positis tribui queant.

Magistratus, proconsul: ΕΠΙ. ΜΑΡΚΟΥ. ΠΛΑΝΚΙΟΥ. ΟΥΑΡΟΥ. ΑΝΘΥΠΑΤΟΥ. in numo Vespasiani, de quo vide prolegomena ad Bithyniam.
AE. R.

REGES HERACLEAE.

Historiam tyrannorum Heracleae conscripsit Memnon, quam ad summa capita redactam servavit Photius x), Gallice deinde redditam illustravit Gedoynus y). Is primum Heracleae tyrannum vocat CLEARCHVM Isocratis et Platonis discipulum, crudelem tamen, et sanguinarium. Tyrannidem adiit teste Diodoro Siculo V. C. 390., fuitque aequalis Artaxerxis Mnemonis. Caesus est a conjuratis anno XII. tyrannidis. Successit frater SATYRVS, idemque tutor liberorum Clearchi, crudelitate ante omnes tyrannos infamis, una tutela raro sanctimoniae exemplo obita illustris. Ei post septennium vita functo successere nepotes ex fratre.

TIMOTHEVS et DIONYSIVS.

Timotheus fratre Dionysio in tyrannidis collegium adscito, magna humanitatis ac prudentiae laude remp. administravit. Annis XV. secundum Diodorum in imperio exactis inter publicum ac sincerum suorum luctum elatus est.

Successit frater DIONYSIVS, qui pericula, quae sibi ab Alexandro M. victis Persis Asiae imperante, eoque mortuo ab ejus ducibus impendebant, prudentia ac sagacitate elusit. Ducta deinde uxore Amastrie ex Persiae regum sanguine, de qua infra, amplas nactus opes, et nomen illustrius paullo post in nomen quoque regium invasit, et conciliata sibi ducum Alexandri amicitia sui jam securus, empta pretiosa Dionysii II. Syracusani supellectile, quem sui tyrannide dejecerant, coepit magnificentiam et mollitiem regiis curis anteferre, sed aucta inter haec supra quam credi potest corporis pinguedine, cum annos XXX. magna moderationis laude regnasset, relictis ex Amastrie liberis, de quibus infra, decessit. De hominis sera incontinentia, et abdomine vide elegantia duo veterum epigrammata z).

N u m i :

Caput Apollinis, ut aliis visum, Bacchi. Ӿ ΤΙΜΟΘΕΟΥ. ΔΙΟΝΥΣΙΟΥ. *Hercules stans elata clava tropaeum constituit.* AR. III. (Haym. Pellerin.)

Caput Bacchi hedera coronatum, retro thyrsus. Ӿ ΔΙΟΝΥΣΙΟΥ. *Hercules stans*

x) Cod. 224. y) B. L. Mem. T. XIV. p. 279. z) Analect. Brunck. T. II. p. 72. et 434.

d. elata, *s. tropaeum contingit*, *cui inclinatur clava.* AR. III. (Mus. Caes.)
AR. RRR.

AMASTRIS.

Patrem habuit Oxathrem Darii Codomanni fratrem. Volente Alexandro M. nupta Cratero, quem inter principes is duces habuit, sed ab hoc post Alexandri mortem repudiata Dionysio Heracleae tyranno sese uxorem, et una amplas suas facultates obtulit. A mariti excessu tutrix liberorum, ac postea Lysimacho Thraciae regi matrimonio juncta, insigni aliquamdiu apud novum maritum gratia valuit, donec hic novis nuptiis Arsinoes Ptolemaei Philadelphi sororis sese illigasset. Heracleam redux urbem in Paphlagonia aedificat de suo nomine dictam Amastriam, post a filiis in mare abjecta teterrimo parricidio sublata est, non impune, nam a Lysimacho, qui Amastriem etsi facta discessione semper tamen amaverat, pertracti in retia, captique matris manibus immolati sunt.

Filii ex Dionysio: *Clearchus* et *Oxathres*, par impium, merito caesi a Lysimacho, ut diximus; filia *Amastris.* Filium *Alexandrum* eruit Gedoynus ex Polyaeno [a]), sed natum Amastrii ex Lysimacho.

Numus:

Capul forte Amastrios cultu peregrino.
Ӿ ΑΜΑΣΤΡΙΟ. ΒΑΣΙΛΙΣΣ. *Mulier sedens capite turrito d. Victoriolam tenet.* AR. III.

Ediderunt ex museo reginae Christinae Spanhemius [b]), et Holstenius [c]). Similem etiam, sed aeneum, dedit Exc. Comitissa de Bentinck cum epigraphe ΑΜΑΣΤΡΙΟΙ. ΒΑΣΙΛΙΣΣ., in quo, si genuinus est, legendum certe ΑΜΑΣΤΡΙΟΣ.
AE. RRRR.

IVLIOPOLIS.

Strabo, Ptolemaeus, aliique Iuliopolin in Bithynia collocant, at Plinius disertis verbis binas hoc nomine, non tamen satis prope earum situm definit. Vnam Olympo M. et Mysiae admovet: *nunc sunt XII. civitates*, *inter quas Gordiu-come*, *quae IVLIOPOLIS vocatur* [d]). Hanc etiam nominat Strabo, quam narrat fuisse patriam Cleonis latronum ducis, qui eam in Augusti gratiam *Iuliopolin* apellavit. De altera Plinius sic: *intus in Bithynia colonia Apamena, Agrippenses, IVLIOPOLITAE, Bithynion. Flumina: Syrium - - Scopius* [e]). De his vide plura apud Cellarium. Numi hoc nomine inscripti non infrequentes exstant, quos antiquarii Bithyniae quidem tribuunt, non tamen facto utriusque Iuliopolis discrimine, credo, quod certi nihil ea in re definiri possit. Commemorabo hic numos sic inscriptos additis levibus conjecturis.

Imperatorii.

Editi a Trajano usque ad Valerianum.

---

a) L. c. p. 286. b) Tom. I. p. 494. c) Not. ad Steph. sub Αμαςρις. d) L. V. §. 40. e) L. V. §. 43.

Epigraphe: ΙΟΥΛΙΟΠΟΛЄΙΤΩΝ. in numo Commodi, in quo hic, ut in numis Romanis, ΗΡΑΚΛΗϹ dicitur; etiam ΙΟΥΛΙΟΠΟΛΙϹ. (Vaillant.)

Typi variant; potiores sunt: *deus Mensis* vario cultu, *tria signa militaria.*

* * *

Mentio situs exstat in binis numis:

ϹΚΟΠΑϹ. *Fluvius decumbens d. arundinem*, in numo Getae. (Vaill.)

Duo fluvii decumbentes, quorum is, cui adscriptum: ϹΑΝΓΑΡΙΟϹ, *remum manu tenet, alter, juxta quem* ϹΚΟΠΑϹ, *ramum vel arundinem*, in numo Severi.

Alterum hunc, eumque illustrem numum olim edidi ex museo Comitis Festetits f). Alium similem serius vidi in museo ill. Com. Vitzai. Scopas fluvius idem est, quem supra vidimus a Plinio dici *Scopium*. Sangarius, vel Sagaris legitur etiam in numis vicinae Nicaeae, quam vide. De utroque flumine pluribus egi in citato opere.

Neocoratus.

ΙΟΥΛΙΟΠΟΛЄΙΤΩΝ.ΝЄΩΚΟΡΩΝ. *Pallas stans d. hastam, s. Victoriolam, ex adverso Mercurius d. crumenam, s. caduceum, in utriusque medio fluvius decumbens*, in numo Caracallae max. mod. (Mus. princ. Waldeck.)

Vnicus hic est Iuliopolis numus, in quo scriptum neocoratum viderim.

* * *

Video, complures numos Iuliopolis nomine notatos tam fabrica, quam typo, nempe *trium signorum militarium*, similes esse numis Nicaeae, in quibus hic typus inde a Caracalla obvius. Quid quod et Sangarius fluvius numo Domnae a Nicaeensibus signato inscriptus est. Quare videntur hi numi tribuendi Iuliopoli illi, quae prae altera Nicaeae vicinior fuit. Alterius Iuliopolis videntur esse illi, quibus typus est Mensis, qui Galaticum quid, et Phrygium sapit, et vix in interioris Bithyniae moneta observatur. Sane Ptolemaeus Iuliopolin aliquam ultra Dadastanam ad fines Galatiae promulgat, cui etiam eandem ob causam tribuendum crederem numum Valeriani cum Cybele sedente. (Arigoni.) De reliquis numis, qui alios typos objiciunt, multo incertius est judicium. *AE. R.*

METROVM.

Autonomi:

Capita duo jugata incerta. ꭗ ΜΗΤΡΟΣ. *Leo inter duos pileos Dioscurorum.* AE. III.

Hunc olim numum ex museo Savorgnan vulgavi, et copiose illustravi g). Videtur vocabulo ΜΗΤΡΟΣ indicari Cybele, quae κατ' ἐξοχην dicebatur Μητηρ. Et vero Arrianus Μητρῳον maritimum facit prope Heracleam h), et Μητρῳον Graecis *Magnae Matris fanum* notat, quale etiam fuit Athenis i). Suffragantur praeterea huic sententiae pilei

f) Num. vet. p. 181. g) Num. vet. p. 181. h) In Periplo. i) Pollux L. III. §. 11.

Dioscurorum, qui typus frequens est in moneta urbium Euxino adsitarum.

* * *

Similis numus editus est ab Arigonio, sed cum auctor epigraphen legeret ΚΙΠΡΟΣ, numum esse Cypri insulae adseruit.

AE. RRRR.

MYRLEA.

Vide supra in *Apamea* Bithyniae.

NICAEA.

Mediterranea, urbs illustris ad lacum Ascanium. Nomen traxit a Nicaea Antipatri filia, Lysimachi uxore, cum antea varia per vices tulisset, quae enarrata vide apud Cellarium. Sed fabulae appellatam volunt a Nicaea Bacchi amasia, de qua infra.

Autonomi:

Satis rari, atque hi vix praeconio digni.

ΝΙΚΑΙΩΝ. *Caput muliebre laureatum.* ⅹ ЄCA - - *Hercules stans.* AE. II. (Pellerin.)

Caput muliebre. ⅹ ΝΙΚЄΩΝ. *Victoria gradiens.* AE. III. (Arigoni.)

Caput juvenile cum corona fastigiata, prae quo signum militare et literae IЄ. ⅹ ΝΙΚΑΙЄΩΝ. *Tria signa militaria.* AE. III. (Mus. Caes.)

In binis praecedentibus epigraphe aberrat a recepto scribendi more, cum in reliquis omnibus legatur ΝΙΚΑΙΕΩΝ, ΝΙΚΑΕΩΝ. Fabrica et typus numi III. satis monent, eum vix ante Gordianum signatum esse.

* * *

Sunt adhuc autonomi argumenti magis eruditi.

ΝΙΚΑΙΕΩΝ. *Diota.* ⅹ ΕΠΙ. ΓΑΙΟΥ. ΠΑΠΙΡΙΟΥ. ΚΑΡΒΩΝΟΣ. *Caduceus clavae junctus, et annus* ΒΚΣ. AE. II. (Morelli in fam. Papiria.)

ΝΙΚΑΙΕΩΝ. *Caput Bacchi, infra annus* ΔΚΣ. ⅹ *Idem magistratus. Roma sedens, infra quam* ΡΩΜΗ. AE. II. (Ibid.)

De C. Papirio Carbone, et annis epochae egimus altius in prolegomenis ad numos Bithyniae.

* * *

Numos cum magistratu ΠΟΥΠΙΟϹ a Spanhemio Nicaeae tributos [k]) esse potius Cyrenaicae, dicetur in hujus numis.

AE. RR.

Imperatorii.

Autonomorum defectum supplent, qui porriguntur ab Augusto usque ad Gallienum, quin et duorum tyrannorum, qui Gallieno imperante Asiam vexavere, Macriani junioris, et fratris Quieti. Illius numum edidit Haymius [l]), et Pellerinius [m]), qui etiam est in museo Caesareo, hujus Arigonius, atque iterum Pellerinius [n]). In utroque *castra praetoria* typum faciunt.

* * *

---

k) Tom. II. p. 163. l) T. II. p. m. 393. m) Mel. II. p. 23. n) L. c.

Epigraphe: ΝΙΚΑΙΕΩΝ. ΝΕΙΚΑΙΕΩΝ., item in recto: ΝΙΚΑΙΕΙΣ. Apud Vaillantium nonnunquam scriptum reperio ΝΙΚΑΕΩΝ, ΝΙΚΑΕΙΣ, quod gentile probat etiam Stephanus. Qui numi solum ΝΕΙΚ. inscriptum habent, dubium faciunt, an Nicaeam, an Nicomediam referendi sint, nisi adsint alia indicia.

* * *

Typi, ut in tanto numero, varii argumenti. Inde a Caracalla nihil iis vilius, qui *tria signa militaria* exhibent, quos Froelichius nonnulla conjectura Nicen Thraciae referendos censuit, ut in hac dictum.

Herculis quoque cultus in hac urbe cumprimis viguit, cujus aerumnae variae proponuntur, ut cum *Antaeum sublimem suffocat*, *Diomedis equos abigit*, *taurum domat*, aut cum, ut est in numo singulari Maximi Caes., *aves Stymphalidas sagittis petit*, (Mus. Caes.) qui typus est etiam in numo Perinthi.

Singulare etiam istud in Nicaeensium moneta, quod non deos modo additis eorum nominibus in numis proposuere, sed etiam heroas, aliosque antiquitatis viros illustres, quorum hic catalogum texo.

ΖΕΥΣ. ΜΗΛΙΟΣ. *Caput Jovis.* (Vaill. in Domit.)

Harduinus interpretatur: *pecorum custos*, *a* μηλον, *ovis*, *pecus.*

ΔΙΟΣ. ΑΓΟΡΑΙΟΥ. *inscriptum arae*, in aliquibus neque urbis nomen additur, in numo Domitiani. (Morelli Impp.) Cum solo ΔΙΟΣ, Trajani. (Mus. Caes.)

De hoc *Jove Forensi* vide Harduinum o).

ΔΙΟΝΥΣΟΥ. ΚΤΙΣΤΟΥ. ΝΙΚΑΙΑΣ. *Ara ignita*, *cui inscriptum* Κ *incertae significationis*, Neronis. (Morelli Impp.)

ΔΙΟΝΥϹΟΝ. ΚΤΙϹΤΗΝ. *vel tantum* ΤΟΝ. ΚΤΙϹΤΗΝ. ΝΙΚΑΙЄΙϹ. *Bacchus stans*, Antonini, Aurelii, Veri.

Bacchus variis etiam aliis modis, etiam cum inscriptio abest, in Nicaeae numis proponitur, *in consortio Ariadnes*, *coronatus a Satyro*, *vectus in quadrigis elephantorum.* Narrat Plinius p), Liberum victa India triumphantem curru elephantis juncto invectum. Memoratur ergo Bacchus in his numis Nicaeae conditor. Ille nimirum, cum ejus loci nympham Nicaeam deperiret, sed ad amoris negotium morosam, quod sese Dianae et venatui sacraverat, quoniam puellam siccam persuadere non potuit, vitiavit ebriam digno sese astu, fluminis aquis in vinum versis, quae omnia lepide describit Nonnus Panopolites totis fere libris XV. et XVI., quorum postremum sic claudit:

Και πτολιν ευλαϊγγα φιλακρητω παρα λιμνη
Τευξε θεος Νικαιαν επωνυμον, ἡν ἀπο νυμφης
Αςακιης εκαλεσσε, και Ινδιφονον μετα νικην.

Et urbem bonis lapidibus structam vinum amans prope stagnum
Aedificavit deus Nicaeam nomine, quam a nympha
Astacia vocavit, et Indos occidentem post victoriam.

---

o) Num. urb. p. 121. p) L. VIII. §. 2.

Eandem fabulam recitat etiam Memnon apud Photium. Vide praeterea, quae mox in Hercule dicentur.

ΤΟΝ. ΚΤΙΣΤΗΝ. ΕΡΚΟΛ. *Caput Herculis*, in numo Domitiani. (Catal. d'Ennery p. 523.)

ΤΟΝ. ΚΤΙϹΤΗΝ. ΝΙΚΑΙЄΩΝ. *Hercules nudus stans clavae innixus*, *d. femori admota*, Aurelii. (Mus. Caes.)

Dio Chrysostomus vocat Bacchum Nicaeae προπάτορα, et Herculem κτίστην q).

ΑϹΚΛΗΠΙΩ. ϹΩΤΗΡΙ. ΝΙΚΑΙЄΙϹ. *vel:* ΤΟΝ. ϹΩΤΗΡΑ. ΝΙΚΑΙЄΩΝ. *Jungitur etiam cum Hygia:* ΥΓЄΙΑ. ΚΑΙ. ΑϹΚΛΗΠΙΩ. *Vterque stans*, in numis Antoninorum. (Vaill.)

ΘЄΑ. ΥΓЄΙΑ. ΝΙΚΑΙЄΙϹ. *Hygia cultu solito*, in numis Antoninorum. (Vaill.) Iungitur etiam cum Aesculapio, ut mox vidimus.

ΘЄΩ. ΤЄΛЄϹΦΟΡΩ. ΝΙΚΑΙЄΙϹ. *Telesphorus stans*, Antonini. (Vaill.)

ΘЄΑ. ΔΗΜΗΤ. ΝΙΚΑΙЄΙϹ. *Ceres in bigis*, Antonini. (Vaill.)

ΘΗϹЄΑ. ΝΙΚΑΙЄΙϹ. *Caput Thesei leonis exuviis tectum*, Commodi. (Vaill.)

ΘΗϹЄΑ. ΝΙΚΑΙЄΩΝ. *Theseus stans Herculis imberbis cultu*, *et clavae innixus*, Caracallae. (Vaill.)

De Theseo Herculis facta et cultum imitato vide Plutarchum r), et Aristidem s).

ΟΜΗΡΟϹ. ΝΙΚΑΙЄΩΝ. *Homerus sedens d. chartam*, Commodi. (Vaill.)

ΑΛЄΞΑΝΔΡΟΝ. ΝΙΚΑΙЄΙϹ. *Caput Alexandri M.*, Aurelii. (Vaill.) In alio: *Ipse nudus stans d. - - - s. hastam*, Commodi. (Mus. Christinae.)

ϹΑΓΑΡΙϹ. ΝΙΚΑΙЄΩΝ. *Fluvius decumbens*, Domnae. (Vaill.)

Sagarin fluvium laudat Plinius, aitque, fuisse unum ex inclytis, dictumque a plerisque Sangarium t), quo posteriore nomine eum vidimus compellatum in numo Iuliopolis Bithyniae. Sagaris in hoc numo situm non indicat, nam urbis latera non alluit, pervaserit tamen ejus agrum. Analogia docet, eum instar numinis monetae insertum, forte propterea, quod Nicaea nympha, quae a se urbi nomen dedit, fuit Sangarii et Cybeles filia, ut alibi ex Memnone docui u). Sic et Xanthum velut deum vidimus in numo Germanicopolis Paphlagoniae.

ΡΩΜΑΙΩΝ. ΝΙΚΗΝ. ΝЄΙΚΑΙЄΙϹ. *Victoria inscribens clypeo*, in numo L. Veri. (Gessner ex museo Pfau tab. CXVIII. n. 21.) In alio: *Imperator eques hostem hasta impetit*, ejusdem Veri. (Pellerin.)

Celebrant nimirum Nicaeenses Aurelii et Veri victorias de Parthis relatas. De numis similis argumenti agam in numis M. Aurelii commatis peregrini.

ΙΠΠΟΝ. ΒΡΟΤΟΠΟΔΑ. *Vir in equo*, *cuius pes sinisterior humano similis*, *dexterior manum humanam refert*, *qua baculum Aesculapii complectitur*, Gordiani (Mus. Christinae.)

Singularem hunc numum [ex eodem

---

q) Orat. 39. r) In Theseo. s) Orat. T. I. p. 486. t) L. VI. §. 1. u) Num. vet. p. 188.

museo descripsere Vaillantius, et Spanhemius [x]), et vidi ipse ibidem Romae. Significat epigraphe *equum cum pede humano.* Exstitisse id genus monstra, veteres prodidere. De I. Caesare Suetonius [y]): *Vtebatur equo insigni pedibus prope humanis, et in modum digitorum ungulis fissis.* In eadem fere verba Plinius [z]). Quid vero in praesente numo monstrum istud indicet, difficile est adsequi. Connectendum cum Aesculapio arguit hujus baculus, quem manu praefert.

ΠΤΘΑΓΟΡΗC. *Pythagoras sedens d. globum contingit*, Gallieni. (Vaill.)

Eodem cultu is proponitur in numis Samiorum.

NIKAIA. *Caput muliebre turritum hedera coronatum, pone quod pharetra*, Antonini. (Vaillant.)

Caput istud est Nicaeae nymphae. Corona turrita eam decet, quae urbi nomen dedit, hederacea eam, quam Bacchus suam esse voluit, pharetra eam, quae vitam in venatibus exegit. Vide, quae de hac nympha plura alibi dixi [a]).

ΑΓΑΘΗ. ΤΤΧΗ. *Mulier turrita rupi insidens d. spicas, pro pedibus fluvius emergens*, Faustinae jun. (Mus. M. Ducis, et reg. Christinae.)

Hic *Bonae fortunae* typus frequens est in numis Ciliciae, Syriae, Mesopotamiae, at in Asia minore cis Taurum vix obvius. De hac urbium Fortuna vide, quae olim observavi, quo loco numum hunc edidi [b]).

* * *

Inter Nicaeensis monetae aversas memoranda etiam:

ΚΟΜΟΔΟΤ. ΒΑCΙΛΕΤΟΝΤΟC. Ο. ΚΟCΜΟC. ЄΤΤΤΧЄΙ. ΝΙΚΑΙЄΩΝ. *scriptum intra lauream*, in numo Commodi. (Vaill.)

Eadem formula est etiam in numis Cii Bithyniae, et Caesareae Cappadociae.

* * *

Magistratus:

Romanos totius provinciae jam vidimus in autonomis. Frequenter in imperatoriis leguntur nomina *proconsulum*, simul et *patronorum*. Sed de variis his totius provinciae magistratibus abunde egimus in prolegomenis ad numos Bithyniae.

An etiam magistratus civitatis suae proprios soliti sint monetae inscribere, dubitare liceat, et nescio, an istud certo evincat numus Etruscillae: ЄΠΙ. ΑΡΙCΤЄΟΤ., quem unus citat Vaillantius. Alter Severi ab eodem productus: ЄΠΙ. CΤΡΑ. - - - ΝЄΙΚΑΙЄΩΝ. ΚΤΖΙΚΗΝΩΝ. nihil probat, quia idem signari etiam potuit Cyzici. Tertius Alexandri ЄΠΙ. C. Μ. ΑΝΤΙΟΧΟΤ. ΝΙΚΑΙЄΩΝ. videtur male lectus pro ΒΤΖΑΝΤΙΩΝ. ΝΙΚΑΙЄΩΝ. Typus *duorum pharorum, vel lampadum medio vexillo*, ut eum describit Vaillantius, uni Byzantio proprius est, similemque infra sub Treboniano recenset: ΝΙΚΑΙЄΩΝ. ΒΤΖΑΝΤΙΩΝ. ΟΜΟΝΟΙΑ. *Arula inter duos pharos vel lampades.* Est ergo ve-

x) T. I. p. 288. y) Cap. 61. z) L. VIII. §. 64. a) Num. vet. p. 188.
b) Num. vet. p. 183.

rius numus concordiae inter utramque urbem.

* * *

Honorum vocabula leguntur varia, atque ambitiosa.

Primatus:

ΝΙΚΑΙΕΙΣ. ΠΡΩΤΟΙ. ΤΗΣ. ΕΠΑΡΧΕΙΑΣ. *Ara, in qua scriptum:* ΔΙΟΣ. ΑΓΟΡΑΙΟΥ. vel: *Caduceus*, vel: *Imperator paludatus stans d. extenta, s. hastam*, in numis Domitiani. (Vaill. Morelli Impp. Mus. Christinae, Theup.)

ΠΡΩΤΟΙ. ΤΗΣ. ΕΠΑΡΧ. ΤΟΝ. ΚΤΙΣΤΗΝ. ΕΡΚΟΛ. *Caput Herculis barbatum laur.*, Domitiani. (Mus. d'Ennery p. 523.)

ΤΟΝ. ΚΤΙΣ. ΝΕΙΚΑΕΙΣ. ΠΡΩΤ. ΠΟΝΤ. ΑΜΒ. *Hercules stans d. femori admota, s. clavae innixus*, Domitiani. (Arigoni.)

Nicaeenses ergo se scripsere *primos provinciae*, deinde et *Ponti*. Constat ex Dione Chrysostomo c), contentionem de primatus honore fuisse Nicaeenses inter et Nicomedenses, tum metropolis honorem uni fuisse Nicomediae proprium, at primatum utrique communem. Hunc igitur in numis his jactant Nicaeenses. At videtur is illis serius ademptus, nam in numis post Domitianum cusis nulla amplius ejus fit mentio. Dicere vero etiam se primos Ponti poterant, quia Domitiani aetate Pontus cum Bithynia conjunctus fuit, atque etiam Nicomedenses in suis se numis dixerunt *primos Bithyniae et Ponti*.

Literarum AMB., quae sunt in numo III., impeditior est explicatio. Belleyus eas legit: A, id est: Πρωτη Μητροπολις Βιθυνιας d). Non animum advertit vir eruditus ad id, quod refert Dio Chrisostomus e), Nicaeam primatus quidem titulum cum Nicomedia habuisse communem, at non metropoleos, ut mox diximus. Quod Dionis oraculum magni est ad rem praesentem momenti, nam I. ea vixit aetate, qua numus signatus est. II. Dixit istud ad ipsos Nicaeenses et Nicomedenses oratione publica, ergo utriusque jura penitus nosse debuit. Verum quidem est, Nicaeam Straboni dictam fuisse metropolin f), at enim a Strabonis aetate usque ad Domitianum multa poterant in urbium juribus permutari, et verum scripsisse Strabo, ut tamen propterea non falsum dixerit Dio coaevus, et in Bithynia praesens, et publice orator. Si, ut censet Belleyus, Nicaeenses urbem suam dixere metropolin, ut pares se esse Nicomedensibus adfectarent, cujus exempla analoga praestant Anazarbus et Tarsus, quaeri jure potest, fueritne positum in arbitrio urbium, ut sese palam metropoles profiterentur nulla senatus R. auctoritate? Sin hujus permissu fuit metropolis, cur in unico numo eam profitetur dignitatem, in reliquis omnibus abstinet, praecipue si gestiebat aequalia habere cum Nicomedensibus jura? Cur velut metuentis more siglis tandum utitur, cum Nicomedia se plerumque metropolin plena scriptu-

c) Orat. 38. d) B. L. T. XXXI. hist. p. 284. e) Orat. 38. f) L. XII. p. m. 848.

ra profiteatur? Quam igitur significationem his dabimus literis? Fateor, rem a quaesitore difficilem, ac impeditam imperari, et nescio, sitne operae pretium, huic multum examini inhaerere, antequam de vera harum literarum lectione plane certi simus. Solus Arigonius hunc nobis numum dedit, cujus iconismi quam saepe a vero aberrent, satis cognitum perspectumque. Quod si quam licet tentare conjecturam, legi forte poterit: ΝΕΙΚΑΕΙΣ. ΠΡΩτοι ΠΟΝΤȣ Αϱιϛοι Μεγιϛοι Βιθυνιας., cujus lectionis insolentiam excusare possunt numi continuo sequentes, tum et quae in Tarsi Ciliciae numis ad literas AMK iis passim inscriptas observabimus.

Optimi Maximi.

ΜΕΓΙCΤΩΝ. ΑΡΙCΤΩΝ. ΝΙΚΑΙΕΩΝ. *Tres urnae cum palmis*, in antica capita Valeriani, Gallieni, Salonini. (Vaill. Theup.)

Varii sunt apud antiquarios horum epithetorum explicatus. Vaillantius putat, subaudiri *principum*, nimirum trium, qui in antica nominantur [g]. At cur idem inscribitur numo Gallieni, quem infra citat [h], in quo unicum tantum Gallieni caput proponitur, et in aversa ΑΡΙCΤΩΝ. ΜΕΓΙΣΤΩΝ. ΝΙΚΑΙΕΩΝ.? Harduinus censet, subaudiri: *ludorum*, nempe in honorem Iovis *Optimi Maximi*, cui quidem sententiae suffragatur typus urnarum; verum cur in solis his numis ludi exprimerentur in gignendi casu, cum in copiosis aliis hujus urbis, etiam Gallieni aetate cusis, vigeat rectus, ut continuo videbimus? Froelichius [i], et auctor catalogi Theupoli hos titulos deferunt ipsis Nicaeensibus. Istud si verum, nihil ad Nicaeensium insaniam addi posse videtur, qui, quae erant Iovis epitheta, sibi tribuerunt. De Tarsensibus, forte etiam Αϱιϛοις, Μεγιϛοις, vide horum numos.

* * *

Ludorum mentio in hujus urbis numis frequens.

ΙΕΡΟC. ΑΓΩΝ. *Urna:* Commodi. (Vaill.)

ΑΓΩΝΕC. ΙΕΡΟΙ. *Tres urnae*, Gallieni. (Pellerin.)

ΙΕΡΟC. ΑΓΩΝ. ΠΥΘΙΑ. *Tres urnae*, Valeriani. (Arigoni.)

ΚΟΜΟΔΕΙΑ. *Vrna*, Commodi. (Vaill.)

CΕΟΥΗΡΙΑ. *Severus togatus stans d. pateram, s. hastam*, Severi. (Vaill.)

CΕΟΥΗΡΙΑ. ΑΥΓΟΥCΤΕΙΑ. *Duae urnae*, Philippi sen. (Vaill.) quod mirum, nisi forte, quem Philippum putavit, Severus est.

CΕΟΥΗΡΙΑ. ΦΙΛΑΔΕΛΦΕΙΑ. ΜΕΓΑΛΑ. *Vrna, hinc et inde caput Caracallae et Getae*, Severi. (Mus. Caes.)

ΑΥΓΟΥCΤΙΑ. ΚΑΙ. ΦΙΛΑΔΕΛΦΙΑ. *Capita Caracallae, et Getae*, Domnae (Vaill.)

CΕΥΗΡΕΙΑ. ΦΙΛΑΔΕΛΦΕΙΑ. *Duae urnae*, Getae. (Vaill.)

ΔΙΟΝΥCΙΑ. ΠΥΘΙΑ. *Tres urnae*, Valeriani jun. (Pellerin.)

---

g) Num. Graec. p. 178. h) Pag. 182. i) Not. elem. p. 28.

ΙΣΘΜ. ΠΥΘ. *Mensa cum tribus urnis*, Valeriani. (Vaill.)

* * *

Concordiae duplex modus in Nicaeae moneta habetur.

I. Concordia inter ipsos oppidanos inita, quam probat numus L. Veri, quem ex museo M. Ducis edidi: ΟΜΟΝΟΙΑ. ΝΙΚΑΙΕΩΝ *Mulier stans ante aram d. pateram*, quo indicari solam inter cives concordiam, pluribus tum probavi [k]). Similis, sed Plautillae exstat in Theupoli.

II. Concordia cum exteris populis inita: ΝΙΚΑΙΕΩΝ. ΑΔΡΙΑΝΩΝ. — ΒΥΖΑΝΤΙΩΝ. — ΚΥΖΙΚΗΝΩΝ. nulla in his causa digna, cui immoremur.

Numos ΝΙΚΑΙΕΩΝ. ΚΙΛΒΙΑΝΩΝ. vide in Cilbianis Lydiae.

* * *

Situs definitur in numo Commodi: ΝΙΚΑΙΕΩΝ. ΒΙΘΥ. *Commodus eques*, praecone uno Vaillantio.

Fluvius *Sagaris* Domnae numo inscriptus situm non indicat, ut supra dictum.

AE. C.

NICOMEDIA.

Ad Propontidem, caput provinciae sub imperatoribus. Nomen traxit a rege Nicomede I.

Autonomi:

Sunt hi ejusdem rationis, cujus Nicaeenses, inscripto constanter magistratu Romano, et quidem

C. Papirii Carbonis: ΝΙΚΟΜΗΔΕΩΝ. ΕΠΙ. ΓΑΙΟΥ. ΠΑΠΙΡΙΟΥ. ΚΑΡΒΩΝΟΣ. Typi: *Diota* ✕ *Clava caduceo juncta.* — *Caput Palladis.* ✕ *Victoria.* — *Capita jugata Bacchi Indici et Herculis* ✕ ΡΩΜΗ. *Roma sedens.* — *Caput muliebre.* ✕ *Diana stans cum face et arcu.* Sunt omnes AE. II. et apud Morellium in Fam. Papiria.

C. Vibii Pansae. ΝΙΚΟΜΗΔΕΩΝ.ΕΠΙ. ΓΑΙΟΥ. ΟΥΙΒΙΟΥ. ΠΑΝΣΑ. *Caput muliebre turritum.* ✕ *Aquila insistens fulmini.* AE. II. — *Eadem epigraphe. Caput nudum*, *secundum aliquos I. Caesaris.* (Vide dicta in Prolegomenis Bithyniae.) ✕ *Victoria.* AE. II. Morelli in Fam. Vibia.

Thorii Flacci procos. Hujus numos binos attulimus in prolegomenis ad Bithyniam.

* * *

Epochae anni leguntur in numis Papirii: ΔΚΣ., Vibii: ΒΛΣ. De hujus initio agitur in Prolegomenis iisdem.

AE. R.

Imperatorii.

Majore numero exstant ab Augusto ad Gallieni aetatem.

Epigraphe: ΝΙΚΟΜΗΔΕΩΝ. ΝΙΚΟΜΗΔΕΙΑ. ΝΙΚΟΜΗΔΙΑϹ. prima syllaba saepe diphthongo ΕΙ. scripta.

Typi varii generis.

k) Num. vet. p. 184.

Saepe comparet *Aquila cum serpente*, quin et *Serpens erectus instar Glyconis Aboni ticheos.* In numo Gordiani singularis est typus: *Vir sacrificans adstante altero, advolante desuper aquila, et serpente subtus emergente.* (Beger T. II. p. 726.)

Aquilae et serpentis explicatum suppeditat Libanius. Narrat is [l]), conditoribus incertis, quo loco urbem statuerent, repente apparuisse aquilam et draconem, illam caput victimae ex igne unguibus eripuisse, utrumque mox contulisse se ad collem, quo fundari urbem divinitus fuit constitutum.

Numos inscriptos ΕΙΡΗΝΗ, — ΟΜΟΝΟΙΑ, vide in Prolegomenis Bithyniae inter numos proconsulum.

ΥΓΕΙΑ, *Hygia stans*, in numo Commodi, (Vaill.) nisi forte est Nicaeae.

CΤΟΛΟC. *Figura nuda stans d. extenta, s. gubernaculum inversum, pro pedibus prora navis*, Antonini. (Pellerin Rec. III. p. 228.)

Potest hic typus notare expeditionem maritimam, quam et vocabulum CΤΟΛΟC significat. Et fuit gubernaculum, et inversum quidem, symbolum Bithyniae, ac privatim Nicomediae, ut docent numi Hadriani: RESTITVTORI. BITHYNIAE. vel NICOMEDIAE. et infra numi concordiae, quo adeo Nicomedia propter situs opportunitatem urbem se navarchida voluerit profiteri. Sed potest nomine ϛολȣ etiam annona mari advecta notari. Sane in utroque Codice promiscue ponuntur *Alexandrinus stolus*, *Alexandrinum frumentum*, *commeatus frumentarii.* Verius ergo credam, Nicomedensibus ab Antonino decretam certam annonae mensuram, de qua principum in illustriores urbes liberalitate vide, quae dicentur in numis coloniae Laodiceae Syriae inscriptis AETERNVM. BENEFICIVM. Ex simili causa numis Tarsensium inscriptum legitur CЄΙΤΟC, *annona*, typo item navis.

Cereris et Proserpinae honores in his numis obvii, sed et teste Arriano in Bithynicis Nicomedia utrique deae sacra fuit.

* * *

Honorum tituli.

Metropolis: Μ. ΝΙΚΟΜΗΔΕΩΝ. in numo Germanici, quem descripsimus in Prolegomenis Bithyniae inter numos proconsulum. Non ergo hunc honorem Nicomedia primum sub Claudio nacta est, ut visum Vaillantio [m]).

Metropolis et Primatus.

Η. ΜΗΤΡΟΠΟΛΙΣ. ΚΑΙ. ΠΡΩΤΗ. ΒΕΙΘΥΝΙΑΣ. jam inde a Domitiano, et primatus adhuc mentio fit in numis Antonini, post hunc *metropolin* se tantum scripsit, et hujus quoque mentio inde a Severo desinit. Supra in Nicaeae moneta observavi ex Dione Chrysostomo, Nicomediam utroque honore et *metropolis* et *primatus* gavisam.

Η. ΜΗΤΡΟΠΟΛΙΣ. ΝΙΚΟ. ΚΑΙ. ΠΡΩΤΗ. ΒΙΘΥΝΙΑΣ. ΚΑΙ. ΠΟΝΤΟΥ.

---

l) Tom. II. orat. VI. p. 203.

m) Num. Graec. p. 208.

in numo Domitiani, (ex Pellerinio Belleyus B. L. T. XXX. p. 332.) item Trajani. (Harduin.)

Bithyniam cum Ponto fuisse conjunctam, docui in Prolegomenis Bithyniae.

Addendus hoc loco numus singularis: ΡΩΜΗΝ. ΜΗΤΡΟΠΟΛΙΝ. ΝΕΙΚ. ΠΡΩ. ΒΙΘ. ΚΑΙ. Π. *Roma galeata thoraci insidens*, in numo Domitiani (Haym. T. II. p. m. 254. Theupoli.)

Honoris et adulationis causa Nicomedenses in his numis Romam vocant *metropolin*, quo sensu etiam Dionysius Periegetes eam dixit μητερα πασαων πολεων, *matrem omnium urbium* n). Ergo Nicomedenses, qui privatum suum metropoleos honorem nunquam addere neglexerunt, quotiescunque se πρωτυς scripsere, eum tamen in praesentibus numis caute omisere, ne aequales se dignitate ipsi Romae ferrent, quam in eodem monumento *metropolin* appellavere.

* * *

Neocoratus mentio frequenter occurrit. Ejus prima fit in numis Antonini: ΝΕΙΚΟΜΗΔΕΙΑΣ. ΜΗΤΡΟΠΟ. ΝΕΩΚΟΡ. (Vaill. Theup.) Iteratur primum sub Commodo: ΔΙΣ. ΝΕΩΚ., (Vaill.) idque constanter, ut ait Vaillantius, sub Severo, Caracalla, et sequentibus usque ad Valerianum, sub quo tandem in ejus doctrina incipit ΤΡΙΣ. ΝΕΩΚΟΡΩΝ, a quo ergo Nicomedenses tertium neocoratum adeptos censet. At Pellerinius integerrimos tres cum capite Caracallae e tenebris produxit inscriptos ΤΡΙΣ. ΝΕΩΚΟΡΩΝ., (Mel. II. p. 288.) neque soli hi sunt ante Valerianum cum hac epigraphe noti, nam et binos Elagabali (nisi forte et hi Caracallae sunt) sic inscriptos, et binos Alexandri reperias in museo Theupoli, quibus unum Alexandri addidit Arigonius. Sub Valeriano et Gallieno, eorumque familia jam ΔΙΣ. jam ΤΡΙΣ. comparet. In reliquis imperatorum omnium numis hactenus cognitis inde a Commodo constanter ΔΙΣ. tantum. Quod propter neocoratus implexam rationem latius exponere placuit, sed quoad fieri poterit, explicabitur in tractatu de neocoratu. Alterum neocoratum videntur adepti Nicomedenses favente Saotero et ipso Nicomedensi, et Commodo in paucis charo. Sane per hunc eos impetravisse a senatu, ut certamina celebrarent, et templum Commodo facerent, tradit Dio o).

* * *

Magistratus.

Numos, in quibus exarata sunt proconsulum nomina, vide in Prolegomenis Bithyniae.

Magistratus privati: ΕΠΙ. ΜΗΝΟΦΑΝΤΟΥ, in numo Veri. Dignitas non additur. Videntur primum civitatem rexisse *archontes*, nam in numo Commodi apud Pellerinium (Mel. II. p. 243.) legitur: ΕΠ. Α. ΑΡΤΕΜΙΔΩΡΟΥ. ΑΡΧ. *Praetores* inscribuntur inde a Macrino: ΕΠΙ. ΣΤΡ. Μ. ΛΟΝΓΙΝΟΥ. et

n) Descr. orb. v. 355. o) L. LXXII. §. 12.

similiter in numis Etruscillae, et Valeriani. (Vaill.)

* * *

Concordia notatur vario sensu:

I. Concordia inter imperantes:

M. ATP. ANTΩNINOC. Λ. ATP. OTHPOC. ATTOKPATOPEC. *Capita M. Aurelii et L. Veri se respicientia* ✠ NIKOM. NEΩKO. OMONOIA. *Templum 4. col., intra quod mulier sedens d. pateram, s. hastam.* AE. I. (Mus. Caes.)

Nimirum exemplo monetae Romanae concordiam inter utrumque hunc Augustum frequenter jactantis.

II. Concordia inter oppidanos: NEIKOMHΔEIA. BOTΛH. ΔHMOC. OMONOIA. *Figura senilis dexteram porrigit mulieri turritae*, in numo M. Aurelii. (Vaill. Theup.)

III. Concordia cum urbibus exteris:

Amasia: NEIKO.MHTP.AMACEΩN. OMONOIA. *Amazon dexteram porrigit mulieri turritae gubernaculum super humerum tenenti*, Severi. (Vaill. Theup.)

Amazone notatur Amasea, altera figura cum gubernaculo Nicomedia, cujus illud fuisse symbolum, dictum.

Smyrna: CMTP. NEIKOM. E. CTPA. M. CEΛΛIOT. *Amazon Smyrnae stans dexteram jungit cum muliere turrita stante juxta proram navis, s. gubernaculum inversum tenente*, Commodi, et Crispinae. (Arigoni, Pellerin. Mel. II. p. 114.)

Laodicea Phrygiae: Commodi. (Vaill.)

* * *

Ludi.

CETHPEIA. MEΓAΛA. *Duae urnae*, Severi. (Vaill.)

AKTIA. ΠTΘIA. *Vrna*, Caracallae. (Vaill.)

ΔHMHTPIA. *Vrna*, Caracallae. (Vaill.)

ANTΩNINIANA, *Vrna*, Elagabali. (Vaill.)

AE. C.

PRVSIA AD OLYMPVM.

Olympo M. adsita, quam Strabo esse opus pervetusti cujusdam Prusiae dixit, qui cum Croeso bellum gessit, at Plinius ab Hannibale aedificatam sub Olympo adseruit. Gentile hujus urbis est Προυσαεὺς, quo se reipsa ab aliis Bithyniae urbibus cum nomine adfini distinguit, nempe inscripto ΠPOTΣAEΩN., ut et in insigni epigrammate apud Muratorium legitur: ΠPOTΣAEIΣ. AΠO. OΛTMΠOT p).

Autonomi.

ΠPOTΣAEΩ- *Caput juvenile infra quod annus* ΔKΣ. ✠ EΠI. ΓAI. ΠAΠIPIOT. KAPBΩNOΣ. *Roma sedens.* AE. II. (Pellerin.)

Caput muliebre turritum addito in aliis ΠPOTCA. ✠ ΠPOTCAEΩN. *Cupido stans columnae innititur.* AE. III. (Pembrock, Sestini Lettere T. IV. p. 105.)

Epochae annus ΔKΣ. exigendus ad aeram Bithynicam, de qua egimus in Prolegomenis.

AE. RRR.

p) Pag. 1073.

Imperatorii.

Vulgati a Trajano usque ad Saloninam, cujus numum vulgavit Sestinius. (l. c.)

Epigraphe constans ΠΡΟΥCΑΕΩΝ. ΠΡΟΥCΑΕΙC.

Inter *typos* frequentius occurrit: *Vir nudus galeatus ingeniculatus d. pugionem.* Eo plerique existimant proponi Ajacem violentas sibi manus inferentem. Froelichius Gallum Cybeles sacerdotem sibi ipsi pessime consulentem putat q).

ΠΡΟΥCΑΕΩΝ. ΔΙΑ. ΟΛΥΜΠΙΟΝ. *Iuppiter sedens d. hastam, s. Victoriolam,* Trajani. (Pellerin.)

Dubium non videtur, hunc Iovem a monte Olympo, cui adsita Prusa, nomen tulisse.

AE. R.

PRVSIAS AD HYPIVM.

Mediterranea ad Hypium fluvium, sic vocatum, quod ab Hypiis montibus decurrit, ut testatur scholiasta Apollonii r). Antiquitus dictum fuisse *Cieron* dixit Pellerinius, atque hoc nomine autonomum edidit inscriptum ΚΙΕΡΕ, sed istud refutabimus in sequente Prusiade ad mare. Nomen certe tulit a rege Prusia, incertum, quo. Ptolemaeo perperam dicitur *Prusa*, cui repugnat constans in numis gentile ΠΡΟΥCΙΕΩΝ.

Autonomus.

ΒΟΥΛΗ. *Caput muliebre turritum.* ℞ ΠΡΟΥCΙΕΩΝ. ΠΡΟC. ΥΠΙΩ. *Nemesis stans d. ori admota.* AE. III. (Pellerin. Suppl. I. p. 14.)

AE. RRRR.

Imperatorii.

Ab Antonino usque ad Gallienum.

Epigraphe: ΠΡΟΥCΙΕΩΝ. ΠΡΟC. ΥΠΙΩ., nempe ad Hypium fl., de quo continuo, cujus mentionem raro omittit.

* * *

Mentio situs, ut diximus. Omnium praestantissimus est numus: ΠΡΟΥCΙΕΩΝ. ΥΠΙΟC. *Fluvius decumbens*, M. Aurelii. (Haym. T. II. p. m. 287.) quo typo et epigraphe docemur, Prusiadem non adstitutam fuisse monti hujus nominis, quod aliqui opinati sunt, sed fluvio. In marmore Muratorii supra citato legitur: ΠΡΟΥΣΙΕΙΣ. ΑΠΟ. ΥΠΙΟΥ s).

* * *

Numum Augusti, inscriptum, ut videbatur, ΠΡΟΥCΙΑC. ΥΠΙΩ., quemque propterea olim huic Prusiadi tribuendum putavi t), esse Temni Aeolidis, in hac dicetur.

Metropolis dicitur in numo Macrini apud Tristanum: (T. II. p. 299.) ΜΗΤΡ. ΠΡΟΥCΙΕΩΝ. ΠΡΟC. ΥΠΙΩ., verum non jam facile unius Tristani judicio acquiescimus.

AE. R.

PRVSIAS AD MARE, quae et CIVS.

Ad Propontidem, olim vocata *Cius*,

q) Appendic. II. novae. r) Argon. L. II. s) Pag. 1074. t) Num. vet. p. 190.

verum, ut narrant Strabo et Stephanus, Philippus V. Macedo eam expugnatam Prusiae Zelae F. dono dedit, qui eam de se *Prusiadem* appellavit. Idem factum refert Memnon apud Photium, sed his verbis: Prusiam cepisse Cieron Κιερον, Hercleae obnoxiam, eamque Prusiadem nominasse; cepisse item Tium etiam Heracleotis obnoxiam, ut sic Heracleam utrinque a mari ad mare clauderet. Hoc Memnonis testimonio nixus Pellerinius *Cieri* nomine numum edidit: *Caput nudum incertum.* ✠ KIEPE. *Figura nuda gradiens d.* — — AE. II. eumque Prusiadi ad Hypium tribuere non dubitavit, (Rec. II. p. 24. Suppl. 1. p. 15.) cusum, ut opinabatur, tum, cum adhuc pro Prusiade Cieri nomen teneret. At enim Memnonem hac Ciero nostram hanc Cion indicasse, non modo ex collato, quem antea citavi, Strabonis loco palam fit, sed etiam ex iis, quae ibidem de eadem Cio addit: *ad hanc et appulisse Argonautas, sublatumque ex oculis Hylam, et circumerrasse Herculem ad eum quaerendum, fama est.* Iam vero haec omnia ad hanc Cion contigisse, et insuper annua a Cianis Hylae gratia constituta sacra testantur auctores locupletes, Strabo [u]), Apollonius [x]), Solinus [y]), Dionysius Alexandrinus. Ergo manifeste erravit Memnon pro *Cio* scribendo *Cieron*, quem alioqui saepe in re geographica ineptire arguit Holstenius [z]), et quod sequitur, si numus hic ad aliquam Prusiadem pertineret, pertineret certe juxta ejusdem Memnonis verba ad hanc nostram Propontidi adsitam, omnium vero minime ad alteram ad Hypium, quam in mediterraneis numerat Ptolemaeus, et ipse Memnon, cum tamen Cieron fuisse maritimam idem Memnon cum per clausos a mari ad mare Heracleotas, tum per appulsum της Αργης profiteatur. Nihil ergo huic numo inscripto KIEPE cum Prusiade qualicunque, alioqui spectatis etiam aliis causis nihil habet Bithynici.

Fuit ergo haec Cius serius vocata *Prusias*, atque ut ab altera cognomine ad Hypium distingueretur, dicta *ad mare*, quod non modo numi docent inscripti: ΠΡΟΥΣΙΕΩΝ. ΠΡΟΣ. ΘΑΛΑΣΣΗΙ., sed etiam epigramma Muratorianum in utraque urbe praecedente citatum: ΠΡΟΥΣΙΕΙΣ. ΑΠΟ. ΘΑΛΑΣΣΗΣ.

Autonomi nomine Cii.

Caput Apollinis laureatum, infra quod KI. ✠ ΠΟΣΕΙΔΩΝΙΟΣ. *Prora navis.* AR. III. (Pellerin Rec. II. tab. LXVII. n. 23.)

Caput Apollinis laureatum. ✠ KNIAKPO. *Prora navis.* AE. III. (Pellerin l. c. n. 34.)

Caput Apollinis laureatum. ✠ ΑΘΗΝΟΔΩΡΟΣ. *Prora navis.* AR. III. (Pellerin Rec. tab. XXVI. n. 9.)

Caput Apollinis laureatum, infra quod K. ✠ ΒΑΚ. ΜΕΓΑ. *Prora navis.* AR. III. (Hunter tab. 36. n. 19.)

Caput Apollinis laureatum, infra quod

---

u) L. XII. p. m. 845. x) Argon. L. I. v. 1321. y) Cap. 42. z) Ad Steph. in Πρεσα.

KI. Ӿ ΠΡΟΞΕΝΟΣ. *Prora navis.* AR. III. (Mus. Gradenigo.)

Caput Apollinis laureatum, *infra quod* ΚΙΑ. Ӿ ΠΡΟΞΕΝΟΣ. *Prora navis.* AR. III. IV. (Sestini Lettere p. 86.)

Caput Apollinis laureatum, *infra quod* ΚΙΑ. Ӿ ΑΘΗΝΟΔΩΡΟΣ. *Prora navis.* AR. III. IV. (Sestini l. c.)

Caput idem Ӿ ΜΙΛΗΤΟΣ. *Prora navis.* AR. III. (Ibid.)

Pellerinius numum ex descriptis primum, etsi in eo legatur KI., Cnido tamen tribuere non dubitavit. Causa illi haud dubie, quia in numo altero cetera simili legit ΚΝΙΑΚΡΟ, in cujus literis prioribus ΚΝΙ. Cnidum, in sequentibus ΑΚΡΟ. initium magistratus videre sibi visus est. Numum tertium esse Demetriadis Thessaliae conjecit. Numum IV. Combius propter inscriptum ΜΕΓΑ. Megaris Atticae dedit, (Mus. Hunt. p. 194.) consentiente etiam Neumanno. (Num. pop. P. II. p. 225.) Mihi pridem verisimile visum, quia in his numis constanter infra caput Apollinis K. vel KI. conspexi, nomen urbis ab his literis petendum, et conjeci adeo, eos omnes Cisamo Cretae restituendos. At cum nuper in opere a cl. Sestinio vulgato viderem, in aliis similibus magis integris legi ΚΙΑ., non amplius dubitavi sequi sententiam viri eruditi, eos omnes Cianis Bithyniae adjudicantis, quidcunque deinde significabunt vocabula ΚΝΙΑΚΡΟ, vel ΒΑΚ. ΜΕΓΑ., quae exemplo aliorum videntur esse nomina magistratuum forte ex numis exesis male excepta. Sunt ergo numi hi Cianorum antiquissimi, et signati, antequam urbs, ut dictum, pro Cio Prusias appellari coepit, quam etiam aetatem universus eorum modus palam profitetur. Apollinis cultus tractus videtur a Mileto Cii nostrae metropoli; ut auctor est Plinius [a]), neque dubitem, matrem Miletum notari vocabulo ΜΙΛΗΤΟΣ, quod inscriptum est numo postremo, signatumque illum tum, cum materna adhuc jura in filiam praevaluere.

* * *

Autonomos alios resuscitato Cii nomine vide infra.

AR. RR.

Autonomi nomine Prusiadis.

Caput Herculis barbatum diadematum. Ӿ ΠΡΟΥCΙЄΩΝ. ΤΩΝ. ΠΡΟC. ΘΑΛΑCCΑΝ. *Arcus et clava.* AE. II. (Goltzius in Asia tab. 5.) Sed in alio fere simili scriptum: ΘΑΛΑCCΗ. (Pembrock.)

Caput Herculis leonis exuviis tectum. Ӿ ΠΡΟΥΣΙΕΩΝ. *Clava*, *clypeus*, *arcus.* AE. III. (Goltz. l. c.)

Caput Apollinis. Ӿ ΠΡΟΥCΙЄΩΝ. ΤΩΝ. ΠΡΟC. ΘΑΛΑCC - - *Tripus.* AE. III. (Panel Cistoph. p. 41.) Alius, sed: *Caput Dianae.* (Sestini Lett. T. IV. p. 108.)

De his autonomis mox in imperatoriis redibit mentio.

AR. RRR.

---

a) L. V. §. 40. sub fin.

Regii.

Numos cum mentione reginarum Musae et Oradaltidos in hac urbe signatos vide infra in numis regum Bithyniae.

Imperatorii Prusiadis nomine.

Prusiadis nomine signatum unicum novi, qui certe hujus sit urbis.

ΤΟΝ. ΚΤΙΣΤΗΝ. ΠΡΟΤΣΙΕΙΣ. *Hercules nudus stans d. clavam, s. spolia leonis*, in numo Domitiani. (Theupoli.)

Explicatus causa hujus urbis autonomos, sed Cii nomine, advoco: aliumque imperatorium:

ΤΟΝ. ΚΤΙCΤΗΝ. *Caput nudum barbatum Herculis specie.* ✕ ΚΙΑΝΩΝ. *Triremis.* AE. II. (Mus. Caes.)

ΗΡΑΚΛΕΟΤΣ. ΚΤΙΣΤΟΤ. ΚΙΑΝΩΝ. *Pharetra cum arcu*, in numo Claudii. (Sestini Lett. T. IV. p. 103.)

Cii conditores varii a veteribus produntur. Secundum Strabonem Cius Herculis socius a Colchis reversus eam de suo nomine statuit [b]). Apollonius nomen traxisse a Cio fluvio, et conditam a Polyphemo [c]). Ejus scholiastes Aristotelem citat adserentem, eam appellatam a Cio Milesio coloniae duce [d]). Scholiasta Theocriti a Cio Olympi F. conditam refert [e]). At ego in autonomo hoc indubitatum Herculis caput video, et secundum citatos supra Goltzii et Pembrockii autonomos Herculis arma in aversa proposita istud plane persuadent. Constat, Herculem, ut Hylam quaereret, diutius huic plagae immoratum. Quare facile creditum Cianis, ab eodem suam constitutam urbem, ut amabat Graecorum vanitas, ad deos referre urbis suae originem, et dubium adeo non est, numum Domitiani, de quo agimus, qui Herculem ΚΤΙΣΤΗΝ aperte profitetur, ad hanc Prusiadem pertinere. Hanc sententiam ipsa omissa situs mentio non obscure confirmat, nam cum in aliis utriusque Prusiadis numis fere constanter addatur vel *ad Hypium*, vel *ad mare*, in hoc istud dissimulatur, quia Prusiadem ad mare satis conditor Hercules indicat.

Eidem Prusiadi videtur tribuendus numus:

ΑΤΤ. ΚΑΙ. ΟΤΕΣΠΑΣΙΑΝΩ. ΠΡΟΤΣΙΕΙΣ. *Caput Vespasiani.* ✕ *Nomen Plancii procos. et typus arae*, quem numum jam dedimus in Prolegomenis ad Bithyniam sub proconsulibus.

AE. RRRR.

Nomine CII resuscitato.

Cianos vetus suum nomen *Cii* abolito adventitio *Prusiadis ad mare* respexisse, numi luculente docent, et factum istud crederem sub Domitiano, nam, ut vidimus, cum hujus capite exstat numus inscriptus ΠΡΟΤΣΙΕΩΝ, et exstant alii, ut videbimus, inscripti ΚΙΑΝΩΝ, sed jam unum Claudii vulgavit Sestinus. Posteriorem hanc epigraphen reliquorum imperatorum numi omnes praeferunt.

Autonomi.

ΤΟΝ. ΚΤΙCΤΗΝ. ΚΙΑΝΩΝ. etc. qui numus mox supra in imperatoriis descrip-

---

b) L. XII. p. m. 545. c) Argon. L. I. et IV. d) L. I. e) Ad Idyll. XIII. v. 30.

tus est. Videtur signatus post Domitianum, nam qui hujus urbis sub hoc signati sunt, Σ pro C offerunt.

Caput juvenile pileo incurvo tectum. Ӿ KIANΩN. *Clava.* AE. III. (Neumann Num. pop.)

AE. RRR.

Imperatorii.

Sunt a Claudio ad Saloninam usque.

Epigraphe: KIANΩN.

Typi praeter obvios alios:

Hylas puer s. vas (καλπιδα) *tenens aquatum abit*, Alexandri Sev. (Arigoni.)

Nimirum is submersus in Cio fl., aut raptus a Nymphis Hercule illacrumante. HPAKΛEOTΣ. KTIΣTOT. KIANΩN, in numo Claudii supra indicato.

* * *

ZETΣ. T. KIANΩN. *Iuppiter stans d. Victoriolam, s. hastam*, Domitiani. (Pellerin.)

An in hoc numo T. positum pro TΩN?

CETHPOT. BACIΛETONTOC. O. KOCMOC. ЄTTTXЄI.HΛKANOT.KIANOI. *sine typo, nisi parva corona in imo posita*, Severi. (Haym. T. II. tab. 39.)

Vide similem inscriptionis modum in numis Nicaeae, et Caesareae Cappadociae. Ceterum quid de vocabulo HΛKANOT statuendum sit, hucusque ignoro. Pro eo Harduinus legit: HAΦAPΓOT, (ad Plin. Tom. I. p. 289.) et more suo explicat.

* * *

Magistratus inscriptos reperio sequentes:

EΠI. APXIEPEΩΣ. KΛAT. BIANTOΣ. KIANΩN. *Iuppiter sedens*, in numo Domitiani et Domitiae. (Vaill. Mus. Christinae.)

ЄΠI.CTPA.KPATIΠΠOT. Alexandri. (Vaill.)

* * *

Nomen ab Hadriano: AΔPIANΩN. KIANΩN. in numo Hadriani, quem olim ex museo Caesareo vulgavi f), et in numo M. Aurelii. (Arigoni.)

AE. R.

PYTHOPOLIS.

Hoc nomine tres urbes memorantur, ignobiles omnes. Vna, quam in Bithynia a Theseo conditam refert Plutarchus g), et cujus meminit quoque Plinius. Altera, nisi eadem est cum priore, quam in Mysia collocat Stephanus, et cum quo conspirat Aristoteles de Mirabil. auscult. saltem secundum MS. bibliothecae Caes. Vindob., nam in libris editis legitur *Mythopolis*, quo modo eadem quoque urbs perperam scribitur in Antigono Carystio h). Tertia teste iterum Stephano Cariae, sed quae serius dicta est Nysa; at idem parum sibi constans alibi Antiochiam Cariae dictam Pythopolin adfirmat i).

Pythopoli Bithyniae *autonomum* tribuit Pellerinius, sed quem esse insulae Samothraciae, in hujus numis dictum.

f) Sylloge I. p. 34. g) In Thes. p. 12. h) Hist. mir. c. 178. i) In Antiochia.

TIVM.

Maritima ad Billaeum fl. ad fines Paphlagoniae, ex quo oppido fuit Philetaerus regum Pergami caput.

Autonomi.

ΤЄΙΟC. *Caput juvenile diadematum.* Ӿ ΤΙΑΝΩΝ. *Mulier stans juxta aram d. rotam super cippo tenet, s. cornucopiae.* AE. I. (Pellerin Rois p. 206)

ΤΕΙCC. *Caput simile.* Ӿ ΤΙΑΝΩΝ. *Neptunus d. pede rupi insistens d. delphinum, s. hastam.* AE. II. (Ibid.)

Pars antica sistit *Tium* sacerdotem genere Milesium, a quo urbs nomen cepit, ut refert Stephanus. Mulier partis aversae est Nemesis, cujus etiam ipsum nomen nonnullis imperatoriis inscriptum legitur.

AE. RRR.

Imperatorii.

A Domitiano usque ad Gordianum.

Epigraphe: ΤΙΑΝΩΝ. ΤΕΙΑΝΩΝ., in numis Antinoi: ΤΙΑΝΟΙ.

ΖЄΥC. CΥΡΓΑCΤΗC. *Iuppiter stans d. pateram, in aliis fulmen, s. hastam, pro pedibus aquila,* Domitiani, Trajani Antoninorum.

Pro CΥΡΓΑCΤΗC. Vaillantius constanter iis locis, quibus numos ipsos describit, legit ЄΥΡΓΑCΤΗC, at ubi de hoc Tianorum Iove privatim loquitur [k]), scribit ΖΥΡΓΑCΤΗC. etΣΥΡΓΑΣΤΗΣ. Quare et Froelichius de vera lectione dubitavit [l]). At in numis Domitiani, Trajani, Antonini, qui sunt in museo Caesareo, manifestum est CΥΡΓΑCΤΗC. Non satisfacit, quidquid Vaillantius ad explicandum istud vocabulum adfert, aut quod Harduinus, qui enixe vult legendum ΕΥΡΓΑΣΤΗΣ, quod idem esse putat cum contracto ΕΡΓΑΣΤΗΣ. *opifex.* Forte non inique dixeris, per synaloephen dictum CΥΡΓΑCΤΗC pro CΥΝЄΡΓΑCΤΗC, quasi *cooperator*, et hoc pro CΥΝЄΡΓΑCΤΗΡ, vel CΥΝЄΡΓΑΤΗC, perinde atque dicitur πρȣ̈ργȣ pro προ ἐργȣ, tum οἰκιςῆρ et οἰκιςης, ut adeo Tiani Iovem coluerint tanquam operum suorum socium et adjutorem, qualem Vlyssi se addixit Pallas. Eodem sensu Antiochus I. in celebri Sigeorum psephismate dicitur sibi adscivisse το δαιμονιον ἐυνȣν και ΣΥΝΕΡΓΟΝ, *deum benevolum, et OPERIS SOCIVM* [m]). Huc pertinet Gruteri SVRGASTEO. MAGNO [n]). sed quale fuerit istud numen, lapis in incerto relinquit.

ΔΙΟΝΥCΟC. ΚΤΙCΤΗC. *Bacchus stans solito cultu,* Aurelii. (Vaill.) Tranquillinae (Sestini Lettere T. IV. p. 108.)

Fuisse Tium Milesiorum coloniam, tradit Mela, nomen accepisse a Tio sacerdote Milesio narrat Stephanus ex Philone, atque idem ex Demosthene, Patarum fuisse urbis conditorem. Graecula vanitas Bacchum urbis auctorem maluit.

ΑCΚΛΗΠΙΟC. ΤΙΑΝΩΝ, Antonini. (Vaill.)

ΤΟΝ. CΩΤΗΡΑ. ΤΙΑΝΟ. *Aesculapius stans,* Severi. (Pellerin.)

---

k) Pag. 295. l) Not. elem. p. 57. m) Chishull Ant. Asiat. p. 50. n) Pag. 107. 3.

ΝΕΜΕCΙC. ΤΙΑΝΩΝ. Antonini et Aurelii. (Vaill.)

* * *

Situs definitur a fluviis:

ΒΙΛΛΑΙΟC. CΑΡΔΩ. *Fluvius decumbens*, Aurelii. (Haym. T. II. p. m. 286.)

ΒΙΛΛΑΙΟC. CΑΡΔΩ. *Duo fluvii decumbentes medio Bacchi stolati signo*, Antonini. (Mus. Caes.)

Billaeus Tianorum ex geographis notus, Plinio scribitur *Biilis*. At *Sardo* veteribus omnibus ignotus. Harduinus in eodem numo pro CΑΡΔΩ legit CΑΓΑΡΙC, qui est *Sagaris* vel *Sangarius*, quem etiam habent numi Iuliopolis et Nicaeae. Ab hoc adlui Tium dicit, quod certe falsum. At Vaillantius testatur, CΑΡΔΩ in numo regio probe legi, atque idem docet numus musei Caesarei. Videtur ergo Sardo ignobilis esse rivus prope Tium in mare, vel Billaeum exiens.

AE. R.

REGES BITHYNIAE.

Reges Bithyniae vetustiores Dydalsus, Botiras, Bas, Zipoetes I. quia numis carent, ad praesens institutum non pertinent. Eorum seriem et res gestas enarratas videas aqud Reinerum Reineccium, et Sevinum eruditum Gallum, qui regum Bithyniae historiam scribere aggressus est, cujus partes exstant in Actis Parisinis T. XII. Mem. p. 316. Tom. XV. p. 21. et Tom. XVI. Mem. p. 141., sed eam morte praeventus cum Prusia I. finivit. Eorundem regum historiam scripsit Vaillantius regum Ponti et Bospori historiae adjectam. Haymius eorum, quot potuit, numos collegit et illustravit o).

NICOMEDES. I.

Zipoete mortuo, qui prudentia ac scientia militari clarus regni sui res egregie promovit, circa annum V. C. 476. successit filius Nicomedes I. Vt bella intestina averteret, mox ab adito regno fratres e medio tollit, atque eodem tempore, ut adversum bella externa tutum sese praestaret, quae sibi Antiochus I. Syrus minabatur, Gallos e Thracia trans Hellespontum certis legibus in armorum societatem vocat. Quod consilium ut temerarium videri poterat, eorum tamen ope bellum periculosum depulit. Nicomediam deinde aedificat, illustre olim Bithyniae decus futurum. Regno magna cum laude administrato moritur circa annum V. C. 503.

Reliquit liberos *Zelam*, *Prusiam*, *Lysandrum*.

Numi:

Caput diadematum imberbe. ✠ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΝΙΚΟΜΗΔΟΥ. *Diana alte*

o) Thes. Brit. T. II. p. m. 51.

succincta trunco insidens d. duas hastas s. quid parazonio simile, pro pedibus scutum perelegans, retro arbor decisis ramis, in area Victoriola, et monogramma. AR. I. (Mus. Caes.)

Praeclarum hunc numum pridem edidit Froelichius p), eumque ex tribus hoc nomine Bithyniae regibus huic primo vindicavit, quia in hoc lineamentorum conformatio multum diversa est ab iis, quae Nicomedem II. ac IV. in numis distinguunt. Addit vir praeclarus, sequentes hujus nominis reges addidisse titulum ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ, et epochae annos, quorum utrumque in hoc numo desideratur. Mulierem sedentem partis aversae Dianam Thraciam putat, (fuisse autem Nicomedis majores domo Thracas) secundum Hesychium vocabulo Thracio dictam *Bendin*, et Διλογχον, quod binas hastas gereret. Numus hic, quod unicus forte est, et operis praestantissimi, insignis est meriti.

Numi NICOMEDIS incerti.

Caput imberbe diadematum. ℞ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΝΙΚΟΜΗΔΟΥ. *Mulier sedens d. ramum attollit, s. hastam.* AE. III. (Pellerin.)

In alio: *Equus gradiens.* AE. II. (in meis Num. vet. p. 192.)

Cum in numis his solum legatur ΒΑΣΙΛΕΩΣ, videri possunt eodem, quo praecedens, jure Nicomedi I. tribuendi. Verum constat, reges non semper omnes suos titulos in numis proposuisse. Ad haec facies regis in iis multum abludit ab ea, quae est in praecedente. Sed enim criteria a lineamentis petita in numis regum, etsi affabre factis, nimium saepe in vado destituunt, quod malum cum in his Bithyniae regibus, tum aliis quoque molestum experimur.

* * *

ZELAS Nicomedis I. filius cognitis novercae insidiis in Cappadociam fugit. Patre mortuo Bithyniae regnum testamento in fratres collatum repetiturus redit, illudque sibi variam expertus fortunam Gallorum denique ope vindicat. Horum proceribus cum insidias strueret, his detectis ab iis ipsis in convivio obtruncatur incertum, quo anno.

Reliquit filium *Prusiam*, sed numis ipse caret.

PRVSIAS I.

Zelae filius, varia cum Byzantiis et regibus Pergamenis bella gerit. Philippi V. Macedoniae regis auxilio adjutus, cujus sororem sibi matrimonio junxit, ut dicetur infra, urbes Cium et Myrleam sibi subjicit, illam de se Prusiadem, hanc de uxore Apameam vocat. In Heracleae obsidione adflicto ex lapsu femore *Claudus* deinceps appellatus est. Per Romanorum in Asia bellum ipse tantisper quietus, verum cum illo finito decedere Phrygia a senatu juberetur, quam occupaverat, vindictam meditans Hannibalem in Armenia exulem evocat, sed paullo post ipse moritur circa annum V. C. 566 q).

---

p) Reg. vet. num. p. 40.

q) Sevinus l. c. in Prusia I. Vaillant.

Numos Prusiae I. vide infra in Prusia II.

PRVSIAS II.

Prusiae I. filius. Fuerunt, qui unum tantum agnoscerent Prusiam, quos inter Reinerus r), et Sigonius s). Sed praeterquam quod historici Prusiam unum cognomento *Claudum*, alterum Κυνηγον, *venatorem* memorant, binos Prusias invicte statuunt numi. De altero hoc Prusia haec Appianus t), Polybius u), et Livius x), capto Perseo ultimo Macedonum rege, cujus sororem duxerat, ducibus Romanis pileatum et raso capite occurrisse, seque populi R. libertum palam appellasse. Ab his missum Romam, cum et hic ridiculus et minime metuendus compertus esset, facile in regnum remissum. Cum sese suis propter saevitiam exosum, et Bithynorum studia in filium Nicomedem inclinare intelligeret, eum Romam abire jussisse, sed qui subinde reversns inita cum Attalo Pergami rege conspiratione, oppresso repente caesoque patre Bithyniae regnum occupavit. Obiit circa annum V. C. 604.

Numi PRVSIAE I.

Caput diadematum barbatum. X BAΣΙΛΕΩΣ. ΠΡΟΥΣΙΟΥ. *Iuppiter seminudus stans d. protenta coronam, s. hastam, per aream varia monogrammata, plerumque* TA. AY. II. AR. I. III. (Mus. Caes. Pellerin.)

Numi PRVSIAE II.

Caput regis diadematum adstituta ala cum barbae tantum indicio. X BAΣΙΛΕΩΣ. ΠΡΟΥΣΙΟΥ. *Typus similis.* AR. I. (Mus. Caes.)

Caput juv. diadem. cum ala. X *Ead. epigraphe. Hercules stans.* AE. III. (Mus. Caes.)

Numi PRVSIAE alterutrius.

Caput Bacchi. X *Centaurus lyra canens.* — *Caput Iovis.* X *Victoria stans d. lauream*, vel: *Tropaeum.* — *Caput Apollinis.* X *Lyra.* — *Caput Mercurii.* X *Caduceus.* Sunt omnes AE. III. et inscripti: BAΣΙΛΕΩΣ. ΠΡΟΥΣΙΟΥ. (Mus. Caes. Neumann.)

Numos ΠΡΟΥΣΙΟΥ nomine insignes in tres classes distribui, quarum I. sistit caput regis diadematum barbatum, II. caput regis diadematum alatum, III. aliquod in antica caput divinitatis.

Caput regium, quod est in numis classis I., adeo sive lineamentis oris, sive cultu abludit ab eo, quod sistunt numi classis II., ut dubitari non possit, binos in iis varios Prusias esse propositos. Quare falluntur ii, qui, ut dixi, unum tantum in Bithynia hoc nomine regem agnovere. At molestum criterium, quinam utrique regi numi sint tribuendi. Vaillantius et Pellerinius numos cum capite regis barbato omnes Prusiae I. adjudicant, alios cum imberbi Prusiae II., sed ejus rationem discriminis non exposuere. Spanhemius et Froelichius statutum ab iis ordinem inverterunt. Atque ille quidem numos classis II. propter ipsam alam tribuit Prusiae I., persuasus, eo attributo indicari hominem δραςηριον, seu *in ge-*

r) In regib. Bith. s) De ant. jure prov. t) Bell. Mithr. c. 2. seq. u) Leg. 97.
x) L. XLV. c. 44.

rendo celerem et efficacem, quo ingenio fuit Prusias I., omnium vero minime Prusias II. [y]). Froelichius caput barbatum tribuit Prusiae II. Vna illi ratio, quod hic rex ab Appiano deformi fuisse vultu, et dictus *Venator* perhibetur [z]). At numi eum deformem non sistunt, sed facie potius liberali, una vero barba turpitudinis indicium non facit. Begerus, sed aperto is peccato, utriusque classis numos Prusiae II. largitur [a]). Quae sententia sit praestabilior, inquirendum.

Ala, quae in classis II. numis diademati conjungitur, in hoc examine cumprimis observanda. Begerus ea censet indicari magnitudinem, vel gloriam regiam [b]). Spanhemii sensum mox exposui, cum quo et consentit Froelichius [c]). His ergo viris eruditis explicatus allegoricus placuit. Verum ego aliam subesse adscititii hujus cultus causam suspicor. Diximus in numis Alexandri M., hunc regem Ammonis cornu sibi adplicuisse, quia Ammonis filius credi voluit; diximus in numis Lysimachi Thraciae regis, et Demetrii I. Macedoniae regis, illum arietis, hunc tauri cornu, Bacchi certis insignibus, usum, quia ille genus suum a Baccho derivavit, hic Bacchum omni observantia coluit. His ergo praeeuntibus exemplis tantum abest, ut ad allegoriam advertendum animum putem, ut plane existimem, similis modi insaniam Prusiae quoque placuisse, et seu Mercurium, seu Perseum in majoribus suis numerasse. In utrumque deum speciosum quoddam jus habuit Prusias. Constat, Arcades Mantinenses Bithynium Bithyniae oppidum deduxisse coloniam. Hi ergo Bithynienses domo fuere Arcades, apud quos natus Mercurius, et quod sequitur, ejus fuere dei abnepotes eodem modo, quo T. Statilius in marmore Hadriani aetate posito, quod recitavi in numis Philippi V. Macedonis, se dixit Persei et Dioscurorum abnepotem, quod hi dii Argivi, et ipse quoque Argivus esset. Habuit igitur Prusias homo Bithynus causam honestam, (nam quae causa honesta non videatur arrogantiae et vanitati?) genus suum a Mercurio ducendi. At multo certius Prusiae II. in Perseum jus. Natus is est ex Prusia I., atque haud dubie Apame Philippi V. Macedonis sorore, quam Prusias I. uxorem duxit. Copiose in numis hujus Philippi comprobavi, eum ab heroe Perseo voluisse oriundum videri, qua de causa toties in ejus moneta caput Persei alatum recurrit, indito etiam propterea filio suo ab hoc heroe nomine. Ex quo sequitur, Perseum Prusiae II. in majoribus maternis fuisse, atque illius cultum jure ab hoc advocatum. Accedit, Prusiae II. teste Appiano collocatam fuisse ipsam Persei Macedonis sororem, ut diximus *). Posterior haec adscitae alae

y) Tom. I. p. 513. z) Not. elem. p. 193. 194. a) Thes. Br. T. I. p. 267. b) Thes. Br. T. I. p. 270. c) Not. elem. p. 124.

*) Mira apud scriptores veteres confusio in definiendis utriusque Prusiae uxoribus, cujus potior causa, quod in explicandis adfinitatibus adhibuere vocabula nimium communia ac vaga, ex quo enasci debuit auctorum nostrae aetatis dissensus. Secundum Vaillantium Prusias I. Philippi V.

causa si verisimilis videbitur eruditis, habemus promptum in utriusque Prusiae numis argenteis discrimen, sic ut ii, qui exhibent caput barbatum, tribuendi sint Prusiae I., qui imberbe alatum, Prusiae II. Sane hac una causa suadente, reliquis oppido vagis ac incertis, hanc mihi in iis definiendis legem praefixi. Ex simili causa Seleucum I. Syrum, ejusque filium Antiochum in jus alarum involasse, dicemus in utriusque numis.

Propter eandem causam eidem Prusiae II. dedi numos aeneos, in quorum antica est caput imberbe alatum diadema-

---

Macedonis filiam Apamen uxorem duxit. (in Prusia I. p. 317.) Dicti sui vadem non citat, sed videtur illud hausisse ex Polybio, qui Prusiam I. hujus Philippi κηδεστην vocat, (Hist. L. XV. c. 22.) quod *generum* fuerit interpretatus. Verum Appianus diserte narrat, Prusiam II. Venatorem matrimonio junctam habuisse Persei sororem, id est, Philippi V. filiam. (In Mithridat.) Ex quo sequeretur, Philippum filiarum unam elocasse Prusiae patri, alteram Prusiae filio. Quod cum vix sit verisimile, pronum est credere, Prusiae I. uxorem fuisse Philippi V. sororem, non filiam, nam κηδεστης jam generum, jam socerum, jam quemcunque adfinem notat, quod multis exemplis comprobavit Spanhemius. (ad Orat. I. Juliani p. 287.) Quod ipsum impulerit eruditum Sevinum, ut eam Philippi sororem confidenter adsereret. (B. L. T. XVI. Mem. p. 146.) Quod fuerit huic Prusiae I. uxori nomen, et istud disputatur. Sevinus Apamen vocat. Fuisse Prusiae I. uxorem dictam Apamen, tenemus ex Strabone, cum refert, eum acceptam Philippi beneficio Myrleam ab uxoris nomine Apameam vocasse. (L. XII. p. m. 845.) Quae quidem peristasis facile me adducit, ut credam, hanc ipsam Apamen fuisse Philippi sororem; nam cum narret Polybius, (l. c.) Philippum in capiendis urbibus Cio et Myrlea auxilio fuisse Prusiae, suo tum adfini, et Strabo, Myrleam vocatam Apameam ex nomine suae uxoris, patet sane, Prusiae uxorem tum fuisse sororem Philippi, eamque vocatam Apamen. Froelichius Apamen filiam Attali I. Pergameni facit, nescio, quo auctore. (Not. elem. p. 193.) At Reineccius: *Habuit Prusias in matrimonio Apamen Diegyllis Thracis filiam, et N. filiam Philippi regis Macedoniae.* Lapsus in his verbis manifestus. Nam etsi demus, unicum tantum fuisse Bithyniae regem nomine Prusiae, quod ille senserat, tamen certum est ex ipso rerum gestarum ordine, ut eas enarrant Appianus, et Strabo, (ll. cc.) praecessisse matrimonium cum Philippi sorore, secutum alterum cum Diegyllis filia, nam illud peractum Philippo vivo, alterum capto jam Perseo. Accedit, Apamen nomen fuisse Graecum; at sicut Diegyllis nomen est Thracium barbarum, sic dubium non est, filiae quoque appellationem ejusdem fuisse indolis. Sane Numulizinthin Diegyllis filiam prodit Valerius Max. (L. IX. c. 2.) Secundum haec ergo argumenta habemns probabilem Prusiae I. uxorem Apamen Philippi V. filiam. Prusiae II. duas fuisse uxores, certum est, priorem anonymam, sororem Persei ex Appiano, (l. c.) et Livio, (L. XLII. 12.) alteram idem Appianus paullo infra obscure indicat, cum Diegyllin Thraciae regem Prusiae κηδεστην appellat. Sed hoc vocabulum iterum molestum, et incertum, an *socerum* dicas, an *generum*. Interpres editionis Henrici Stephani, (pag. 174.) tum et postremus ejus interpres Schweighaeuserus (Vol. I. P. II. p. 649.) vertunt *socerum*, A. Valesius *generum*. (ad Diodori exc. T. II. p. 595. ed. Wessel.) Seundas tamen nuptias aperte indicat Iustinus: (L. XXXIV. c. v.) *Eodem fere tempore Prusias consilium capit interficiendi Nicomedis filii, dum consulere studet minoribus filiis, quos ex noverca ejus susceperat.* Ex his colligo, Prusiam II. natum ex Apame Philippi sorore, ut avunculum tum potentem impensius observaret, addidisse

tum. Videtur Pellerinius in his caput Mercurii vidisse [d]. Verum ut Mercurio competunt alae, sic nequaquam diadema, quod in tribus illaesis musei Caesarei luculentum est.

Numi aenei, quos loco III. descripsi, cujus sint Prusiae, quia criteria, quae fidem facere queant, penitus absunt, adfirmare non audeo.

Numi Prusiae I. aurei et argentei summae sunt elegantiae. Begerus Iovem partis aversae putat esse Tarantaeum, teste Stephano sic dictum a Tarento Bithyniae oppido, faventibus huic opinioni literis TA. plerumque adstitutis [e].

NICOMEDES II. EPIPHANES.

Regnum, ut diximus, parricidio auspicatur. Romanos in bello Aristonici juvat. Multis cum Mithridate VI. Ponti rege Cappadociae causa turbis collisus a Socrate filio occiditur circa annum V. C. 660, cum imperium ultra annos L. porrexisset. Alii hoc parricidium in Nicomede III. patratum censent.

Numi:

Caput regis diadematum. ✠ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ. ΝΙΚΟΜΗΔΟΥ. *Iuppiter seminudus stans d. elata coronam, s. hastam, in area aquila fulmini insistens, et anni:* ΝΡ. ΒΞΡ. ΕΞΡ. ΘΞΡ. ΕΟΡ. ΗΟΡ. ΘΟΡ. ΠΡ. ΑΠΡ. ΓΠΡ. ΖΠΡ. ΗΠΡ. AR. I. (Haym. T. II. p. m. 55. Pellerin Rois, Mus. Caes. Belley B.L.T. XLII. p. 46.)

Sola oris lineamenta numos Nicomedis II. et IV. distinguunt. Nam etsi utriusque moneta annos inscriptos habeat, cum non constet, quo anno mortuus sit Nicomedes II., certi esse ex solis his annis non possumus, utrum anni ΗΠΡ. ΗϘΡ. sint ultimi Nicomedis II., an primi Nicomedis IV. At cum caput, quod est in numis ab anno ΝΡ. usque ΗΠΡ. multum differat ab eo, quale cernitur in numis ab anno ΗϘΡ. et sequentibus, evidens est, illos esse Nicomedis II., hos Nicomedis IV.

De epochae, ad quam hi anni referuntur, exordio adhuc vago, actum in prolegomenis ad numos Bithyniae.

Numi regi huic cognomen Epiphanis tribuunt, sed eodem praeditum quoque fuisse Nicomedem IV., continuo videbimus.

NICOMEDES III. Philopator.

A nonnullis eruditis hic rex plane omit-

---

capiti suo alas, sibi per Philippi sanguinem a Perseo heroe tractum debitas, quod jus firmatum amplius subinde est juncta sibi matrimonio ejusdem Philippi filia. Duraverit haec observantia, quamdiu res successoris Persei integrae steterunt; at hoc a Romanis capto constat ex auctoribus, quos supra in ejus vita citavi, eum adcurrisse Romam, et servilem in modum senatui victoriam de Perseo gratulatum, atque tum, ut quo esset adfectus animo, palam testaretur, repudiata Persei sorore verisimile est inductam filio Nicomedi novercam, cujuscunque ea filia fuerit. Haec omnis lis adcuratius in judicium vocanda videbatur, ut agnito Prusiae cum Macedoniae regibus nexu etiam alarum causa a me constituta stabiliretur.

d) Rois p. 183. e) Tom. I. p. 269.

titur, ut dicetur in Nicomede sequente. Non valde gravate istud ferimus, cum etsi exstitisset, numis careat.

NICOMEDES IV. EPIPHANES.

Pulso propter parricidii infamiam Socrate malebant Bithyni alterum ejus filium Nicomedem sibi praeficere secundum Memnonem apud Photium natum ex Nysa, quam per ludibrium *saltatricem* appellavit Mithridates VI f). Ejectus a Mithridate, restitutus a Romanis valde turbidum habuit regnum. Apud hunc commoratum Iulium Caesarem juvenem non sine ignominia prostratae regi pudicitiae, fama tulit. (Suet. in Iulio c. 2. et 49.) Legato Romanis regno, quia rapiendum praeviderat, mortuus est V. C. 679. vel secundum Appianum 678 g). Bithynia subinde in provinciam redacta, ut diximus in prolegomenis ad numos Bithyniae.

Postremorum Bithyniae regum, Nicomedis nomine, mire confusa est historia, sic ut, quem auctorem sequi oporteat, in incerto haereas. Reinerus Reineccius Nicomedes tres post Prusiam II. Bithyniae reges memorat, nimirum Nicomedem II. III. IV., atque ab hoc postremo Bithyniam Romanis legatam. Idem Nicomedis III. regnum, quem *Philopatora* vocat, longius producit h). Spanhemius quoque Nicomedes tres Prusiae II. successores intulit, sed Nicomedi III. breve regnum dedit i). At Vaillantius in sua regum Bithyniae historia hunc Nicomedem III. ignorat, illique adeo Nicomedes III. est is, qui populum R. regni sui haeredem instituit, dictusque simul *Epiphanes*, simul *Philopator*, quod alterum illi nomen ab Appiano k) datum comperit. Vaillantium secutus est Froelichius l). Dissidium istud componant historici. Ex numis istud tantum constat, fuisse post Prusiam II. reges duos Nicomedis nomine, an praeterea tertium aliquem, non produnt.

Numi:

Caput regis diadematum. ✕ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ. ΝΙΚΟΜΗΔΟΥ. *Juppiter seminudus stans d. elata coronam, s. hastam, in area aquila fulmini insistens, et anni:* ΗϘΡ. ΘϞΡ. Σ. ΕΣ. ϛΣ. ΖΣ. ΘΣ. AR. I. (Haym. l. c. Mus. Theup. Pellerin. Belley. B. L. T. XLII. p. 47.) *Alius cum anno* ΑΙΣ. (Sestini Lettere T. III. p. 146.)

Numus postremus cum anno ΑΙΣ. multum valet ad illustrandam epocham Bithynicam. Vide dicta in prolegomenis ad Bithyniae numos.

MVSA et ORADALTIS
reginae Bithyniae.

ΒΑΣΙΛΙΣΣΗΣ. ΜΟΥΣΗΣ. ΟΡΣΟΒΑΡΙΟΣ. *Caput muliebre.* ✕ ΠΡΟΥΣΙΕΩΝ. ΠΡΟΣ. ΘΑΛΑΣ. *in alio plenius:* ΠΡΟΣ. ΘΑΛΑΣΣΗΙ. *Caput Herculis.* AE. III.

ΩΡΑΔΑΛΤΙΔΟΣ. ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΛΥΚΟΜΗΔΟΥ. ΘΥΓΑΤΡΟΣ. *Caput reginae diadematum.* ✕ ΠΡΟΥΣΙΕΩΝ. ΤΩΝ.

f) Iustin. L. XXXVIII. c. 5. g) Bell. civ. L. I. c. 111. edit. Schweigh. h) Part. III. p. 176. i) Tom. I p. 516. k) De Bello Mithrid. l) Notit. elem p. 194.

ΠΡΟΣ. ΘΑΛΑΣΣΗ. *Fulmen, omnia intra coronam.* AE. III.

Insignes hi numi binas reginas sistunt a scriptoribus omnibus neglectas, certe Bithynicas, nam signati sunt, ut aversae epigraphe eloquitur, apud Prusiadem maritimam, notam Bithyniae urbem.

MVSAE numum primus edidit Scipio Maffejus m). Secutus est alius similis me olim vulgante ex gaza Marchionis Savorgnan Veneti n). Ad eum explicandum Maffejus profert fragmentum Sallustii agens de Nicomede Bithyniae rege, in quo legitur: *cum filius NVSA, quem regem appellaverat, genitus haud dubie esset*, quae lectio in variis codicibus varie effertur, et in binis quidem: *cum filius MVSA etc.* deinde Memnonem apud Photium, qui sic habet: τον ἐκ Νικομηδȣς και Νυσης; denique Suetonium narrantem: Iulium Caesarem *in senatu defendisse NYSAE causam, filiae Nicomedis.* Sed varia haec testimonia magis adhuc impediunt virum eruditum, ambiguum, an NVSA vel NYSA dictante hoc numo in MVSA sit restituendum. Difficile enimvero, haec testimonia cum numo conciliare, et expectandum plus lucis. In nomine ΟΡΣΟΒΑΡΙΟΣ. Froelichius monetarii, aut artificis nomen latere suspicatur o) At nemo non videt, esse Orsobarin Musae patrem, suppresso ΘΥΓΑΤΡΟΣ, quod in sequente numo aperte ponitur. Memoratur Appiano *Orsabaris* Mithridatis VI. filia, a Pompejo M. in triumpho traducta p), quae forte per matrem ad eundem Orsobarin genus retulit.

* * *

ORADALTIDOS numum primus protuli ex eadem illustri gaza M. Savorgnan q). Ejus nullum in veterum monumentis vestigium. Neque mirum videatur, obscuriorem esse reginarum Bithyniae historiam, quando ipsos ejus reges nox atra premit, sic ut maxima ingenia in scribenda eorum historia non uno loco adhaereant. Ea difficultas in reginis tanto implicatior, quod raro a scriptoribus, etiam cum earum fit mentio, ipsa exprimuntur nomina, unde nata dissidia, quorum exempla supra in regibus dedimus. Huc accedit regum ejus aevi levitas in ducendis, ac mox repudiandis uxoribus, quo fit, ut haec nostra Oradaltis, vel quae proditur in marmore apud Chishul r), *regina Camasarta* ex nullius Bithyniae regis toro possit excludi, quia sive ipsa repudiata alteri locum fecit, aut sibi factus locus repudiata altera. Dicitur in numo *regis Lycomedis filia*, sed neque hujus regis historia in aprico est. Quos Lycomedes prodiderunt Strabo s), Hirtius t), Dio Cassius u), aut reges non fuere, etsi regii generis, aut si reges, fuerunt tempore posteriores, quam ut eorum filia esse potuerit Oradaltis no-

m) Ant. Gall. epist. 2. n) Num. vet. p. 193. o) Not. elem. p. 38. et 195. p) Mithrid. c. 117. q) Num. vet. p. 192. r) Ant. Asiat. p. 92. s) L. XII. p. m. 558. et 560. t) Bell. Alex. c. 66. u) L. LI. c. 2.

ra, ut tum probaveram. Observandum enique, simillimum alterum Oradalti-os numum serius a Neumanno nostro x praeclaro suo museo editum [x]), sed ui pro elemento tertio A potius O vi-etur offerre, sic ut forte verum ejus omen sit *Orodaltis.* Differt etiam, quod eo manifeste legitur ΛΥΚΟΜΗΔΟΥΣ, um in meo sit ΛΥΚΟΜΗΔΟΥ, sed utrovis modo scribas, ex grammaticae Graecae legibus perinde est. Sane in numis perpetuum est ΝΙΚΟΜΗΔΟΥ, etsi scriptores legem ordinariam scribendo Νικομηδους, nonnulli, ceu Appianus, utramque sequerentur. Serius Excell. Comitissa Bentinck alium Oradaltidos meo simillimum edidit [y]).

---

x) Num. pop. P. II. p. 17. y) Supplement au Catalogue p. 46.

MYSIA.

Regio ad Propontidem et Hellespontum. Vaillantius et Harduinus prodidere numum Domitiani inscriptum ΜΥΣΙΑ typo *provinciae lugentis*. Eum Harduinus diserte huic Mysiae largitur. At ego nomine ΜΥΣΙΑ certius existimo intelligendam Daciam Cisdanubianam in Moesia positam, ut probavi in numis Moesiae.

ABBAETI MYSI.

Autonomi.

Caput Iovis. Χ ΜΥΣΩΝ. ΑΒΒΑΙΤΩΝ. *Fulmen intra coronam.* AE. III. (Mus. Caes. Haym. Pellerin.)

Populi cujuspiam hoc nomine veterum nemo meminit, videnturque dicti in his numis Abbaeti constituta extra Mysiam sede patrium *Mysorum* nomen addidisse, ut, unde essent profecti, sciretur, quas conjecturas copiosius propositas vide apud Haymium et Pellerinium.

AE. RR.

ADRAMYTIVM.

E regione Lesbi ad sinum cognominem. Scriptores veteres Τ geminant, at in numis simplex est, saltem secundum Pellerinium, et aliorum adcuratiorum catalogos, nam Vaillantius ejus quoque numos cum duplice Τ proposuit. Sed et Stephanus utrumque modum probavit.

Autonomi.

Epigraphe constans: ΑΔΡΑΜΥΤΗΝΩΝ.

Typi: in antica: *Protome Palladis*, vel *caput muliebre laureatum*, vel: *caput barbatum diadematum*, quod Pellerinius recte adserit esse Adramyti conditoris, qui fuit filius Alyattae, Croesi frater, ut Stephanus ex Aristotele refert. In aversa: *Iuppiter aetophorus stans*, (Pellerin.) qui videtur Adramytenorum princeps fuisse numen, nam eo usi sunt in numo Concordiae cum Epheso ad notandam urbem suam. In aliis: *Cornucopiae inter pileos Dioscurorum.* (Pellerin.) vel: *Pallas stans d. Victoriolam.* (Pembrock.)

Magistratus: ΕΠΙ. ΣΤΡΑ. ΛΟΥΚΙΟΥ. - - (Pembrock.) In Pelleriniano mira epigraphe explicatu mihi ignoto: ΣΤΡΑΤΩΝ. ΠΕΡΙ. Α ΚΑΙ ΚΑΠΙΤΩΝ. Α.

AE. RR.

Imperatorii sunt a Domitiano usque ad Gallienum.

Typi obvii. In numo Alexandri max. mod. sistitur *Neptunus togatus stans s. tridentem, et dexteram extendens versus mulierem ingeniculatam, et velum per caput sinuantem.* Eum edidi ex museo Caesareo [a]). Quas hic Neptuni delicias

a) Syllog. I. p. 33.

narret numus, incertum; enimvero his appetendis fratrem Iovem aequavit.

Magistratus praetor jam inde a Domitiano, inscriptus v. g. ЄΠ. CTPA. ΚΤΙΝΤΙΛΙΑΝΟΥ. vel ΠΑΚΙΑΝΟΥ. ΤΟ. Β. — *Scriba* in numo Domnae, etsi in aliis ejusdem Augustae numis pro more inscribantur praetores, de qua inconstantia agam pluribus in tractatu de archontibus.

Neocoros fuisse Adramytenos arguit Vaillantius ex unico numo Alexandri: ЄΠ. CTP. AYP. ΓΑΡΟΥ. Β. ΝЄ. verum hoc loco *το* Β. ΝЄ. non refertur ad Adramytenos, verum ad praetorem *iterum neocorum*, ut jam advertit Pellerinius [b]), et nos docebimus in tractatu de urbibus neocoris.

Concordia cum Mytilenaeis in numo Veri, (Pellerin Suppl. II. p. 72.) Laodicenis Phrygiae M. Aurelii, (Vaill.) Ephesiis Caracallae. (Theupoli.)

* * *

Non praetereundus lapsus auctoris musei Theupoli, qui Commodi numum sic describit: ΑΔΡΑΜ. ΜΗΤΡ. ΝЄΟΚ. ΠΡ. ΠΟΝΤ. ЄΤ. ΡΠΘ., cumque ex singulis his titulis nullus Adramytio competat, ei tamen ibi tribuitur. Legendum in hoc numo: ΑΔΡ. ΑΜ. et est numus *Hadrianae Amasiae*.

* * *

Numum Antinoi in hoc oppido signatum dabimus in hujus herois numis post numos Hadriani commatis Romani.

AE. RR.

ANDERA.

Gordiani numum inscriptum ΑΝΔЄΙΡΗΝΩΝ. citat Harduinus ex Ligorio non optimae auctore fidei.

ANTANDRVS.

Ad sinum Adramytenum, ab aliis Aeolidi inseritur.

Autonomum editum video in museo Pembrock. ΑΝΤΑΝ. *Capra stans.* (Part. II. tab. 4.) Verum acute vidit Neumannus noster, legendum ΑΙΝΙΩΝ. eumque restituendum Aeno Thraciae.

Aeneus huic oppido tributus a Cl. Oderico [c]) certus est Apameae Phrygiae. Vt adeo autonomum haec urbs necdum possideat.

* * *

Imperatorii a Tito usque ad Paulam. Epigraphe ΑΝΤΑΝΔΡΙΩΝ. typis *Dianae Ephesiae*, vel *Aesculapii.* Sunt apud Vaillantium et Pellerinium.

AE. RRR.

APOLLONIA.

Ad Rhyndacum fl., a quibusdam geographis Phrygiae accensetur.

Autonomi hactenus proditi non sunt.

Imperatorii a M. Aurelio usque ad Gordianum.

Epigraphe ΑΠΟΛΛΩΝΙΑΤΩΝ. addita mentione Rhyndaci, de qua mox. Vaillantius constanter in iis legit ΑΠΟΛΛΩΝΙΑΤΑΝ., at prior inscriptio non modo exstat in binis accuratissimi Pel-

---

b) Mel. II. p. 280. c) Num. Graec. p. 1.

lerinii, sed etiam in numo max. moduli musei Caesarei, neque puto Apolloniam aliam praeter illam in Illyrico sitam Dorice locutam. *Typus:* plerumque *Apollo stans intra templum*, aut *Rhyndacus decumbens*, aut *navis*.

Mentio situs per Rhyndacum fl. ΡΥΝΔΑΚΟC. vel ΠΡΟC. ΡΥΝΔ. vel ΡΥΝΔΑΚΩ. quo se ab aliis urbibus cognominibus distinguit.

AE. RR.

A S S V S.

Ad sinum Adramytenum; Aeolidi ab aliis tributa.

Autonomi:

Caput Palladis. ☧ ΑΣΣΙ. *Gryphus.* AE. III. (Mus. Caes. Pellerin.) In alio: *Caput bovis superimposita diota.* AE. III. (Hunter.)

Gryphum haec urbs forte Apollinis causa exhibuit, nam dicta quoque fuit Apollonia teste Plinio. Typo numi Hunteriani haud dubie vini frumentique praestantia praedicatur. Diota vini symbolum res nota. Bos, quia aratro junctus, agriculturam facile indicat. Testatur Strabo [d]), a Persarum regibus triticum in coenam usque Asso petitum.

AE. RR.

Imperatorii rari item a Claudio usque ad Alexandrum.

Insignis numus Pellerinii:

ΑΓΡΙΠ. ΚΛΑΥΔΙΟΣ. *Capita se respicientia Agrippinae jun. et Claudii.* ☧ ΑΣΣΙΩΝ. *Gryphus jacens.*

In aliis potior typus: *Ara cum serpente.*

Magistratus ΚΡΙΝΑΚΙΔΗC. absolute in numo Commodi; at *praetor* dicitur in numo Alexandri: ЄΠΙ. CΤΡ. ΑΥΡ. ΜΗΤΡΩΝΙΚΤΟΥ. apud Vaillantium, pro quo Harduinus legit ΜΗΤΡΩΝΙCΤΟΥ.

Concordia cum Pionia vicina, quam vide.

AE. RRR.

A S T Y R A.

Imperotorii bini citantur, uterque Ant. Pii.

ΑCΤΥΡΗΝЄΩΝ. ΚΡΙΝΑΚΙΔΗC. *Diana Ephesia cum adminiculis.* Citatur a Vaillantio ex museo reginae Christinae, sed quem, cum Romae essem, ibi non reperi. Alium similem dedit Patinus, sed exeso magistratu.

Ex pluribus Astyris, quas citat Stephanus, hi numi videntur tribuendi illi, quam is prope Adramytium locat, et de qua narrat Strabo, ibi esse lucum Astyrenae Dianae sacrum, cum quo testimonio conspirat typus.

AE. RRR.

A T A R N E A.

Prope Adramytium.

Autonomi editi sunt ab Haymio et Pellerinio.

Caput Apollinis laur. ☧ ΑΤΑΡ. *Equus dimidius saliens*, *in area variantes literae solitariae.* AE. III. In simili Hunteriano legitur tantum ΑΤΑ.

---

d) L. XV. p. m. 1068.

CYZICVS.

Ad Propontidem urbs illustris, sita in insula orae adjacente.

Autonomos aureos pervetustos, in quorum una facie: *caput leonis*, in altera: *caput forte vituli*, vel: *quadrata incusa*, huic urbi tribuere non dubitavit Pellerinius, at cum absit epigraphe omnis, et leo typus sit pluribus urbibus familiaris, vererer, mox pro Cyzico ferre suffragium. Abbas Sestinus eos Samios putat, ut dicetur in Samo.

Neque certiores sunt bini argentei ab eodem propositi: *Caput muliebre.* ꭗ *Caput leonis cum pede anteriore, aut sine hoc. Posteriori horum additur* K. Pellerinius in his caput Proserpinae videt, cumque, ut mox dicetur, solitus monetae Cyzicenae typus fuerit ejus deae caput, et leo, non dubitat argenteos hos numos, suffragante praeterea elemento K, huic urbi largiri. Sed enim certum non est, caput anticae esse Proserpinae, nam abest corona spicea, proprium ejus attributum, et collatis Cnidi Cariae numis patebit forte, plus huic juris in hos numos esse, quam Cyzico. Sunt tamen numi illustres alii argentei, quos sibi vindicat Cyzicus:

ΣΩΤΕΙΡΑ. *Caput Proserpinae spicis coronatum.* ꭗ ΚΥΖΙΚΗΝΩΝ. *Caput leonis hiante rictu.* AR. I. (Beger Thes. Br. T. I. p. 490. Hunter.)

Haec tetradrachma eximia sunt; nam confirmant id, quod refert Suidas e), *Cyziceni stateres celebres fuere, quod eleganter essent signati. Nota autem eorum fuit una parte facies muliebris, parte altera protome leonis.* Pari fama fuerunt stateres Cyziceni aurei, sed verisimiliter imaginarii tantum, de quibus actum alibi. (Prolog. gen. cap. IX.) De Proserpina et typo leonis continuo.

Autonomi aenei frequentiores, inscripti: ΚΥΖΙ. ΚΥΖΙΚΗΝΩΝ. Qui neocoratus addunt, sub imperatoribus signati sunt.

Proserpinae in hac urbe cumprimis stabilitum cultum praeter copiosa scriptorum testimonia comprobant etiam numi cum autonomi, tum, quos argumenti causa huc refero, imperatorii:

Caput Proserpinae spicis coronatum intra coronam ex spicis et papavere contextum. ꭗ ΚΥΖΙ. *Cornucopiae, ex quo spicae et papavera protuberant.* AE. II. (Hunter.)

ΚΟΡΗ. ϹΩΤЄΙΡΑ. ΚΥΖΙΚΗΝΩΝ. *Caput Proserpinae spicis coronatum.* ꭗ ϹΤΡΑ. ΚΑΜΟΥ. ϹЄΒΗΡΟΥ. ΚΥΖΙΚΗΝΩΝ. *Bacchus tigride vectus d. thyrsum.* In alio: *Vir nudus decumbens d. pateram, s. prorae navis innixus.* AE. m. m. (Mus. Caes.) Alios similes cum variis aversis vide apud Vaillantium in numis Graecis Impp. sub Faustina jun.

Eadem adversa. ꭗ ϹΤΡΑΤ. ΝΑΙΒ. ΚΥΙΝΤΟΥ. ЄΠΙ. ΟΜΟΝΟΙΑ. ΚΥΖΙΚ. ϹΜΥΡΝΑΙ. *Bacchus stolatus facem tenens in bigis Centaurorum cum solito comitatu.* AE. m. m. (Mus. Albani tab. 33.)

---

e) In Κυζικηνοι ϛατηρες.

ΔΟΜΝΑ. ΣΩΤΙΡΑ. ΚΥΖΙΚΗΝΩΝ. *Mulier tutulata stans d. hastam in ictum erigit, s. Victoriolam*, in numo Trajani AE. I. (Pellerin. Rec. III. p. 231. et Additions p. 5.)

ΚΟΡΗ ΣΩΤΕΙΡΑ usitata sunt Proserpinae nomina non apud Cyzicenos modo, sed et Lacones [f]), et Arcadas [g]), et ΚΟΡΑΣ nomine eadem ornatur in numis Agathoclis Siculi. Causa impensioris ejus in hac urbe cultus fuit, quod ea huic deae a Jove in dotem tradita ferebatur [h]), ac propterea ejus honores praedicant non modo citati hoc loco numi, sed et alii passim, cum typos offerunt ad hanc deam prorsus pertinentes, ceu *faces duas, quibus obvoluti serpentes* intermedia ara, (Hunter.) nam mater Ceres amissam Proserpinam curru serpentibus juncto, et accensis facibus inquisivit. Possunt etiam faces nocturna Proserpinae vel Hecates sacra respicere, ut monebimus in numis Stratoniceae Cariae, tum: *caput bovis, aut bos integer.* (Mus. Caes.) Fuit hoc animal Proserpinae immolatum, et quod propius huc spectat, cum Cyziceni obsidione a Mithridate premerentur, et imminentibus Proserpinae sacris deesset bos atra sacrificio destinata, per prodigium earum una urbi adnatavit, ut narrat Appianus [i]), et Plutarchus [k]), tum: *caput leonis* in descriptis supra tetradrachmis. Porphyrius [l]): ἡ δ'Εκατη ταυρος, κυων, λεαινα ακουσα μαλλον υπακουει, *at Hecate, si taurus, canis, leaena vocetur, magis exaudit.* Proserpinam eandem cum Hecate habitam constat. Sed forte certius leonis typus Cybelen respicit, ut dicetur in imperatoriis.

At enim quem sensum dabimus inscriptioni ΔΟΜΝΑ. ΣΩΤΙΡΑ numi postremi? Existimat Pellerinius το ΔΟΜΝΑ esse ex Latino captum, et ex DOMINA contractum, et hoc vocabulo compellatam a Cyzicenis Proserpinam suam. At sunt non pauca, quae sententiam hanc impediunt. Ac primum quidem nescio, cur Graeci ad exprimendam Proserpinam *Dominam* alienae linguae vocabulo uterentur, cum scribere potuissent ΚΥΡΙΑ. ΣΩΤΙΡΑ., perinde atque scripsere alias: ΚΥΡΙΑ ΝЄΜЄϹΙϹ. Numus praeterea est Trajani, cujus aetate nondum facile Graeci linguam suam passi sunt contaminari. Deinde satis constat, nomen ΔΟΜΝΑ esse Syriacum, et hoc compellatam uxorem Severi, ut a me latius probabitur in hujus Augustae numis. Denique ut nomen videtur peregrinum, sic et adstitutus deae typus, qua forma vix credam Proserpinam ex ullius Graecae urbis monumento cognitam. An incredibile videatur, hanc Cyzicenorum Domnam fuisse ex alieno solo petitam, cum alii alienos Ammones, Sarapides, Anubies arcessiverint? aut Cyziceni observare non potuerint binas varias Sotiras, quando iidem binos varios conditores observavere, ut mox docebimus? Ceterum in his tenebris offensionis metu nihil confidentius statuo. Quod si ea figu-

f) Pausan. L. III. c. 13. g) Ibid. L. VIII. c. 31. h) Appian. bell. Mithr. c. 75. i) l. c. k) In Lucullo p. 497. l) De abstinent. L. III. §. 17.

ra vere Proserpinam refert, et vere etiam vocabulum ΔΟΜΝΑ ex Latino *Domina* petitum est, hanc Cyziceni inferorum deam dixere *dominam* capto a Latinis exemplo, nam hoc eam honoravit quoque Virgilius m): *hi DOMINAM Ditis thalamo deducere adorti.*

Putavit Vaillantius, et ego quoque olim, capite anticae numorum loci II. et III. exhiberi Faustinam juniorem sub Proserpinae specie. Hoc ut verum sit, necesse est, securos nos esse, id genus numos omnes imperante M. Aurelio signatos. At dubium movet numus III. praetorem *Naevium Quintum* indicans, sed quem sub Commodo fuisse Cyzicenorum praetorem comprobat numus a Vaillantio promulgatus n). Quod si Commodo imperante iterum hunc magistratum obivisset, vix rear omissum fuisse το B. Vide, quae huc pertinentia in autonomis Smyrnae notabuntur.

* * *

ΚΥΖΙΚΟϹ. *Caput Cyzici juvenile diadematum.* ℞ ΚΥΖΙΚΗΝΩΝ. ΝΕΟΚΟΡΩΝ. *variis typis.* AE. omnis formae. (Mus. Caes. ac praecipue Hunter.)

ΚΟΡΗ. ϹΩΤΕΙΡΑ. ΚΥΖΙΚΗΝΩΝ. *Caput Proserpinae.* ℞ ΕΠΙ. ϹΤΡΑΤ. ΝΑΙΒ. ΚΥΖΙΚΗΝΩΝ. *Cyzicus stans s. hastam adscripto juxta* ΚΥΖΙΚΟϹ. *dexteram jungit cum Amazone bipenem et peltam gestante, scripto juxta* ϹΜΥΡΝΗ., *in imo*: ΟΜΟΝΟΙΑ. AE. m. m. (Pembrock P. II. tab. 41.)

Offerunt hi numi Cyzicum hujus insulae regem, qui appulsos huc Argonautas comiter excepit, at per imprudentiam a Iasone occisus est, de quo vide mythologos passim. Caesum ab Hercule refert Orpheus o), a Cybele Valerius Flaccus, ut dicetur mox in imperatoriis. In numis cultu regio proponitur. Nimirum et Flaccus dixit: *Rex divitis agri Cyzicus* p). Eum ergo ut heroem, a quo urbs nomen cepit, atque etiam ut κτιϛην venerati sunt Cyziceni, quod vocabulum etsi omittatur in numis, additur tamen in vetere marmore, ut dicetur infra in Κτιϛης. Partes aversae in his numis admodum variant, ut videri potest apud Hunterum, et Pellerinium. Rariores sunt in Pelleriniano *struthiocamelus.* In binis Hunterianis *capricornus*, aut *gemini pisces*, typi ex zodiaco petiti, incerta causa. Numi hi imperatorum aetate signati sunt, nam plerumque neocoratus additur.

AV. dubii, *AR. RRRR. AE. C.*

Imperatorii incipiunt cum Augusto, et desinunt cum Claudio Gothico.

Typi fere conspirant cum iis, qui sunt in autonomis, praedicaturque frequenter *Proserpinae* et matris *Cereris* cultus, quin et

Rheae seu *Cybeles*, cujus honoribus Argonautae huc advecti in monte Dindymo, qui urbi imminebat, simulacrum statuerunt, subinde a Constantino Constantinopolin translatum, ut refert Zosimus q), de quo vide plura apud Com-

m) Aen. VI. 397. n) Num. Graec. p. 74. o) Argon. v. 520. p) Argon. L. II. 636. q) L. II.

Caylus [r]), quin et Cyzicus rex peremptus a Cybele fertur, quod leonem, qui ejus currum subiit, interfecit [s]), unde forte petenda ratio capitis leonini in autonomis.

Opilio saxo insidens, et capram mulgens. Forte hoc typo adluditur ad tribum Cyzicenorum, quae ex vetere Atheniensis tribus nomine Αἰγικορεῖς vocabatur, ut docet marmor Peyssonelii apud Caylus [t]), quamvis auctore Euripide ea tribus nomen habuit ab Aegicoreo Ionis filio, et hic a Palladis aegide [u]). Sed constat, aegidem quoque dictam ἀπο τȣ ἀιγος.

Aedificia splendida hujus urbis, quae Strabo magnis laudibus effert, passim in numis occurrunt. Insolitae formae est, quod exhibetur in autonomo apud Haymium [x]), et Pellerinium [y]).

ЄΥΤΥΧЄϹΤΑΤΟΥ. ΚΥΖΙΚΗΝΩΝ. *Navis cum vectoribus, in area hinc* CЄ. *inde* B, in numo Hadriani max. mod. (Catal. d'Ennery p. 405.) Epigraphe mira sane, et cujus ego elicere sensum non ausim. Neque enim satis video, qua fiducia auctor ejus catalogi interpretari eam potuerit: *felicissimo Augusti adventu.*

Neocoratus primum in Hadriani numis comparet, a quo hunc honorem abstulisse verisimile est, quem ex iisdem Peyssonelii marmoribus urbi impense favisse constat exstructo ibi in suum ipsius honorem templo magnifico, constitutis in singula quinquennia certaminibus, quae *Hadriana Olympia* dicebantur, et *Hadrianae* nomine urbi ipsi concesso. Alter neocoratus haud dubie per Caracallam accessit; nam sub hoc is honos repetitur addito ΔΙϹ. vel B. In sequentium imperatorum numis nulla certa lege jam simplex, jam repetitus notatur. Neocoratum III. in unico numo Hunteriano, qui autonomus est, reperi: ΚΥΖΙΚΗΝΩΝ. Γ. ΝЄΟΚΟΡΩΝ. Neocoratus B adhuc notatur in numo Claudii Gothici. Id in hujus urbis numis observandum, fere constanter scribi ΝЄΟΚΟΡΩΝ pro ΝЄΩΚΟΡΩΝ, vicinis Pergamenis eadem scribendi lege non raro usis.

Magistratus et dignitates.

Praetor. Hic memoratur in copiosis numis a Trajano usque ad Claudium, v. g. ЄΠΙ. ϹΤΡΑ. ΓΛΑΥΚΟΥ. In autonomis supra descriptis legitur: ЄΠΙ. ϹΤΡΑ. ΚΑΜΟΥ. ϹЄΒΗΡΟΥ. Froelichius pro ΚΑΜΟΥ perperam legit ΚΑΙΤΟΥ [z]), mendose item Vaillantius in numo Faustinae jun ΚΛ. ϹЄΒΗΡΟΥ. et in numo M. Aurelii ΚΛ. ΒΥΡΡΟΥ. pro ΚΑ. ϹЄΒΗΡΟΥ. in utroque. Corrigendum item Vaillantii ΠΟΝΤΙΑΝΟΥ in Haymianum ΠΟΝΤΙΚΟΥ. in numo Claudii Gothici.

Archon in unico numo Caracallae comparet apud Vaillantium: ΑΡΧ. ΑΙΛ. ΟΝΗϹΙΦΟΡΟΥ. Decebat Cyzicum archon, nam fuit colonia Mileti, haec Athenarum, ejusque tribus iisdem nominibus fuere insignes, quibus Athenienses. Nominantur etiam bini archontes in lapide Cyziceno apud Caylus [a]), nulla unquam in aliis ibi adlatis marmoribus praetoris facta men-

r) Rec. T. II. p. 198. s) Val. Flaccus L. III. 20. t) Rec. II. p. 207. u) Ion. v. 1580. x) Tom. II. p. m. 7. y) Suppl. III. p. 136. z) 4. Tent. p. 211. a) Rec. II. p. 261.

tione. Adverte iterum hoc loco ad Vaillantii inconstantiam, qui cum in suis numis Graecis το, ΑΡΧ. hujus numi legisset *Archontem* [b]), subinde infra [c]) legendum putat ΑΡΧιερεως, addita causa: *Cyzici erant praetores.*

Asiarcha in numis Commodi: CΤΡΑ. Λ. ΑΥΡΗΛΙΟΥ. ΑCΙΑΡΧΟΥ. (Vaill.) CΤΡ. ΑΥΡ. ΜΕΙΔΙΟΥ. ΑCΙΑΡΧΟΥ. (Mus. Caes.)

Conditores plures venerati sunt Cyziceni, I. Cyzicum suum, de quo supra egi, etsi κτιϛȣ titulum non addiderunt; conditorem tamen fuisse agnitum, docet marmor Muratorii [d]), in quo legitur ΚΥΖΙΚΟΝ. ΚΤΙΣΤΗΝ. II. Herculem teste numo Tiberii, (Morelli Impp. tab. XII.) et Domitiani, (Vaill. Morelli in numis Domit.) in quibus; ΤΟΝ. ΚΤΙΣΤΗΝ. ΚΥΖΙΚΗΝΩΝ. *Hercules stans.* A Thessalis aedificatam contendit Ovidius: *Cyzicon Haemoniae nobile gentis opus* [e]), cui consentit Conon [f]). IV. Apollinem Cyzici conditorem praedicat Aristides [g]).

Antoninianam se dixit Cyzicus in honorem Caracallae in hujus numo. (Vaill. Pellerin Suppl. III. p. 136.) In alio numo Caracallae est: ΑΥΡ. ΑΝΤΩΝΕΙΝΙΑΝΩΝ. (Mus. Albani, Spon. Recherch. p. 407.)

Concordia cum variis Asiae minoris urbibus.

Certamina ΑΝΤΩΝΕΙΝΙΑ cum typo insolito octo figurarum circum duo vasa quadrata palmis referta ludentium, in numo Caracallae max. mod. (Num. max. mod. reg. Gall.)
AE. C.

GARGARA.

Ad sinum Adramytenum, secundum aliquos Aeolidis, a messis abundantia apud veteres in proverbium abiere.

Autonomus.

Protome Palladis cum binis serpentibus. ✕ ΓΑΡΓΑΡΕΩΝ. *Telesphorus.* AE. III. (le Blond. ex mus. Pellerinii pag. 12.)
AE. RRRR.

Imperatorium Commodi vulgavit Maffeius ex museo Rothelin: (Antiq. Gall. p. 115.) ΓΑΡΓΑΡΕΩΝ. typo *Aesculapii* AE. III. cujus similis etiam proditus in catalogo d'Ennery.
AE. RRR.

GERME.

Binae fuere hujus nominis urbes in Mysia, una Ptolemaeo dicta Ιερα Γερμη quam is in Hellesponto locat, et mediterraneam dicit. Ejus etiam meminit Stephanus: Γερμη πολις Ελλησποντια, πλησιον Κυζικȣ. Alteram itinerarium Antonini Pergamum inter et Thyatira locat. Fuit etiam tertia sita in Galatia, cujus habemus numos coloniae nomine. Alteri ignobiliori vix tribuendi videntur numi, quosque habemus superstites cum autonomos, tum imperatorios, ad priorem magis illustrem potius vocandi.

Autonomi in antica offerunt: ΙΕΡΑ. ΓΕΡΜΗ. vel: ΤΥΧΗ. ΠΟΛΕΩC. typo

b) Pag. 103. c) Pag. 310. d) Pag. 1042. 5. e) Trist. L. I. El. 10. v. 30. f) Ap. Photium narrat. 41. g) Orat. Tom. I. p. 237.

capitis muliebris turriti, vel ΙЄΡΑΝ. CΥΝΚΛΗΤΟΝ. *Caput virile senatus*, vel: ΔΗΜΟC. vel ΙЄΡΟC. ΔΗΜΟC. *Caput virile laureatum*. In aversa: ΓΕΡΜΗΝΩΝ. *Hercules*, *Aesculapius*, *Pallas*. Sunt in museo Caesareo, Pembrock, Arigoni, Pellerin.

ΙЄΡΑ. CΥΝΚΛΗΤΟC. *Caput laureatum imberbe senatus*. ✕ ЄΠΙ. ΑΙΛ. ΑΡΙCΤΟΝЄΙΚΟΥ. ΓЄΡΜΗΝΩΝ. *Apollo stans cum lyra*, *ex adverso figura alia dubia juxta arborem*. AE m. m. (Mus. Com. de Sternberg.)

Signatus sub Gordiano, in cujus numis apud Vaillantium idem magistratus occurrit.

Abstergendi etiam errores ab Haymio in recensendis hujus urbis numis admissi.

Caput Iovis laur. ✕ ΙΕΡΑΣ. *in corona oleagina* (T. II. p. m. 138.) Hunc numum esse Epidauri Argolidis, in hujus numis docui.

Numus inscriptus hinc ΣΕΛΕΥΚΟΥ. inde ΓΕΡΜΗΝΩΝ. ab eodem primum Germae huic, et Seleuco I. Syriae regi tributus est. (T. I. p. 30.) Advertit lapsum ipse vir eruditus, numumque Pergamo restituit in prooemio ad Tomum II. *AE. RR.*

Imperatorii editi exstant a Trajano usque ad Philippos. *Epigraphe* ΓЄΡΜΗΝΩΝ. *Typi* Herculis fere cultum persequuntur.

Magistratus praetor non paucis numis inscribitur. Vocabulum CΤΡΑ. inde a Gordiano non amplius additur. Videtur serius numis inscriptus *archon*; nam sic legas in numo Gordiani: ЄΠΙ. ΑΥΡ. ΑΠΟΛΛΩΝΙΔΟΥ. Α. ΑΡΧ. quod explico: *primi archontis*, non ut doctissimo Buenarrotio visum, qui numum edidit [h]), *primi pontificis*.

Coloniae numos a variis huic Germae tributos pertinere Germen Galatiae, in hac videbimus.

AE. R.

LAMPSACVS.

Ad Hellespontum, Themistocli a Xerxe permissa, unde vinum peteret. Docente Mela condita a Phocaeensibus, et sic appellata, quod oraculi monitu ibi aedificare urbem jussi sunt, ubi primum fulsisset. At secundum Plutarchum sic dicta urbs a Lampsace illustri ejus tractus femina, cui sua adhuc aetate a Lampsacenis sacrificia fieri testatur [i]). Catalogum plenum numorum hujus urbis additis Ainslieanis nondum cognitis debemus industriae cl. Sestinii [k]).

Autonomi.

Caput Bacchi hedera redimitum. In alio: *Caput barbatum galea peregrinae formae tectum.* ✕ *Sine epigraphe. Equus marinus alatus saliens* AV. (Hunter, Pellerin, Pembrock P. II. tab. 4. Sestini.)

Equus marinus alatus saliens. ✕ *Quadrata informia incusa.* AV. AR. III. (Sestini, Pellerin, Hunter.)

Equus similis. ✕ *Sine epigraphe. Laocoon genu flexo a binis serpentibus constrictus.* AR. II. (Pellerin.)

Numi hi cum propter metallum, tum

h) Osserv. p. 285. i) De virt. mul. k) Lettere T. IV. p. 67.

aevi pervetusti indicia omnia, insignis sunt pretii, atque etsi inscriptione carent, Lampsaceni tamen causa equi marini alati certe sunt, quia in numis eorum aliis ipsum populi nomen juxta scriptum legitur. Et quod amplius est, etiam tum, cum aliis in moneta sua typis sunt usi, ejus tamen sigillum juxta adstituerunt, ceu Sidetes malum granatum, Selinuntii folium apii etc. ex quo satis apparet, Lampsacenos fictitium istud animal velut sibi proprium adseruisse. Quis sive casus, sive deus Pegasum in piscem verterit, mihi ignotum. Res tamen esse debuit in vulgus nota, nam aliae quoque urbes, ut Syracusae, praeter Pegasum terrestrem marino saepe in numis usae sunt. Forte adlusum ad fabulam, qua docente Pegasus fuit Neptuni filius habitus [l]). Plato in fabuloso suo templo effictum nobis Neptunum narrat ἑξ ὑποπτερων ἱππων ἡνιοχον, *sex alatorum equorum aurigam* [m]). Laocoon numi postremi insignis est typus, etsi non constet, qua de causa eum Lampsaceni advocaverint, forte causa viciniae, quae atrox istud spectaculum vidit.

Caput Bacchi. ℞ ΛΑΜΨΑΚΗΝΩΝ. *Apollo stolatus stans d. plectrum, s. lyram, in area hinc monogramma, illinc palmae ramus, infra* CѠΚΡΑΤΟΥ. ΤΟΥ. ΞΕΝΟΦΑΝΟΥ. AR. I. (Sestini.)

Videtur illustris hic numus paullo post victoriam Actiacam signatus, atque ea hoc numi typo celebrata. Apollo enim hoc cultu certus est Actius, et potest adstituta palma ad victoriam adludere.

In numis aliis *epigraphe* ΛΑ. ΛΑΜ. ΛΑΜΨ. ΛΑΜΨΑ. ΛΑΜΨΑΚΗΝΩΝ. In quibus solum ΛΑ. legitur, minus tuto huc pertinent, cum plurium urbium nomina ab his literis incipiant.

Typi praeter jam dictos: *Caput juvenile biceps* significatione incerta, *Apollo cum lyra*, *Bacchus cum thyrso*, *vel diota*, *Caput Ammonis*.

AV. RRR. AR. RR. AE R.

Cum *Alexandri M.* epigraphe in hac urbe signata sunt insignia tetradrachma, quae vide in numis hujus regis.

* * *

Imperatorii ab Augusto usque ad Gallienum. Augusti sunt apud Pellerinium et Theupoli, Gallieni bini apud Arigonium.

Typi:

Pegasus marinus, ut in autonomis.

Priapus stans, *vel ejus caput*, typus obvius. — *Templum 4. col.*, *in cujus aditu Priapus ad aram ignitam*, *in imo sus*, in numo Caracallae. (Vaill.)

Vulgatum fuisse Priapi apud Lampsacenos cultum, obvia veterum testimonia fidem faciunt, quae referre supervacaneum. Insigne marmor apud Gruterum [n]): ΙΘΥΦΑΛΛΩΙ. ΚΟΡΥΝΗΦΟΡΩΙ. ΚΗΠΟΦΥΛΑΚΙ. ΚΛΕΠΤΟΜΑΣΤΙΓΙ. - - - ΛΑΜΨΑΚΙΩΝ. ΚΟΙΝΩΝΙΑ. Sus in Caracallae numo haud dubie Priapo se in victimam offert deo suo dignam. Apud Ovidium ex causa ridenda asinus Priapi hostia dicitur [o]).

---

l) Cornut. Natur. deor. c. 22. m) In Critia p. 116. n) Pag. 95. 3. o) Fast. I. 391.

ΣΤΝΚΛΗΤΟΣ. *Caput Senatus*, in numo Augusti. (Sestini.)

Metropolis titulum jactat in unico numo Caracallae: (Pellerin. Rec. III. p. 232.) ΛΑΝ. ΜΗΤΡΟΠ. ΛΑΜΨ. neque ex alio quopiam monumento constat, Lampsaco eum honorem tributum. Quid praefixum ΛΑΝ. significet, necdum assequi licuit.

Magistratus praetor: ЄΠΙ. CΤΡ. Λ. CЄΒΗΡΟΤ. in numo Elagabali. (Sestini.) ЄΠΙ. ΑΠΟΛΛΩΝΙΔΟΤ., Decii. (Pellerin.) ЄΠΙ. CΤΡΑ. ΦΙΛΙΠΟΝ. ut scriptum fertur in numo Etruscillae. (Arigoni.)

AE. R.

Coloniam Lampsacum deduxit Julius Caesar, et talis fuit adhuc anno V. C. 719. docente istud Appiano p). Videtur ergo paullo post coloniae jura amisisse, quia jam sub Augusto numos signavit nulla coloniae mentione.

MILETOPOLIS.

Mediterranea prope Cyzicum.

Autonomi tres hactenus editi:

Caput Palladis. X ΜΙΛΗΤΟ. *vel* ΜΙΛΗΤΟΠΟΛΙΤΩΝ. *Noctua una, vel duae, vel utraque in unum caput coalescens.* AE. II. (Haym. Musseli, Pellerin.)

AE. RRR.

Imperatorii a Vespasiano usque ad Gordianum.

Epigraphe : ΜЄΙΛΗΤΟΠΟΛΙΤΩΝ. *Typi* obvii.

Magistratus inscribitur jam addito, jam omisso *praetoris* vocabulo. In numo Vespasiani: ΤΙ. ΟΤΟΛΟΤ. In numis Aurelii, Lucillae, Commodi, Crispinae: ЄΠΙ. CΤΡΑ. ΕΤΤΤΧΟΤC. ΑΛЄΞΑΝΔΡΟΤ. Testatur Holstenius q), exstare lucernam aeneam apud Petrum Bellorium, cujus ansae insculptum: ΑΡΤЄΜΙC. ЄΦЄCΙΩΝ. ЄΤΤΤΧΟΤC. ΑΛЄΞΑΝΔΡΟΤ. ΜЄΙΛΗΤΟΠΟΛЄΙΤΩΝ.

AE. RR.

PAESVS.

Huic Mysiae urbi numos ΠΑΙS tribuerunt Harduinus et Haymius, (T. II. p. m. 168.) quos esse Paesti Lucaniae in hac rei numismaticae luce indicasse sufficiat, probare supervacaneum.

PARIVM.

Ad Propontidem, colonia Erythrarum Ioniae r), sed Strabo conditum ab incolis Pari insulae dixit s), Eustathius a Thasiis t), sed qui ipsi fuere Pariorum coloni.

Vrbis hujus numi hactenus aut magno numero editi non fuere, aut si editi, aliis urbibus inique sunt tributi. Magno nuper beneficio cl. Sestinus sibi obstrinxit eruditos, cum numos thesauri in Parii vicinia reperti, et in museum Aislineanum inlati vulgaret u), eorumque numerum iis, quos repertus serius alter continuerat, augeret x), qua fortuna factum, ut jam auctiorem, certioremque habeamus Parianorum rem numismaticam. Eadem occasione vir eruditus catalogum

p) Bell. civ. L. V. cap. 137. q) In notis ad hanc urbem. r) Pausan. L. IX. c. 27. s) L. XII. p. m. 745. t) Ad Dionys. 517. u) Lettere P. I. p. 96. x) Lettere P. III. p. 18.

amplum construxit numorum hujus urbis omnium hucusque cognitorum, unde eos, qui aliquid observatu dignum offerunt, excerpam.

Autonomi.

Caput Cereris spicis coronatum ※ ΠΑΡ. *intra coronam hederaceam.* AV. III. AR. III. (Mus. Caes.)

Alius, sed inscriptus: ΠΑΡΙ. AR. III. (Hunter. tab. 41. n. XVIII.)

Caput juvenile nudum. ※ ΠΑΡΙΑΝΩΝ. *intra coronam hederaceam.* AE. III. (Pellerin.)

Illustris est numus prior aureus musei Caesarei, et hactenus, quod norim, unicus. Esse eum hujus Parii, et non alterius urbis ab his literis incipientis, evincit numus III., qui inscriptum plene ΠΑΡΙΑΝΩΝ exhibet, quod fuisse Parii gentile, docuit Stephanus, eoque usus est etiam Pausanias [y]). Sistunt hi numi Cererem, quia haec Parii conditoris mater fuit crédita, de quo plura infra. Vide, quae alia ad hos numos alibi observavi [z]). Corrigendus ergo Paruta, ejusque commentatores, qui similem argenteum inscriptum ΠΑΡ. esse Paropi Siciliae sanxerunt [a]).

* * *

Bos stans et respiciens. ※ *Quadratum incusum.* AR. IV. (Sestini l. c.)

Larva ejecta lingua serpentibus horrens. ※ ΠΑΡΙ. *Bos stans et respiciens, inferne apis, astrum etc.* AR. III. (Mus. Caes. Sestini l. c.)

Eadem adversa. ※ ΠΑΡΙΑΝΩΝ. *Victoria gradiens.* AR. I. (Dutens Explic. de quelq. méd. Hunter.)

Numi secundo loco descripti ab antiquariis olim Paro insulae tributi fuere. Primus dubium movit Pellerinius, qui, cum videret, numos Abydi Troadis, quae huic Paro fuit vicina, similes larvas praeferre, coepit suspicari, eos Parium forte vocandos [b]). Non vanum fuisse vatem, docuere numi serius editi, quos loco tertio descripsi.

* * *

Caput muliebre. ※ ΠΑΡΙ. ΑΝΑΣΙΚ. -- *Caper stans.* AR. I (Sestini l. c.)

Caput varians. ※ ΠΑΡΙ. *Caper stans vel currens, vel cornupeta.* AE. III. (Mus. Caes. Pellerin, Sestini.)

Similes numos ipse ego, Pellerinium aliosque secutus, Paro insulae tribueram, sed quos modo auctoritate cl. Sestini Pario restituimus.

* * *

Caput muliebre, vel: Bos cornupeta, vel: Bos stans vel: Caput bovis. ※ ΠΑΡΙ. ΠΑΡΙΑΝΩΝ. *Ara ignita, adstituta in nonnullis infra diota.* AE. II. III. IV. (Sestini.)

Arae typum praeclare vir eruditus ex Strabone explicat laudante aram in hac urbe aedificatam, opus Hermocreontis, mole et pulchritudine conspicuam [c]). Addo, jam altius eundem Strabonem hanc Parii aram dixisse dignam visu, cujus

y) l. c. z) Num. vet. p. 199. a) Ad Parutae tab. 34. b) Rec. III. p. 89. c) L. XIII. p. m. 879.

latera stadii longitudinem aequent [d]), ad quem locum Casaubonus citat verba Eustathii: ᾄδεται γὰν και Παριάνος βωμος ἐπι μεγεθει, και Εφεσιος δε κερατινος, *celebratur ara Pariana propter magnitudinem, et Ephesiorum cornea.*

* * *

Caput Bacchi hedera coronatum. ℞ ΠΑΡΙ. *intra coronam spiceam.* AE. III. (Mus. Caes.)

Botrus. ℞ ΠΑΡΙ. *Spica.* AE. III. (Sestini.)

Parium a vini largo proventu praecipue laudat Strabo [e]).

* * *

Bos cornupeta. ℞ ΠΑΡΙ. *Taeda, omnia intra coronam spiceam.* In alio: *Apis.* AE. III. (Sestini.)

Lyra. ℞ ΠΑΡΙΑΝΩΝ. *Spica.* AE. III. (Sestini.)

Caput adversum Medusae. ℞ ΠΑΡΙ. *Aquila adversa stans explicatis alis.* AE. III. (Pellerin sub Paro, Sestini.)

Caput Iovis. ℞ ΠΑΡΙ. *Fulmen alatum.* AE. III. (Sestini.)

Numi similes jam ab aliis fuere vulgati, sed passim Paro insulae adjudicati.

AV. RRRR. AR. RR. AE. R.

Coloniam fuisse Parium jam constabat cum ex scriptoribus, tum inscriptionibus, quae documenta vide apud Cellarium, jam vero numis quoque invicte stabilitur, in quos erudite et eleganter commentatus est Belleyus [f]). Inscribuntur hi plerumque: C. G. I. H. P. quos adeo Harduinus primum *Hadrumeto*, mox *Himerae* Siciliae, demum *Germae* Mysiae mira inconstantia tribuit. Vaillantius eos omnes Hipponem regium Africae transtulit. At Belleyus ex numis, qui plenius inscribuntur PA. PAR. PARIA, feliciter eruit, literam P legendam *Pariana*, quam ejus sententiam subinde ex numo, qui insuper Parium conditorem memorat, plene confirmavi, quem mox producam. Infra in imperatoriis probabimus, epigraphen legendam: C*olonia* G*emella* I*ulia* H*adriana* P*ariana*. Habet colonia Pariana cum autonomos, tum imperatorios.

Autonomi.

PARIO. CONDIT. *Caput nudum.* ℞ C. G. I. H. P. *Mulier stolata stans ante aram luculentam d. pateram, s. cornucopiae.* AE II. In alio: *Lupa cum gemellis, supra aquila ramo insistens.* AE. III.

Numum priorem olim edidi ex museo reverendiss. ablatis Trombellii Bononiae [g]). Alterum addidit cl. Sestinus. Fuit hic Parius Iasionis Cereri cumprimis dilecti filius, quem condidisse Parium, nomenque suum huic urbi indidisse prodidere veteres, quorum ibi testimonia citavi.

* * *

RIOSSH. *(retrograde) Caput imberbe nudum.* ℞ DEO. AESC. C. G. I. H. P.

d) L. XII. p. m. 746. e) L. XIII. p. m. 879. f) B. L. T. XXV. p. 94. g) Num. vet. p. 200.

Vir imberbis sedens, cui bos adstans anriorem pedem porrigit. AE. II. (Pellerin Rec. II. p. 54.)

Adde similes alios:

Caput Commodi, in alio Gallieni. ℞ DEO. AESC. SVB. C. G. I. H. P. *Idem typus.* (Pellerin Additions p. 29. et Mel. I. p. 331.)

Censet Belleyus, qui hos numos recitavit [h]), το SVB. explendum SVB*venienti*, tanquam Aesculapius subveniret pecudi quoque morbis adflictae. Pellerinius SVB*urbano* legendum mavult [i]), cujus conjectura prae Belleyana videtur infirmior. Neumannus hoc Aesculapii nomine et typo latere putat Alexandrum Paridem, qui Parianis teste Athenagora ἐπηκοȣ θεȣ, *exaudientis dei* instar fuit [k]). Selige lector. Epigraphe anticae numi prioris barbariem jam sapit.

* * *

C. G.

P. I. *Aratrum, et spica.* ℞ T. ANICIO. C. MATVIN. AED. *sine typo.* AE. III. (Sestini. l. c.)

C. G.

P. I. *Caput muliebre.* ℞ C. MATVINO. T. ANICIO. AED. *Vas monotum.* AE. III. (Ibid.)

Eadem adversa. ℞ MVC. PIC. IIVIR. DD. *Vas monotum.* AE. III. (Ibid.)

Eadem adversa. ℞ DD. *Vas monotum.* AE. III. (Ibid.)

Numos hos omnes primo aspectu deerassem in Hispania signatos, nisi obstaret cl. Sestini auctoritas. Sane Hispanienses arguere poterant aratrum et spica, et haec quidem situ horizontali, tum et mentio magistratus, ac praecipue *aedilium*, qui, si Leptin Syrticae demas, hactenus in unis coloniarum Hispanicarum numis leguntur. At enim cum excusso solerter universo Florezii opere nullum horum numorum reperirem vestigium, neque ullo modo verisimile videretur, si Hispaniam patriam haberent, eorum nullum tot annis attentissimo Florezio in manus venisse, cum tamen Sestinus in opposito, ac tantis intervallis disjuncto Oriente varios quatuor repererit, et quidem numi postremi exempla omnino septem, cogebar dare manus victas, eosque cum Sestino proprios coloniae Parianae profiteri, praecipue cum is profiteretur, eos una cum aliis certis hujus coloniae numis, et quidem prope Parium, in eodem thesauro repertos. In aliis omnibus hujus coloniae numis epigraphes literae hoc ordine ponuntur, C. G. I. P., at in praesentibus est: C. G. P. I. Ergo in his epitheton *Iuliae* aut nomen Parii consequitur, quod hactenus tantum in numis Calagurris et Ilici Hispaniae urbium observatum, aut literae legendae sunt βȣϛροφηδον.

AE. RR.

Imperatorii.

Horum primus hactenus fuit Nervae, quem edidit Neumannus, verum hoc

h) L. c. i) L. c. k) Num. pop. P. II. p. 22.

priores vulgavit Sestinus ex museo Ainslieano, in quod insignes duo thesauri, de quibus nobis supra sermo fuit, migravere. Horum primus est cum capitibus Augusti et Agrippae, quem mox describam, sequuntur Tiberius, Drusus jun., Claudius, Vespasianus, Nerva etc. et porriguntur in imperium Gallieni. Illustriores sunt:

M. AGRIPPA. *Caput nudum.* X IMP. CAES. DIVI. F. C. G. I. P. *Caput Augusti nudum.* AE. I.

Alium similem cl. Sestinus se vidisse testatur Thessalonicae in museo Cousinerii eruditi Galli [l]). Reperti feliciter hi numi variorum errata corrigunt. Pellerinius, cum in simili suo legeret: C. C. I. P., eum primum Carthaginem, serius Paradam Zeugitanae migrare jussit [m]). Auctor musei Theupoli, cum et hic in suo legeret C. C. I. P., eum inter incertos reposuit. Morellius, quia in suo scriptum C. C. I. B. viderat, eum Babbam Mauretaniae adegit. Hos ergo omnes esse coloniae Parianae, reperti recens hi numi testantur.

Illustris est etiam numus Corneliae Superae apud Pellerinium, (Rec. I. p. XXI.) de quo agemus in numis hujus Augustae.

Epigraphe in his numis ante Hadriani tempora est: *Colonia Gemella Iulia Pariana.* Inde ab hoc additur H. vel HA. id est: *Hadriana*, in numis Gallieni HAD. (Sestini.) Belleyus in numo Antonini legit: C. PAR. IVL. AVG., unde arguit, coloniam fuisse deductam ab Augusto, praecipue cum in citato Trajani numo compareat capricornus Augusti symbolum. Verum hic numus haud dubie restituendus est coloniae Parlaidi Lycaoniae, quam vide.

OPTIMO. PRINCIPI. in numo Trajani. (Pellerin.)

SALVS. C. P. legendum, ut videtur, *Coloniae Parianae*, typo *gemellorum lactentium*, in numo Gallieni, (Pellerin.)

* * *

Lupa gemellos lactans, *infra* II. VII. in numo Gallieni. (Pellerin.)

Additi numeri indicare videntur, partem legionum II. et VII. apud Parium stetisse. Etiam in numis Romanis Gallieni legio II. lupam cum geminis habet, et belle geminorum lactentium typus ad nomen *Gemellae* huic coloniae inditum adludit.

* * *

Typi reliqui:

Capricornus, qui etiam frequenter in numis superiorum imperatorum signum incusum facit, ex quo verisimile, quia typus Augusteus est, coloniam ab Augusto deductam.

Silenus utrem super humero gestans, in numo Gallieni. (Sestini.)

AE. R.

PERGAMVS.

Mediterranea ad Caicum fl., urbs clara et regum Pergamenorum sedes.

Autonomi:

---

l) Lettere P. I. p. 103. m) Rec. I. p. XXII. et Lettres p. 152.

Caput Herculis juvenis. ⵅ ΠΕΡΓΑΜ. *Pallas in Hermae forma hastam intorquet.* AR. III. (Pellerin, Hunter.)

Vnicus hic est certus Pergami argenteus praeter cistophoros.

Aenei copiosi supersunt.

Epigraphe: ΠΕΡΓΑ. ΠΕΡΓΑΜΗΝΩΝ.

Pallas stans, Victoria, aquila fulmini insistens, baculus Aesculapii, serpens, Telesphorus, caput bovis, etiam duplex.

ΙЄΡΑ. СΥΝΚΛΗΤΟС. *Caput juvenile senatus.* (Pellerin.)

* * *

Conditor.

ΠЄΡΓΑΜΟС. *Caput barbatum diadematum.* ⵅ ЄΠΙ. СΤΡΑ. ΚΛ. ΚЄΦΑΛΙΩΝΟС. *Baculus Aesculapii.* AE. III. (Haym.)

ΠЄΡΓΑΜΟС. ΚΤΙСΤΗС. Harduinus ex museo reg. Gall., reliqua reticet.

Fuit Pergamus teste Pausania [n]) Pyrrhi Aeacidae et Andromaches filius, frater Molossi et Pieli, transgressus subinde in Asiam cum matre accitu Eurypyli, de quo mox Pergamo nomen dedit, quorsum jam antea Telephus ex Arcadia coloniam deduxit, ut narrant Aristides [o]), et Pausanias [p]).

Magistratus *Cephalion* in numis Pergamenis et sub Augusto et Hadriano notatur. Sed videtur hic numus sub posteriore signatus.

Heros Eurypylus.

ЄΥΡΥΠΥΛΟС. ΗΡΩС. *Caput juvenile nudum.* ⵅ ΠЄΡΓΑΜΗΝΩΝ. ЄΠΙ. СΤΡΑ. Ι. ΠΟΛΛΙΩΝΟС. ΠΑΦΙΑ. *Templum Veneris Paphiae.* AE. (Spanheim T. I. p. 505.)

Eurypylus filius Telephi et Astyoches Priami filiae, vel secundum Q. Calabrum [q]) sororis, patre mortuo Mysiae rex, cujus ditio circa Caicum fl. fuit teste Strabone [r]), atque adeo Pergamenum agrum complexa. Idem et urbem ipsam in Pergami gratiam condidisse dicitur a Servio [s]). Ceterum ejus historia varie a veteribus refertur. Haec igitur Pergamenis ratio ejus in numis proponendi. Numum Spanhemius loco citato ex Homeri Odyss. Λ. v. 518. eleganter explicat, ubi poeta inducit Vlyssem haec de Neoptolemo memorantem.

Αλλ' ὁιον τον Τελεφιδην κατενηρατο χαλκῳ
Ηρῳ' Ευρυπυλον, πολλοι δ'ἀμφ'ἀυτον ἑταιροι
Κητειοι κτεινοντο, γυναιων ἑινεκα δωρων.
Κεινον δη καλλιϛον ἰδον μετα Μεμνονα διον.

Sed ut Telephidem interfecerit ferro
Heroa Eurypylum, multi autem circa eum socii
Cetei trucidabantur muliebria propter dona.
Illum sane pulcherrimum vidi post Memnona divinum.

Dicitur hic Eurypylus *heros*, ut in numo memorantur *socii Cetei*, quod idem esse ac *Pergameni*, infra ad fluvium *Ceteum* docebo. Laudatur a pulchritudine, quam idem singularem in numo praefert. Habes similia apud Q. Calabrum [t]). Cur

n) L. I. c. 11. o) Orat. de concord. p) L. I. c. 4. q) L. VI. v. 135. r) L. XIII. p. m. 915. s) Ad Virgil. eclog. VI. t) L. VI. 119. seq.

Veneris Paphiae templum in hoc numo jungatur, difficile est divinare. Forte ejus cultus viguit Pergami, ut Dianae Ephesiae in multis praeter Ephesum urbibus. Numus signatus est circa Trajani, Hadriani, vel Antoninorum aetatem, nam hac plures numi cum mentione Pollionis strategi percussi sunt. Exstat hic numus in museo reginae Christinae et Mediceo, et male lectum est a nonnullis CAΛΑΜΙΝΙΩΝ pro ΠЄΡΓΑΜΗΝΩΝ, ut abunde docuerunt Spanhemius, (l. c.) et Harduinus. (in *Salamina.*)

* * *

ΕΠΙ. ΠΕΡΓΑΜΟΥ. *Caput Palladis* ✕ ΠΕΡΓΑΜΗΝΩΝ. *Victoria stans.* AE. II. (Mus. Caes. Pellerin.)

ΣΕΛΕΥΚΟΥ. *Caput Iovis.* ✕ ΠΕΡΓΑΜΗΝΩΝ. *Aquila insistens fulmini.* AE. II. (Mus. Caes.)

ΜΙΘΡΑΔΑΤΟΥ. *Protome Palladis.* ✕ ΠΕΡΓΑΜΗΝΩΝ. *Aesculapius stans.* AE. II. (Seguin Num. sel. p. 62.)

ΧΟΡΕΙΟΥ. *Caput Palladis.* ✕ ΠΕΡΓΑΜΗΝΩΝ. *Victoria stans.* AE. II. (Hunter.)

Numum secundo similem Haymius Germae Mysiae cusum primum censuit [u]; sed agnito serius errore Pergamum revocavit [x]. In eo tamen ipse cum Froelichio [y] errasse visus, quod nomine ΣΕΛΕΥΚΟΥ indicari Syriae regem hoc nomine opinabatur. Videmus in hac serie pro Seleuco alia inscripta nomina. Vt ergo haec aliud non sunt, quam magistratuum varia vocabula, sic et Seleucus habendus urbis magistratus. Ad eundem lapidem offendit Seguinus, qui, cum in numo suo, quem citavi, legeret ΜΙΘΡΑΔΑΤΟΥ, eum erudite quidem, verum, ut ex dictis apparet, non satis certa fide Mithridati Pergameno tribuit, de quo egimus in numis Asandri regis Bospori.

Autonomi Pergami incerti.

Aureum anepigraphum: *Caput juvenile nudum.* ✕ *Caput bovis*, huc posse vocari opinatus est Pellerinius, sed conjectura valde infirma.

Caput barbatum nudum. ✕ ΜΩΔΑΙΩΝ. *Caput bovis adversum.* AR. I. (Pellerin, Mus. M. Ducis, Hunter.)

Cum populum non reperiret Pellerinius, quem numi epigraphe enunciat, Pergamum respexit causa numi alterius Pergameni, quem continuo adjecit, in cujus aversa legitur magistratus: ЄΠΙ. CΤΡΑ. ΜΩΔΑΙΩ. ΤΟ. Β. Vnde arguit, το ΜΩΔΑΙΩΝ numi argentei perinde esse posse magistratum, et eundem quidem, qui in altero numo CΤΡΑτηγος dicitur. At vero spectata fabrica numi prioris facile eruitur, utriusque aetatem multum divergere, cum prior argenteus certe signatus sit ante imperatorum aetatem, posterior autem non minus certe sub imperatoribus.

* * *

De cistophoris Pergami cusis agetur in horum tractatu.

AV. dubii. AR. RRRR. AE. C.

---

u) T. I. p. m. 30. x) T. II. in prooemio. y) In Annal. Syr.

Imperatorii magno numero exstant ab Augusto usque ad Saloninam. In uno Vaillantius caput Iulii Caesaris videre sibi visus est, at eum esse Nicomediae, monui supra z). Insignis est Corn. Superae. (Sestini Lettere T. IV. p. 109.)

Typi pro tanto numero variant. De Aesculapio, principe Pergamenorum numine, infra. Sed habuere et deos, quorum ipsa nomina numis inscripsere. Eccos:

ΖΕΥΣ. ΦΙΛΙΟΣ. *Caput Iovis*, vel: *Iuppiter sedens d. pateram, s. hastam*, in numis Trajani. (Mus. Caes.)

Iuppiter dictus est Φίλιος et Ἑταιρεῖος, amicitiae praeses, quod omnes homines in unum cogit, et vult esse inter se amicos, ut explicat Dio Chrysostomus a). Cultus etiam fuit ab Arcadibus b), passimque per eum veteres, praecipue in sermone familiari, jurare sunt soliti. Lepide Diodorus Sinopensis apud Athenaeum c) Iovem hunc Philium parasiticae auctorem statuit, nempe qui omnium domos ingreditur, et sicubi lectum bene stratum viderit, mensamque admotam, ocyus accumbit, expletusque cibo exit parum de symbolis anxius. Eidem imperante adhuc Gal. Maximino Theotecnum quendam praestigiatorem Antiochiae posuisse simulacrum, narrat Eusebius d).

* * *

ΖΕΥΣ. ΠΕΙΟΣ. *Iuppiter Pius*, eodem cultu, quo Iuppiter Φίλιος, in numo Trajani. (Vaill.) De hoc Iove Pio numos Ephesi consule.

* * *

ΚΟΡΩΝΙΣ. *Mulier velata stans involutis manibus*, in numo Sabinae. (Vaill.) Fuit Coronis mater Aesculapii Pergamenorum tutelaris.

* * *

Augustus. Huic non mortuo modo, sed vivo quoque honores divinos habuere Pergameni, quod in utramque partem eorum testantur numi.

Deus Augustus vivus.

ΣΕΒΑΣΤΟΝ. ΠΕΡΓΑΜΗΝΩΝ. *Caput Augusti laur. addito capricorno.* ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΑ. ΚΑΙΣΑΡΑ. *Augustus paludatus stans in templo 4. col. d. hastam.* AE. III. (Morelli, Vaillant.)

ΣΕΒΑΣΤΟΝ. ΚΕΦΑΛΙΩΝ. ΓΡΑΜΜΑΤΕΥΩΝ. *vel.* ΣΕΒΑΣΤΟΝ. ΔΗΜΟΦΩΝ. *Augustus stans in templo, ut in praecedente.* AE. III. (Mus. Caes. Morelli.)

ΘΕΟΝ. ΣΕΒΑΣΤΟΝ. ΠΕΡΓΑΜΗΝΟΙ. *Augustus stans in templo, ut in praecedente.* AE III. (Vaill.)

ΣΕΒΑΣΤΩ. ΚΑΙΣΑΡΙ. ΒΟΥΛΑΙΩ. *Caput Augusti.* AE. III. (Vaillant.) — Adde argenteum, quem infra in Augusto mortuo citabimus.

Numos hos signatos fuisse vivo adhuc Augusto, arguit inscriptus horum nonnullis magistratus ΚΕΦΑΛΙΩΝ, qui idem occurrit in numo cum capitibus Caii et Lucii e). Neque istud mirum, cum certis auctoribus constet, quos in numis Augusti ad V. C. 735. adducam.

z) Prolog. ad Bithyn. a) Orat. I. b) Pausan. L. VIII. c. 31. c) L. VI. p. m. 239. d) Hist. eccl. L. IX. c. 3. e) Pellerin Rec. III. p. 233.

Augusto adhuc vivo Pergami dedicatum fuisse templum, ejusque et Romae nomine numos ibi argenteos signatos eodem templi typo, de quibus agemus mox. In numo postremo dicitur ΒΟΥΛΑΙΟΣ, *consilii praeses*, quod est certum Iovis epitheton, ut docebimus ad numum Mytilenes inscriptum ΖΕΥC. ΒΟΥΛΑΙΟC.

Deus Augustus mortuus.

ΑΥΓΟΥCΤΟC. ΠΕΡΓΑ. *Templum 4. col., in cujus fronte capricornus, intus Augustus paludatus, et hastatus stans.* ✠ ΤΡΑΙΑΝΟC. CΤΡ. Ι. ΠΟΛΛΙΩΝΟC. *Templum 4. col., in quo Trajanus paludatus hastatus stans.* AE. (Haym. T. II. p. m. 269.)

ΑΥΓ. - - - CΕΒ. Π. Π. ΦΙΛΙΟC. ΖΕΥC. *Templum 4. col., intra quod Iuppiter Philius sedens, et juxta, ut videtur, stans imperator.* ✠ ΡΩΜΗ. ΚΑΙ. CΕΒΑCΤΩ. - - - *Templum 4. col., intra quod Augustus sedens, quem adstans mulier s. cornucopiae tenens coronat, in area signum incusum.* AE. II. (Mus. Caes. et a me editus in Sylloge I. p. 36.)

His adde insignes argenteos:

COM. ASIAE. *Templum 6. col., cujus epistylio inscriptum:* ROM. ET. AVGVST., in numo Augusti, addito: IMP. IX. TR. POT. V. AR. I. et III. (Mus. Caes. Morelli Impp. Vaill. num. praest.)

Numum hunc, etsi, quod patet, Augusto vivo signatum, propter seriem huc distuli.

COM. ASI. *Templum 2. col., in quo Augustus paludatus hastatus stans, quem adstans mulier s. cornucopiae tenens coronat, epistylio inscriptum* ROM. ET. AVG. in numo Claudii. AR. I. (Morelli Impp. Vaill. Num. praest.) Nervae et Trajani, AR. I. (Vaill. l. c.)

Ex descriptis hic numis primus aeneus propter additum ΠΕΡΓΑ. Pergami certe est. In aeneo altero Pergami quidem nomen non comparet, quia a signo incuso absorptum fuit, hujus tamen urbis causa Iovis Philii sine dubio est. Atqui et hunc et sequentes argenteos mentio ROMAE et AVGVSTI, tum et COM*munis* ASIAE, typusque templi Pergamo invicte vindicant, cum constet ex Tacito et Dione, permisisse Augustum, ut sibi et Romae ab Asianis apud Pergamum templum aedificaretur, quod paucis hic commemorasse suffecerit, quia de hoc prolixius agam in numis Augusti ad annum V. C. 735.

Trajanus. Huic quoque vivo Pergamus honores divinos maturavit testibus numis:

ΘΕΩ. CΩΤΗΡΙ. ΚΑΙ. ΤΩ. ΘΕΩ. CΕΒΑCΤΩ. *Templum 4. col., in quo Victoria coronat Trajanum stantem,* in numo Trajani. AE. II. (Vaillant.)

ΤΡΑΙΑΝΟC. *etc. Trajanus stans in templo*, in citato paullo supra Haymii numo.

Apparet ex his numis, Pergamenos Trajano majorem in modum fuisse devotos, quin et Augusto aequiparasse. Enimvero hac in urbe ejus honori constitutos fuisse ludos *Trajana*, qui saltem adhuc Severi aetate acti sunt, docet marmor Oxoniense f).

f) Pag. 18. n. 7.

ΘΕΑΝ. ΡΩΜΗΝ. *Caput Romae turritum*, in numo Augusti. (Vaill.)

De dea Roma Pergami aris templisque culta, et plerumque Augusto sociata continuo egimus.

ΣΙΛΒΑΝΟΝ. Numus Augusti haec loquitur:

ΣΕΒΑΣΤΟΝ. *Templum 4. col., in quo Augustus paludatus et hastatus stans, infra* ΔΗΜΟΦΩΝ. ⳩ ΠΕΡΓΑΜΗΝΟΙ. ΣΙΛΒΑΝΟΝ. *Figura velata et togata stans et d. pateram tenens coronatur ab adstante figura habitu succincto induta.* AE. (Haym. T. II. p. m. 219.)

Sunt, qui in similibus numis pro ΣΙΛΒΑΝΟΝ legunt ΣΑΡΔΙΑΝΩΝ g), decepti numis in speciem similibus, in quibus legitur magistratus ΚΕΦΑΛΙΩΝ, de quibus infra. Apud Arigonium pro dicto vocabulo multo iniquius legitur ΑΡΑΙΑΝΩΝ. At Haymii lectionem adprobat numus simillimus musei Caesarei, et alter musei Christinae h), sed qui ibi injuria Commodo tribuitur, quoniam in eo editor perperam legit ΚΟΜΟΔΟΝ pro certo ΔΗΜΟΦΩΝ. Quaeritur, quis sit hic Silvanus? Haymius deum *Silvanum* in hoc numo propositum praepropere putavit. Silvanus Latinorum numen fuit, atque etsi demus a Pergamenis receptum, non videtur verisimile, eum fuisse effictum capite velato. Silvani veram imaginem habemus in numo, quem proposuit Morellius inter numos incertos familiarum i). Propius vero statuit in subjecta ibi nota Khellius, fuisse Silvanum virum inter suos illustrem, quem Pergameni ob sua in remp. merita statua honoraverint. Quid si statuamus, fuisse Silvanum magistratum Romanum, et forte Asiae proconsulem, ut revera Plautius Silvanus sub Augusto consul fuit V. C. 752., cui, quod rebus suis faveret impensius, hunc honorem habuissent Pergameni? praecipue cum referat Suetonius k), templa etiam in provinciis proconsulibus decerni solita fuisse. A. Plautium proconsulem offert numus Augusti in Cypro signatus.

Huic propter adfinitatem argumenti conjungo sequentem:

CEBACTON. *Templum, in quo Augustus paludatus, stans, in area:* ΚΕΦΑΛΙΩΝ. ΓΡΑΜΜΑΤΕΥΩΝ. ⳩ ΠΕΡΓΑΜΗΝΩΝ. CΑΡΔΙΑΝΩΝ. *Vir togatus barbatus stans coronat adstantem virum alium togatum item et barbatum.* AE. III. (Mus. Caes.)

Etsi desunt attributa, videtur horum unus esse Aesculapius Pergamenorum, qui Iovem Sardianorum causa concordiae inter utramque urbem stabilitae coronat.

* * *

Aesculapii cultum apud Pergamenos fuisse praecipuum, supra ὡς ἐν παρόδῳ indicavi. Epidauro huc accitum, refert Pausanias l). Imperante Tiberio cum asylorum jura examinarentur, consulti consules, *apud Pergamum Aesculapii compertum asylum retulerunt* m). Memorabi-

g) Morelli Impp. T. II. p. 434. h) Tab. LXIII. i) Tab. I. lit. K. k) In Aug. c. 52. l) L. II. c. 26. m) Tacit. Ann. III. c. 63.

les sunt numi Pergameni Caracallae, in quibus hic fingitur *paludatus et eques pacificatoris habitu*, aut *juxta Aesculapii templum sacrificans*, aut *imperator eques dexteram extendens versus mulierem turritam d. Aesculapii sigillum tenentem.* AE. m. m. (Vaillant.) Nimirum ipse valetudinis causa V. C. 968. Pergamum adivit, et in Aesculapii templo somnia captavit [n]), de quo ritu vide plura apud Aristidem rhetorem. Quare eximiis urbem privilegiis ornavit, de quibus vide infra in *Prima.*

Hygia et Telesphorus, Aesculapii comites, propter hanc ipsam causam Pergami numos frequenter occupaverunt. Narrat Pasanias [o]), Evamerionem a Pergamenis ex quodam oraculo Telesphorum vocari.

Aesculapius saepe proponitur a Centauris daduchis vel sustentatus [p]) vel vectus, de quo typo vide Spanhemii epistolam in Specimine Morellii p. 225. et de Praest. num. T. I. p. 282.

* * *

Herculis quoque labores, aut si qua alia ad eum pertinent, in Pergami numis saepe proponuntur. Insigniores typi sunt:

Hercules aprum Erymanthium gestans Eurystheo rege prae metu in dolium profugo. L. Veri. AE. m. m. (Mus. Caes.)

Idem argumentum jam dedimus ex numo Perinthi Thraciae.

Hercules stans d. clavam, s. arcum, contemplatur puellum a cerva super monte lactatum; in apice montis aquila expansis alis, in imo lacerta, Commodi. AE. m. m. (Mus. Albani, et Com. Vitzai.)

Illustre numi hujus argumentum. Hercules ad Aleum Tegeae Arcadiae regem divertens hujus filiae Auge vitium obtulit. Pater comperto crimine filiam gravidam Nauplio familiari tradit mari mergendam, quorsum profecta misera per iter in monte Parthenio masculum infantem enititur, quem ibi solum relictum adcurrens cerva lacte nutrivit, quo prodigio conspecto pastores puerum acceptum ad regem Corythum tulere, qui puero filii instar habito educatoque ab eventu *Telephi* nomen, ἀπο της τρεφȣσης ἐλαφȣ, indidit. Interim mater a Caribus peregrinis, quibus eam vendidit Nauplius, delata in Mysiam ab ejus rege Teuthrante uxor adsciscitur. Telephus adultus et ab oraculo matris factum edoctus, profectusque in Mysiam ab ejus rege Teuthrante adoptatur, et in regno succedit. Haec Diodorus [q]), Appollodorus [r]), Hyginus [s]), Pausanias [t]), Tzetzes [u]). Et vero ab hoc Telepho primum Pergamum deductam coloniam ex Arcadibus conflatam creditum Pergamenis teste Aristide [x]). Quare illi tanquam heroi apud Pergamum decantati hymni, et sacra publice facta, ut docet Pausania [y]).

Fuit haec fabula non raro a veteribus in artis materiem lecta. Ejus simulacrum

---

n) Herodian. in Carac. o) L. II. c. 11. p) Beger. Thes. Br. T. III. p. 135. q) L. IV. c. 33. r) L. II. c. 4. §. 7. et L. III. c. 9. §. 1. s) Fab. 99. t) L. VIII. c. 48. u) Ad Lycophr. v. 206. x) Orat. T. I. p. 520. y) L. III. c. 26. sub. fin. et L. V. c. 13.

unum memorat Pausanias, nempe cervam Telepho Herculis F. mammam praebentem [z]). Ejusdem argumenti sunt alia inter picturas Herculanenses [a]), apud Winckelmannum [b]), et in binis gemmis musei Caesarei. Horum numerum auget insignis numus praesens, in quo stat Hercules miraculo velut attonitus. Eodem modo is stat etiam in pictura Herculanensi adstituta hic quoque aquila. In gemma Caesarea Hercules sedens Telephum in ulnis gestat adstante cerva. In aeneo Tarsensi max. mod. cum capite Maximini, quem edidit Cl. Venutus [c]), et Liebeus [d]), Hercules stat cum suis attributis s. gestans Telephum cum cerva colludentem, pone arbor, cui insistit avis, sed cujus typi significationem uterque vir eruditus adsecutus non est. Idem Telephus a cerva nutritus obvius est typus in numis Tegeae Arcadiae, prope quam haec fabula acta, quibus adde numos Midaei Phrygiae, unum Alexandri Sev. (Pellerin.) alterum Domnae. (de Camps.) Causam positae superne aquilae cum diu investigarem, suppeditavit tandem Q. Calaber, qui cum ex furtivo Herculis cum Auge congressu natum Telephum narrasset, addit [e]):

Θρεψε θοη ποτε κεμμας, ἑῳδ' ἰσα φιλατο νεβρῳ,
Μαζον ὑποσχομενη ΒΟΥΛΗΙ ΔΙΟΣ, *ȣ γαρ ἐῳκει*
Εκγονον Ηρακληος ὀϊζυρως ἀπολεσθαι.

Nutrivit velox olim cerva, et suum tanquam hinnulum amavit,
Vbera praebens DECRETO IOVIS, *nec enim fas erat*
Prognatum Hercule misere interire.

En tibi missam a Iove aquilam, quae expositum infantem custodiret. Causam adpositae lacertae non aeque intelligo.

Copiosior fui in hujus numi explicatu, quia argumentum istud aliorsum ab eruditis averti video, etsi, ut ex dictis patet, certissimum sistat Telephum, et causa fuerit Pergamenis, cur eum monetae inferrent. Rodulphinus Venutus musei Albani eruditus interpres hoc typo intelligi Romulum a lupa nutritum existimat. Sed video virum praestantem paullo antea in eodem argumento lapsum, quo loco proposuit numum Antonini Pii, sed commatis Romani, typo in utroque ita simili, ut, si conferre lubeat, confiteare necesse sit, ad idem utrumque argumentum pertinere. Magis venia dignus Venutus, si in numo Romano propter typi adfinitatem fabulam Romanam videre sibi visus est. At multa sunt in eodem hoc Antonini numo, quae hanc montis Palatini fabulam evertunt. Quid enim Herculi cum geminis? cur, quod in nullo alio monumento videmus, unus tantum geminorum animali subjicitur? cur animal et infans editiorem montis locum occupant, quando ipsa ratio dictat, geminos in fluvii vado destitutos infimo montis Palatini loco adhaesisse? Quas in hoc actu partes agit aquila, eaque luculenta, quando picum geminis adsti-

---

z) L. XI. c. 31. a) Tom. I. tab. 6. b) Monum. ant. num. 71. c) Mus. Albani. d) Goth. num. p. 381. e) Paralip. L. VI. v. 140.

tisse scriptores omnes et monumenta docent? An vero satis exploravit animalis naturam, cum lupam dixit, quod per curtae caudae modum aliud quam cerva esse nequit? Novi, Vaillantium quoque in numo simili Antonini vidisse Romulum et Remum f), novi etiam, revera in pictura ejusdem numi, quae exstat in numis max. moduli regis Galliarum tab. 8., binos geminos quadrupedi subdi, at verisimile est, eum, qui picturam imperavit, alterum geminorum de suo addidisse. Sane eorum alter fatente ipso Venuto abest in numo musei Albani, qui certe idem est cum numo regis Galliarum. At, inquies, quid fabula Telephi in numo Romano? Idem nimirum, quod in alio ejusdem Antonini numo Romano fabula Promethei hominem fingentis. Pius hic imperator, quem constat, ut in ejus moneta docebimus, antiqua urbis decora in numis celebrare solitum, videtur argumentum Telephi propter ejus cum geminorum fato adfinitatem selegisse. Moverit etiam imperatorem privatus in Arcadiam adfectus, qua ex regione profectum Evandrum cum sociis fama erat eodem loco consedisse, quo deinde Roma aedificata est; quae causa fuit, cur Pallantium Arcadiae vicum et Evandri patriam in justae urbis formam redegerit teste Pausania g). Ex quo magis patet, Telephum non minus propter fati cum geminis communionem, quam propter patriam Arcadiam cum rebus Romanis componi.

* * *

Bacchus basi insistens, juxta quem popa taurum feriens, Severi. AE. m. m. (Pellerin. Suppl. IV. p. 7.)

Non novi alterum exemplum caesi Baccho tauri. Forte grata deo hostia est habitus, quod is puerum Ampelum, cujus amore insaniebat Bacchus, interemit, de quo fuse Nonnus toto libro XI. ac praecipue inde a. v. 264.

* * *

Magistratus et *dignitates* variae in Pergami numis memorantur.

Proconsulem Aviolam, et magistratum *Menophanem*, qui leguntur in Pergamenis Caligulae numis, vide infra in moneta Smyrnae.

Proconsulem Augustum reperio apud Vaillantium, sed etiam solum: AΥΤΟΚ. ΚΑΙΣΑΡΙ. ΑΝΘυπατῳ, utrum vera lectio, dubitem.

Archon. M. Furius ΙΕΡΕΥΣ. ΚΑΙ. ΑΡΧΩΝ. in numo Augusti, (Pellerin. Mel. II. p. 13.) sed de quo vide, quae dicentur infra in *Gymnasiarcha*.

Praetor obvius inde a Domitiano per reliquos omnes, sic: CΤΡΑ. ΚЄΦΑΛΙΩΝΟC. ΤΟ. Β. in numo Hadriani.

Scriba. ΓΡΑΜΜΑΤΕΥΩΝ. dicitur ΚЄΦΑΛΙΩΝ. in numo Augusti, quem supra produxi.

Quaestor. ЄΠΙ. ΤΑΜιȣ. ΑΙΛ. ΘЄΟΦΙΛΙΑΝΟΥ. Ant. Pii. (Beger Th. Br. T. III. p. 123.)

Epistates: Vaillantius in Severi numo

f) Numi. praest. Tom. III. p. 126. ed. Rom. g) L. VIII. c. 43.

legit: ЄΠΙCΤΑΤΟΥ. ΤЄΜ. ΑΝΝΙΟΥ. quod explicat: ἐπιςατȣ τεμενȣ, *praefecto templi.* (Num. Graec. p. 314.) Sed Belleyo est *praefectus sacri luci* [h]). Varias ἐπιςατȣ significationes, qui et magistratus loco fuit, vide apud Suidam, ac praecipue Spanhemium in hujus numi explicatione facundum.

Sacerdos. In numo Augusti: Μ. ΦΟΥΡΙΟΣ. ΙΕΡΕΥΣ. de quo infra in *Gymnasiarcha.* — ЄΠΙ. ΑΥΡ. ΚЄΛ. ΙЄΡЄΩC. ΔΙΑ. ΒΙΟΥ. ΤΩΝ. CЄΒ. ΠЄΡΓΑΜΗΝΩΝ. id est: *Sacerdotis perpetuo*, in numo Commodi. (Vaillant.)

Asiarcha. ЄΠΙ. CΤΡΑ. ΠΟΛΛΙΩΝΟC. ΑCΙΑΡΧΟΥ. Ant. Pii. (Vaill.) ЄΠΙ. C. ΑΥΡ. ΔΑΜΑ. ΑCΙΑΡΧ. (Pellerin. Suppl. II. p. 86.) Vide et titulum sequentem.

Gymnasiarcha. Numum Augusti III. formae aeneum ex museo Foucault protulere Vaillantius et Harduinus, in cujus aversa: Μ. ΦΟΥΡΙΟΣ. ΙΕΡΕΥΣ. ΚΑΙ. ΑΣΙΑΡΧΗΣ. ΠΕΡΓΑΜΗΝΩΝ. *Vas patulum trapezae impositum.* Impugnat hanc lectionem Gallandus ἀυτοπτης, et talem esse Foucaultiani hujus cimelii epigraphen contendit: Μ. ΦΟΥΡΙΟΣ. ΙΕΡЄΥΣ. ΚΑΙ. ΑΣΙΑΡΧΗΣΑΣ. ΠΕΡΓΑΜΗΝΩΝ., ut videre est in ejus ad Morellium epistola, quae est in Electis Woltereckii pag. 74. Non adrisit Pellerinio hic ΙΕΡΕΥΣ et simul Asiarcha, adjecta causa, infirma pol, quamque refutare piget, quod verisimile non sit, simplicem Ιερεα fuisse satis opulentum, ut praestare potuisset sumptus, qui Asiarchis faciendi fuere. Legendum igitur ex simili suo suadet: Μ. ΦΟΥΡΙΟΣ. ΙΕΡΕΥΣ. ΚΑΙ. ΑΡΧΩΝ. ΠΕΡΓΑΜΗΝΩΝ [i]). Habeatur fides viro illustri hanc lectionem confidenter statuenti. Verum si ea est tam certa, qualem spondere videtur, quo pacto is eodem in volumine adserere potuit, non reperiri γραμματεως, *scribae* nomen in ullo numo earum urbium, quae ab archontibus regebantur [k])? Nam paullo altius scribam in numo Pergameno vidimus. Istud certum, nullum hactenus repertum alium Pergami numum cum archontis mentione. Quidquid erit, haud ita pridem numum similem museo Caesareo intuli, qui demptis nonnullis literis exesis has tamen offert luculentas: - - - ΙΕΡΕΥΣ. ΓΥΜΝΑΣΙΑΡΧ. - - ΠΕΡΓΑΜΗΝΩΝ. Dubium non est, numum hunc esse eundem cum Foucaultiano, atque adeo collato hoc utroque veram plenamque ejus epigraphen esse: Μ. ΦΟΥΡΙΟΣ. ΙΕΡΕΥΣ. ΓΥΜΝΑΣΙΑΡΧΗΣΑΣ. ΠΕΡΓΑΜΗΝΩΝ. Est hic numus unicus, qui magistratum gymnasiarcham memoret, etsi in marmoribus non infrequentem, de cujus munere vide quae disseram in tractatu de Gymnasiarchis.

Theologus. ЄΠΙ. CΤΡ. ΤΙΒ. ΚΛ. ΑΛЄΞΑΝΔΡΟΥ. ΘЄΟΛ. in numo Caracallae. (Vaill.) ЄΠ. C. ΚΟΜ. Φ. ΓΛΥΚΩΝΟC. ΘЄΟΛΟΓΟΥ. Herennii. (Vaill.) sed quem magistratum aliter legit Pellerinius in numo Etruscillae: ЄΠΙ. ΓΟΜΦ. ΓΛΥ-

h) B. L. T. XXXVIII. hist. p. 161. i) Mel. II. p. 13. k) L. c. p. 353.

ΚΩΝΟϹ. neque in hoc *Theologi* dignitas additur. ЄΠΙ. ϹΤΡ. ΓΛΤΚΩΝΟϹ. ΘЄΟΛΟΓΟΤ etiam meminit Harduinus in numo Decii. De hac dignitate vide tractatum de Theologis.

Metropolis. Hunc titulum in unico, quod sciam numo sibi arrogat, et quidem *metropolis primae*, ut continuo videbimus. Neque Vaillantius, neque Pellerinius ejus meminere.

Prima. Talem se frequenter profitetur inde a Caracalla. Inusitati fastus argumentum continet epigraphe in numo singulari Caracallae max. mod., qui est in museo Caesareo: Η. ΠΡΩΤΗ. ΤΗϹ. ΑϹΙΑϹ. ΚΑΙ. ΜΗΤΡΟΠΟΛΙϹ. ΠΡΩΤΗ. ΚΑΙ. ΤΡΙϹ. ΝЄΩΚΟΡΟϹ. ΠΡΩΤΗ. ΤΩΝ. ϹЄΒΑϹΤΩΝ. ΠЄΡΓΑΜΗΝΩΝ. ΠΟΛΙϹ. In hoc numismate primatum tergeminum sibi adrogat, I. Asiae provinciae, more aliarum ejus urbium. II. omnium μητροπολεων, haud dubie, quod fuit sedes regum Pergamenorum, et caput adeo ejus regionis, quae deinde provincia Asia dicta est. III. videtur esse obvius ille, quo in numis aliis passim utitur, sed consueta formula: ΠЄΡΓΑΜΗΝΩΝ. ΠΡΩΤΩΝ. Hos tantos honores civitas a Caracalla Aesculapii sui causa abstulit, ut dixi supra. At non modo iis a successore Macrino exuti sunt, sed etiam, quoniam eum hac de causa acerbis dictis insectati sunt, infamia publica notati, ut narrat Dio [l]). Egregie utrumque factum confirmant numi, quorum vis ingens, et maximi quidem moduli, imperante Caracalla emersit, additis, ut vidimus, novis et magnificis titulis; at post hunc rarior eorum moneta, et magis secundum veterem modestiam. Ceterum jam Trajani aetate Pergamenos se dixisse *primos*, docet marmor Pergamenum editum a Sponio [m]).

Neocora. Qui honos incipit sub Ant. Pio, scripto primum simpliciter ΝЄΩΚΟΡΩΝ, et adhuc sub hoc legitur ΔΙϹ. ΝЄΩΚΟΡΩΝ. Geminatus hic honos memoratur in sequentibus, at sub Caracalla et Domna triplicari incipit. In nonnullis scribitur ΝЄΟΚΟΡΩΝ pro ΝЄΩΚΟΡΩΝ.

Nomen ab imperatore. ϹЄΒΑϹΤΩΝ. ΠЄΡΓΑΜΗΝΩΝ. Vide, quae dixi in *Prima*, et *Sacerdos*, nempe in honorem Augusti, a quo multis beneficiis fuit ornata, ut dictum.

Mentio situs a fluviis *Selino* et *Cetio*. ΠЄΡΓΑΜΗΝΩΝ. ϹЄΛΙΝΟϹ. *Fluvius decumbens d. cymbam contingit*, in numo Aelii. (Vaill.)

ϹЄΛΙΝΟϹ. ΚΗΤΙΟϹ. *Selinus et Cetius decumbentes intermedio Aesculapii signo*, in numo Aurelii, (Vaill.) at in Pelleriniano pro Aesculapio est *Fortuna stans* (Suppl. II. p. 69.) — *Juppiter nudus stans inter duos fluvios muliebres humi decumbentes*, in numo Commodi (Spanh. ad Morell. ep. II.) In simili reginae Christinae Spanhemius legit ΚΗΤЄΙϹϹ, (Tom I. p. 508.) non inique, nam utroque modo scriptum hoc flumen habemus. Vaillantii ΚЄΤΙΟϹ an recte scriptum ex numo Aurelii, dubitem.

---

l) L. LXXVIII. §. 20. m) Voyage T. III. p. 140.

De utroque flumine Plinius n): *longeque clarissimum Asiae Pergamum, quod intermeat Selinus, praefluit Cetius*, quamquam nec Caicus multo illustrior longe distabat. A Cetio urbis incolae, antequam Pergamus vocaretur, dicti sunt *Ceteii*, quos innuit Homerus versibus supra citatis: ἑταιϱοι Κητειοι, quod mirum fugisse Straborem, cum de his Ceteiis disserens addit: non constare, quos Ceteios intelligere debeamus. Pellerinius in suo numo juxta figuram Selini videt folia apii, quod Graecis σελινον dicitur, quo indicatur, fluvium sic vocatum ab ejus herbae copia propter ejus oram enascentis. Ex his, quae modo dixi, sequitur, quam injuste Massonius Cetium ex similibus numis extrusum velit o).

Certamina indicantur: ΟΛΤΜΠΙΑ.ΠΤΘΙΑ, in numo Caracallae. — ΟΛΤΜΠΙΑ. Α. interprete Vaillantio: ΟΛΤΜΠΙΑ. Ακτια, in numo Valeriani.

Concordiae frequens mentio initae cum variis Asiae et Bithyniae urbibus addito vel suppresso ὁμονοιας vocabulo. Eam mature admodum in numis testati sunt; jam enim in Augusti numis, quos supra citavimas, legitur ΠΕΡΓΑΜΗΝΩΝ. ΣΑΡΔΙΑΝΩΝ. de quibus vide etiam numos Sardium.

AE. C.

REGES PERGAMI.

Regnum Pergamenum conditorem habuit Philetaerum Tio Paphlagoniae obscura stirpe oriundum, et quod vilius, spadonem. Ei Lysimachus Thraciae rex thesaurum regium, qui Pergami servabatur, credidit. Lysimacho in acie a Seleuco caeso ejus quidem gazam Philetaerus victori obtulit, at cum hic non multo post Ptolemaei Cerauni insidiis occubuisset, ipse in Lysimachi opes successit, regnumque V. C. 473. A. X. 281. fundavit nonnisi cum gente sua desiturum. Mortuus est circiter V. C. 493.

Commemorato regni Pergameni exordio enarrandis successorum rebus gestis non immorabor, quod ad eas explicandas numi nihil conferunt. Etenim, ut recte advertit Pellerinius p), successores, etsi alii Eumenis, alii Attali nomine insignes fuerint, in numis tamen tantum Philetaeri fundatoris nomine usi sunt, ut reges Aegypti omnes se dixere Ptolemaeos, Parthiae Arsaces; tamen numos omnes Philetaeri nomine inscriptos non esse uni omnes Philetaero conditori tribuendos, ex ipsis numis satis apparet, qui nimium variantia oris lineamenta offerunt. At enim desperata ratio, varia haec capita singulis rite successoribus tribuendi. Ceterum Philetaerum excepit Eumenes *I.* ex fratre nepos, hunc Attalus I., hunc Eumenes II., quem secuti sunt Attali II. et III. Fuere in historia per bella Gallica, Syriaca, Bithynica, et questuosam rebus suis erga Romanos observantiam cogniti. Attalus III. moriens regnum Romanis legavit V. C. 623., quod cum non ferret *Ari-*

n) L. V. c 30. o) In Collect. histor. ad Aristid. p) Rois p. 179.

stonicus Attali II. filius, sed non legitimus, vi occupare regnum adortus, caeso primum Licinio Crasso Romanorum duce superior, deinde a Perpenna victus captusque in carcere strangulatur V. C. 625. Regum Pergami historiam adcurate scripsit Sevinus q).

Numi regum Pergami.

Caput regis laureatum, rarius diadematum. ✕ ΦΙΛΕΤΑΙΡΟΥ. *Pallas sedens d. clypeum humi attinet, rarius coronam attollit, s. hastam, per aream literae solitariae, in nonnullis* ΑΣΚ. *saepe arcus.* AV. II. (Mus. Theupoli.) AR. I. (apud varios, praecipue Pellerinium.)

Caput Palladis galeatum. ✕ ΦΙΛΕΤΑΙΡΟΥ. *Serpens.* AE. III. (Mus. Caes. Haym.)

Caput Apollinis. ✕ ΦΙΛΕΤΑΙΡΟΥ. *Tripus.* AE. III. (Haym.)

Caput regis. ✕ ΦΙΛΕΤΑΙ -- *Folium hederae.* AE. IV. (Mus. princ. de Waldeck.)

In nullo hactenus id genus numo, si Goltzianum demas, repertum est additum ΒΑΣΙΛΕΩΣ. Omissum illud a Philetaero, et Eumene I., nequaquam mirum, quod ipsi in nomen regium nondum invasere. Eo tandem uti coepit Attalus I. victis magna gloria Gallis, docentibus istud Strabone, Livio, Polybio. Forte propterea huic et successoribus tribuendi illi, qui caput diadematum sistunt.

Palladis effigies in argenteis perpetua, quam forte iis intulerit propterea, quia eam proposuit in moneta sua etiam Lysimachus, cui ad extremum fidus permansit Philetaerus. Attalum solennes ludos in ejus deae honorem celebrasse ex Polybio canstat r). Serpens ad veterem apud Pergamum Aesculapii cultum adludit, de quo actum proxime. Tripus Apollinem, folium hederae Bacchum respiciunt.

AV. RRRR. AR. RR. AE. R.

PERPERENE.

Versus Adramytium, ab aliis Aeolidi tributa.

Autonomis caret.

Imperatorii a Nerone usque ad Otaciliam. Singularis est sequens:

ΝΕΡΩΝΟϹ. ΚΛΑΥΔΙΟΥ. ΗΓΕΜΟΝΙΑ. *Caput muliebre laureatum.* ✕ ΠΕΡΠΕΡΗΝΩΝ. *Botrus.* AE. III.

Hunc numum ex museo collegii sui primus vulgavit Harduinus s), restituit bis Morellius t). Solae Thraciae urbes in numis ἡγεμονας, *praesides*, memorant, eoque nomine intellectus fuit magistratus Romanus, qui provinciae praefuit. At in hoc numo nomine ΗΓΕΜΟΝΙΑ. intelligitur *principatus Neronis*, nam et ipsos imperatores saepe a Graecis dictos fuisse ἡγεμονας, ostendam in tractatu de *Praesidibus*. Caput muliebre laureatum est caput symbolicum ipsius Ηγεμονιας, ut alibi senatus, populi, Γερουσιας etc.

* * *

q) B. L. T. XII. Mem. p. 204. r) Hist. L. IV. c. 49. s) Num. urb. illustr. t) Specim. tab. XXI. et Impp. Tom. II. p. 134.

ΥΠΕΡ.ΝΙΚΗϹ.ΕΠΙ.ΑΝΤΙΦΑΝΟΥϹ. ΠΕΡΠΕΡΗΝΩΝ. *Fluvius decumbens*, Commŏdi. AE. I. (Vaill.)

Multi exstant numi imperantibus M. Aurelio, L. Vero et Commodo signati, qui ΥΠΕΡ. ΝΙΚΗϹ. inscriptum offerunt, quos olim collegi in mea Sylloge I. p. 63. seq.

* * *

ΕΠΙ. ϹΤΡ. Μ. ΑΥΡ. ΠΟΝΤΙΜΟΥ. ΠΕΡΠΕΡΗΝΙΩΝ. *Caracalla paludatus stans d. pateram, s. hastam, quem adstans mulier tutulata s. cornucopiae tenens coronat.* Caracallae. AE. m. m. (le Blond Observat. p. 44.)

Observandum in hoc numo scriptum ΠΕΡΠΕΡΗΝΙΩΝ. pro solito ΠΕΡΠΕΡΗΝΩΝ.

* * *

Commemorandi denique numi Perperenorum quidam dubiae omnes lectionis.

ΕΠΙ. ΛΕΩΝΟϹ. ΚΑΙΕΡΕΟϹ. ΔΙΑ. ΒΙΟΥ. ΤΩ. ϹΕΒ. ΓΛΥΚΩΝΟϹ. ΕΤ. - ΗΠ. ΠΕΡΠΕΡΗ. *Bacchus stans d. diotam, s. thyrsum, pro pedibus pantheriscus.* M. Aurelii. AE. m. m. (Mus. Pisani tab. XX.)

- - - ΙΕΡΕΟϹ. ΔΙΑ. ΒΙΟΥ. ΤΩ. ϹΕΒ. ΓΛΥΚΩΝΟϹ. - - - ΠΕΡΠΕΡΗ. *Idem typus.* M. Aurelii. AE. m. m. (Mus. Florent.)

ΠΕΡΠΕΡΗ. ΑΝΕΘΗΚΕ. ΙΕΡΕΩϹ. ΔΙΑ. ΒΙΟΥ. ΤΩ. ϹΕΒ. ΓΛΥΚΩΝΟϹ. ΕΤΟΥϹ. *Idem typus.* M. Aurelii. (Holstenius ex MS. Ligorii in Not. ad Steph. p. 246.)

ΕΠΙ. ΑΓΩΝΟΘΕΤ. ΙΕΡΕΟϹ. ΔΙΑ. ΒΙΟΥ. ΤΩ. ϹΕΒ. ΓΛΥΚΩΝΟϹ. Β. ΔΗΜΕ. ΠΕΡΠΕΡΗ. *Cybele* (verius Ceres) *canistro insidens d. spicas, s. facem.* M. Aurelii. AE. m. m. (Catalogue d'Ennery p. 408.)

Satis apparet, epigraphen in omnibus his numis esse eandem, sed quia singuli corrupti, a viris eruditis male exceptam. Non ergo videbantur promeriti tot conjecturas, quas ad evolvendam epigraphen attulerunt, ac praecipue Abbas Mazzolenus, qui binis locis praepropera, et incredibilia de proposito in his numis deo Glycone, et epocha, quam in literis ΕΤ. — ΗΠ. vidit, nobis propinavit [u]).

Magistratus praetor in numis Severi, Caracallae, Otaciliae.

AE. RRR.

PIONIA.

Versus sinum Adramytenum prope Gargara, memorata Straboni et Plinio.

Imperatorius Domnae: ΕΠΙ. ϹΤΡ. ΑΥΡ. ΑϹϹΙΩΝ. ΠΙΟΝΙΤΩΝ. *Templum 4. col., in cujus aditu mulier stans cum calatho s. hastam tenet.* (Vaillant.)

Exhibet hic numus concordiam Pioniam inter, Assumque vicinam.

AE. RRRR.

PITANE.

Versus Aeolidem.

Autonomi.

ΠΙΤΑΝΕΩΝ. *Caput Ammonis.* ΧΕΠΙ.

---

u) Mus. Pisani. T. I. p. 55. et T. II. Animadversione XIII.

ΜΕΛΕΑΓΡΟΥ. *Iuppiter stans d. aquilam, s. hastam.* AE. III. (Mus. Theup.)

Caput Palladis. ✕ ΠΙΤΑΝΑΙΩΝ. *Telesphorus.* AE. III. (Pellerin.)

Caput Ammonis. ✕ ΠΙΤΑΝΑΙΩΝ. *Pentagonum.* AE. III. (Pellerin.)

ΘΕΑΝ. ΡΩΜΗΝ. *Caput Romae.* ✕ ΠΙΣΑΝΑΙΩΝ. *Pentagonum.* AE. III. (Pembrock.)

Nomen urbis secundum scriptores et numos fuit *Pitane*, et, si non fallit ectypon Pembrockianum, dicta quoque fuit *Pisane.* Sin istud, videtur Pisane in Pitanen mutatum ex dialecto vicinae Aeolidos. Sic legimus in numis ΘΑΣΙΩΝ et ΘΑΤΙΩΝ, tum: ΜΕΣΗΜΒΡΙΑΝΩΝ et ΜΕΤΑΜΒΡΙΑΝΩΝ.

Cum pentagonum in his numis totum aversae typum constituat, lubet in ejus sensum hoc loco inquirere. Refert Lucianus x), Pythagoricis familiare fuisse το τριπλουν τριγωνον, το διαλληλον, το πενταγραμμον, *triplex triangulus inter se junctus, quinquelinearis*, atque istud symbolum, ait, ΥΓΕΙΑ προς αυτων ωνομαζετο, *SALVS ab ipsis appellabatur.* Nullus dubito, pentagono huic in Pitanes quoque numis eandem esse significationem, propterea quod in alio ejus numo, quem citavimus, Telesphorus fingitur Hygiae comes. Eodem certe etiam sensu accipiendum pentagonum simile, quod saepe videre est in amuletis, quae ad Gnosticorum superstitionem vulgo referimus, et in quibus plerumque res et virtus medica agitur. Et videtur idem symbolum in area numorum Nolae, Nuceriae, Ptolomaei incerti, tum et urbium Galliae obvium eandem habere significationem.

AE. RR.

Imperatorii tres cogniti, Faustinae jun. ΠΙΤΑΝΑΙΩΝ. *Figura stans d. pateram s. bipennem.* (Pellerin.) Alexandri Sev., in quo magistratus: ЄΠΙ. CΤ. Μ. ΑΥΡ. ΠΟΒΛΙΟΥ. ΤΟ. Β. (Vaillant.) Idem numus, sed praegrandis moduli, est in museo princ. Waldeck, sed cum epigraphe. ЄΠΙ. CΤΡ. ΑΥΡ. ΠΟΠΛΙΟΥ. ΤΟ. Β. ΠΙΤΑΝΑΙΩΝ.

AE. RRR.

POEMANENI.

Prope Cyzicum. Eorum meminere Plinius, Aristides rhetor, et Stephanus.

Autonomus editus a Pellerinio:

Caput barbatum. ✕ ΠΟΙΜΑΝΗΝΩΝ. *Fulmen infra* ΒΗ. AE. II.

Alium huic similem jam ante Pellerinium citavit Cl. Masson in Collectan. hist. ad Aristid. §. 3.

Perperam Pellerinius his Poemanenis tribuit numum inscriptum ΠΡΑΙCΙΩΝ, qui est Praesi Cretae, quam vide.

AE. RRRR.

Imperatorius unicus, isque Trajani, editus a Pellerinio: (Suppl. I. p. 35.) ΕΠΙ. ΕΓ. ΑΡ - - ΤΩΝΟΣ. ΠΟΙΜΑ. *Aesculapius stans.* Ejus dei illustre apud Poemanenos templum stetisse, testatur Aristides y).

AE. RRRR.

---

x) De lapsu inter salut.

y) Orat. IV. sac.

PRIAPVS.

Versus Hellespontum et Lampsacum, a deastro cognomine appellationem adepta.

Autonomi:

Caput muliebre velatum. ✕ ΠΡΙΑΠΗΝΩΝ. *Caput bovis, juxta monogramma, omnia intra coronam spiceam.* AE. II. (Pellerin.)

Caput Apollinis. ✕ ΠΡΙΑΠΗΝΩΝ. *Cancer marinus oblongior.* AE. II. III. (Sestini Lettere T. III. p. 79.)

Inique Wildius et Froelichius huc vocaverunt numos, qui sunt Priansi Cretae, ut in hac dictum.

AE. RRRR.

PROCONNESVS.

Insula, quae vicinae Cyzico nobile marmor dedit.

Autonomi:

— ΑΣΙΓΕΝΗΣ. *Caput laureatum.* ✕ ΠΡΟΚΟΝ. *Cervus dimidius respiciens, juxta vas.* AR. III. (Hunter.)

Plinius [z]): *Insulae in Propontide ante Cyzicum:* Elaphonnesus, *unde Cyzicenum marmor, eadem* Neuris, *et* Proconnesus *dicta.* Advertit ad haec Harduinus [a]), Scylaci Proconnesum et Elaphonnesum binas distinctas esse insulas, sed hoc ipsum conciliari a Strabone, Proconnesum novam et veterem agnoscente, appellationis vero rationem utrinque esse parem; nam προξ et ἐλαφος cervini esse generis animalia, et ab his utrique insulae nomen factum. Sane teste scholiaste Apollonii [b]) ἐν ταις κυησεσι τας ἐλαφες λεγεσθαι προκας, ὁθεν και Προκοννησος, *cervas, cum uterum gestant, dici* προκας, *unde et Proconnesus.* Et infra: ὑπο τινων δε Προκοννησος και Ελαφοννησος ἐκληθη, *ab aliquibus vero Proconnesus et Elaphonnesus dicta est.* Eodem etiam pertinere appellationem tertiam *Neuris* Plinianam, haud dubie ductam a νεβρος, *hinnulus.* Ab his ergo testimoniis explicatur typus cervi in hoc numo propositi.

* * *

Caput Iovis. ✕ ΠΡΟ - - - ΑΦΟΝΝΗ. *Fulmen alatum.* AE. III. (Pellerin, Rec. III. tab. CVI.)

Alium similem sic describit Sestinus (Lettere T. IV. p. 109.)

ΠΡΟΚΟΝ. ΑΦΟΝΝΗ. *Caput Iovis.* ✕ ΠΡΟΚΟΝ. ΑΦΟΝΝΗ. *Fulmen alatum.* AE. III.

Conjecit Pellerinius, alterum numi sui vocabulum, idque mancum explendum esse legendo ΕΛΑΦΟΝΝΗ, ut adeo illi utrumque insulae nomen, *Proconnesi*, et *Elaphonnesi*, de quo continuo egimus, videatur inscriptum. Verum cum in utraque numi Sestiniani parte aliud perinde non legatur, quam ΑΦΟΝΝΗ., conjectura haec locum jam habere nequit, et vocabulum illud vel magistratum, vel aliud notat.

AE. RRRR.

SCEPSIS.

Vide Scepsin Troadis.

z) L. V. §. 44. a) Nota 99. b) Ad Argon. L. II. 279.

T R O A S.

ABYDVS.

Ad Hellespontum, qua is maxime artatur, Milesiorum colonia teste Thucydide [a]).

Autonomi.

Persona adversa exserta lingua. ✕ *Signum incusum in crucis formam.* AE. III. (Pellerin.)

Persona similis. ✕ *Caput Palladis.* AV. AR. III. (Pellerin.)

Persona similis. ✕ *Sine epigraphe, vel solo adstituto* A. *Ancora.* AR. III. (Pellerin.)

Persona similis. ✕ ABY. *Aquila stans.* AR. III. (Pellerin.)

Facundior numus postremus praecedentibus aut anepigraphis aut parcius loquentibus patriam Abydum jure adsignat. Personae, ancorae, aquilae causa incerta. Similis formae personam offerunt etiam numi vicini Parii Mysiae. Aureus, quem loco II. citavi, eximiae est raritatis. Teste Xenophonte [b]) Abydeni fodinas auri possederunt. Numus loco I. descriptus, quia incusus in parte aversa est, in antiquissimis est putandus.

* * *

Caput Apollinis laur. ✕ ABY. ΜΟΛΠΑΣ. *Aquila stans.* AR. I. (Pellerin.)

Protome Dianae cum arcu et pharetra. ✕ ΑΒΥΔΗΝΩΝ. *Aquila stans expansis alis, in area delphinus tridenti implexus, omnia intra coronam.* AR. I. (Pellerin.)

Protome adversa Dianae capite turrito, cum arcu et pharetra. ✕ ABY. *Cerva stans intra coronam.* AE. II. (Pellerin.)

Protome adversa Apollinis. ✕ ΑΒΥΔΗ. *Lyra.* AE. III. (Pellerin.)

En tibi illustriores reliquos Abydi autonomos. Docent, Apollinis et Dianae cultum in hac urbe fuisse potiorem. De Dianae cultu constat ex Polybio, qui refert [c]), Abydenos a Philippo V. Macedoniae rege obsidione pressos in ejus templo congregasse uxores filiasque, quas deinde rebus desperatis occiderent ipsi.

* * *

Magistratus domesticus nonnullis, ut vidimus, inscribitur. Talis sine dubio est etiam ΑΝΤΙΓΟΝΟΥ. inscriptus numo Abydeno, quem edidit Panelius, credititque, eo nomine intelligendum Antigonum Macedoniae regem [d]). Similia eruditorum sphalmata vidimus supra in numis Pergami Mysiae.

Arigonius Aryciae, Pellerinius Ary-

a) L. VIII c. 61. b) Hist. Graec. L. IV. sub. fin. c) Hist. L. XVI. c. 116. d) Catalog. le Bret.

candae tribuerunt numos, qui huc pertinent, ut suis locis observatum.

AV. RRRR. AR. R. AE. RR.

Imperatorii ab Augusto usque ad Mamaeam.

Epigraphe ΑΒΥ. ΑΒΥΔΗΝΩΝ.

Typi insigniores:

ΗΡΩ. ΛΕΑΝΔΡΟC. *Leander natans versus turrim, in qua stat Hero lampadem praetendens, superne volitat Cupido facem praegestans*, Severi et Caracallae, (Vaill.) Alexandri Sev. (Morelli Specim. tab. XVIII.)

Idem argumentum vidimus in numo Sesti Thraciae, freto ibi perangusto utramque urbem, Leandrique et Herus amores dirimente, quae fabula in vulgus nota. Quod in his numis Cupido facit, ipse etiam de se confessus est apud Statium [e]):

Vidi et Abydeni juvenis certantia remis
Brachia, laudavique manus, et saepe natanti
Praeluxi.

In numo Morelliano scribitur ΛΗΑΝΔΡΟC, quod perinde habendum. Musaeus in carmine de Herus et Leandri amoribus scripsit Λεανδρος, aut cum primam produci metri ratio jussit, Λειανδρος.

* * *

Naves binae, in quarum una tres milites confligentes, in litore specula, super qua figura tuba canens, Severi, Caracallae. AE. m. m. (Mus. Albani et Caes.)

Causam hujus typi nondum reperi. Videtur heroicum aliquod domi factum nobis ignotum continere.

Magistratus archon frequenter memoratur, ut: ΕΠΙ. ΑΡΧ. ΑΙΛ. ΖΩΙΛ. *AE. RR.*

ALEXANDRIA TROAS.

E regione Tenedi maritima, olim dicta *Sigia* ab Antigono Asiae rege nomen *Antigonia* tulit; at Lysimachus Thraciae rex eam in Alexandri M. honorem nominavit *Alexandriam*, diciturque *Troas* a regione ad aliarum discrimen. A Romanis, qui huic tractui incunabula sua se debere crediderunt, serius multum amplificata et deducta colonia ejus viciniae urbs princeps evasit. Vide Mem. B. L. T. XXVIII. p. 325.

Autonomi:

Caput Apollinis adversum laur. Ꭓ ΑΛΕΞΑΝ. *Lyra intra lauream.* AE. fere I. (Pellerin.)

Hunc numum ad hanc Alexandriam pertinere, docet numus vicinae Abydi cum simillimo utrinque typo.

* * *

Caput Apollinis. Ꭓ ΑΛΕΞΑΝΔΡΕΩΝ *Equus pascens, intra ejus pedes aquila stans.* AE. II. (Pellerin.)

Caput Apollinis. Ꭓ ΛΥΚΚΕΙΟΥ. *Equus pascens.* AR. III. (Mus. Caes.)

Equus pascens obvius subinde fuit typus in numis Alexandriae coloniae. Causa typi alterum quoque numum, etsi urbis

e) Silv. L. I. Carm 2. v. 87.

nomen non addat, huc referendum puto. Est adeo vocabulum ΛΥΚΚΕΙΟΥ magistratus domestici nomen. Hunc numum olim edidi pictumqne stiti in meis Numis vet. p. 194. Contra aliorum sententias equum cum Apolline conjungi censeo propterea, quod hoc animal apud barbaros aeque ac Graecos fuit Solis hostia, ut pluribus testimoniis in opere citato probavi.

* * *

De numo aureo, qui verisimiliter huc referri potest, agam infra in numis coloniae.

AV. dubius, *AR. RRRR. AE. RR.*

Numi Apollinis Sminthii.

Caput Apollinis laur. X ΑΠΟΛΛΩΝΟΣ. ΞΜΙΘΕΩΣ. ΑΛΕΞΑΝΔΡΕΩΝ. - - ΜΑΝΔΡΟ ΣΛΕ. *Apollo stolatus gradiens pendente ex humeris pharetra, s. arcum cum sagitta, in area monogramma.* AR. I. (Cuperus in Harpocrate.)

In alio simili postremum vocabulum legitur: - - ΑΜΑΝΔΡΟΝ. (Maffei Veron. ill. P. III. p. 240.)

In alio simili epigraphe est: ΑΠΟΛΛΩΝΟΣ. ΞΜΙΘΕΩΣ. ΑΛΕΞΑΝΔΡΕΩΝ. ΠΕΙΣΙΣΤΡΑΤΟΥ. ΣΛ. (Pembrock P. II. tab. 35.)

In alio epigraphe est: ΞΜΙΘΕΩΣ ΑΠΟΛΛΩΝΟΣ. ΑΛΕΞΑΝΔΡΕΩΝ. - ΥΣΑΓΟΡΟΥ. ΡΠΓ. (Catal. d'Ennery p. 66.)

Praeclari hi numi copiose illustrantur cum a Cupero [f]), tum a Spanhemio in adjecta epistola. Apollinis Sminthii magnus fuit in hoc tractu honos, sic dicti a *muribus*, nam, ut narrat Aelianus [g]), Aeolibus et Trojanis mus dicebatur *Sminthius*. Cultus origo varie a veteribus narratur. Alii referunt, Apollinem sagitta mures interemisse, qui frugibus in eo tractu perniciem attulere; alii, Cretensibus a Pythio datum responsum, ibi considerent, ubi terrigenae bellum iis inferrent; ad hanc subinde oram cum appulissent, mures clypeorum lora adrosisse, quo impletum credidere oraculi monitum, et mox ibi Apollini Sminthio templum statuisse [h]). Alias origines vide apud auctores a Cupero citatos.

In epigraphe notandum ΞΜΙΘΕΩΣ. extruso Ν, et terminatio secundum Homerum [i]): Τενεδοιο δε ἰφι ἀνασσεις, Σμινθευ, cum auctores alii passim scribant Σμινθιος. Notandum item primum elementum Ξ pro Σ, quod et in Smyrnaeorum numis observatur scripto frequenter ΞΜΥΡΝΑΙΩΝ. pro ΣΜΥΡΝΑΙΩΝ.

Typus in his numis non quidem conspirat cum simulacro Apollinis Sminthii, quod stetisse Chrysae, quae fuit Alexandriae vicina, refert Strabo [k]), nimirum sub ejus pede fuisse murem, opus Scopae Parii, consentiente etiam Eustathio ad citatum Homeri versum. Facilius conspirat cum ea fabula, qua mures sagittis a deo confixi feruntur. Veris-

f) L. c. g) Hist. anim. L. XII. c. 5. h) Aelian. l. c. Strabo L. XIII. Servius ad Aen. III. 108. Tzetzes ad Lycophr. v. 1302. i) Il. A. 38. k) L. XIII. p. m. 301.

simum mihi videtur, Alexandrenses in fingendo horum numorum Apolline respexisse aureos illos Homeri versus, quibus is describit paratum ad ultionem Apollinem, quem Sminthii nomine invocavit offensus ejus sacerdos Chryses [l]):

Βη δε κατ' Ουλυμποιο καρηνων χωομενος κηρ,
Τοξ' ὠμοισιν ἐχων, ἀμφηρεφεα τε φαρετρην,
Εκλαγξαν δ'ἀρ ὀϊςοι ἐπ' ὠμων χωομενοιο
Αυτȣ κινηθεντος, ὁ δ'ἠϊε νυκτι ἐοικως.
Descenditque de Olympi verticibus iratus animo,
Arcus humeris gestans, et undique tectam pháretram,
Clangorem vero dederunt sagittae in humeris irati
Eo incedente; ipse vero ibat nocti similis.

Confer sodes hos versus cum praesentium typo numorum.

Mentio situs ad *Scamandrum* fluvium dubia non est sed Cuperus legendum censet ΣΚΑΜΑΝΔΡΟΥ, Spanhemius ΣΚΑΜΑΝΔΡΟΣ. Si fidelis est Maffei lectio, quam proposui, dubium non est, legendum ΠΡΟΣ.ΣΚΑΜΑΝΔΡΟΝ. Ejus mentio omittitur in Pembrockiano.

Epochae annus in omnibus quatuor comparet, sed tribus tantum annis diversis: ΡΠΓ. ΣΛ. ΣΛΕ. Eam Spanhemius in citata ad Cuperum epistola ducendam censet a tempore, quo urbs auctore Lysimacho pro Antigonia dicta fuit Alexandria. Factum istud ex Spanhemii sententia V. C. 454. A. X. 300. Signati ergo essent hi numi annis V. C. 636. 683. 688. Non dissentit huic opinioni Pellerinius [m]), quamquam non minus verisimile censeat, adhibitam ab Alexandrensibus epocham Alexandri M. Cum epocha his tantum autonomis inscripta sit, vix sperandum, nos certius aliquid aliquando comperturos.

AR. RRR.

Colonia deducta ab Augusto, et coloniae nomine signati numi abundant; et sunt etiam hujus generis

Autonomi copiosi, qui eandem epigraphen et typos offerunt, quos numi cum capite Imperatorum.

Imperatorii reperiuntur a Trajano usque ad Saloninam.

Epigraphe: COL. TROA. TROAS. TROAD. addito saepe AVG. vel ALEX. ALEXAN. ALEXAND. Non raro luxatis literis barbara jam tempora olet.

Typi:

Equus pascens, obvius in hujus coloniae numis. Vaillantius indicari immunitatem a tributis constanter et confidenter asserit; at ignoravit tum adhuc vir eruditus, eum jam exhiberi in numis hujus urbis, cum colonia nondum esset. Explicatum alium magis verisimilem dedi supra in autonomis Alexandriae liberae:

* * *

Aquila volans bovis caput unguibus stringit, in numis Commodi, aliorumque. (Vaill.)

---

l) Il. A. 44. m) Mel. II. p. 312.

Statua Apollinis cippo imposita, juxta figura militaris ad aram sacrificans, superne aquila volans bovis caput unguibus defert, Crispinae. (Vaill.)

Ioannes Malala, cum conditas a Seleuco per Syriam urbes refert, eas capto semper augurio aedificatas memorat, nempe advolante aquila abreptam victimae portionem, aut ipsum etiam tauri caput in eum locum deferente, ubi dei jussu nova urbs statuenda esset [n]). Praemonuit jam istud Vaillantius ad similem numum Antonini Pii. Idem in condenda Antiochia ad Orontem accidisse ante Malalam docuit Libanius [o]). Simile quid in condenda Alexandria Troade contigisse, docuerint fabulae domesticae. Argumentum aquilae bovis caput complexae exstat etiam in aureo anepigrapho pervetusti operis (nam postica quadratum informe offert) quem Pellerinius inter incertos recenset. (Rec. T. III. tab. CXV. n. 3.) Quare verisimile est, eum in hac urbe, sed cum Sigiae adhuc nomen teneret, fuisse signatum; praesertim cum videamus, Alexandrenses, etiam cum coloni essent, veteribus suae urbis typis, ut Corinthios, sedulo inhaesisse.

* * *

Alii typi sunt: *Apollo volanti grypho insidens*, *Silenus*, *lupa gemellos lactans*, inferiore aevo potissimum *caput muliebre turritum*, *pone vexillum*, cui saepe inscriptae literae, sed plerumque dubiae. In uno musei Caesarei lego AV. TP. suntque fabricae satis barbarae. In Pellerinianis legitur CO. AV. (Mel. II. p. 61.) Plures etiam ex memoratis hic typis saepe in uno eodemque numo junguntur.

Aureliam Antoninianam se vocat in numis Caracallae.

Mentio situs, a fluvio Scamandro in autonomis, et regione Troade in coloniae numis.

AE. C.

ARISBA.

Hujus urbis numum *imperatorium* cum capite Trajani Vaillantius ex museo suo citat inscriptum APICBEΩN. typo *Herculis leonem suffocantis.* Citatur item similis AE. II. formae in museo Christinae. Fuit etiam Arisba Lesbi.

AE. RRRR.

DARDANVS.

Ad Hellespontum, urbs antiqua, aedificata a Dardano Trojano secundum Diodorum, et hodiernis Dardanellis nomen fecit.

Autonomi:

Mulier stolata equo gradienti insidens d. frenum, s. lateri admota. Ⅹ ΔAP. *Gallus stans.* AR. I.

Insignem hunc numum Pellerinius in postremo suo opere, quod *Additions* inscribitur, edidit [p]), explicavitque pagina ultima. Typus mulieris in equo non equitantis, sed sedentis, quo ritu Cybelen leoni suo, Isidem cani insidere conspicimus, vix alias in numis occurrit. Simili

[n]) Chronogr. L. VIII. [o]) In Antiochico. [p]) Pag. 1.

modo in numo Celenderis Ciliciae virum equo suo vehi videbimus. Quae sit equestris haec mulier, in veterum commentariis non reperi. Verisimile est, quod existimat Pellerinius, esse domesticam quandam veteris aevi heroidem inclyto quopiam facto illustrem.

In numis reliquis, quos vide apud Pellerinium et Haymium, *epigraphe:* ΔA. ΔAP. ΔAPΔ. *Typi* potiores: *Eques armatus* ✕ *Gallus.* Quo typo confirmatur, quod refert Pollux, Dardanios in numis signasse ἀλεκτρυονων μαχην, *gallorum pugnam* q). — *Caput Aesculapii.* ✕ *Serpens adsurgens.* (Pellerin.) Sunt hi numi aenei omnes.

AR. RRRR. AE. RR.

Imperatorii reperti ab Augusto usque ad Getam.

Augusti unus proditur solum in museo Theupoli: ΔAPΔ. *Victoria.* Reliqui ab Ant. Pio procedunt.

Epigraphe: ΔAPΔANIΩN. *Typi* insigniores: *Aeneas humeris Anchisen portans, d. Ascanium ducens,* Domnae et Getae. *Ganymedes nudus pileo Phrygio tectus ab aquila sursum effertur,* Getae. Sunt haec argumenta domestica.

Magistratus urbis fuit *archon*, qui legitur in numo Severi: ЄΠΙ. APX. ΦΙΛΙΠΠΟΥ. (Vaill. Pisani.)

Mentio situs a Rhodio fl. ΔAPΔANIΩN. POΔIOC. *Fluvius decumbens*, in numo Domnae. (Vaill.) Hunc Rhodium Strabo inter Abydum et Dardanum in mare exire dicit r).

AE. RR.

ILIVM.

Hoc nomine intelligimus non veterem illam Trojam, Ilium quoque dictam, sed Ilium novum XXX. stadiis a vetere versus mare remotum. Fuit olim pagus cum fano Minervae Iliados, de qua mox plura, cui Alexander post victoriam ad Granicum ornamenta addi jussit addita urbis appellatione. Abstulit tamen deae arma, quae deinde praegestari in praeliis jussit s). Mortuo Alexandro opus perfecit Lysimachus. Temporum injuriis rursum desertum a Romanis nonnulla incrementa accepit, quod hinc se profectos aut scirent, aut putarent. Quare iis imperator Claudius tributa in perpetuum remisit oratore Nerone Caesare t).

Autonomi:

Caput Palladis. ✕ IΛI. *Mulier gradiens capite velato d, hastam super humero, s. taedam.* AE. III. (Pellerin.)

Partis aversae mulierem Pellerinius Isidem putavit; at patebit ex sequentibus Minervae Iliadis numis, in hoc quoque Minervam, qualis nempe Ilii colebatur, exhiberi; nimirum dempto velo nullum in utroque apparet discrimen.

* * *

q) L. IX. §. 84. r) L. XIII. p. m. 889. s) Arrian. de exp. Alex. L. I. c. 11. et L. VI. c. 9. t) Suet. in Claud. c. 25. Tacit. Ann. XII. c. 58. Digg. L. XXVII. tit. 1. §. 17.

Caput Palladis. ✗ ΙΛΙΕΩΝ. *Apollo stolatus stans d. pateram, s. lyram.* AE. III. (Pellerin.)

ΙΛΙΕΩΝ. *Caput Palladis.* ✗ ΙΛΙΕΩΝ. *Aeneas cum Anchise et Iulo profugus.* AE. III. (Pellerin.)

ΘΕΑ. ΡΩΜΗ. *Caput muliebre turritum.* ✗ ΙΛΙ. *Aquila Ganymedem nudum crinibus ex rostro pendulum tenet.* AE. III. (Arigoni.)

Merebantur hi numi ob typorum elegantiam, sed qui explicatione non egent, plene describi.

AE. RR.

Numi Minervae Iliadis.

Caput Palladis. ✗ ΑΘΗΝΑΣ. ΙΛΙΑΔΟΣ. *Pallas tutulata gradiens d. hastam super humero, s. taedam, pro pedibus noctua, vel apis, vel corona, vel palmae ramus, pone monogramma, in imo:* ΑΠΗΜΑΝΤΟΥ,*vel:* ΜΕΝΕΦΡΟΝΟΣ., ΤΟΥ. ΜΕΝΕΦΡΟΝΟΥ. *vel:* ΣΩΣΤΡΑΤΟΥ, *vel:* ΑΓΑΘΟΥ. ΤΟΥ. ΜΗΝΟΦΙΛΟΥ. *vel:* ΞΑΝΘΙΠΠΟΥ. AR. m. m. (Pellerin. Rec. II. p. 63. et Mel. I. p. 136. Hunter.)

Fuit Minerva nomine *Iliadis* variis in urbibus religiose culta, quas enumerat Abbas Fontenu, qui in numum similem copiose commentatus est [u]), fueruntque illae, quae Palladium se tenere jactabant, praeter nostrum Ilium et Romam Liris Lucaniae, Lavinium, Luceria. Argos, Sparta etc. Romae tanta fuit ejus deae veneratio, ut, quod paucis diis fuit concessum, haeres potuerit institui [x]). Habemus ergo in his numis Minervam Iliadem, qua forma saltem apud Ilienses, aut per vicinum tractum colebatur. Nimis forte acute Fontenu illud, quod Minerva manu tenet, et quod ex omnibus his numis manifesta taeda videtur, colum esse dixit, nempe quia Apollodorus muliebre hoc attributum Palladio fuisse additum dixit. Quae infra scribuntur nomina, magistratuum sunt, quod monere necesse, quia laudatus Fontenu τὸ ΑΠΗΜΑΝΤΟΥ esse Minervae epitheton putavit. Pellerinianum ΜΕΝΕΦΡΟΝΟΥ pro ΜΕΝΕΦΡΟΝΟΣ videtur chalcographi vitio irrepsisse.

Expendendum adhuc superest, qua in urbe hi videantur numi signati. Corsinius, qui similem citat, eum Athenis cusum putat [y]). Verum ut argumentis aliis abstineam, vel sola fabrica perelegans numos hos Atheniensibus eripit. Abbas Fontenu eos his nostris Iliensibus tribuit [z]). Cum hoc primum conspiravit Pellerinius [a]), serius Sigeum tutius referendos censuit [b]), propterea quod in inscriptione Sigea, quae exstat apud Chishul [c]), et Muratorium [d]), mentio fit templi Minervae Iliadis, quod Sigei stetit, et peractorum ibi sacrificiorum, et institutorum item ludorum in honorem Antiochi I. Horum igitur solemnium occasione verisimile censet hos percussos Sigei numos. Sed enim ut facile dem, tetradrachma haec illustria non fuisse

---

u) Mem. B. L. T. V. p. 265. x) Fragm. Vlpiani XXV. 6. y) Fast. Attic. T. II. p. 280. z) L. c. a) Rec. II. p. 63. b) Mel. I. p. 136. c) Ant. Asiat. p. 492. d) Thes. inscript. p. 2118.

Iliensium monetam ordinariam, nam horum res tenuiores fuere, quam ut licuisset tam splendida uti moneta, constat tamen, non modo Minervae templum stetisse apud Ilienses, quod ipse Alexander M. et Lysimachus summa religione prosecuti sunt, ut testatur Strabo [e]), atque illud quidem magnificum teste epigrammate Agathiae [f]), sed etiam festa et certamina ibi in ejus honorem constituta. Nam sic Eustathius [g]): Ἰλιεια, ἑορτη δε ταυτα ἠσαν ἐν Ἰλιῳ, et Hesychius Ἰλιεια, ἐν Ἰλιῳ Αθηνας Ἰλιαδος και πομπη και ἀγων. Ergo ut per inscriptionem Sigeam constat, Sigei stetisse templum Minervae Iliados, et celebratos ibi ludos, sic etiam istud de Ilio constat, atque adeo hi numi perinde apud Ilienses, quam Sigeos collata plurium urbium symbola in ejus celebritatis usum feriri potuerunt. Quin lego apud Strabonem [h]), Sigeum fuisse dirutum ab Iliensibus, quod oppidanis non satis fiderent, et sub Iliensibus fuisse oram maritimam omnem usque Dardanum, idque adhuc Strabonis aetate. Quare satis spectatum fuit Ilium, ubi solemnia certamina potuerint obiri, et insignia adeo haec tetradrachma signari.

AR. RR.

Imperatorii non infrequentes a Caligula usque ad Saloninam. Augusti caput etiam post ejus mortem signarunt Ilienses conjunctum cum capite jam Caligulae, jam Claudii. Neque mirum, id honoris illi habitum, cui Ilium tanto in pretio fuit, quod ab eo ob cognationem sibi cum Iliensibus communem multis fuit beneficiis auctum, quae recenset Strabo [i]). Numum Caligulae, in quo hic dicitur ΓΑΙΟC. ΚΛΑΥΔΙΟC, vulgatum a Sestino in examen vocabimus in moneta hujus Augusti. Singularis est numus inscriptus: Π. CΕΠΤ. ΑΔΡ. ΓΕΤΑC. ΚΑ. quem edidit Pellerinius [k]), quia in hoc Geta *Hadrianus* dicitur, de quo nomine vide, quae notabo in numis Getae commatis Romani.

Epigraphe: ΙΛΙ. ΙΛΙΕΩΝ.

Aversae illustriores:

ΘΕΑ. ΡΩΜΗ. ΙΕΡΑ. ΣΥΝΚΛΗΤΟΣ. ΙΛΙ. *Pallas in cippo inter capita Romae et senatus.* Caligulae. (Vaill. Arigoni.)

ΘΕΟΣ. ΣΕΒΑΣΤΟΣ. ΙΛΙ. *Caput Augusti radiatum, juxta signum Palladis,* Claudii (Morelli. Impp. T. II. p. 32.)

ΙΛΙΟΝ. ΡΩΜΗ. *Duae mulieres stantes prior cum Palladio, altera cum vexillo,* Caracallae. (Vaill.)

ΔΙΑ. ΙΔΑΙΟΝ. ΙΛΙΕΙC. *Iuppiter sedens d. hastam, s. Palladium,* Domnae (Pellerin.)

ΔΑΡΔΑΝΟC. ΙΛΙΕΩΝ. *Vir seminudus sedens loquitur cum adstante muliere,* Crispinae. (Pellerin.)

Dardanus Trojae heros notus. In numo simillimo Swintonus legit ΔΑΡΔΑΝΟCCΗΝΩΝ., eumque tribuit Daranissae Ptolemaei sitae in Sophene majoris Armeniae [l]), perperam, ut nemo non videt.

Ganymedes. Ejus nomen in numis non

e) L. XIII. f) Analect. Brunck. T. III. p. 54. g) Ad Iliad. Λ. h) L. XIII. p. m. 896. i) L. XIII. k) Rec. III. p. XIII. l) Philos. Transact. Vol. LVI. p. 27.

scribitur, cum satis ex typo, quis sit, intelligatur. Iam supra in autonomis expressum vidimus. In numis hujus classis: *Ipse sedens tectus pileo Phrygio super rupe, juxta aquila fallaciter adblandiens*, Commodi. — *Ipse ab aquila sursum fertur*, Getae. (Vaill.)

ΑΝΧΕΙϹΗϹ. ΑΦΡΟΔΕΙΤΗ. ΙΛΙΕΩΝ. *Anchises et Venus stantes jungunt dexteras*, insignis numus Domnae. (Pellerin. Rec. III. p. 243.)

ЄΚΤΩΡ. ΙΛΙЄΩΝ. *Hector horridus in armis vectus in citis quadrigis*, numi obvii per varios impp. In alio: *Hector pro caesi Patrocli cadavere dimicans*, Macrini. (Mus. Albani.) Typum Hectoris diversum vide infra in epocha.

Teste Maximo Tyrio creditum Iliensibus, Hectorem etsi vita functum in patria sua constanter permanere, eumque conspici salientem per campos, et fulgurantem m).

Fluvius Scamander inscribitur numis Neronis, Britannici, Aurelii, Caracallae, Getae. ΣΚΑΜΑΝΔΡΟΣ. ΙΛΙΕΩΝ. *Fluvius decumbens.* Scamandrum propter Ilium fluxisse constat, non tamen insertus est numis ad indicandum situm, cujus ratio non fuit, sed quod dei instar non ab indigenis modo, sed et ab exteris habitus est, et ab Homero μεγας θεος, ἀθανατος θεος dicitur n). Idem etiam in numis Germanicopolis Paphlagoniae et Cymes Aeolidis proponitur, sed nomine Xanthi, quod ei fluvio quoque inditum fuit, de quo pluribus egi in meis numis veterib. p. 170.

Epocham sibi videre visus est Vaillantius in numo Domnae: ΙΛΙЄΩΝ. ΔΟϹ. at primus eam impugnavit eruditus Wise o), testatus, a celebri Massonio numum, qui in gaza regis Galliarum exstat, ad examen vocatum, ab eoque distincte lectum ΑΘЄ pro ΔΟϹ Vaillantii. Iuxta examen alterum a Pellerinio institutum legitur ΙΛΙЄΩΝ. Ι - - ΔΟϹ. quod conjicit legendum ΙΟΥΛΟϹ, qui fuit Aeneae filius p). Alius ejusdem Domnae nuper museo Caesareo illatus est, in cujus aversa ЄΚΤΩΡ. ΙΛΙ - - ΔΩΝ. *Hector galeatus, cetera nudus, s. clypeum praetendens, d. hastam vibrans irruit.* Literae mediae non distinguuntur, sed reliquae, ac praecipue ΔΩΝ. luculentae sunt. In numo Getae catalogi d'Ennery p. 546. legitur ΙΛΙΗΩΝ. ΛΑΙ. Harum ego literarum explicationem non tento, quia veri aenigmatis modum habent. At istud saltem certum, uti epocham notare non possunt, ita eam neque in altero Vaillantii opinandam.

AE. R.

OPHRYNIVM.

Prope Dardanum.

Autonomi:

Caput adversum galeatum barbatum. ℞ ΟΦΡΥ. *Vir nudus genuflexus d. botrum praetendit.* AE. III. (Haym. Pellerin.)

Recte Haymius statuit, capite anti-

---

m) Dissert. m. XV. sub. fin. n) Il. Φ. 248. et 380. o) Mus. Bodl. p. 205. p) Mel. II. p. 321.

cae proponi Hectora monente Strabone q): *non procul inde Ophrynium, ibi lucus Hectoris est loco conspicuo.* Typus posticae incerti est explicatus.

AE. RRRR.

SCEPSIS.

Versus sinum Adramytenum secundum Strabonem et Plinium. Aliam cognominem in Mysia minore collocat unus Ptolemaeus. Non pauci numi ex imperatoriis, qui CKHΨIΩN inscriptum habent, addunt alterum vocabulum ΔAPΔANIΩN. Ex quo conjecit Pellerinius, numos, qui illud addunt, esse Scepsis Troadis vel Dardaniae, qui omittunt, esse ejus, quam in Mysia ponit Ptolemaeus; nam ut ait, similia cognomina addi non solent, nisi causa discriminis inter urbes eodem nomine praeditas. Fuit autem in ipsa Troade ager, qui *Dardanii* nomen habuit, cujus meminit Strabo r), etsi aperte non definiat, Scepsin in ea fuisse positam. Ea sententia tantum valeat, quantum valere conjectura potest; nam multae aliae esse causae poterant, cur Dardanios se scripserint Scepsii nobis hactenus ignotae. Alteram in Mysia Scepsin geographi in dubium vocant.

Autonomi:

ΣKHΨION. *Pegasus marinus.* ✠ *Arbor, juxta* N *intra quadratum.* AR. II. (Pellerin.) In alio simili ΣKAΨIΩN, nempe Aeolice. AR. III. (Sestini Lettere T. IV. p. 111.)

Aquila stans explicatis alis. ✠ CKHΨ. *Arbor.* AE. III. (Pellerin.)

Horum priorem commendant omnia remotae antiquitatis indicia. Typorum ratio mihi ignota. Secundum Pellerinii conjecturam sunt hi numi Scepsis Mysiae.

AR. et AE. RRRR.

Imperatorios Vaillantius binos edidit, Domnae et Caracallae, addidit Pellerinius Commodi, Caracallae, Alexandri, Maximini. Priores inscripsere tantum CKHΨIΩN addito epochae anno, de quo mox, Pelleriniani omnes: CKHΨIΩN. ΔAP. vel ΔAPΔA. vel ΔAPΔANIΩN. *Typi* in Bacchi cultu fere versantur.

IΔH. CKHΨIΩN. ΔAPΔA. *Pallas, Venus, Iuno stantes, juxta Cupido sub arbore, et mulier,* Caracallae, AE. m. m. (Catal. d'Ennery p. 420.)

Tres deae in Ida monte pulchritudinis judicium subeuntes, notum argumentum.

Epocham in utroque suo numo vidit Vaillantius, et in uno quidem AΛC. in altero BΛC., eamque conjectavit procedere ab anno V. C. 734 s). Harduinus annum 723. maluit, Froelichius annum 727 t). Pellerinius binis locis contendit, erratum a Vaillantio, et pro praetensis epochae notis legendum ΔAP. u). Attamen auctor musei Theupoli in suo Domnae numo, qui per typum Aeneae patrem cum filio Troja educentis idem est cum Vaillantiano, itidem legit CKHΨIΩN. AΛC., nisi forte, quod saepe fit, dubias numi sui literas ex Vaillan-

q) L. XIII. r) L. XIII. p. m. 891. s) Num. Graec. p. 94. t) Not. elem. p. 51.
u) Rec. II. p. 59. et Mel. II. p. 140.

tio explevit, quod inquirendum utique foret, ut de epocha judicium ferri possit.
AE. RR.

SIGEVM.

Oppidum promontorio cognomini impositum, de quo Plinius: *in promontorio quondam Sigeum oppidum.* Et Strabo: *post Rhaeteum est Sigeum urbs diruta*, quo loco testatur etiam fuisse Achillis templum et monumentum [x]), et infra [y]): urbem exstructam ex lapidibus veteris Trojae. Observandum, diversam esse hanc urbem a Sigia, quae serius Alexandria Troas vocata est, ut in hac diximus.

Autonomi:

Caput Palladis adversum. Ӿ ΣΙΓΕ. *Noctua cum lunula.* AE. III. (Pembrock P. II. tab. 28. Hunter.) vel: *Noctuae binae communi eodem capite.* AE. III. (Mus. Caes.)

Typus plane Atticus me commonefacit ejus, quod narrat Strabo, Sigeum, et ejus tractus partem aliquando Atheniensibus paruisse [z]). Sane remotissimo aevo dimicatum fuisse ab Atheniensibus et Mytilenaeis, utrorum esset Sigeum, victore pro his Pittaco, refert scholiastes, ad Aeschyli Eumenides v. 401. Minime mirandum, non exstare plures hujus urbis numos, nam refert idem Strabo [a]), eam ab Iliensibus fuisse dirutam, et ex Strabonis et Plinii verbis supra citatis colligitur, eorum illam aetate non amplius exstitisse. Stetisse tamen hic templum Minervae Iliados, ejusque festa magnifice obita docet inscriptio Sigea, cujus supra in Ilio memini.
AE. RRRR.

TROAS.

Vide supra Alexandria Troas.

TENEDVS.

Insula prope Troadem.

Autonomi argentei varia magnitudine abunde cogniti.

Epigraphe: ΤΕΝΕΔΙΩΝ., in perantiquo Pellerinii βȣϛροφηδον: ΤΕΝΕΔΙ—ΝΟ.

Typus:

Capita bina instar Iani, quorum unum barbatum laureatum, alterum muliebre. Ӿ *Securis bifida, adstitutis Pallade, vel noctua, etc. saepissime botro vel lyra.* AR. I. II. III.

De typo partis aversae egerunt complures scriptores veteres. Fertur Cycnus Colonarum Troadis rex filium Tennem a noverca falso insimulatum, tanquam incestum sibi obtulisset, una cum sorore Hemithea arcae inclusum in mare dejecisse, utramque vero prolem servatam avi Neptuni beneficio, et innoxie in insulam Leucophryn appulsam, cujus incolae cognito facto Tennem regem appellarunt, a quo subinde Tenedo nomen factum. Propter justitiam magni a suis habitus, heroicos post obitum honores abstulit, cujus celebrata lex, qua adul-

---

x) L. XIII. p. m. 891. y) Pag. 895. z) L. XIII. p. m. 895. 896. a) L. c.

teros securi feriri jussit. Haec Pausanias, aliique.

Typi mentionem fecerunt I. Aristoteles in libro: Τενεδιων πολιτεια, quod fragmentum conservavit Stephanus: legem narrat a Tenedi rege sancitam, quae deprehensos in adulterio securi percuti jubet, cumque ejus criminis reus perageretur filius ipse regis, in eo ipso voluisse servari legem, *ac propterea*, addit, *in Tenediorum moneta sculptam esse una parte securim*, *altera duo capita in memoriam ejus*, *quod filio accidit* [b]). II. Suidas cum idem narrasset [c]), addit: *Quapropter et in numismate ab una parte securis*, *ab altera duo vultus ex eadem cervice comparent.* III. Idem refert Heraclides [d]), qui insuper regis nomen Tennem prodit. IV. In alia omnia abit Plutarchus [e]), nam cum narrasset, securim esse signum Tenedi, rationem addit, quia nati ibi cancri soli sunt, qui expressam in testa securim offerunt. De securi haec adhuc Conon, qui Tennis quoque historiam descripsit [f]): Cum pater Cycnus Tenedum navi transmitteret, filium Tennem, ne pater ad insulam appellere posset, arrepta securi navis retinacula dissecuisse, unde proverbium in omni re praecipite: *Tennae securis.* Sed hujus proverbii alias praeterea causas dictant Suidas et Stephanus.

Secundum haec testimonia ratio securis in his numis propositae aperta quidem est, sed non aeque expedita duplicati in antica capitis. Alii moechum cum adultera proponi credunt, quod minus verisimile, cum alii Graeciae populi deos aut heroas spectandos in moneta exhiberent, Tenedios voluisse infamis criminis convictis hunc honorem haberi. Alii fidei maritalis symbolum opinantur, ad quam Tenedii hoc typo suos vellent hortari, nisi aversae partis securim malint. Rectissime ii videntur sentire, qui Tennem et sororem Hemitheam notari putant, quos sanguis, amor, et idem periculum junxere, ab oppidanis adeo ut heroes cultos.

* * *

Caput Apollinis. Ӿ TEN. *Securis inter duos botros.* AE. IV. (Pellerin.)

Apollinis, sed Sminthii, apud Tenedios stetisae templum, et insignem ejus ibi fuisse cultum, satis constat, ipso etiam Homero istud testante: Τενεδοιο δε ἰφι ἀνασσεις, Σμινθευ. *et Tenedo fortiter imperas*, *Sminthie* [g])! De Apolline Sminthio, eique sacris muribus vide quae latius supra disserui in numis Alexandriae Troadis. Mures gemini, qui in area similis numi Goltziani reptant, si modo genuinus est hic numus, et non a Goltzio, ut saepe alias, erudite confictus, ad hunc Sminthium jure pertinent. Quae causa fuit, cur nu-

---

b) Steph. in Τενεδος. c) In Τενεδιος ξυνηγορος. d) Περι πολιτειων. e) De Pyth. orac. p. 399. f) Ap. Phot. narrat. 28. g) Il. A. 38.

mum Alexandri M., in cujus area partis posticae mus habitat, Tenedi verisimiliter signatum aliquando probaverim [h]).

Ceterum de rep. Tenediorum, eorumque numis eleganter scripsit Ludovicus Hemmerus, in quo praecipue, quae ad numos pertinent, legatur caput V.

AR. R. AE. RRRR.

h) Num. vet. p. 81.

A E O L I S.

AEGAE.

Iam in Aegarum Macedoniae numis indicavi, admodum esse difficile, quin et rem desperandam, rite disponere numos urbium, quae ἀπο τȣ ἀιγος, *a capro* nomen sortitae sunt, quarum illustriores fuere Aegae Macedoniae, Aegae Aeolidis, Aegae Ciliciae, Aegium Achaiae, ut mittam alias eodem, vel adfini nomine. Habet tamen haec Aeolidis urbs numos suos certos, quos priore loco recensebo.

Autonomi.

ΑΙΓΗ. *Protome muliebris capite turrito et cum bipenne super humero.* ✗ ΑΙΓΑЄΩΝ. *Fortuna stans.* AE. III. (Pellerin.)

Protome muliebris capite turrito. ✗ ΑΙΓΑЄΩΝ. *Pallas stans d. pateram, s. hastam cum clypeo.* AE. II. (ibid.)

Pleraeque hujus tractus urbes ab Amazonibus se conditas professae Amazonem in moneta sua proposuere, cujus frequentia deinceps occurrent exempla. Idem cum sibi persuaderent Aegaenses nostri, Aegen Amazonem numis suis intulerunt, docente istud utroque hoc numo. Quocirca certi sumus numos hos his, in quibus sumus, Aegis deberi.

* * *

Caput Apollinis. ✗ ΑΙΓΑΕΩΝ. *Caper stans*, in alio: *caput capri.* AE. III.

Hos numos Pellerinius Aegis Macedoniae tribuit [a]). At enim, cum eandem habeant epigraphen, quam praecedentes, forte tutius ad has Aegas transferemus, etsi levis haec sit conjectura, ut dicetur.

* * *

Caput Apollinis pone prominente pharetra et sagitta. ✗ ΑΙΓΑΙΕΩΝ. *Iuppiter nudus stans d. extenta aquilam, s. hastam, in area monogramma, omnia intra coronam quernam.* AR. m. m. (Pellerin.)

Hunc etiam numum per volumen et elegantiam praestantissimum Pellerinius Aegas Macedoniae avocavit. At jam monui in harum numis, eum praeter alias causas etiam propterea tutius in Aeolidem traducendum, quia plures hujus tractus urbes, ut Cyme, Lebedus, Myrhina, et Smyrna numos maximi moduli argenteos, et plerosque cum corona in parte aversa signaverunt.

Ceterum et variantia ἐθνικα discrimen urbium eodem nomine praeditarum impediunt. Sane harum Aeolidis Aegarum oppidani, qui in citatis numis Αιγαεις

a) Rec. I. p. 173.

vocantur, Xenophonti sunt Αιγιεις [b]), quod idem fuit gentile Aegiensium Achaiae.

AR. RRRR. AE. RRR.

Imperatorii certi harum Aegarum sunt, qui magistratum ϛρατηγον, *praetorem* sistunt, quorum unus est Veri, (Haym.) alius Commodi, (Catal. d'Ennery p. 538.) alius Alexandri, (Mus. Caes.) alius Decii, (Vaill.) atque omnes hi inscribuntur ΑΙΓΑΕΩΝ, ut earum certi autonomi.

Magistratus praetor, ut dictum.

Mentio situs a fluvio, qui decumbens humi fingitur, sed adscriptum nomen varie legitur, ab Haymio in numo Veri ΤΙΤΝΑΙΟC, (T. II. p. m 292.) a Vaillantio in numo Decii ΠΙΤΝΑΙΟC. Fluvius hujus nominis in hoc tractu ignotus est, in quo extricando, vide, quam misere semetipsum vexet Vaillantius [c]). Videtur esse fons urbi vicinus, isque religione sacer. Vide, quae in tractatu de fluminibus, et fontibus notabo.

AE. RR.

CYME.

Vrbs illustris, ab elegantibus et copiosis etiam numis nobilitata.

Epigraphe: ΚΥ. ΚΥΜΑ. ΚΥΜΑΙΩΝ. ΚΥΜΑΙΟΙC.

Typos habet haec urbs sibi uni proprios, primum, equum gradientem sublato altius pede anteriore, deinde vas monotum ea forma, qua aliud nullum aliis in numis conspicitur. Saepe etiam aquila stans comparet. In aversa elegantis tetradrachmi Medicei, quod aliquando vulgavi [d]), omnia haec tria Cymaeis propria videre licet. Tamen nullius ex his tribus expeditam habemus rationem.

Autonomi illustriores.

Caput juvenile revinctis filo crinibus. ✕ ΚΥΜΑΙΩΝ. *Equus gradiens suspenso altius pede anteriore*, *humi vas monotum*, *infra* ΣΕΥΘΗΣ, *vel* ΚΑΛΛΙΑΣ, *vel* ΦΙΛΟΔΟΞΟΣ *etc.*: *omnia intra lauream.* AR. I. (Pellerin, Mus. Caes. alibi.)

* * *

ΚΥΜΗ. *Caput muliebre turritum.* ✕ ΚΥΜΑΙΩΝ. *Isis stans d. sistrum*, *s. situlam.* AE. III. (Mus. Caes. Haym.)

Exhibet antica Cymen Amazonem, a qua urbi nomen factum prodidere Mela et Stephanus.

* * *

ΚΥ. *Equus dimidius saliens*, *infra* ΔΙΟΝΥCΙΟC. ✕ *Vas monotum.* AE. III. (Pellerin.)

ΦΙΛΟΔΟΞΟΣ. *Aquila stans.* ✕ ΚΥ. *Vas monotum.* AE. III. (Mus. Caes. Pellerin.)

* * *

ΙΕΡΑ. CΥΝΚΛΗΤΟC. *Caput juvenile nudum senatus.* ✕ ΑΙΛ. ΕΡΜΕΙΑC. ΠΡΥΤ. ΚΥΜΑΙΟΙC. *Fortuna stans.* AE. II. (Pellerin.)

De inscripto *Prytane* et epigraphe ΚΥΜΑΙΟC. agetur mox in imperatoriis.

---

b) Hist. Graec. L. IV. p. m 536. c) Num. Graec. p. 348. d) Num. vet. p. 202.

Mentio situs ab Hermo fl.

ΙΕΡΑ. CΥΝΚΛΗΤΟC. *Caput, ut in praecedente.* ✕ ΚΥΜΑΙΩΝ. ΕΡΜΟC. *Fluvius humi decumbens.* AE. II. (Pellerin.)

Hermus hic in aliarum quoque urbium per Aeolidem et Lydiam numis memoratur, creditus ipse Jovis filius, ut est in vita Homeri Herodoto tributa [e]). Ipse quidem Cymaeorum maenia non alluit, forte tamen eorum agrum; nam secundum Phocaeam in mare exivit.

Proconsul:

ΘΕΟΝ. CΥΝΚΛΗΤΟΝ. *Caput juvenile diadematum senatus.* ✕ ΑΝΘΥ. ΕΠΡΙΩ. ΜΑΡΚΕΛΛΩ. Γ. ΚΥ. *Mulier succincto habitu stans d. globum, s. hastam.* AE. III. (Seguin sel. num. p. 103.)

ΕΠΙ. ΜΑΡΚΕΛΛΩ. ΑΝΘΥΠΑΤΩ. ΚΥ. *Figura succincta stans d. vexillum,* in numo Vaspasiani. (Vaill.)

Seguinus [f]), Vaillantius [g]), Harduinus [h]), Begerus [i]), Havercampus [k]), unanimi consensu hos numos propter additum ΚΥ. in Cypro signatos censent, quin idoneam aliam causam possent adferre. At enim tutius eos Cymaeis nostris tribuendos existimo. Nullus enim hactenus repertus Cypri numus, in quo ejus nomen solis literis ΚΥ. definiretur, at his solis saepe contenti fuere Cymaei. Neque vocabula ΘΕΟΝ. CΥΝΚΛΗΤΟΝ. Cypriis favent; etsi enim Cyprus fuit senatus populique provincia, tamen senatus R. mentionem, obviam in numis provinciae Asiae, atque, ut vidimus, Cymaeorum, vix in Cypri, et finitimi tractus moneta reperias. Ad solvendum dubium nihil confert mentio Eprii Marcelli; neque enim constat, eum aut Asiam, aut Cyprum proconsule rexisse. Auctore Tacito [l]) Eprius Marcellus imperante Nerone praefuit Lyciis, a quibus repetundarum accusatus evasit tamen. Rexit ergo tum Pamphyliam, cui inde a Claudio Lycia libertate multata conjuncta fuit. Ab eodem Tacito dictus *acer eloquentia*, at una infamis Thraseae Paeti accusator [m]).

* * *

Notandi denique varii eruditorum lapsus, cum urbi huic numos suos inique aut ademerunt, aut largiti sunt alienos.

Froelichius numum musei Granelliani, qui hinc aquilam stantem, et magistratum ΠΥΘΙΣ, inde vas monotum addito ΚΥ. exhibet, Pythio et Chytro Cretae urbibus tribuere non dubitavit [n]), qui tamen, ut ex modo praeceptis patet, certe est hujus Cymes.

Alium inscripto magistratu ΙΠΠΙΑΣ Wildius, cum diu fluctuaret, tandem Phalannae Thessaliae permisit, quae aliquando Hippias quoque vocabatur [o]).

Vulgavit Goltzius numum typo hinc equi dimidii salientis, inde vasis monoti, et cum praetenta epigraphe ΚΑΡΑΛΙΤΩΝ, Caralis adeo Sardiniae. At eum esse Cymaeum quoque, docet numus similis supra descriptus.

---

e) Cap. IX. f) L. c. g) Num. Graec. sub. Vesp. h) Num. illustr. sub *Cyprus.* i) Thes. Br. T. 1. p. 408. k) In fam. Epria. l) Ann. XIII. 33. m) Ann. XVI. 22. seq. n) Not. elem. p. 108. o) Sel. num. p. 75.

Huc etiam Combius vocavit numum Hunterianum inscriptum, ut videbatur, KVM. et typo equitis p), at hic idem est cum eo, quem idem vir eruditus edidit infra Tab. XXXI. n. 3. et in quo legitur: HISPANORVM.

AR. RR. AE. R.

Imperatorios stitit Vaillantius ab Ant. Pio usque ad Saloninam, sed museum Theupoli unum Sabinae offert. Hoc priorem Neronis olim edidi, de quo mox.

Epigraphe ΚΥΜΑΙΩΝ. *Typi* obvii.

ΙΕΡΩΝΥΜΟϹ. ΑΝΕΘΗΚΕ. ΚΥΜΑΙΟΙϹ. *Isis supra triremem velum explicat.* Ant. Pii. (Vaill.)

Formula solita circa hoc tempus, de qua ex instituto agemus alibi.

Magistratus dicitur *praetor* inde a Commodo, at in numis Valeriani senioris et Gallieni apud Vaillantium, Theupoli, et in citato supra autonomo Pellerinii saepe legitur: ΑΙΛ. ΕΡΜΕΙΑϹ. ΠΡΥΤ. ΚΥΜΑΙΟΙ. Vaillantius *το* ΠΡΥΤ. constanter explicat *Prytanidis F.* quod judicium propagatum videtur ex numo Valeriani, in quo is legit: СΤΡΑ. ΕΡΜΕΙΑϹ. ΠΡΥΤ. At suspicor, cum plures citentur numi cum hujus Hermiae nomine, et in nullo alio, praeterquam hoc, praefixum СΤΡΑ. legatur, Vaillantium in eo legendo lapsum, et pro hoc substituendum ΑΙΛ. solitum. Est igitur hic Hermias

Prytanis, qui magistratus in ejus tractus urbibus, ut docent numi, et marmora, saepius occurrit. In marmore apud Com. Caylus q) inter alios hujus urbis magistratus inscribitur etiam Prytanis: ΠΡΥΤΑΝΙΟΣ ΔΕ. ΛΕΥΚΙΩ. ΟΥΑΚΚΙΩ.

Proconsul Eprius Marcellus, cujus numos vide supra in autonomis.

Nomen ab Imperatore. ΚΑΙϹΑΡΕΩΝ. ΚΥΜΑΙΩΝ. *Equus gradiens elato pede anteriore.* Neronis. AE. III. (Edidi ex mus. Medic. Num. vet. p. 202.)

Numus hic Vaillantio ignotus non fuit, sed cum in suo, ut verisimile est, alterum vocabulum ΚΥΜΑΙΩΝ exesum fuerit, numum perperam Caesaream Palaestinae migrare jussit r).

Annum imperii Vaillantius ex numo Maximi colligit, cui inscriptum ЕΤ. Β. nullo altero in moneta hujus urbis exemplo.

AE. RR.

E L A E A.

Ad sinum cognominem.

Autonomi ante Pellerinium vix cogniti.

Epigraphe: ΕΛΑΙ. ΕΛΑΙΤΩΝ.

Typi: corona oleagina, nempe cum adlusione ad urbis nomen. — *Navis*, nimirum fuit navale regum Attalorum teste Strabone. — *Pallas stans d. globum*, *s. hastam.* — *Ceres ejusque attributa.* (Pellerin.)

ΜΕΝΕϹΘΕΥ. ΚΤΙϹΤΗ. *Caput juvenile nudum, pone ramus olivae.* ℞ ΕΠΙ. СΤΡ. ΠΕΛΛΩΝΙΟΥ. ΝΕ. ΕΛΑΙΤΩΝ. *Aesculapius stans.* AE. II.

Illustrem hunc numum vulgavi ex museo Mediceo s). Docet, Menestheum fuisse

---

p) Tab. XXII. n. 18. q) T. II. tab LVIII. r) Num. Graec. p. 16. s) Num. vet. p. 203.

Elaeae conditorem, quod docuere etiam Strabo et Stephanus. Fuit hic Atheniensium rex, et insignis Graecorum apud Trojam dux, de cujus varia fortuna citato loco pluribus egi. Numus hic signatus est aetate M. Aurelii, ut docebit mox similis aversae inscriptio in numo Faustinae jun.

Neocorus Pellonius, de quo mox.

AR. RRRR. AE. RR.

Imperatorios Vaillantius prodidit ab Hadriano usque ad Herennium. At Lucii Caesaris numum addidit Pellerinius: (Rec. III. p. 23.) ΛΟΥΚΙΟϹ. ΚΑΙϹΑΡ. *Caput nudum.* Sed in alio simili est: Λ. ΚΑΙϹΑΡ., et in Ӿ ЄΠΙ. ϹΤΡ. ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ. (Sestini T. IV. p. 111.)

Epigraphe: ΕΛΑΙΤΩΝ. *Typi* obvii.

ЄΠΙ. ϹΤΡΑΤΗΓΟΥ. ΑΙΡΡΙΟΥ. ΤЄΙΜΩΝΟϹ. ЄΛΑΙΤΩΝ. *Severus eques pacificatoris habitu*, in numo Severi praegrandis moduli. (Mus. princ. de Waldeck). In numo simili Vaillantius legit: ЄΠ. ϹΤΡ. Μ. ΛΟΥΡΙΟΥ. ΤЄΙΜΩΝΟϹ.

Magistratus Praetor. ЄΠΙ. ϹΤΡ. ΠЄΛΛΩΝΙΟΥ. ΝЄ. *Aesculapius stans*, in numo Faustinae jun. (Pellerin.) Eandem aversam vidimus supra in autonomo. In hac epigraphe τo ΝЄ. non indicat, Elaitas fuisse neocoros, sed praetorem Pellonium, ut jam advertit Pellerinius [t]). Praetor jam legitur in numo Lucii Caes., quem citavimus.

Archon forte. Pellerinius binis locis post Harduinum contendit, in numis Caracallae et Herennii male fuisse lectum a Vaillantio ϹΑΛΙΤΩΝ, vel ϹΑΛЄΙΤΩΝ pro ЄΛΑΙΤΩΝ [u]). Illud verum, certos Salae Phrygiae numos inscribi ϹΑΛΗΝΩΝ. Obstare forte posset, in numo Caracallae apud Vaillantium praedicari magistratum archontem, cum tamen numi Elaitarum ante et post Caracallam semper praetorem profiteantur. Exstant tamen hujus variationis alia quoque exempla in aliarum urbium numis, ut docebimus alibi.

AE. RR.

MYRHINA.

Vrbs maritima.

Autonomi, quos inter illustria tetradrachma:

Caput Apollinis laureatum diadematum. Ӿ ΜΥΡΙΝΑΙΩΝ. *Mulier seminuda, in aliis vir seminudus gradiens capite laureato s. ramum tenet, ex quo vittae dependent, d., ut videtur, pateram, humi diota, et aliud quid, quod cortinae speciem praebet, omnia includuntur coronae oleaginae.* AV. m. m. adpendens grana Anglic. 464. (Pembrock tab V.) AR. I. (Pellerin. Mus. Caes.)

Incertus est singularis hujus typi explicatus. Praeferenda videtur Pellerinii sententia, qui in hoc partis aversae signo sacerdotem Apollinis, jam marem, jam feminam videt, et attributa reliqua ad sacrificium, deique cultum pertinentia censet. Apollinis illustre nomen fuit in vicino Grynio, quod fuisse obnoxium Myrhinae refert Strabo, unde hic deus bis apud Maronem *Grynaeus* dicitur.

---

t) Mel. II. p. 280. u) Rec. III. p. 213. et Mel. II. p. 214.

* * *

ΑΡΚΟΜΗΛΙΟΥ. *Caput juvenile laureatum, prae cujus pectore ramus.* ♃ ΜΥΡΙΝΑΙΩΝ. *Lyra et ramus lauri.* AE. III. (Pellerin.)

De capite anticae difficile est ferre sententiam, sitne Apollo ipse cum suis in aversa attributis, an Caesarum aliquis sub Apollinis cultu, an heros domesticus, dictus *Arcomelius.*

* * *

ΜΥΡΕΙΝΑ. *Caput muliebre turritum.* ♃ ΜΥΡΕΙΝΑΙΩΝ. *Fortuna stans.* AE. III. (Mus. Caes. Pembrock. Harduin.)

Antica offert Myrhinam Amazonem, quae urbi nomen dedit. Vide testimonia apud Harduinum. Proponitur capite turrito, ut Cyme Amazon, aliaeque in numis urbium cognominum.

* * *

Caput Apollinis. ♃ ΜΥΡΙ. *Diota, in area lyra.* AE. III. (Mus. Caes. Pellerin.)

ΜΥΡΙΝΑΙΩΝ. *Caput muliebre.* ♃ ΕΠΙ. ΣΤΡΑ. ΚΑΛΛΙ. *Lyra.* AE. III. (Wise, Mus. Bodl. p. 9.)

* * *

Edidit Panelius numum: *Neptunus delphino vectus.* ♃ ΜΥΡΙΝ. *Eques.* AR. m. m. (Mem. Trevoux Octobr. 1737.) sed quem potius Tarentinum puto, et το ΜΥΡΙΝ. magistratus nomen, qualia in Tarenti moneta obvia sunt.

AV. RRRR. AR. et AE. RR.

Imperatorii citantur a Sabina usque ad Tranquillinam.

Epigraphe ΜΥΡΙΝΑ, in posterioribus ΜΥΡΕΙΝΑΙΩΝ. *Typi* obvii dempto sequente:

ΕΠΙ. ΜΗΤΡΟΔΟ. ΜΥΡΙΝΑΙΩΝ. *Eques galeatus lento gressu, infra quem* ΔΑΜΝΕΥΣ. Ant. Pii. AE. I. (Seguin p. 18. Vaill. Harduin.)

Vocabulum ΔΑΜΝΕΥΣ. Vaillantius interpretatur *domitor.* Consentit Harduinus, cumque certum putet, equitem hunc esse ipsum imperatorem, ait, eum dictum δαμνεα, tanquam gentium domitorem. Esse autem δαμνευς a δαμνημι, ut δαμευς a δαμαω. At enim nusquam reperio, *domitorem* Graecis unquam dictum δαμεα vel δαμνεα, neque usquam reperio, inter sexcentos titulos imperatoribus a Graeca adulatione datos fuisse unquam titulum *domitoris*, neque Antoninus jure dici potuit *domitor gentium*, cujus totum imperium fere pacatum fuit, neque imperatores equites ea aetate galeati, sed laureati proponi sunt soliti. Est ergo ΔΑΜΝΕΥΣ. potius magistratus, aut aliud, quod ignoramus. Seguini Δαμνευς contractum, pro Δαμναμευς, quod fuit Corybantis nomen, libenter cum Harduino rejicio.

Magistratum praetorem reperio tantum in citato autonomo, et in numo Elagabali apud Pellerinium. (Mel. II.)

* * *

Teste Harduino legitur in numo Neronis: ΟΜΗΡΟΣ. ΜΥΡΙΝΑΙΩΝ., sed vereor, ne legendum potius sit ΟΜΗΡΟΣ. ΣΜΥΡΝΑΙΩΝ. noto apud Smyrnaeos Homeri cultu.

AE. RR.

TEMNVS.

Mediterranea modicae fortunae.

Autonomi omnes haud dubie imperatorum aetate sunt signati.

ΖΕΤϹ. ΑΚΡΑΙΟϹ. *Caput Iovis.* ✕ ΤΗΜΝΕΙΤΩΝ. *Vir superne nudus sedens.* AE. fere II. (Pellerin.)

De Iove Acraeo vide numos Smyrnae.

* * *

ΤΗΜΝΟϹ. *Caput muliebre turritum.* ✕ ΤΗΜΝΕΙΤΩΝ. *Fortuna stans.* AE. II. (Mus. Caes. Arigoni, Theupoli.)

Analogia numorum Cymes, Myrhinae, Smyrnae suadet, capite anticae exhiberi Temnum Amazonem, a qua crediderint Temnitae suam conditam urbem, etsi Strabo aliique, qui conditas ab his urbes prodidere, Temni non meminerint. Frigidam originem, ut saepe alias, adfert Stephanus, datum nempe Homallo oraculum, ibi urbem conderet, ubi contingeret, currus axim τεμνεσθαι.

* * *

ΙΕΡΑ. ϹΤΝΚΛΗΤΟϹ. *Caput juvenile senatus.* ✕ ϹΤΡ. ϹΜΑΡΑΓΔΟΤ. ΤΗΜΝΕΙΤΩΝ. *Duae Nemeses stantes.* AE. I. (Pellerin.)

Patet ex hoc numo, Temnitas Smyrnaeorum Nemeses in oppidum suum recepisse.

Plures exstant autonomi alii inscripti ΙΕΡΑ. ϹΤΝΚΛΗΤΟϹ, de quorum aetate saepe constat; nam exhibent praetores, qui in imperatoriis quoque exarantur. Sic: ΕΠΙ. ϹΤΡΑ. ΗΡΩΔΟΤ. qui est in numis Elagabali et Maesae, ΝΙΚΟϹΤΡΑΤΟΤ. vel ΑΝΤΩΝΕΙΝΟΤ, qui in numis Philippi.

AE. RR.

Imperatorii ab Augusto, deinde Hadriano, cujus bini sunt apud Arigonium, usque ad Philippum jun.

Epigraphe ΤΑΜΝΙΤΑΝ Aeolice, in numis Augusti, ut mox dicetur, deinceps ΤΗΜΝΕΙΤΩΝ.

Typi aversae fere iidem sunt qui in autonomis, *duae Nemeses stantes*, *Pallas stans*, *etc.*

* * *

In examen nunc vocandi numi hujus urbis tot hactenus dissidiis agitati, quorum ortum, progressum, finem describere non injucundum existimo lectori futurum.

ΚΑΙϹΑΡ. ϹΕΒΑϹΤΟϹ. ΠΛΟΤϹΙΑϹ. ΤΠΑΤ. *Caput Augusti nudum.*

ΑΠΟΛΛΑϹ. ΦΑΝΙΟΤ. ΑΜΕ. *Pallas stans d. Victoriolam, s. hastam, pro pedib. clypeus, humi captivus genuflexus.* AE. II.

Primus hunc numum vulgavit, et sic descripsit Patinus [x]). Statuit, eum signatum Plutiae Siciliae, et esse testem consulatus ab Augusto hoc in oppido obiti. At Havercampus hujus numi patriam conjicit Apolloniam Ioniae, cujus magistratus fuerit quidam *Plusias Hypatus* [y]).

ΚΑΙΣΑΡ. ΣΕΒΑΣΤΟΣ. ΠΛΟΤϹΙΑϹ. ΤΠΑΤΟΣ. *Caput Augusti nudum.*

ΑΠΕΛΛΑΣ. ΦΑΝΙΟΤ. ΑΜΡ. *Idem typus.* AE. III.

x) Numi Impp. p. 34. y) Ad Parutae Sicil. p. 681.

Hoc modo Vaillantius hunc thesauri regii numum proponit, et explicat: *Caesar Augustus Plusiae consul in Sicilia. Apellas Phanii F.* forsan *anno* 141 [z]). Quod quidem jure fastidit Pellerinius, non modo, quod verisimile non sit, urbem ignobilem uni Ciceroni semel nominatam Augustum consulem suum dicere, sed multo magis, quod epocha urbis Siculae numo adfingitur [a]).

ΚΑΙΣΑΡ. ΣΕΒΑΣΤΟΣ. Δ. ΕΞΟΥΣΙΑΣ. ΥΠΑΤ. *Caput Augusti nudum.*

- - - ΑΜΕ. - - - ΑΠΕΛΛΑΣ. ΦΑΝΙΟΥ. *Typus idem.*

His verbis eundem Thesauri regii numum describit Harduinus [b]), tanquam Augustus diceretur *trib. potestatis consul.* numum autem cusum adserit Apameae Phrygiae.

ΚΑΙCΑΡ. CЄΒΑCΤΟC. ΠΛΟΥCΙΑC. ΥΠΑΤ. *Caput Augusti nudum.*

ΑΠΟΛΛΑ. ΦΥΝΙΟΥ. ΤΑΜΑΤΑΝ. *Idem typus.* AE. III.

Hoc modo Morellius numum eundem thesauri regii aeri incidit [c]). Havercampus hujus iterum numi interpres in suo iterum *Plusia Hypato*, tanquam magistratus nomine proprio, acquiescit, sed aversae epigraphen sic legendam conjicit: ΑΠΟΛΛΩΝΙΑΤΑΝ. ΦΑΝΝΙΟΥ. vel ΦΑΥΝΙΟΥ. ΤΑΜΑ*ϱινȣ*. At nunc Apolloniae Epiri signatum numum mavult.

ΚΑΙCΑΡ. CЄΒΑCΤΟC. Π—ΟΥCΙΑC ΥΠΙΩ. *Caput Augusti nudum.*

ΑΠΟΛΛΑC. - - ΝΙΟΥ. ΤΑΜ - - ΤΑ - *Idem typus.* AE. III.

Sic mihi hujus epigraphe numi, qui est in Museo M. Ducis, olim legenda videbatur [d]), posseque eum adeo referri Prusiam ad Hypium Bithyniae dubitantis more conjeci, nondum mihi cognitis numis, quos continuo subjiciam.

ΚΑΙCΑΡ. CЄΒΑCΤΟC. ΠΛΟΥCΙΑC. ΥΠΑΤ - - *Caput Augusti nudum.*

ΑΠΟΛΛΑC. ΦΑΝΙΟΥ. ΤΑΜΝΙΤΑΝ. *Typus idem, in area botrus.*

ΑCΙΝΙΟC. ΓΑΛΛΟC. - - - (reliquam epigraphen numi area non recepit). *Caput juvenile forte Augusti.*

- - - ΛΑC. ΦΑΙΝΙΟΥ. ΤΑΜΝΙΤ. *Caput Apollinis laureatum.*

Vtriusque hujus numi modum mecum amice communicavit illustris Consineryus Gallus, qui regis sui, nationisque res Thessalonicae Macedoniae procurat, studiorum nostrorum non cultor solum indefessus, sed et insigniter peritus. Ab his jam sine dubio docemur, omnes hos numos cusos Temni Aeolidis, scripto Aeolice ΤΑΜΝΙΤΑΝ pro solito serius ΤΗΜΝΙΤΩΝ, suffragante altera adhuc causa, quod uterque hic numus cum pluribus aliis ejusdem Temni sibi vicina Smyrna missus est. Atqui et omnes hi numi, quos modo descripseram, certa offerunt indicia inscripti ΤΑΜΝΙΤΑΝ, sed vitiata, vel exclusa literarum parte. Irrita ergo fuit omnis conjectura de eorum patria a variis viris eruditis tentata. Necdum tamen quae sit epigraphes ΠΛΟΥCΙΑC. ΥΠΑΤ. sententia, divinare potui. Vocabulum ΥΠΑΤ. in

---

z) Num. Graec. p. 5. a) Mel. II. p. 14. b) Num. illustr. p. 24. c) Num. Impp. Tab. XLVII. n. 19. 20. d) Num. vet. p. 190.

nomo Consinerii, quem integrum ipse profitetur, novam objicit difficultatem.

ACINIOC. ΓΑΛΛΟC. non mediocre numo postremo pretium constituit. C. Asinium Gallum IIIvirum monetalem sub Augusto videbimus in numis gentis Asiniae, ubi et ejus stirpem obitosque honores persequemur. Processit consul V. C. 746., ac videtur postea Asiam pro consule rexisse, quod quidem reticent historici, sed numus praesens haud dubie docet; admodum enim verisimile, literas sequentes, verum, ut dixi, exclusas constituere vocabulum ΑΝΘΥΠΑΤΟC.

* * *

Magistratus praetor, ut vidimus in autonomis.

Mentio situs ab Hermo fl., sic: ΤΗΜΝΕΙΤΟΝ. ΕΡΜΟC. *Ipse decumbens more solito*, in numis Otaciliae, (Vaill.) et Philippi jun. (Theupoli.) Hermum Temnitarum agrum adluere, testatur Strabo.

AE. RR.

L E S B V S.

Nobilis famae insula Aeolidi opposita.

Autonomos annoso Goltzii beneficio, et communi eruditorum consensu habet sequentes, jurene, an injuria, mox disceptabimus.

Centaurus, in aliis Satyrus nudus flexo uno genu, mulierem brachiis constrictam tenet. ✕ *Quadratum incusum vetusti modi.* AR. II. III. (Mus. Caes. alibi.)

Similis adversa. ✕ *Quadratum incusum, intra quod galea.* AR. II. (Hunter tab. 33. 3.)

ΩΡΝΙΚΙΩΝ. *(retrograde.) Similis adversa.* ✕ *Quadratum incusum.* AR. II. (Pellerin Suppl. III. p. 107.)

ΛΕΣΒΟΤ. *(retrograde.) Similis adversa.* ✕ *Quadratum incusum.* AR. II. (Goltz. Ins. Tab. XIV.)

Centaurus solus utraque manu extensa, s. globum. ✕ *Quadratum incusum.* AR. II. (Hunter tab. 33. 4.)

Satyrus solus flexo uno genu. ✕ *Quadratum incusum.* AR. III. (Hunter tab. 33. 2.)

Omnes hos numos unius esse ejusdemque urbis, typi et fabrica abunde docent. Neque vero dubitatum est, ex quo nūmus Goltzianus cum addito ΛΕΣΒΟΤ. apparuit, eos omnes, etsi plerosque anepigraphos, Lesbo tribuendos. Addidit Goltzio fidem Pellerinius, testatus, (l. c.) exstare numum similem in museo regis Galliarum, in quo vetustis literis scriptum est ΛΕΣΒΙΟΝ. Bono isthaec animo credideram, cum ad me perferuntur Cl. Consinerii, quem in proxima Temno laudaveram, literae, quibus significavit, hujus argumenti numos frequentes effodi in Macedonia, et reperiri propter oppidum *Drame*, non procul veteribus Philippis. Orto igitur de horum patria numorum dubio consultus a Neumanno nostro Abbas Blondius sitne vere, quod tam confidenter adfirmabat Pellerinius, simili musei regii numo inscriptum ΛΕΣΒΙΟΝ, respondit, hanc, quae praetenditur, epigraphen nequaquam satis apparere. Nihil erat amplius, quod desiderarem. Continuo enim vetus Goltzii institutum patuit, qui cum in numo simili aut nullam reperiret epigraphen, aut vitiatam, inscriptum ΛΕΣΒΟΤ. more suo adfinxit, quo indicio occupatus Pellerinii oculus idem sibi in numo regio videre est visus, cum tamen in hoc forte aliud non sit, quam ΩΡΝΙΚΙΩΝ, aut simile quid. Esse nūmos Macedonicos, confirmat etiam typus galeae in citato Hunteriano, qui obvius est in moneta urbium Macedoniae. Interea hoc eos loco recensere libuit, partim quia, etsi Macedonicos statuamus, tamen de urbe non constat, partim quia vulgo in Lesbi moneta quaeri solent. Inscriptum Pelleriniano ΩΡΝΙΚΙΩΝ, vel ΩΟΡΝΙΚΙΩΝ lucem non suppeditat.

Typus raptum mulieris jam a Centauro, jam Satyro patratum sistit, pictura vero et fabrica remotissimi esse aevi opus testantur.

AR. R.

Imperatorii recensentur sub M. Aurelio et Commodo, inscripti omnes KOI. vel KOINON. ΛЄCBIΩN. typo plerumque templi octo columnarum.

ЄΠΙ. CTP. CЄΠT. APIANOT. KOI. ΛЄCBIΩN. *Bacchus nudus stans ab adstante muliere aram ignitam acceptat, jacet infra vir barbatus inter undas, s. remum tenens.* Commodi. (Liebe p. 281.)

Sunt hi numi plerique maximi moduli.

AE. RR.

ANTISSA.

Autonomi:

Caput juvenile diadematum, in aliis laureatum. ✕ ANTIΣ. *Caput promissa barba in cuspidem abeunte, ceterum peregrino cultu.* AE. III. (Haym, Wise, Liebe, Pellerin.)

Haymii sententia, qui inscripto ANTIΣ. notari *Antisthenem*, et propositum caput hujus esse philosophi censuit, pridem est repudiata, et correcta a Liebeo, qui numum ad hanc Antissam revocavit [a]), quem nunc sequuntur omnes. An caput anticae Sapphus poetriae sit, dubium videatur. Invitavit analogia Liebeum, ut caput posticae Alcaei poetae, Lesbii item, crederet. Verisimilius multo est, quod eleganter Wisius ex Aristide, Philostrato, aliisque conficit, esse caput Orphei, quod a Thraciis mulieribus resectum et in Hebrum abjectum in Lesbum appulit, ubi et oracula fudit, de quo vide Lucianum [b]), et carmen Phanoclis [c]). Quid quod ejus lyram in mare item abjectam ad Antissam emersisse tradit laudatus a Wisio Nicomachus [d]).

AE. RR.

ERESVS.

Autonomi:

Caput juvenile pileo plano tectum. ✕ ΕΡΕΣΙ *Spica.* AE. III. (Pellerin.)

Caput virile diadematum. ✕ ΕΡΕΣΙΩΝ. *Tripus.* AE. III. (Arigoni.)

Numi dubii.

Caput Cereris spicis coronatum. ✕ ⳩. *intra coronam spiceam.* AR. III. (Mus. Caes. Pellerin.)

Sunt hi numuli operis insigniter nitidi ac delicati, solentque huic Ereso tribui, quia Goltzius simillimos complures protulit inscriptos ΕΡΕΣΙ., cujus adeo vocabuli literae ἀρχαικαὶ sunt EP., in quas citatum monogramma potest resolvi. Verum numi similes post Goltzium nemini, quod norim, sunt conspecti. Ceterum negat Sestinus, istud numorum genus in Lesbo reperiri, et revocandos potius Eretriam Euboeae judicat. (Lettere p. 126.)

Qua fiducia Pellerinius aeneum alium inscriptum EIP. typo botri huc potuerit vocare, ignoro.

AR. incerti R. AE. RRR.

---

a) Pag. 162. b) Πρὸς ἀπαίδευτον. c) Brunck Anal. Vol. I. p. 414. d) Mus. Bodl. p. 120.

ISSA.

Numos huic urbi tributos melius Issae Illyrici insulae restituendos, in hac dixi.

METHYMNA.

Inter clariores Lesbi urbes.

Autonomi:

ΜΑΘVΜΝΑΙΟΣ. *Caput Palladis intra quadratum.* Ӿ ΜΑΘVΜΝΑΙΟΣ. *Aper.* AR. II. (Mus. Caes.)

Caput Palladis intra quadratum. Ӿ ΜΕΘVΜΝΑΙΟΝ. *Aper.* AR. II. (Pellerin.)

Sunt hi numi propter remotae vetustatis characteres omnes inter praestantiores hujus urbis habendi. De orthographiae lege advertendum, in numo priore scribi ΜΑθυμνα, in altero ΜΕθυμνα, in sequentibus imperatoriis ΜΗθυμνα. Elementum E in Methymna fuit natura longum, sic Ovidius in Arte: *quot habet Methymna racemos.* Ergo aequivalebat τῳ H. Istud per dialectum Aeolicam huic insulae familiarem in A longum abiit. Serius abolita hac dialecto valuit oratio communis. Inscripti apri causam nondum reperi.

* * *

Caput Apollinis. Ӿ ΜΑΘΥ: *Arion delphino vectus d. extenta plectrum, s. lyram.* AE. II. (Pellerin.)

Elegans numi typus, quemque Methymna jure sibi vindicat; nam Arionem domo fuisse Methymnaeum, testatur Gellius [e]. Decantata est ejus a nautarum insidiis ope delphini servati fabula, quam auctor citatus ibidem late persequitur.

* * *

Caput Palladis. Ӿ ΜΑΘΥ. *Lyra.* AR. III. (Pellerin.)

Caput Palladis. Ӿ ΜΑΘΥ. *vel* ΜΑ. *Diota.* AE. III. IV. (Mus. Caes.)

Caput Bacchi adversum. Ӿ ΜΑΘΥ. *juxta.* ΛΩΝ. *intra coronam hederaceam.* AE. II. (Pellerin.)

Lyra Arionem haud dubie respicit. Bacchus, ejusque attributa intulit vini Methymnaei praestantia veteribus magno pere commendati, et forte hi typi adludunt ad nomen urbis, cujus prior pars μεθυ, *vinum*, significat, unde et Bacchum dictum Μεθυμναιον παρα την μεθην: *propter vinolentiam* ait auctor Etymologici magni [f], Plutarchus [g], et Athenaeus [h].

* * *

Numum a Pellerinio huc vocatum typo mali Punici, et diota addito ΜΑ. esse Meli insulae, in hujus numis probavimus.

AR. RRR. AE. RR.

Imperatorii ab Augusto usque ad Alexandrum, quos inter eximius est:

ΣΕΒΑΣΤΟΣ. ΜΑΘΥ. *Caput Augusti.* Ӿ ΘΕΑ. ΛΙΒΙΑ. *Caput Liviae.* (Pellerin.)

Similem Vaillantius perperam Magydum Pamphyliae abstraxit, cum pro ΜΑΘΥ. legeret ΜΑΓΥ [i].

Epigraphe: ΜΑΘΥ.; serius invaluit ΜΗΘΥΜΝΑΙΩΝ.

Typi potiores: *Pallas, Bacchus, Arion,* ut in autonomis.

---

e) L. XVI. c. 19. f) In Μεθυμναιος. g) Sympos. L. III. probl. 2. h) L. IX. p. m. 363. i) Num. Graec. p. 6.

Magistratus praetor inde a Faustina juniore.
AE. RR.

MYTILENE.

Insula longe clarissima, ab literarum studiis nobilitata, patria Pittaci, Alcaei, et Sapphus.

Autonomi, in quibus

Epigraphe: ΜΥ. ΜΥΤΙ. ΜΥΤΙΛΗΝΑΙΩΝ. quae scribendi ratio in numis, etiam imperatoriis, constans est, cum tamen in libris constanter legatur ΜΙΤΥΛΗΝΗ, ut et in inscriptione Gruteriana MITYLENIS k).

Numi illustriores hujus classis sunt:

Caput Apollinis. ✗ ΜΥΤΙ. *vel* ΜΥ. *Lyra intra quadratum.* AR. I. III. (Mus. Caes. Pellerin.)

Hi numi vix differunt a numis Chalcidis Euboeae.

* * *

Caput Ammonis. ✗ ΜΥΤΙ. *Herma navi insistens capite barbato, ex qua, ut videtur, hederae dependent.* AE. II. III. (Mus. Caes. Pellerin.)

Caput imberbe diadematum et cum cornu arietino. ✗ ΜΥΤΙ. *Herma.* AE. III. (Hunter.)

Numum Ammonis alium mox videbimus. In parte aversa videtur propositus Bacchus, qualis a Mytilenaeis colebatur, junctus cum Ammone, quia hujus quoque filius fuit creditus, ut docebitur in numis Cyrenaicae. Caput numi alterius Bacchi quoque haud dubie est, cui jure competere diadema dixi in moneta Tarenti. Herma navi insistens proprius est urbis hujus typus probantibus istud tribus max. mod. numis sub Veri et Commodi imperio in hac urbe signatis, qui omnes signum incusum habent Hermam, animal capite fere canino, navis item prorae insistentem l). Generatim numi Mytilenes non pauca cultus peregrini argumenta ostentant.

* * *

Caput muliebre peregrino cultu. ✗ ΜΥΤΙ. *Lyra.* AE. III. (Mus. Caes. et aeri incisus in ejus Catal. Tab. III. n. 13.)

Videtur hic numus sistere poetriam Sappho. Sin istud, vere dixit Pollux m): eam Mytilenaeos numis suis insculpsisse. Quanquam certiorem ejus imaginem continuo sumus visuri.

Numi reliqui multi sunt in Apollinis et Dianae cultu praedicando.

Ad imperatorum tempora referendi sunt sequentes:

ΘΕΟϹ. ΑΜΜΩΝ. *Caput Ammonis.* ✗ ЄΠΙ. ϹΤΡ. ΒΑΛ. ΑΡΙϹΤΟΜΑΧΟΥ. ΜΥΤΙΛΗΝΑΙΩΝ. *Mulier capite turrito sedens d. pateram, s. oblongum quiddam.* AE. m. m. (Pellerin.)

Magistratus Aristomachus suadet, numum hunc imperante Gallieno cusum. Quod mulier partis aversae s. tenet, magis patebit ex imperatoriis.

* * *

k) Pag. 474. 8. l) Pellerin Suppl. II. p. 74. m) L. IX. §. 84.

ZЄΥC. ΒΟΥΛΑΙΟC. *Caput Iovis.* ✕ ΘЄΟΙ. ΑΚΡΑΙΟΙ. ΜΥΤΙΛΗΝΑΙΩΝ. *Iuppiter, Neptunus, Pluto stantes.*

Citatur hic numus ex Mediceo ab Holstenio [n]). Iovis Βϐλαιϐ *consiliarii*, Athenis fuisse simulacrum, tradit Pausanias [o]). Βϐλαιος dicitur quoque Augustus in numis Pergami. *Deos Acraeos* eleganter explicat Pollux [p]): Τα δε δημοσια, ἀκροπολις, ἡν και ἀκραν ἀν ἐιποις, και πολιν, και τϐς ἐν ἀυτῃ Θεϐς, ἀκραιϐς και πολιεις. *Publica vero sunt, acropolis, quam et arcem et urbem dicere possis, et deos, qui in ea sunt, arcis et urbis praesides.* Vide de his plura in numis Smyrnae sub ZЄΥC. ΑΚΡΑΙΟC.

* * *

ΙΟΥ. ΠΡΟΚΛΑΝ. ΗΡΩΙΔΑ. *Caput muliebre comptum fere more Faustinae sen.* ✕ ЄΠΙ. CΤΡΑ. ΑΠΟΛΛΩΝ. ΜΥΤΙ. *Sappho sedens lyra canit.* AE. II. (Seguin p. 74. Wilde p. 66.) In alio: *Mulier stans utraque manu quid lapidi praegrandi simile gestat, s. pede globo insistit.* AE. I. (Pellerin Rois p. 207.)

Quae fuerit haec Iulia Procla herois, nondum a viris eruditis, qui hos numos ediderunt, reperiri potuit, quos, si lubet, consule. Spanhemius, cum in epigraphe Thyatirenorum videret memorari ΚΛΩΔΙΟΝ. ΑΤΡ. ΠΡΟΚΛΟΝ. ΗΡΩΑ., ejus hanc esse filiam tenuiter conjicit [q]). Sed et ΙΟΥΛΙΑ. ΠΡΟΚΛΗ. memoratur in marmore Smyrnaeo apud Sponium [r]). De trivialibus his heroibus et heroidibus dicemus olim plura in tractatu singulari Vol. IV.

* * *

ΝΑΥCΙΚΑΑΝ. ΗΡΩΙΔΑ. *Caput Nausicaae velut reticulo tectum.* ✕ ЄΠΙ. CΤΡΑ. ΙЄΡΟΚΛ. ΜΥΤΙΛ. *Sappho sedens lyra canit.* (Spon Misc. p. 130. Pellerin Rois p. 208.)

Fuit Nausicae nota ex Homero Alcinoi filia, sed quae causa Mytilenaeis fuerit, ut eam in numis suis proponerent, non satis video. Quare credam potius, fuisse eam urbis hujus illustriorem quandam civem, qualis fuerit etiam Procla. Neque enim Graeci difficiles fuere in conferendo etiam feminis, etiam cum in vivis adhuc essent, hoc titulo. Sic in marmore Stratoniceae Cariae apud Chandlerum legas: ἡ βϐλη και ὁ δημος ἐτειμησαν ΤΑΤΙΑΝ - - - ΝЄΑΝ. ΗΡΩΙΔΑ [s]).

* * *

ΦΙΤΤΑΚΟC. *Caput Pitaci.* ✕ ΑΛΚΑΙΟC. ΜΥΤΙΛ. *Caput Alcaei.*

Numum hunc citat Holstenius ad Stephanum ex Gottifredo, et ex eodem Harduinus, sed qui legit ΠΙΤΤΑΚΟC. Vnicum ergo Gottifredum hujus numi vadem habemus. Vterque vir illustris, et Pittacus philosophus, et Alcaeus poeta Mytilenaei fuerunt teste Strabone, aliisque.

* * *

ΘЄΟC. ΘЄΟΦΑΝΗC. ΜΥΤ. *Caput*

---

n) Not. in Steph. sub Μιτυληνη. o) L. I. c. 3. p) L. IX. §. 40. q) De Vest. et pryt. sub fin. r) Misc. p. 351. s) Inscr. ant. p. 31.

nudum. ✕ ΑΡΧΕΔΑΜ - - *Caput muliebre velatum.* AE. II.

Numum edidit auctor musei Theupoli, sed perperam esse caput I. Caesaris edixit. Melius et erudite sane numum hunc collato simili alio musei sui explicavit Neumannus noster [t]). Nimirum propositus in hoc numo *deus Theophanes* idem ille est Theophanes Mytilenaeus, quem Strabo scriptorem rei politicae peritum, et aetatis suae omnium Graecorum facile illustrissimum appellat. Fuit aequalis Pompeji M., atque inter intimos ejus amicos. Quam praeclare vero patriae consuluerit, vide testimonia alia apud Cl. Neumannum, inter quae ad praesentis numi explicatum praestantissimum est, quod suppeditat Tacitus, M. Pompeii sub Tiberio exitum perhibens [u]): *Datum erat crimini, quod Theophanem Mytilenaeum proavum Cn. Magnus inter intimos habuisset, quodque defuncto Theophani COELESTES HONORES Graeca adulatio tribuerat.*

* * *

ΠΡΩΤΗ. ΛΕCΒΟΥ. ΜΥΤΙΛΗΝΗ. *Caput muliebre turritum.* ✕ ΟΜΟΝΟΙΑ. ΜΥΤΙΛΗΝΑΙΩΝ. *Mulier adversa capite tutulato sedens d. pateram, s. quid oblongum, ei a dextris adstat Aesculapius, a sinistris Diana Ephesia, sequitur a dexteris Nemesis, a sinistris Nemesis alia.* AE. I. (Seguin Sel. num. p. 24.)

Facile ex partis aversae typis eruimus, notari concordiam Mytilenaeorum cum Pergamenis, Ephesiis, Smyrnaeis, etsi horum nomina absint.

AR. RR. AE. R.

Imperatorii satis frequentes. Spectatis Augustorum capitibus illustriores sunt:

ΤΙ. ΘΕΟC. CΕΒΑCΤΟC. *Caput Tiberii nudum juxta* ΜΥΤΙ. ✕ ΙΟΥ. ΘΕΑC. CΕΒΑCΤΗC. *Caput Juliae, juxta* ΜΥΤΙ. (Morelli Spec. tab. 20.)

ΘΕΟΝ. ΓΕΡΜΑΝ - - - - ΜΥΤΙ. *Caput Germanici nudum.* ✕ ΘΕΑΝ. ΑΙΟΛΙΝ. ΑΓΡΙΠΠΙΝΑΝ. ΜΥΤΙ. *Caput Agrippinae senioris.* AE. I. (Pellerin Rec. III. p. 229.)

Praeclari hujus numi explicationem dabimus in moneta hujus Agrippinae commatis Romani.

ΜΑΤΤ. CΕΒ. ΠΛΩΤΤ. CΕΒ. (sic) *Capita adversa Matidiae et Plotinae.* ✕ ΑΡΤΕΜΙC. ΠΕΡΓΑΙΑ. ΜΥΤΙ. *Diana venatrix comite cane.* AE. I. (Pellerin l. c.)

ΜΑΤΙΔΙΑ. ΜΥΤΙ. *Caput Matidiae.* ✕ ΠΑΝΚΡΑΤΙΔΗC. *Aesculapius stans.* AE. II. (Piovene Mus. Farn. T. X.)

ΤΙΤΙΑΝΗ. CΕΒΑCΤΗ. *Caput Titianae.* ✕ ΜΥΤΙΛΗΝΑΙΩΝ. *Maritus Pertinax eques.* AE. I. (Haym. Mus. Caes.)

* * *

Typi illustriores:

Ex his cumprimis memorandus, qui huic urbi velut proprius habendus: *Mulier capite turrito d. pateram, s. infantem fasciis involutum tenens.* Infantem hoc cultu distincte in suis viderunt Pellerinius [x]), et Theupoli [y]), tametsi in

t) Num. pop. P. II. p. 32. u) Ann. L. VI. 18. x) Suppl. II. p. 72. y) Pag. 1080.

aliis ea figura sit dubia, ut vidimus in descriptis supra binis autonomis.

ΑΡΓΕΜΙC. ΠΕΡΓΑΙΑ. in numo Matidiae citato.

* * *

Magistratus nomen in primorum impp. numis sine dignitatis mentione positum, ex sequentibus *praetor* intelligitur. Istud singulare, quod in numo Domnae promulgante Vaillantio bini in eodem numo praedicantur praetores: ЄΠΙ. CTP. ΠΟ. ΠΟCΙΔ. ΒΑΛ. ΑΡΙCΤΟΜΑΧΟΥ., in alio ejusdem Domnae musei Pisani perhibetur scriptum: ЄΠΙ. CTP. ΑΥΡ. ΔΟΡΙΑ. ΒΑΛ. ΑΡΙCΤΟΜΑΧΟΥ. Atqui *Bal. Aristomachus* frequenter etiam occurrit in numis Gallieni.

Primam Lesbi, ΠΡΩΤΗ. ΛЄCΒΟΥ se profitetur Mytilene in citato supra autonomo.

Vlpiam, *Severianam* se dicit in numo Mediceo:

ΟΥΛΠΙΑC. CΕΟΥ. ΜΥΤΙΛΗΝΗC. *Caput muliebre turritum.* Ӿ ЄΠΙ. CTP. ΒΑΛ. ΑΡΙCΤΟΜΑΧΟΥ. ΠΕΡΓ. ΟΜΟΝΟΙΑ. *Fortuna cum Victoriola quadrigis vecta.* (Holsten. ad Steph. sub Μυτιλήνη.)

Concordia cum *Adramytenis* in numo Veri, (Pellerin Suppl. II. p. 72.) *Pergamenis* frequenter aetate Valeriani, *Ephesiis*, *Pergamenis*, *Smyrnaeis* in illustri autonomo, quem descripsimus.

AE. R.

I O N I A.

Graeciae populi, ac Athenienses maxime, antiquissimis temporibus coloniis et conditis urbibus Ioniam frequentarunt. Hae communi quodam vinculo et societate inter se cohaesere, quo factum, ut et conventus et festa communiter constituerent, quae *Panionia* vocabantur. Diodorus Siculus ad annum V. C. 381, eam societatem ex IX. urbibus constitisse scribit [a]), quas tamen non nominat. Duodecim enumerat Aelianus [b]): Miletum, Ephesum, Erythras, Clazomenas, Prienen, Lebedum, Teon, Colophonem, Myuntem, Phocaeam, adjectis binis insulis Samo et Chio. Easdem persequitur Herodotus [c]), et Strabo [d]), qui et addit, postea temporis adsumtam in eum conventum Smyrnam, cujus incolae antea una cum Ephesiis habitavere, sic ut Ephesus etiam Smyrnae nomen gesserit. Habemus ergo foederis Ionici urbes XIII. Porro conventus hi acti fuere ad Mycalen prope Prienen, qui fuit locus Neptuno Heliconio sacer, dictusque *Panionium*, et festa *Panionia* [e]). Sacrificabatur tum in Neptuni honorem bos, qui si remugiit, boni ominis loco habebatur [f]). Tamen etiam alibi hi sunt conventus celebrati, ut innuit Diodorus [g]), et sub imperatoribus actos variis in urbibus, mox videbimus. En numos hujus Panionii testes:

ΚΟΙΝΟΝ. ΙΓ. ΠΟΛΕΩΝ. ΠΡΟΔΙ. ΟΝ. ΚΛ. ΦΡΟΝΤΩΝΟϹ. ΑϹΙΑΡΧΟΥ. ΚΑΙ. ΑΡΧΙΕΡΕΩϹ. ΙΓ. ΠΟΛΕΩΝ. *Pluto Proserpinam rapiens*, in alio: *Hercules sedens adblanditur adstanti mulieri*, in alio: *Ceres in serpentum bigis*, in numis Ant. Pii. AE. m. m. (Vaill. Num. Gr. p. 47. de Camps.)

Eadem epigraphe. Juno Pronuba in templo 6 columnarum, in alio: *Fortuna stans*, in numis M. Aurelii adhuc Caesaris. AE. m. m. (Vaill. Num. Graec. p. 59.)

Vaillantius vocabula ΠΡΟΔΙ. ΟΝ. explicat: ΠΡΟΔΙκȢ ΟΝτος, *curatore existente*. Verum obturbat rarissimum per Helladem vocabulum πρόδικος, *patronus*, *curator*, quod judiciis exercendis aptius, quam festis munus nescio quid sibi ad communes Ioniae conventus velit. Illud etiam mirum, eundem Frontonem simul patronum nescio quem, simul Asiarcham, et summum sacerdotem dici. Accedit, quod horum numorum epigraphe ab omnibus, qui illorum meminere, aliter proditur. Sic Spanhemius legit:

a) L. XV. c. 49. b) V. H. L. VIII. c. 5. c) L. I. c. 142. seq. d) L. XIV. p. m. 339. e) Herodot. L. I. c. 148. f) Strabo L. VIII. Eustath. ad Il. Υ. Diodor. Sic. l. c. g) L. XV. c. 49.

ΦΡΟΝΤΩΝΟϹ. ΑϹΙΑΡΧΟΥ. ΚΑΙ. ΑΡΧΙΕΡΕΩϹ. ΚΟΙΝΟΝ. ΓΙ. ΠΟΛΕΩΝ [h]). Harduinus: ΚΟΙΝΟΝ. ΓΙ. ΠΟΛΕΩΝ. Π. ΡΟΔΙΩΝ. ΚΑΙ. ΦΡΟΝΤΩΝΟϹ. ΑϹΙΑΡΧΟΥ. ΚΑΙ. ΑΡΧΙΕ. ΓΙ. ΠΟΛΕΩΝ [i]), qui cum in Rhodo hos signatos esse numos putat, in alia omnia, atque ab Ionia prorsus abit. Similis exstat in museo Caesareo, editus in Cimelio Vindob. Part. II. p. VII. his verbis: ΗΓ. ΚΛ. ΦΡΟΝΤΟΝΟϹ. ΑϹΙΑΡΧȢ. ΚΑΙ. ΑΡΧΙΕ. *(ut apparet)* Δ. ΠΟΛΕΩΝ. ΚΟΙΝΟΝ. ΓΙ. ΠΟΛΕΩΝ., in quo jam illud offendit, in Ionia statui ΗΓεμονα. Numus idem a me adcurato examini subditus hanc tantum certam epigraphen offert: ΚΛ. ΦΡΟΝΤΩΝΟϹ. - - - - ΚΑΙ. Α - - ΙΕ - - ΠΟΛΕΩΝ, ΚΟΙΝΟΝ. ΓΙ. ΠΟΛΕΩΝ. Ex quo satis apparet, numos hujus argumenti omnes hactenus editos epigraphen vitiatam offere, neque adeo certi quid statui posse, et vacillare admodum, quae de magistratu prodico, Rhodiis, terrae motu urbium Asiae, a variis copiose disputata sunt, quam litem vide apud Cl. Vandale [k]). Id unum tuto eruimus, pertinere eos ad XIII. urbium Ioniae conventum, ut ex sequentibus magis patebit.

* * *

ΕΠΙ. ϹΤΡ. ΚΛ. ΚΑΛΛΙϹΤΟΥ. ΙΕΡΕΩϹ. ΙΩΝΩΝ. ΚΟΛΟΦΩΝΙΩ. *per medium numi:* ΤΟ. ΚΟΙΝΟΝ. ΙΩΝΩΝ. *Templum quatuor columnarum, in quo protome Apollinis lyram tenentis, foris taurus stans ante aram, circumstant in semircirculum* XIII. *figurae togatae manum ad concipienda vota attollientes*, in numis Treboniani. AE. m. m. (Mus. Caes. Vaill.)

Ergo quod in prioribus numis epigraphe ΓΙ. ΠΟΛΕΩΝ., hoc in praesente figurae XIII., nempe totidem urbium legati, praestant. Docet item, hos conventus non solum ad Mycalen, sed etiam Colophone ad celebre, ut in hujus urbis numis videbimus, Apollinis templum fuisse actos, denique victimam fuisse taurum, ut supra vidimus. Strabo agens de templo Apollinis Delphinii, quod stetit Massiliae Galliae Ionum coloniae, addit: τȣτο μεν κοινον Ιωνων ἁπαντων, *hoc quidem Ionum omnium commune est* [l]).

* * *

ΜΙΛΗϹΙΩΝ. ΠΑΝΙΩΝΙΑ. ΠΥΘΙΑ. *Vrna mensae imposita*, Saloninae. (Vaill.)

ΕΦΕϹΙΩΝ. ΚΟΙΝΟΝ. ΠΑΝΙΩΝΙΟΝ. *Templum*, Otaciliae. (Vaill.)

ΚΟΙΝΟΝ. ΠΑΝΙΩΝΙΩΝ. (legendum reor: ΠΑΝΙΩΝΙΟΝ). *Templum Iovis (ut editor ait) Philalethae.* Herennii. (Vaill.)

* * *

ΖΕΥϹ. ΑΚΡΑΙΟϹ. *Caput Iovis.* Ꭓ ΜΥΡ. ΠΑΝΙΩΝΙΟϹ. *Apollo stans d. ramum, s. arcum et sagittam.* AE. II. (Mus. Caes. Pellerin Rec. II. p. 92.)

ΠΑΝΙΩΝΙΟϹ, subaudi Απολλων. In eximio marmore operis prominentis, quod pictum exstat in opere: *the Antiquities of Athens* p. 25. stat Apollo nudus d. pe-

h) Tom. I. p. 643. i) Num. ill. sub Ροδος. k) Dissert. III. c. 3. p. m. 281.
l) L. IV. p. m. 270.

ctinem, s. lyram columellae impositam tenens, juxta scriptum: ΑΓΑΘΗΙ. ΤΥΧΗΙ. ΑΠΟΛΛΩΝΟΣ. ΑΓΥΙΕΩΣ. ΠΡΟΣΤΑΤΕΡΙ - - ΠΑΤΡΩΟΝ. ΠΥΘΙΟΥ. ΚΛΑΡΙΟΥ. ΠΑΝΙΟΝΙΟΥ. Cum ex hoc numo, tum ex Philostrato m) constat, conventus Panionios etiam Smyrnae celebratos.

* * *

Alium totius Ioniae nomine editum non reperio. Quem Arigonius offert autonomum inscriptum ΙΟΝΙΩΝ, et quem alium Harduinus cum capite Mamaeae ex Occone cum epigraphe ΙΩΝΩΝ recitat, vix memorari merentur. Castigandus etiam Haymius, qui in numo Annii Veri legit ΙΟΝΩΝ, eumque Ionibus tribuit n). Orthographiae lex ΙΩΝΩΝ postulat, et ex simili adcuratius edito in museo Christinae o) vera epigraphe ΡΟΔΙΩΝ. capienda.

APOLLONIA.

Ex scriptoribus unicum habemus Stephanum, qui Apolloniam inter Ioniae urbes refert: Δεκατη, κατα Θυατειρα και Εφεσον.

Autonomus nullus certus exstat, nisi forte ex his, quos infra in Apollonia Cariae recensebo, quispiam huc pertineat. Videtur tamen hujus esse Apolloniae numus:

ΙΕΡΑ. CΥΝΚΛΗΤΟC. *Caput Senatus.* ✠ ΑΠΟΛΛΩΝΙΕΩΝ. *Caput muliebre incertum.* AE. (Arigoni.)

Similiter enim inscribitur numus certus imperatorius, qui sequitur.

* * *

Imperatorios Vaillantius cum capite Augusti, Tiberii, Caligulae, Commodi huc revocat nulla nixus certa ratione, quin ex terminatione in ΤΑΝ satis apparet, sic inscriptos Doricae in Illyrico Apolloniae esse. Certus igitur, qui huc pertineat, unicus est sequens:

ЄΠ. CΤΡ. ΑΥΡ. ΤЄΡΤΥΛΛΟΥ. ΑΠΟΛΛΩΝΙЄΩΝ. ЄΝ. ΙΩΝΙΑ. *Hygia et Aesculapius*, Alexandri Sev. (Vaill.)

* * *

Auctor musei Theupoli huc refert numum Augusti inscriptum ΑΠΟΛΛΩΝΙΑΤΩΝ. ΚΑΛΙΠΟΣ. ΑΡΤΕΜΙ - - - cur istud, ignoro.
AE. RRRR.

CLARVS.

Prope Colophonem, cultu Apollinis qui inde *Clarius* dictus est, insignis, de quo in numis Colophonis redibit mentio. Vetustioribus scriptoribus sacer tantum lucus et mons dicitur, sequioribus etiam oppidum, de quo vide Cellarium.

Faustinae jun. numum promulgavit Vaillantius: ΚΛΑΡΗΝΩΝ typo *Apollinis stantis.* Liceat hanc epigraphen vocare in dubium, nam a Κλαρος flexum fuisse Κλαριος et Κλαρια, videbimus in Colophone. Sic et dubitem de numo Trajani in quo Harduinus so-

m) Vit. Apoll. L. IV. c. 5. et 6. n) T. II. p. m. 283. o) Tab. LIX. n. 16.

lus legit: ΚΛΑΡΙΩΝ. ΚΟΛΟΦΩΝΙΩΝ p).

CLAZOMENE.

In peninsula.

Autonomi magno numero exstant, quos dabit Pellerinius, Hunterus, museum Caesareum. Illustriores sunt:

Aper alatus. ✠ *Caput leonis.* AV. III. (Hunter tab. 66. n. V.)

Caput leonis adversum intra quadratum. ✠ *Sine epigraphe. Aper alatus.* AR. III. (Mus. Caes., ex quo numum hunc pictum stiti in ejus Catalogo Tab. III. n. 14.)

ΑΠΟΛΛΩΝΙΟΣ. *Aper alatus.* ✠ ΚΛΑΖΟΜΕΝΙΩΝ. *intra quadratum quadripartitum.* AE. II. in alio ΚΛΑ. AE. III. (Pellerin.)

Numis prioribus anepigraphis, et operis pervetusti, tertius locum natalem facile adsignat. Aprum alatum, et sui generis Pegasum a Graecis excogitatum, nequaquam mirum, quando ineptum Trimalchionis ingenium leporem etiam Pegasum reperit q). Sed habet etiam insolens hic typus idoneum ex veteribus interpretem. Refert Aelianus r): ἐν Κλαζομενιοις συν γενεσθαι πτηνον, ἥπερ ἐν ἐλυμαινετο την χοραν τοις Κλαζομενιοις, *apud Clazomenios suem alatam exortam, quae Clazomeniorum agrum vastabat.* Addit, locum ibi decantatum esse, qui nomen traxit ἀπο της ὑος πτερωτης, *a sue alata.* Est adeo hic typus unis Clazomeniis proprius. Quare jure huc revocavi argenteum Alexandri M., quod simile animal in ejus area comparet. Vide numos ejus regis. Inter incertos musei Hunteriani tab. 66. num. XVIII. est numus cum typo similis apri, sed inscriptus ΑΛΤΣΙΟΝ. Cum urbem hujus nominis non noverim, erit forte nomen magistratus, et numus hujus urbis. Opus hoc est aevi satis remoti.

* * *

Caput Palladis vel adversum, vel in alterutram partem conversum. ✠ ΚΛΑΖΟΜΕΝΙΩΝ. *Aries gradiens, vel procumbens, vel dimidius.* AE. II. III. (Pellerin.)

Typus hic in Clazomeniorum moneta maxime obvius, sed ignoro ejus sic adamati causam.

* * *

Caput muliebre adversum laureatum. ✠ ΛΕΥΚΑΙΟΣ. *addito monogrammate* ΠΑΡ. *infra:* ΚΛΑ. *Cycnus.* AV. II. (Pellerin.)

Caput muliebre adversum. ✠ ΚΛΑΞ. vel: ΚΛΞΑΟ. *Cycnus explicatis alis, superne:* ΕΛΙΚΩΝΙΟΣ. *vel:* ΠΑΡΜΙΣ. *vel* ΧΙΟΣ. AR. III. (Hunter, Pellerin.)

Elegantibus his numis etiam a metallo pretium accedit. Cycni quoque causa mihi ignota.

* * *

ΘΕΑ. ΚΛΑΖΟΜΕΝΗ. *Caput muliebre turritum.* ✠ ΚΛΑΖΟΜΕΝΙΩΝ. *Figura stolata stans sinistram extendit versus animal adstitutum.* AE. III. (Mus. Caes.)

Dea Clazomene memoratur etiam in numo Valeriani. Haud dubie Amazon credita fuerit, et simul urbis auctor, proinde divinos honores nacta. Certe Myrhina, Cyme, Temnus, Smyrna Amazones eodem modo in numis proponuntur.

---

p) Num. ill. in Κλαρος. q) Petron. Satyr. cap. 36. r) Nat. anim. L. XII. c. 38.

* * *

ΙϾΡΑ. CΥΝΚΛΗΤΟϹ. *Caput juvenile*, ✕ ЄΠ. CΤ. ΖΩ. CΙΜΟΥ. Τ. Є. ΚΛΑΖΟΜЄΝΙΩΝ. *Fortuna stans.* AE. II. (Mus. Caes. et ex hoc editus in mea Sylloge I. p. 37.)

Observandae literae Τ. Є. quas explico: ΤΟ. Є. id est: *quintum*, quo auctiorem iteratae praeturae numerum non habemus.

AV. RRRR. AR. RRR. AE. R.

Imperatorii sunt ab Augusto usque ad Gallienum.

ΚΛΑΖΟ. ΚΤΙΣΤΗΣ. *Caput Augusti.* ✕ ΘΕΑ. ΛΙΒΙΑ. *Caput Liviae.* (Pellerin. Rec. III. p. 232.) In alio apud Morellium: (Specim. p. 201.) ΣΕΒΑΣΤΟΣ. ΚΤΙΣΤΗΣ. *Caput laureatum.*

Docent hi numi, Augustum a Clazomeniis *conditoris* honores abstulisse.

Magistratus praetor, docente istud numo Domnae, (Vaill.) et autonomo citato. *Praesidem* vidit Harduinus in numo Claudii: ΕΠΙ. ΗΓΕΜΟΝΟΣ. ΑΣΚΛΗΠΙΑΔΟΥ. Hujus generis magistratum videre extra Thraciam, mirum sane, sed neque Vaillantius, aut alter insoliti hujus numi meminit. Similis, sed vitiatis literis, est apud Morellium in numis Claudii Tab. IX. n. 10.

ΕΙΡΗΝΗ. ΚΛΑΖΟΜΕΝΙΩΝ. *Pax stans d. spicas, s. caduceum*, Vespasiani. (Sestini Lettere V. IV. p. 113.)

Concordia cum Smyrna: ЄΠ. ΔΙΟΝΥCΙΟΥ. CΜΥΡ. ΚΛΑΖΟΜЄΝΙΩΝ. *Cybele sedens*, Valeriani. (Gusseme in Clazomenis.)

AR. RR.

COLOPHON.

Vrbs clara et pervetusta.

Autonomi illustriores:

Caput muliebre. ✕ ΚΟΛΦΩΝΙΟΝ. (βυςϱοφηδον) *Lyra.* AR. III. (Mus. Caes.) *Alius similis*, *sed* ΚΟΛΟΦΩΝΙΟΝ, *et scriptura recta.* (Pellerin.)

Singulare est in numo priore, qui antiquissimi est operis, expunctum Ο secundum. In utroque numo possessivum est pro gentili, ut ΘΕΣΠΙΚΟΝ. ΦΕΝΙΚΟΝ. etc. nam vocabulum pro ΩΝ in ΟΝ exit, etsi in eodem jam praesto sit Ω. Numus praecedens editus jam fuit in Cimelio Vindobonensi, sed Froelichius ibi *Cupham* Babyloniae suspicatus est, cum legeret ΚΟΥΦΩΝΙΟΝ. Lyra ad Apollinis cultum refertur, qui in vicina Claro, unde et *Clarius* dictus fuit, famigeratum templum habuit. Quare plerique hujus urbis autonomi aliquid habent, quod ad Apollinem refertur, sed cumprimis lyra Colophoniis placuit, testante etiam Himerio sophista Oratione XXI. §. 8. Κολοφων μεν γαϱ ἐχει την λυϱαν, *Colophon habet lyram.*

* * *

ΑΠΟΛΛΑΣ. *in aliis* ΠΥΘΙΟΣ. *Vir togatus sedens prae se volumen tenet.* ✕ ΚΟΛΟΦΩΝΙΩΝ. *Apollo stolatus gradiens d. plectrum, s. lyram.* AE. III. (Mus. Caes. Pellerin, Pembrock P. I. tab. 15. et P. II. tab. 80.)

Vir sedens partis anticae certus est Homerus, quem Colophonios apud se natum praedicasse constat, quod magis infra patebit collatis Smyrnaeorum et Chiorum numis. Scriptum juxta vocabulum, quia variat, certum est magi-

stratus domestici nomen. Perperam igitur auctor musei Pembrockiani, et Gronovius, qui similem ex Vrsino edidit [s]), propter scriptum juxta ΠΥΘΕΟΣ, vel ΠΥΘΙΟΣ exhiberi hoc typo Pytheum poetam quemdam Colophonium crediderunt.

AR. RRR. AE. RR.

Tetradrachmum *Alexandri M.* in hac urbe signatum, in cujus area est ΚΟΛΟ. et lyra, vide in numis hujus regis.

Imperatorii sunt a Domitiano usque ad Gallienum.

ΑΡΤΕΜΙϹ. ΚΟΛΟΦΩΝΙΑ. *Diana πολυμαςος cum adminiculis et cervis*, Domitiani. (Vaill.)

ΑΡΤΕΜΙϹ. ΚΛΑΡΙΑ. *Typus idem.* Domitiani et Trajani. (Vaill. Morelli in num. Domit.)

Habiti hi honores Dianae, quia Apollinis soror.

Apollo stolatus vel stans, vel sedens, Caracallae, Gordiani, Decii. (Vaill.)

Variorum etiam animalium comparent typi apud Vaillantium, *tigridis* in Aurelio, *ursi* in Commodo, *canis* in Geta, quem Harduinus signatum putat propterea, quod veteres Colophonii teste Plinio canes in aciem eduxere.

Magistratus: Praetor, legitur inde a Caracalla.

Sacerdos: ΙΕΡΕΥϹ. ΙΩΝΩΝ. dicitur Claudius Callistus, qui idem praetor fuit, in numo eximio Treboniani Panionium referente, de quo egimus supra in prolegomenis ad numos Ioniae.

Concordia cum Pergamenis, in quo numo Aesculapius Pergamenorum, et Apollo Clarius stolatus Colophoniorum stantes exhibentur. Est Caracallae. (Vaill.) *AE. RR.*

EPHESVS.

Vrbs inter Asiae praecipuas.

Autonomi neque admodum aut frequentes, aut varii. Illustriores sunt:

Caput Dianae cum arcu et pharetra. ✠ ΕΦΕΣΙΩΝ. *Diana Ephesia stans cum adminiculis, in area cervus, et apis.* AV. II. (Pellerin Suppl. III. p. 41.)

ΕΦΕΣΙΟΝ. *Apis.* ✠ *Quadratum cavum quadripartitum.* AR. III. (Pellerin.)

ΕΦ. *Apis.* ✠ ΧΑΙΡΙΤΗΣ. *Cervus dimidius respiciens, et palma.* AR. I. (Mus. Caes.)

Numus ex his primus cum causa metalli, nam aureus praeterea alius compertus non est, tum elegantia operis, denique quod omnes in Ephesia moneta obvios typos, Dianam, apim, cervum complectitur, insignis putandus. Sistit antica caput Dianae eo cultu, quo ea a Graecis passim proponi est solita, at aversa eam, quae propria fuit Ephesiorum, de qua insignis est locus D. Hieronymi [t]): *scribebat* (Paulus) *ad Ephesios Dianam colentes, non hanc venatricem, quae arcum tenet et succincta est, sed illam multimammiam, quam Graeci πολυμαςον vocant, ut scilicet ex ipsa quoque effigie mentirentur omnium eam bestiarum et viventium esse nutricem.* De Dianae apud Ephesum cultu ac insigni religione jam ab aliis copiose tractata,

---

[s]) Thes. ant. Graec. Vol. III. [t]) In prooem. in Epist. Pauli ad Ephes.

nihil est, quod memorem. Ejus ibi templum, cujus perfectio saecula occupavit, in orbis prodigiis est habitum. Ceterum ut olim miraculi instar fuit, potuisse tam enormis ponderis lapides aut comportari, aut deinde attolli, ita sequiore aevo alterius miraculi loco habitum, potuisse tantas moles sic loco moveri ac disperdi, ut hodie nulla amplius exstent tanti operis aut rudera, aut reliquiae, quae omnia late descripta vide apud Chandlerum autoptam [u].

Apis, alter Ephesiorum typus. Lectus creditur, quod, cum Athenienses in hanc oram colonos deducerent, Musae sub apum specie classis cursum regerent, ut narrat Philostratus [x], et Himerius sophista Oratione X. Fuisse Ephesum Atheniensium coloniam, memorant etiam Plato [y], et Velleius [z].

Cervus unus, vel duo, integri vel dimidii, tertius Ephesiorum typus, quia Dianae suae comes. Hujus typi meminit quoque Libanius [a]: Εφεσιοις δε και το νομισμα την ἐλαφον ἐφερεν. *Ephesiorum etiam numus cervam habuit.*

Palmae in populi hujus moneta frequentis certam rationem nondum reperi.

* * *

Caput Dianae cum arcu et pharetra. ✕ ΕΦ. ΔΗΜΗΤΡΙΟϹ. ΚΩΚΟϹ. ΣΩΠΑΤΡΟΣ. *Fax ardens inter duos cervos stans.* AE. II. (Pellerin. Hunter.)

Fax ad Dianam, quatenus Hecate est, pertinet, cujus sacra lampadum gestatione peragebantur, ut dicetur ad numos Stratoniceae Cariae.

* * *

ΕΦ. *Apis*, *infra* ΠΕ. ✕ - - ΣΤΝ. *Hercules puer angues elidens.* AR. I. (Hunter.)

Numus hic ob typi in aversa insolentiam dissimulandus non fuit.

* * *

ΕΦΕϹΙΩΝ. ΕΠΙ. ΚΕΡΡΕΑ. *Protome Palladis.* ✕ ΚΑΤϹΤΡΟϹ. *Fluvius humi decumbens.* AE. II. (Pellerin.)

De Caystro Ephesum adluente vide imperatorios.

* * *

Cistophoros Ephesi signatos recensemus in peculiari de his dissertatione, numulos vero aeneos, inscriptos ΕΦ. ϹΚΩΠΙ., quia verae monetae rationem palam inficiantur, in commentatione de *Pseudomoneta*, ad quam jure pertinent.

* * *

Numus inscriptus MA., typo capitis Dianae, et cervi, quem Pellerinius Ephesium putavit, verisimilius reddendus est Massiliae Galliae, in cujus numis iidem typi comparent.

AV. RRRR. AR. et AE. R.

Imperatorii ad Gallienum usque perfrequentes, quin et unica haec est urbs, quae IIIviros omnes in eadem moneta proposuit in numo sequente:

---

u) Iter Asiat. cap. 39. x) In imag. Melet. y) In Ione sub. fin. z) L. I. c. 4.
a) Tom. II. orat. 32 p. 666.

Capita jugata et nuda IIIvirorum. X *Epigraphe dubia, ut dicetur. Dianae Ephesia.* AE. III.

Vaillantius, tum et Morellius (Impp. T. I. p. 426.) legunt: ΕΦ. ΑΡΧΙΕΡΕΥΣ. ΓΡΑΜ. ΓΛΑΥΚΩΝ. ΕΥΘΥΚΡΑΤΗΣ. At Haymius postremum vocabulum legit: ΛΕΚΗΠΑΔΗΣ. (T. II. p. m. 212.) Vnde sequitur, aut numos reipsa varie inscriptos, aut non omnes rite conservatos, ut revera exigui sunt numuli, et characteres. Similis est in museo Caesareo, sed et hic male ab aevi injuriis vexatus.

ΣΕΒΑΣΤΟΣ. ΚΤΙΣΤΗΣ. Caput Augusti, quem *conditorem* suum per adulationem utique appellant Ephesii. Frequenter Augusti et Liviae capita jugata in numis hujus urbis III. formae reperiuntur.

Μ. ΑΓΡΙΠΠΑ. ΙΟΥΛΙΑ. *Capita M. Agrippae, et Juliae uxoris.* (Sestini Lett. T. IV. p. 112.) sed qui numus nimio videtur suspectus. Vide quae dicam sub *primatu.*

ΟΛΥΜΠΙΟϹ dicitur Hadrianus, (Mus. Pisani.) et Commodus. (Harduin.)

* * *

Argenteos inscriptos ΔΡΑΧΜΗ. ΕΦΕ. cum capite Neronis dederunt Vaillantius et museum Pembrockianum, sed legendum in his verisimilius ΕΥ. Ε., dicemus in numis Neronis commatis peregrini. De drachmis Latine inscriptis Vespasiani et filiorum, in quorum area legitur EPHE, agemus in moneta Vespasiani.

Numina:

ΑΡΤΕΜΙϹ. ΕΦΕϹΙΩΝ. vel ΕΦΕϹΙΑ. frequenter in numis imperatorum, quamvis certum non sit, numos omnes sic inscriptos Ephesi signatos, nam Dianae Ephesiae cultus late patuit. Sane copiosos aliarum urbium numos habemus, qui typum habent Dianam Ephesiam. Fecit hoc ejus deae celebritas, qua de causa Mytilenaei quoque Dianam Pergaeam, Pergameni et Sardiani Venerem Paphiam numis intulerunt. De Diana Ephesia haec Pausanias [b]): urbes prope cunctas Dianam nominare Ephesiam, eamque privatim a viris maximo in honore haberi. In causa esse Amazonum celebritatem, a quibus ajunt ejus signum fuisse dedicatum, tum et ejus templi antiquitatem. Tria praeterea alia ejus famam auxisse, magnitudinem templi, quod omnium hominum opera alia superat, Ephesiorum urbis florentem statum, et praesens in ea Dianae numen.

ΖΕΥϹ. ΕΦΕϹΙΟϹ. ΠΡΩΤΟϹ. ΑϹΙΑϹ. *Juppiter stans d. Dianae sigillum*, Severi. (Vaill.)

Ephesii, qui se, ut videbimus πρωτης Ασιας dixere, nunc etiam Iovem suum, tanquam inter omnes alios aliis in urbibus cultos primatum teneret, *primum Asiae* compellant, quanquam Harduinus legat, ΠΡΩΤΟϹ. ΑΓΩΝ., sed typus ludorum solennia non indicat.

ΠΕΙΩΝ. *(in alio* ΠΕΙΩ.) ΕΦΕϹΙΩΝ. *Iuppiter rupi insidens et d. cornucopiae inversum tenens, ex quo imber in subjectam fi-*

b) L. IV. c. 31.

guram humi jacentem defluit, *s. fulmen tenet*, *in area templum*, *et cupressus*, Ant. Pii. AE. m. m. (Seguin. pag. 154. Harduin.)

Elegans est numi hujus imago, qua veterum sive allegoria, sive figmentum de Iove uxorem Terram pluviarum ope fecundante praeclare exprimitur. Non pigebit praestantissimorum poetarum oracula audire hujus typum numi insigniter illustrantia, ac primum cum illo conferre aureos Maronis versus [c].

Tum pater omnipotens fecundis imbribus aether
Conjugis in gremium laetae descendit, *et omnes*
Magnus alit, *magno commixtus corpore*, *fetus*.

Similiter auctor Pervigilii Veneris: (Vers. 60.)

Vt pater totis crearet vernus annum nubibus,
In sinum maritus imber fluxit almae conjugis,
Vnde fetus mixtus omnes aleret magno corpore.

Analogus est locus Euripidis, qui est in fragmentis fabulae, cui nomen *Chrysippus:*

Γαια μεγιστη, και Διος αἰθηρ,
Ο μεν ανθρωπων και θεων γενετωρ,
Ηδ' ὑγροβολους σταγονας νοτιους
Παραδεξαμενη τικτει θνατους,
Τικτει δε βοραν, φυλα δε θηρων.
Terra maxima et Jovis aether,
Hic quidem hominum deorumque pater,
At illa humentes guttas australes
Recipiens parit mortales,
Parit alimenta, *et genera pecudum*.

Vide similia exempla alia, quae ex Euripide et Aeschylo recitat Athenaeus [d]), tum et Plutarchum [e]). Et vero passim veteribus Iuppiter pluviarum auctor fuit creditus. Teste Luciano [f]) apud vicina Pergamo Gargara fuit ara Διος ὑοντος, βροντωντος, και ἀστραπας ποιουντος, *Jovis pluvii*, *tonantis*, *fulgeratoris*, et constat ex Tertulliano [g]), a Romanis cessante coelo *aquilicia Iovi immolata*, nimirum quibus aqua eliceretur. M. Aurelius Aug. laudat Atheniensium preces, quibus pluvias desuper flagitavere: ὑσον, ὑσον, φιλε Ζευ [h]). Et testatur Pausanias [i]) fuisse apud Athenienses Telluris imbrem a Iove implorantis simulacrum, ex quo forte numi hujus imago est petita. Est etiam Iovis Pluvii imago superstes in columna cochlide M. Aurelii, nisi forte ea imago est Noti imbres advehentis secundum descriptionem Ovidii [k]). Et vero insignis haec allegoria non tantum Graecis placuit, sed et Scythis, quibus teste Herodoto [l]) pridem creditum, Tellurem esse Iovis conjugem. Liceat concinnae huic veterum de Iove Pluvio doctrinae lepidam aliam opponere, quam apud Aristophanem tradidit Strepsiades [m]), qui Iovem quidem pluviarum auctorem non negavit, sed

---

c) Georg. II. 325. d) L. XIII. p. 599. seq. e) De placit. philos. L. I. cap. 6. f) Dial. deor. IV. g) Apolog. c. 40. h) Libr. V. προς ἑαυτον. c. 7. i) In Attic. p. m. 57. k) Met. I. 264. seq. l) L. IV. c. 59. m) In Nub. v. 372.

modum multo diversum praescripsit, και τοι πϱοτεϱον, inquiebat, τον Δὶ ἀληθως ὠμϱην δια κοσκινυ ἐϱειν..

Harduinus ejusdem Antonini numum citat cum epigraphe: ΠЄΙΟC. ЄΦЄCΙΩΝ. typo *Apollinis et Dianae stantium.* Is similes inscriptiones omnes ad Iovem quoque Pluvium refert, qui quod pluvias benigne indulget, dictus est ΠЄΙΟC. quod ex Aeolum vel Ionum lingua idem esset, ac ΦΙΛΙΟC Pergami cultus. Vix credam, sententiam hanc eruditis probatum iri. Multo magis verisimile, legendum ΠЄΙΩΝ ex Seguini citati testimonio, et Ephesios se dixisse Πειυς ex nomine imperantis tum Antonini PII.

ΑΠΟΛΛΩΝ. ЄΜΒΑCΙΟC. ЄΦЄCΙΩΝ. *Apollo stans columnae innixus d. telum, ex adverso Diana venatrix,* Antonini. (Vaill. Num. Graec. p. 291.)

Apollonius L. I. Argonauticorum saepius meminit Απολλωνος Εμβασιυ et Εκβασιυ, quem venerati sunt Argonautae, velut qui tueretur eos, qui ad iter maritimum accincti *ingrediuntur* navim, praestaretque salvos *egredi.* Numen urbi opportunum, cujus amplum fuit mari commercium.

* * *

ΘЄΑΝ. ΡΩΜΗΝ. *Caput Romae,* Neronis. (Vaill.)

Ephesi permissu Augusti fuisse aedificatum templum deae Romae, prodidit Dio [n]).

* * *

ΤΟ. ΑΓΑΘΟΝ. ЄΦЄCΙΩΝ. *Vir nudus stans d. spicas,* Saloninae. (Vaill.)

Recte docuit Vaillantius, virum in hoc numo propositum esse *bonum genium* Ephesiorum, et ejusdem naturae cum eo, qui in numis Romanis *Boni Eventus* nomine sistitur.

* * *

ЄΦЄCΙΩΝ. ΤΥΧΗ. Decii, Valeriani, Gallieni.

Conditores:

ЄΦЄ. CΜΤΡ. *Duae Amazones jungunt dexteras,* Domitiani. (Vaill.)

Ephesum urbem fuisse cognominem Amazoni, docuerunt Eustathius [o]), et Strabo [p]), sed posterior hic ait alibi [q]), fuisse conditam ab Androclo Codri Atheniensium regis filio. Sed idem adserit alibi [r]), urbem ante hujus invasionem jam fuisse habitatam. Ceterum ipsis Ephesiis creditum, urbem suam antiquitus Amazonibus paruisse [s]), et ipsi Plinio dicitur *Amazonum opus* [t]). Verum Mela [u]), et Avienus [x]) nonnisi templum, intellige vetustum illud, ab Amazone conditum dixere.

* * *

ЄΠΙ. - ΠΑΙΤΟΥ. ΓΡΑΜΜΑΤЄΩC. ΟΜΟΝΟΙΑ. *Duo heroes barbati nudi hastati stantes dexteras jungunt; juxta horum unum scriptum:* ΚΥΖΙΚΟC *juxta alterum:* ЄΦЄCΟC. Ant. Pii. (Morelli Spec. tab. X.)

---

n) L. LI. §. 20. o) Ad Dionys. Perieg. v. 828. p) L. XII. p. m. 327. q) L. XIV. p. 938. r) L. XIV. p. 940. s) Tacit. Ann. III. 61. t) L. V. p. 278. u) L. I. c. 17. x) Descrip. orb. v. 992.

Existimat Morellius, utraque hac figura exhiberi Cyzici et Ephesi conditores. Inter varios, qui a veteribus Epheso tribuuntur, et quorum nonnullos mox dedi, refert Pausanias Ephesum Caystri fluvii filium, a quo urbs nomen acceperit y). De Cyzico rege egimus in moneta Cyzici. Hanc sententiam id unum vellicat, quod Cyzicus in Cyzici numis imberbis semper fingitur. Sed poterant in hoc aberrare Ephesii, apud quos signatum hunc numum ex magistratu *scriba* certum est. Vaillantius exhiberi duos Ioves censet, Cyzicenum et Ephesium z).

Augustum honoris causa dictum Ephesi conditorem, supra, diximus.

* * *

Numi reliqui illustriores:

ΑΠΗΝΗ. ЄΦЄCIΩN. *Thensa 4 equis vecta*, Ant. Pii. (Vaill.)

ΑΠΗΝΗ. IЄΡΑ. ЄΦЄCIΩN. *Carpentum a 2 mulis tractum*, Commodi, Domnae etc. (Vaill. Theupoli.)

Fuit Graecis ἀπηνη, quod Romanis thensa, qua deorum simulacra in sacro processu vehebantur, ut ex numis Romanis notum. Sed haud dubie muli quoque sunt, quos equos dixit Vaillantius. Nam teste scholiasta Pindari a) ἀπηνη ἐϛιν ἁρμα ἐξ ἡμιονων ζευχθεν, et teste Athenaeo b) in celebri Ptolemaei pompa Bacchica spectatae erant ἀπηναι ὑφ᾽ ἡμιονων ἀγομεναι, *thensae a mulis tractae.*

* * *

ΔΟΓΜΑΤΙ. CΥΝΚΛΗΤΟΥ. ЄΦЄCIΩN. ΗΛΙΟΙ. NЄΟΙ. *Quatuor templa, Severi, Domnae, Caracallae, Getae*, in numo Caracallae.

Sic numi hujus epigraphen legit, typumque explicat Vaillantius. At major fides adcurati Haymii, qui in numo simillimo pro ΗΛΙΟΙ. NЄΟΙ. *Soles novi*, legit: ΟΥΤΟΙ. ΝΑΟΙ. id est: *Senatus* Romani *consulto Ephesiorum haec templa* c). Et constat mihi, idem legi in numo simili musei Christinae. Erudite in subjecta explicationi Haymianae nota observat Khellius ex Tacito d), ipsorum Ephesiorum confessione fuisse apud eos templa Dianae, Apollinis, Liberi, et Herculis, cumque Tiberius asylorum per Graecas urbes licentiam intenderet reprimere, jussisse, senatusconsulto, quod subinde aeneis tabulis incideretur, eorum modum statui, ad quod adludere proditam in numo epigraphen censet Khellius. Exstare tamen etiam in numo Ephesio epigraphen ΗΛΙΟΙ. NЄΟΙ., dicetur infra in *Neocoratus* numis.

* * *

ЄΦЄCIΩN. ΠΡΩΤΩΝ. ΑCΙΑC. *in imo:* ΒΟΤΑ. *Multae figurae causa sacrificii stantes ante templum, manusque attollentes*, in numo Maximi Caes., (Vaill.) et Macrini. (Spanheim Césars de Julien Preuves p. 7.)

ΒΩΤΑ vocabulum Latinum in indumento Graeco, quo indicantur VOTA ab Ephesiis haud dubie pro novi princi-

y) L. VII. c. 2. z) Num. Graec. a) Ad Olymp. V. 6. b) L. V. p. m. 201.
c) Thes. Br. T. II. p. m. 324. d) Ann. L. III. c. 61.

pis incolumitate suscepta. Quod dixeram, confirmatur non modo ab ipso typo, sed etiam, quod multa Latinorum vocabula, praecipue quae ad ritus, et dignitates pertinent, a Graecis civitate sunt donata. Idem vocabulum legitur etiam in canone LXXI. concilii, quod in Trullo dicitur, qui cessare jubet τας ὅτω λεγομενας Καλανδας, και τα λεγομενα ΒΩΤΑ, *sic dictas Kalendas*, *et sic dicta VOTA*, tanquam veteris superstitionis reliquias.

* * *

ΕΦΕϹΙΩΝ. Α. ΚΑΤΑΠΛΟΥϹ. *Navis praetoria*, in numo Philippi. (Vaill.)

Ad explicandam hanc aversam insignia sunt, quae refert Vlpianus, cum de magistratuum Rom. in provincias profectionibus agit [e]): *Ingressum etiam* (proconsulem) *hoc eum observare oportet*, *ut per eam partem provinciam ingrediatur*, *per quam ingredi moris est*, *et quas Graeci* ἐπιδημιας, *id est:* accessus ad urbem, *appellant*, *sive* ΚΑΤΑΠΛΟΥΝ, *id est*: adnavigationem, *observare*, *in quam primum civitatem veniat*, *vel applicet*; *magni enim faciunt provinciales servari sibi consuetudinem istam*, *et ejusmodi praerogativas*. *Quaedam provinciae etiam hoc habent*, *ut per mare in eam provinciam proconsul veniat*, *ut Asia scilicet*, *usque adeo*, *ut imperator noster Augustus ad desideria Asianorum rescripserit*, *proconsuli necessitatem impositam per mare Asiam applicare*, και μητροπολεων Εφεσον, *id est: inter matrices urbes Ephesum primam attingere*. Quibus ex verbis tota praeclari hujus numi explicatio pendet. Discimus enim, adnavigationem in portum vocari καταπλουν, jussos proconsules applicare Ephesum, et quidem ad hanc prae reliquis Asiae urbibus *primam*, ex quibus omnibus coaluit numi epigraphe ΕΦΕϹΙΩΝ. Α. ΚΑΤΑΠΛΟΥϹ. id est: *prima* adnavigatio ad Ephesiorum urbem, qui honor cum iis ab imperatoris rescripto concessus sit, pro Graecorum ambitione dignus videbatur, quo se in moneta publica efferrent. Haec pridem sic praeclare et late exposita vide apud eruditissimum Spanhemium [f]).

* * *

Magistratus sacri.

Summus sacerdos, ΑΡΧΙΕΡΕΥΣ. Hic memoratur in numis IIIvirorum, quos supra citavi, sic tamen, ut dubium sit, utrum *Glaucon*, an *Euthycrates*, qui uterque in hoc numo legitur, summi sacerdotii munere praeditus fuerit. In numis Augusti apud Vaillantium: ΑΡΧΙΕΡΕΥΣ. ΑΣΚΛΗΠ. ΤΡΥΦΩΝ., sed apud Morellium [g]) et Haymium pro ΑΣΚΛΗΠ. legitur ΑΣΚΛΑΣ. In ejusdem Augusti numo apud Vaillantium legitur etiam: ΑΡΧΙΕΡΕΥΣ. ΝΙΚΟΣΤΡΑΤΟΣ, sed hic numus a Morellio Caligulae tribuitur [h]). Item ΑΡΧ. ΚΟΥΣΙΝΙΟΣ. et ΑΡΧ. ΗΡΑΣΑΙΟΣ, Augusti. (Vaill.) In numo Cusinii additur Δ, quo se *quartum* hoc munere functum profitetur.

Sacerdos, ΙΕΡΕΥΣ. In numo Domi-

e) L. I. tit. Digg. XVI. de offic. procos. f) T. I. p. 608. et 615. g) Impp. T. I. p. 485. h) Impp. T. I. p. 690.

tiani: ΙΕΡΕΥΣ. ΑΥΡ. ΜΟΥΣΟΝΙΟΣ. ΑΣΥΛΟΥ. ΑΡΤΕΜΙΔΟΣ. ΕΦΕΣΙΩΝ. (Vaill.)

Templum Dianae, quod fuit Ephesi, habuisse jus asyli, idque varie fuisse immutatum, refert Strabo [i]), et Tacitus [k]). Vnde etiam in numo Otaciliae apud Vaillantium: ΑΡΤΕΜΙC. ΕΦΕCΙΑ. ΑCΥΛΟC.

* * *

Magistratus profani.

Scriba, ΓΡΑΜΜΑΤΕΥΣ. In numo Augusti apud Vaillantium: ΓΡΑΜΜΑΤΕΟΥΣ. (melius ΓΡΑΜΜΑΤΕΩΣ.) ΑΡΙΣΤΩΝΟΣ. ΜΗΝΟΦΑΤΟΥ., melius iterum ΑΡΙΣΤΙΩΝΟΣ, nam idem mox alium memorat cum epigraphe: ΓΡΑΜΜΑΤΕΥΣ. ΑΡΙΣΤΙΩΝ. ΜΗΝΟΦΑΝΤΟΥ. In alio ejusdem Augusti: ΕΠΙ. ΓΡ. ΑΝΤΑΝΔΡΟΥ. ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ. in numo Trajani: ΚΟΥΣΙΝΙΟΣ. ΓΡΑ. ΤΟ. Δ. [l]). Idem munus postremum comparet in numis Ant. Pii: ЄΠΙ. ΠΑΙΤΟΥ. ΓΡΑΜΜΑΤЄΩC. (Vaill. Arigoni.) Hujus apud Ephesios magistratus mentio fit in Actis Apost. cap. XIX. 35.

Praetor, ΣΤΡΑΤΗΓΟΣ. in unico numo M. Aurelii: ЄΠΙ. CΤΡΑ. ΙΟΥΛΙΑΝΟΥ. Nam numum Domitiani: ЄΠΙ. CΤΡΑ. ΟΨЄΩΝΟC. ЄΦЄ. CΜΥΡ. ΟΜΟΝΟΙΑ. verius credam percussum Smyrnae. In numo Elagabali apud Vaillantium est: ЄΠΙ. CΤΡ. Μ. ΑΥΡ. ΓΑΡΟΥ. et concordia cum Laodicea Phrygiae, sed incertum est, in utra urbe sit signatus.

* * *

Proconsul:

ΝΕΡΩΝ. ΚΑΙΣΑΡ. *Caput Neronis* ℞ ΑΙΧΜΟΚΛΗ. ΑΟΥΙΟΛΑ. ΑΝΘΥΠΑΤΩ. ΕΦ. ΝΕΩΚΟΡΩΝ. *Templum Dianae.* (Morelli in Nerone.)

ΝΕΡΩΝ. ΠΟΠΠΑΙΑ. *Vtriusque caput.* ℞ ΑΟΥΙΟΛΑ. ΑΝΘΥΠΑΤΩ. ΑΙΧΜΟ - - ΕΦΕ. *Cervus.* (Haym. T. II. p. 242.)

ΜΕΣΣΑΛΙΝΑ. *Caput Messalinae Neronis.* ℞ ΑΟΥΙΟΛΑ. ΜΗ - - ΑΙΧΜΟΚΛΗ. ΕΦΕ. *Mulier turrita stans d. sigillum Dianae Ephesiae, s. hastam.* (Ibid. p. 244.)

Fuisse *Aviolam* cognomen gentis Aciliae, liquet ex Valerio Maximo, qui narrat [m]), Acilium Aviolam, quod mortuus credebatur, rogo impositum revixisse, at superantibus flammis servari non potuisse, quod factum etiam refert Plinius [n]). Acilius Aviola legatus Galliae sub Tiberio ad annum V. C. 774. memoratur Tacito [o]). Aviola proconsul in his numis proditus videtur esse is, qui V. C. 807. consul fuit. Etiam in numis Smyrnae et Pergami sub Caligula signatis proditur Aviola.

ЄΠΙ. ΚΑΙCЄΝΝΙΟΥ. ΠΑΙΤΟΥ. ΑΝΘΥ. in numis Domitiani. (Vaill.)

ΑΝΘΥ. Μ. ΤΙΒ. (sic) ΠΑΝCΑ. in numo Domitiae. (Mus. Farnes. T. IX tab. 9.)

Epocha.

Hanc nonnulli ex M. Aurelii numo collegerunt, quem edidit Patinus [p]), in quo scriptum praetenditur: ЄΦЄCΙΩΝ. ΡΝ.

---

i) L. XIV. p. m. 950. k) Ann. III. 60. 61. l) Sestini Lettere. T. IV. p. 113.
m) L. I. c. 8. §. 12. n) L. VII. c. 53. o) Ann. III. 41. p) Num. Impp. p. 194.

At jam vidit Panelius, perperam sic lectum pro ЄФЄСΙΩΝ. Β. ΝЄ. q). Tamen in Cistophoris Ephesiis notae arithmeticae occurrunt, quae aliud quam epochae annos notare vix possunt, sed cujus principium incertum, de quo vide, quae observabo in commentatione de numis Cistophoris.

Neocoratus.

Ejus primum meminit numus Neronis, quem supra sub *proconsule* citavimus. ΔΙС. ΝЄΩΚΟΡΩΝ, incipit in numis Hadriani et Aelii, et sic continuatur usque ad Caracallam. In hujus numis legitur ΔΙС. et ΤΡΙС. ΝЄΩΚΟΡΩΝ. Sub Elagabalo epigraphe arrogantior: ЄФЄСΙΩΝ. ΜΟΝΩΝ. ΑΠΑСΩΝ. ΤЄΤΡΑΚΙ. ΝЄΩΚΟΡΩΝ. (Vaill. Arigoni.) Quid notet vocabulum ΑΠΑСΩΝ, vide infra in *primatu*. In aliis, Elagabali quoque, ЄФЄСΙΩΝ. ΤЄΤΡΑΚΙС. vel Δ. ΝЄΩΚΟΡΩΝ. Hic numerus adhuc observatur in numis Alexandri. At sub Maximino redit numerus Γ. In numis Valeriani et Gallieni jam Γ. jam Δ. ΝЄΩΚΟΡΩΝ.

Alius exstat numus insignis:

Capita laureata Caracallae et Getae, infra quae ΝЄΟΙ, ΗΛΙΟΙ. ☓ ЄФЄСΙΩΝ. ΤΡΙС. ΝЄΩΚΟΡΩΝ. ΚΑΙ. ΤΗС. ΑΡΤЄΜΙΔΟС. *Diana Ephesia inter Dioscuros equites imminente singulis astro.* AE. m. m.

Numum proposuit Morellius addito iconismo r), et Vailantius s). In utriusque indicio est aliquid, quod reprehendatur. Morellius in antica legit: ΝЄΟΙΗΔΙΟΙ, ejusque adeo adornavit explicationem inconcinnam sane. Melius Vaillantius: ΝЄΟΙ. ΗΛΙΟΙ *Novi soles*, nempe Caracalla et Geta exorientes. Vaillantius in lectione aversae non sibi constat; nam loco, quem citavi, legit ΔΙС. ΝЄΩΚΟΡΟΝ., at infra pag. 218 ΤΡΙС. ΝЄΩΚΟΡΩΝ. quae posterior lectio vera videtur Morellii quoque calculo approbata. Exhibet praeterea insignis hic numus Ephesios Dianae suae neocoros, quod jam ex sacris quoque literis constabat. Nam legimus in actis Apostolorum t): Τις γαρ εςι ανθρωπος, ος ȣ γινωσκει την Εφεσιων πολιν νεωκορον ȣσαν της μεγαλης θεας Αρτεμιδος και τȣ Διοπετȣς; *quis enim est homo, qui ignoret Ephesiorum urbem neocoram magnae deae Dianae et signi de coelo delapsi?* Eorum in hanc deam observantia pervetusta. Nam teste Herodoto u) a Croeso obsessi urbem Dianae dedicaverunt fune ex ejus aede ad murum adligato. Praeeunte hoc numo passim inculcat Vaillantius cum in numis Graecis x), tum in sua de Neocoris dissertatione y), Ephesios, quotiescunque numis suis inscribunt ΤЄΤΡΑΚΙС. ΝЄΩΚΟΡΩΝ., semper intelligere tres neocoratus Augustorum addito quarto Dianae suae. Negat istud Cuperus z). Sin istud, inquit, non video, quomodo sese Ephesii in aliis numis dicere potuerint ΜΟΝΟΥС. ΑΠΑСΩΝ. ΤЄΤΡΑΚΙС. ΝЄΩΚΟΡΟΥС. Nam haec loquendi ratio excellentiam prae aliis urbibus designat; at sic Smyrnaei

q) De Cistoph. p. 57. r) Spec. tab. II. s) Num. Graec. p. 100. t) Cap. XIX. c. 35. u) L. I. c. 26. x) Pag. 218. y) B. L. T. II. p. 507. z) Lettr. de Crit. p. 491.

quoque, Sardiani, et Pergameni se potuissent profiteri τετρακις νεωκορȣς, si tribus suis neocoratibus adjecissent quartum domestici sui numinis. Quod quidem Cuperi argumentum non parum videtur validum.

Primatus.

Hic primum proditur in numo M. Agrippae et Iuliae: ΕΦΕΣΙΩΝ. ΠΡΩΤΩΝ. ΑΣΙΑΣ, quem initio ex Sestinio citavimus, sed propter hanc ipsam etiam primatus mentionem suspectum, quem ante M. Aurelium fuisse monetae Ephesiae insertum, hactenus non constat, in quo legitur: ЄΦЄCIΩN. ΔIC. NЄΩKO. ΠΡΩΤΩΝ. ACIAC. In numis Maximini et successorum saepe scribitur: ЄΦЄCIΩN. A. ACIAC. (Vaill.) in quibus τὸ A pro ΠΡΩΤΩΝ. ponitur. Vanitatis indicium est in numo Macrini epigraphe: ЄΦЄCIΩN. MONΩN. ΠΡΩΤΩΝ. ACIAC. (Vaill.) at multo arrogantior in numo eximio Elagabali apud Pellerinium [a]): ЄΦЄCIΩN. Δ. NЄΩKOP. H. ΠΡΩΤΗ. ΠΑCΩΝ. KAI. MЄΓICτη. *Quatuor templa cum suo quodque idolo.* Apparet ex hac epigraphe, sub gignendi casu, quo plerumque populorum nomina exprimuntur, intelligendum esse πολις; praeterea ut in hoc numo sub ΠΑCΩΝ intelligitur πολεων, ita etiam in numo, quem supra sub *Neocoratu* prodidi, sub ΑΠΑCΩΝ intelligi quoque debere πολεων. Josepho Ephesus adhuc ante Augustorum tempora dicitur πρωτευȣσα της Ασιας.

Magnitudo:

Maximam se vocat Ephesus in numo Elagabali mox citato: MЄΓIC.

Commune:

I. Inter se ipsos. KOINON. ЄΦЄCIΩN. *Diana venatrix*, Hadriani. (Vaill.)

II. omnium Ionum: ЄΦЄCIΩN. KOINON. ΠΑΝΙΩΝΙΟΝ. *Templum*, Otaciliae. (Vaill.) De hoc actum in prolegomenis ad numos Ioniae.

III. totius Asiae: ЄΦЄCIΩN. KOINON. ACIAC. *Diana Ephesia inter Victoriam et mulierem turritam*, Ant. Pii. (Vaill.)

IV. cum Alexandria Aegypti, cum qua junxisse quoque concordiam mox videbimus: KOINON. ЄΦЄCIΩN. KAI. ΑΛЄΞΑΝΔΡЄΩΝ. *Mensa cum urna*, Caracallae. (Vaill.)

Ludi:

ЄΦЄCIΩN. NЄΩKOPΩN. OΛΥΜΠΙΑ. OIKOΥMЄNIKA. Elagabali. (Vaill.)

ЄΦЄCIA. *inscriptum urnae*, Gallieni. (Vaill.)

De ludis his Ephesiis agemus in commentatione de ludis.

Asylum:

De hoc vide, quae diximus altius in *Sacerdos.*

Nomen ab imperatore:

ΠЄIΩN. ЄΦЄCIΩN. in numo Ant. Pii, a quo adoptasse nomen videtur. Vide dicta sub *Numina.*

Concordia:

Hanc initam cum plerisque illustrioribus provinciae Asiae urbibus, quas re-

[a]) Suppl. II p. 78.

censore inutile, testantur numi. Extra Asiam concordiam junxit cum Perintho Thraciae teste numo Gordiani, (Vaill.) et Alexandria Aegypti, teste numo Ant. Pii, in quo *Serapis et Isis stantes juxta Dianam Ephesiam.* (Vaill.)

Mentio situs:

A fluviis. I. *Caystro*, qui Ephesum adluebat. Ejus mentionem jam vidimus in autonomo. Recurrit etiam in numis Commodi et Valeriani typo viri decumbentis more solito, quin et conjungitur cum altero fluvio II. *Cenchrio* in numis Ant. Pii, et Severi: ΚΑΥϹΤΡΟϹ. ΚЄΝΧΡΙΟϹ. *Diana Ephesia inter duos fluvios humi jacentes.* (Vaill. Morelli Specim. tab. X.) Cenchrius prope Ephesum fluens per religionem sacer fuit. Pervasit lucum Ortygiam, ubi Latona geminos enixa ferebatur [b]). Eo se a partu Latonam abluisse narrat Strabo [c]). III. *Marnas:* ЄΦЄϹΙΩΝ. ΜΑΡΝΑϹ. *Fluvius decumbens*, Domitiani, (Vaill. Theup. Wise p. 208.) Antonini Pii. (Mus. Albani.) Marnas a nemine veterum, quod constet, memoratur, quin et Vaillantius, qui tamen numum ipse vulgavit, eo loco, quo de fluminibus in numis ex proposito agit, ejus mentionem negligit. Harduinus Iovem *Marnam* a Gazensibus cultum indicari putat. At verius nomine ΜΑΡΝΑϹ intelligendum fontem urbi vicinum, ignobilem quidem, sed Ephesiis sacrum, comprobat typus numi ex museo Albano citati, qui exhibet fluvium barbatum humi sedentem, qui haud dubius Cayster est, at in area figura puellaris sedens, et d. urnam tenens, ex qua aqua profluit, adscripto ΜΑΡΝΑϹ, non dubio adeo fontis nomine, quod fontes plerumque puellari forma fuerunt propositi, quippe quibus Najades praefuere. Sic et alium certum fontem habuere Ephesii, qui *Hypelaeus* dicebatur, obscurum eum quidem, sed tamen oppidanis sacrum ex causa, quam prodidit Athenaeus [d]). Vide de similibus ignotis fontibus mox plura in numis Phocaeae.

AR. dubii, ut dictum initio imperatoriorum. *AE. C.*

ERYTHRAE.

In peninsula e regione Chii.

Autonomi:

Caput Herculis imberbe leonis exuviis tectum ΧΕΡΥ. *addito magistratu:* ΑΠΕΛΛΑΣ. *vel* ΔΙΟΠΕΙΘΗΣ, *etc. Clava, arcus pharetrae junctus, noctua.* AR. III. (Mus. Caes. Pellerin.)

Harduinus cum noctuam partis aversae perdicem crederet, legeretque in Plinio, perdices non transvolare Boeotiae fines in Atticam, hos numos Erythris Boeotiae tribuit, cumque praeterea certum sibi videretur, caput anticae esse Alexandri M., suspicatus est, ab hoc rege excisis Thebis officinam monetariam Thebis fuisse Erythras translatam. Spanhemius et Liebeus eos Eryci Siciliae tribuerunt, quod dictam avim columbam credidere, et constaret ex Athe-

b) Tacit. Ann. L. III. c. 61. c) L. XIV. p. m. 948. d) L. VIII. p. 361.

naeo et Aeliano, festo quodam tempore non comparere columbas circa templum Veneris Erycinae, etsi alias ibi frequentes. At enim eam avim neque perdicem esse, neque columbam, satis typi ipsi arguunt, in quibus, ut jam observavit Pellerinius, et inspecti similes musei Caesarei numi arguunt, indubitata comparet noctua, et sic corruunt omnia, quaecunque de perdice et columba acutius quam verius a viris eruditis sunt tradita. Verum Erythras Ioniae invitat Herculis in hac urbe praecipuus cultus, cujus simulacrum e Phoenice advectum princeps ejus urbis fuit numen, ut narrat Pausanias [e]), quod et comprobant numi concordiae, quos mox citabimus, et imperatorii, qui certe sunt Erythrarum Ioniae, et in quibus fere constans typus est Hercules.

* * *

Caput Herculis imberbe leonis exuviis tectum. Ӿ ΕΡΥ. *addito magistratu* ΜΗΤΡΟΔΩΡ. *vel:* ΣΙΜΟΣ. ΠΡΩΤΟΓΕΝΟΥ. *etc. Clava, arcus pharetrae junctus.* AE. III. (Mus. Caes. Pellerin.)

Caput simile. Ӿ ΕΡΥ. ΓΝΩΤΟΣ. ΕΚΑΤΩΝΥΜΟΥ, vel: ΠΟΛΥΚΡΙΤΟΣ. ΠΟΛΥΚΡΙΤΟΥ. *sine typo.* AE. III. (Mus. Caes. Pellerin.)

Caput simile, sed barbatum. Ӿ ΕΠΙ. ΚΟΡΘΕΩΣΙΩΝΟΣ. ΕΡΥ. *Apis.* AE. III. (Pellerin.)

Descriptos hic aeneos ad easdem Erythras pertinere, facile arguunt numi praecedentes argentei. Magistratibus plerumque additur patris nomen, in simili musei Musellii etiam avi: ΠΟΣΕΙΔΩΝΙΟΣ. ΗΡΑΚΛΕΟΥ. ΤΟΥ. ΕΠΙΚΟΥΡΟΥ.

* * *

ЄΡΥΘΡΑ. *vel* ЄΡΥΘΡΑΙ. *Caput muliebre turritum.* Ӿ ЄΡΥΘΡΑΙΩΝ. *variis typis.* AE. (Arigoni, Theup.)

Analogia a numis aliarum Ioniae et Aeolidis urbium petita suadet, capite anticae exhiberi Amazonem, a qua crediderint Erythraei suam conditam urbem.

* * *

ЄΡΥΘΡΑΙΩΝ. *Protome muliebris velata d. spicas, s. cornucopiae.* Ӿ ЄΠ. СΤ. ΑΙΛ. ΠΑ. ΔΙΟΓЄΝΙΑΝΟΥ. ΤΟ. Β. *Hercules stans d. clavam alte attollit, s. porrecta leonis exuvias.* AE. I. (Pellerin.)

Videtur Pellerinio caput anticae esse Tranquillinae, Cereris specie propositae. Verum monebimus in numis autonomis Smyrnae (nam in his quoque simillimae habentur protomae) signum istud ad unam Cererem referendum, nullo ad Augustam quampiam respectu. Eundem numum memorat etiam museum Theupoli, sed epigraphe sus deque versa.

* * *

ΔΗΜΟC. ΧΙΩΝ. *Caput muliebre.* Ӿ ΟΜΟΝΟΙΑ. ΧΙΩΝ. ЄΡΥΘΡΑΙΩΝ. *Typus Herculis, ut in praecedente.* AE. II. (Hunter. in Chio.)

Ex hoc numo corrigendus alter similis argumenti, qui est apud Theupoli pag. 1262. ЄΡΥΘΡΑΙΩΝ. *Sphinx pede*

e) L. VII. c. 5.

dextero vasi imposito. ✕ ΟΜΟΝΟΙ. ΑΧΕΩΝ. ΕΡΤΘΡΑΙΩΝ. typo *Herculis*, ut in prioribus, qua ex lectione auctor perperam concordiam Achaeorum et Erythraeorum conficit, cum tamen epigraphe aversae legenda sit, ut in citato Hunteriano.

AR. et AE. vix R.

Imperatorii ab Augusto usque ad Valerianum.

Augusti numum exhibet unus Pellerinius, in cujus aversa: ΕΡΤ. ΕΚΑΤΩΝΤΜΟΣ. ΑΙΣΧΡΙΩΝΟΣ. sine typo, cujus similes vidimus autonomos.

Ab Augusto usque ad Trajanum amplus hiatus. Deinceps epigraphe ΕΡΤΘΡΑΙΩΝ. Typus fere constans, *Hercules d. clavam jactans*, *s. leonis exuvias praetendens.*

Magistratus praetor.

Concordiam cum Chio vidimus in autonomis.

AE. RR.

HERACLEA.

Maritima prope Miletum ad Latmum montem, a quo etiam cognomen abstulit. Numi varii huic urbi tribuuntur, et forte huc pertinent, quos infra in Heraclea Cariae recensebo.

LEBEDVS.

In Isthmo peninsulae, urbs inclyta, sed eversa fuit a Lysimacho incolis Ephesum traductis, quo ex casu vix amplius surrexit, sic ut Horatii aevo *Gabiis desertior* fuerit [f]), cui utique ejus numorum raritas tribuenda. Memorantur tamen

Autonomi bini illustres, iique IV. drachmarum.

Caput Palladis. ✕ ΛΕΒΕΔΙΩΝ. ⌗ΗΝΩΝ. *Noctua stans intra duplex cornucopiae, oram ambit corona.* AR. I. (Pembrock, Pellerin.)

AR. RRRR.

Imperatorii item perpauci. Bini Caracallae: ΛΕΒΕΔΙΩΝ. typo *Palladis*, in altero *noctuae.* (Vaill.) Addidi alium ex Mediceo, typo *Fortunae* [g]). In alio Getae *Bacchus stans.* (Vaill.) Bacchi honori habitos Lebedi conventus testatur Strabo.

AE. RRR.

MAGNESIA.

Dicta ad Maeandrum, etsi amnis Lethaeus esset propior, ut asserit Strabo. Plinio a Thessalica Magnesia orta dicitur, et fuit una ex tribus urbibus, quas Artaxerxes Themistocli dono dedit. Apud Athenaeum Delphorum colonia dicitur [h]), sed ut Strabo ait, Delphorum Thessaliae [i]), quamquam idem paullo supra hanc Magnesiam dixerit urbem Aeolicam, ac rursum alibi [k]) coloniam Magnetum Thessalicorum et Cretensium. Nimirum Aeoles quoque Thessaliam incoluerunt. Etiam scholiasta Apollonii eam Cretensium coloniam facit [l]).

Autonomi certi, neque infrequentes exstant; at cautione opus, cum tres fue-

---

f) L. I. epist. XI. g) Num. vet. p. 204. h) L. IV. p. m. 173. i) L. XIV. p. m. 958. k) L. XIV. p. 943. l) Ad L. I. v. 584.

rint Magnesiae, Thessaliae una, altera haec nostra, tertia Lydiae, numismaticae omnes, ne temere permutentur numi, qui singulis debentur. Magnesia Lydiae difficultatem non parit, cum haec mentionem Sipyli montis, cui imposita fuit, vix omittat. Difficilius discrimen inter Magnesiam nostram, et alteram Thessaliae, cujus cum prior illa filia fuerit, poterat utraque iisdem typis uti. Sequens catalogus dabit numos, qui ex certis causis, quas proferemus, ad Magnesiam praesentem certe pertinent.

Caput Dianae. Ӿ ΜΑΓΝΗΤΩΝ. ΕΡΑΣΙΠΠΟΣ. ΑΡΙΣΤΕΟΥ. *in alio:* ΑΠΟΛΛΟΔΩΡΟΣ. ΚΑΛΛΙΚΡΑΤΟΥ. *Apollo nudus d. ramum, s. tripodi innixus Maeandri flexibus insistit, omnia intra lauream.* AR. I. (Goltz. Hunter.)

Eques armatus citato cursu. Ӿ ΜΑΓΝ. ΔΙΟΠΕΙΘΗΣ. *Bos cornupeta, omnia intra coronam ex Maeandri flexibus compositam.* AR. III. (Beger Thes. Br. T. I. p. 499.)

Eques similis. Ӿ ΜΑΓΝ. ΜΑΙΑΝΔΡ. *Bos cornupeta.* AE. II. (Pellerin.)

Caput Palladis. Ӿ ΜΑΓΝΗΤΩΝ. ΑΡΤΕΜΙΔΟΣ. ΛΕΥΚΟΦΡ - - - *Eques armatus citato cursu.* AE. II. (Mus. Caes.)

ΑΥΛΑΙΤΗΣ. *Apollo stolatus stans s. lyram.* Ӿ ΛΔΥΡΟΦΡΥΝΗ. ΜΑΓΝΗΤΩΝ. *Diana* πολυμαςος *stans cum adminiculis, volitante circa caput utrinque Victoria.* AE. II. (Hunter.)

ΜΑΓΝΗΤΩΝ. *Caput Solis radiatum.* Ӿ ΕΥΚΛΗ. ΑΙΣΧΡΙΩΝΟΣ. *Iuno Pronuba stans.* AE. III. (Pellerin.)

Caput Palladis. Ӿ ΜΑΓΝΗΤΩΝ. ΕΥΚΛΗ. ΚΡΑΤΙΝΟ - *Eques armatus citato cursu.* AE. II. (Pellerin.)

Certa singuli hi numi habent criteria, quae nostrae eos Magnesiae vindicant. In numis I. et II. expressos habes flexus linearum inter se recurrentium, quibus, tanquam signo pro re, Maeander indicatur, nota ejus fluminis natura tortuosis ambagibus per terras oberrantis, de quo vide, quae notabimus in commentatione de fluminibus in numis. Similes flexus sistunt etiam numi Apolloniae Cariae, et Apameae Phrygiae, quae utraque Maeandro adsita fuit. Nostram vero Magnesiam prope Maeandrum stetisse, et ab hoc cognomen traxisse, jam diximus supra, et dicemus mox iterum. Horum natura flexuum cum ignota esset Goltzio et Begero, suos, quos citavi, numos tribuerunt Magnesiae Thessaliae. Quod in his numis Maeandri imagine peragitur, numus III. inscripto ipso Maeandri nomine praestat. Numus IV. inscriptam Dianam Leucophrynen offert hoc cognomine in hac Magnesia praecipuo cultu evectam, ut dicetur in imperatoriis. Numus V. veram hujus Dianae imaginem sistit, qualis saepe etiam in imperatorum numis occurrit. In numo VI. est Iuno Pronuba a vicina Samo facile huc vocata. Praeterea in hoc, ut et in numo VII. notatur magistratus addita patris mentione, cujus exemplum jam vidimus in numo I., et frequenter in numis urbium Ioniae occurrit. Haec explicatius proponere placuit, ut in disponendis triplicis Magnesiae numis minus laboremus. Qui enim similes, quales descripsimus, offerunt typos, vel modos, tuto huic, in qua sumus, Magnesiae munerabimur.

Ad nonnullos aliqua singillatim sunt observanda. Numi I. loco descripti sunt insignia tetradrachma et valde rari, si modo genuini, nam arte moderna restitutos multos vidi argenteos aeneosque. Eorum vero argumentum erudite explicavit Liebeus [m]). Numus III. mentionem Maeandri addit, et sic passim haec urbs ab altera Magnesia ad Sipylum distinguitur. Sic in foedere inter hos Magnetas et Smyrnaeos: ἐν Μαγνησιᾳ τῃ πϱος τῳ Μαιανδϱῳ [n]). Numus V. utraque sui parte aliquid offert, quod negotium facessit. Vocabulum ΑΤΛΑΙΤΗΣ esse nomen magistratus, etsi insolens, dubium non videtur. Apollinis cognomen esse nequit; nam etsi quis opinari vellet, scriptum esse ΑΤΛΑΙΤΗΣ pro ΑΤΛΗΤΗΣ, quoniam vocabulum istud *tibicinem* notat, Latonae filio competere nequit, qui tibicen nunquam, citharoedus semper fuit, et citharoedus in hoc ipso numo proponitur. Forte *Aulaetes* magistratus propter nominis cum *Aulete* adfinitatem deum aliquem musicum sibi in typum legit, eumque Apollinem Colophonium. Partis aversae ΑΔΤΡΟΦΡΤΝΗ mysterium ingens, dignumque hierophanta, nisi quod suspicor, pro eo vocabulo legendum potius ΛΕΤΚΟΦΡΤΝΗ, praecipue cum adstitutus typus certam sistat Dianam Leucophrynen, de qua mox in imperatoriis. Lectio cl. Sestinii, qui το ΑΔΤΡΟΦΡΤΝΗ in ΛΕΤΚΟΦΡΟCΤΝΗ corrigit, admittenda non est.

* * *

CЄΡΑΠΙC. *Caput Serapidis.* ⅹ ΜΑΓΝΗΤΩΝ. *Isis stans d. sistrum, s. situlam.* AE. II. (Hunter.)

Vtriusque partis typus admissam Aegypti superstitionem testatur, non raro in hoc tractu exemplo.

AV. Göltz. AR. RRR. AE. R.

Imperatorii exstant ab Augusto usque ad Gallienum. Ex Augusteo aevo memorandus hoc loco numus sane aenigmaticus:

ΓΑΙΟC. ΚΑΙCΑΡ. *Caput nudum Caii Agrippae F.* ⅹ ЄΠΙ. CΙΛΟΤΑΝΟΤ. Κ. ΙΟΤCΤΙΝΟΤ. CΙΦΑΝΙΩΝ. *in area monogr.* ΜΑΓ. *Aquila stans.* (Pellerin Rec. III. p. 233.)

Pellerinio dictum monogramma causam suffecit, cur numum hunc huic Magnesiae tribuendum putaret. In vocabulo CΙΦΑΝΙΩΝ. adhaeret, ac jure quidem. Nam A et N conjunctum, qui literarum nexus etiam in AN vocabuli CΙΛΟΤΑΝΟΤ observatur, vetant, quo minus legi possit CΙΦΝΙΩΝ, et haberi Siphni insulae numus, a qua typus aquilae alienus non esset. Praestat indiciis non satis certis differre judicium.

Epigraphe constans: ΜΑΓΝΗΤΩΝ, nulla situs mentione, cum tamen altera Lydiae Sipylum suum sedulo jactet. Verum illustrior haec nostra solo urbis nomine contenta fuit.

ΛЄΤΚΟΦΡΤC. ΜΑΓΝΗΤΩΝ. *Diana* πολυμαςος *stans cum adminiculis, utrinque Victoriae circa caput volitantes, pro pedibus columbae, ut ait Vaillantius*, (Num. Graec. p. 35.) *sed ut idem alibi*, (ibid. p. 152.)

---

m) Goth. num. p. 183. n) Marm. Oxon. II. v. 84.

aquilae, in numo Hadriani. (Vaill. Morelli Spec. tab. XVI.)

Numus hic Dianam sistit, quae Λευκοφρυνης nomine testibus Strabone, Pausania, aliisque in hac Magnesia insignes honores nacta est. Ejus templi magnificentiam eodem loco depraedicat Strabo, magnitudine solo per Asiam Ephesio, et illo, quod in Didymis est, inferioris [o]). Ipsa deae forma vix ab Ephesia differt, nisi quod hujus nostrae caput constanter duae Victoriae stipant. Sed quae alia ad Dianam hanc Leucophrynen, tum et generatim ad Magnesiae historiam spectant, ex veteribus copiose et praeclare collecta reperies apud Buonarrotium [p]).

* * *

ΜΑΓΝΗΤΩΝ. ΝЄΩΚΟΡΩΝ. ΤΗϹ. ΑΡΤЄΜΙΔΟϹ. *Diana Leucophryne, ut supra, vel Apollo stans*, Mamaeae, Gordiani. (Vaill.)

In his numis Magnetes se Dianae suae neocoros profitentur.

* * *

ΜΑΓΝΗΤΩΝ. ЄΒΔΟΜΗ. ΤΗϹ. ΑϹΙΑϹ. *Bacchus nudus manibus elatis insidens cistae mysticae, cui serpens implicatur, omnia intra coronam hederaceam*, in alio: *Aquila expansis alis intra coronam*, in numis Gordiani. (Mus. Caes. Vaill.)

Magnesia se in hoc numo *septimam Asiae* jactat, nempe quae proconsularis fuit, atque etsi adeo hoc pacto longe abesset a claritate illarum, quae se πρωτας της Ασιας dixere, tamen satis sibi videbatur nobilitata, si inter tot illustres alias Asiae urbes septimum videatur sibi locum posse vindicare, neque istud injuria, cum in sola hac Asia quingentas fuisse civitates apud Josephum memoret rex Agrippa [q]), consentiente etiam Philostrato [r]). Quo in tanto numero nequaquam exiguae laudis est, septimam se haberi, quo modo satis etiam clara habita Lesbus, quod inter majores insulas septimum ipsa locum obtinuit [s]), aut sicut vinum Trifolinum, etsi non optimum, tamen se jactavit apud Martialem: (L. XIII. ep. 114.)

Non sum de primo, fateor, Trifolina Lyaeo,
Inter vina tamen septima vitis ero.

Plura alia sunt exempla excellentiae urbium numeris definitae. Apud Suidam dixit oraculum de Aegiensibus Achaiae [t]).

Υμεις δ' Αιγιεες ὑτε τριτοι, ὑτε τεταρτοι,
Ουτε δυωδεκατοι, ὑτ' ἐν λογῳ, ὑτ' ἐν ἀριθμῳ.

Vos vero Aegienses neque tertii estis, neque quarti,
Neque duodecimi, neque in ullo pretio, aut numero.

Quamquam sunt, qui malignum hoc oraculum Megarensibus datum velint. Vide Erasmi adagia [u]). Sed quaeri potest, utrum Magnesia vel septimum hunc locum sine interpellatione obtinuerit, nam verisimile plane videtur, hanc stationem

---

o) L. XIV. p. m. 958. p) Osserv. ist. p. 87. q) Bell. Iud. L. II. c. 16. §. 4. r) In vita Herod. Attic. s) Eustath. ad. Dionys. Perieg. v. 568. t) in Υμεις, ὡ Μεγαρεις. u) Chil. II. cent. 1. §. 79.

non auctoritate publica, sed ambitione privata adsignatam. Quas sex urbes proxime secuta sit, quas alias post se reliquerit, cujusvis arbitrio libenter permitto.

* * *

ΜΑΓΝΗΤΩΝ. ΚΟΛΠΟΙ. *Tres Nymphae humi decumbentes, etc.* in numo Maximi Caes. AE. m. m. (Theupoli.)

Reliqua typi descriptio valde confusa. Quare cum ob hanc causam, tum ob insolitam epigraphen novo numus hic examini meretur subjici.

* * *

ΜΑΓΝΗΤΩΝ. ΑΡΓΩ. *Navis Argo cum remigantibus*, Maximi, Gordiani, Gallieni. (Vaill.)

Celebris haec cymba apud Magnesiam Thessaliae fabricata fuit. Quare Harduinus hos numos Thessalicae huic urbi tribuit, at verius ad nostram hanc referendos, quae illius fuit colonia, monui in numis Magnesiae Thessaliae.

* * *

ЄΠΙ. Γ. ΔΗΜΟΝЄΙΚΟΥ. ΜΑΓΝΗΤΩΝ. *Vir succinctus gradiens arborem s. super humero gestat*, Gordiani. (Mus. Christin. tab. 34.)

Videtur singularis hic typus respicere sacra Magnae Matris, in quibus gestata pinus aequinoctii verni initio succisa, de quo ritu vide Julianum Aug. [x]), Firmicum Maternum [y]), et Arnobium [z]). Huc spectat, quod in vetere Kalendario apud Lambecium ad XI. Kal. Mart. notatur: *Arbor intrat.* Non absimilem typum videre est in numo Metaponti, quem edidi in mea Sylloge I. p. 5.

* * *

ЄΠΙ. Γ. ΑΝΤΙΟΧΟΥ. ΜΑΓΝΗΤΩΝ. *Quatuor viri succincti ferculum gestant, super quo vir sedens d. elata malleum intentat in massam, quam sinistra tenet*, Gordiani. (Ibid.)

Vulcanus sit, an Cabirus, difficile est decidere. Ceterum commemorandus hic numus visus propterea, quod non facile videas in veterum monumentis numinis simulacrum thensis vehi solitum in ferculo ab hominibus gestari.

* * *

Typi reliqui: *Ceres, vel Triptolemus draconum bigis vecti.* Apollo etiam frequens. In numo Caracallae apud Pellerinium (Suppl. II. p. 78.) *sedet, d. plectrum, s. lyrae innixus, pro pedibus Sphinx.* Insolens est, animal istud Apollini adstitutum. Quare, cum in numo Commodi spectata aversa simillimo pro pedibus sit gryphus [a]), suspicor, in priore pro Sphinge gryphum reponendum. De Apolline Gryneo, et alio ΕΜΠΑΝΔΟΙΣ, id est: *in Pandis* a Magnetibus culto, ejusque ibi templo vide marmor Oxoniense II. vers. 61. et 85. ubi et alia ejus urbis numina juramento adhibita recensentur.

Magistratus. In numo Antonini simpliciter: ЄΠΙ. ΔΙΟϹΚΟΥΡΙΔΟΥ.

---

x) Orat. V. y) De err. prof. rel. p. m. 457. z) L. V. a) Le Blond. pag. 37.

Scriba inde ab Aurelio usque ad Gallienum constanter memoratur. Notatur etiam saepe solo Γ, ut vidimus. Dictante Vaillantio in numo Elagabali bini memorantur scribae: ЄΠΙ. ΓΡ. ΦΛΑΚΚΟΥ. ΚΑΙ. ΠΑΥΛЄΙΝΟΥ.

Neocoros, sed suae tantum Dianae fuisse Magnetes, testantur numi supra allati. ΝЄΩΚΟΡΩΝ. ΤΗϹ. ΑΡΤЄΜΙΔΟϹ. Alterius generis neocoratus in ejus numis non exstat. In numo Otaciliae apud Vaillantium est: ЄΠΙ. ΓΡ. ΤΥΧΙΚΟΥ. Β. ΝЄ. nimirum: *Scriba Tychicus bis aedituus.*

Metropolis. ЄΠΙ. ΔΙΟϹΚΟΥΡΙΔΟΥ. ΓΡΑΤΟΥ. ΜΗΤΡ. ΜΑΓΝΗΤΩΝ. in numis Ant. Pii, quos edidit Spanhemius b), et museum Albani. Vtrum literae ΜΗΤΡ. in his indicent *metropolim*, jam dubitavit Spanhemius. Certe in nullo alio numo hunc honorem jactat Magnesia. Quin in numo Gordiani, ut vidimus, dicitur *septima Asiae.*

Mentio situs a Maeandro, ut vidimus in autonomis. In numo Veri apud Buonarrotium c), stat Diana Leucophryne inter duos fluvios humi jacentes, nempe Maeandrum et Lethaeum, Magnetum, ut initio diximus, fluvios.

AE. vix R.

METROPOLIS.

Geographi veteres binas in hoc tractu Metropoles recensent, Lydiae unam, alteram Phrygiae, aperte nullam in Ionia quam tamen praedicant numi. Tamen satis ex iisdem auctoribus colligitur, illam, quam Lydiae adserunt, referri aeque in Ioniam posse. Sic Ptolemaeus eandem, quam in Lydia statuit, dicit sitam prope Caystrum inter Prienen et Colophonem. Plinius hos Metropolitas conventui Ephesi subjicit, quae fuit Ioniae. Strabo, quo loco narrat, Samum vino non excellere, addit, quanquam positae juxta insulae, et vicina continens generosum fundant, ut Chius, Lesbus, Cos, quin et praestantia vina esse Ephesium et *Metropolitanum.*

Autonomi:

ϹΟΛΩΝΟϹ. *Caput virile nudum imberbe.* ✕ ΚΟΙΝΟΝ. ΜΗΤΡΟΠΟΛЄΙΤΩΝ. ΤΩΝ. ЄΝ. ΙΩΝΙΑ. *Juppiter seminudus stans, ex adverso Diana Ephesia inter duos cervos.* (Spon. Miscell. p. 140. Bell. Lettr. Hist. T. III. p. 268.)

Non absimilem citat Holstenius ex Franc. Angelonio d), sed addit, fictitium videri peritioribus antiquariis vocabulum ϹΟΛΩΝΟϹ., vel male sic lectum pro imperatoris alicujus nomine. Addo, facile fuisse, το ϹΑΛΩΝΙΝΑ in ϹΟΛΩΝΟϹ convertere, et ipsum caput per artem mutare, cujus similem cetera numum infra sub *Communi* citabo.

* * *

Caput Palladis. ✕ ΜΗΤΡΟΠΟΛΙΤΩΝ. *Fulmen.* AE. III. (Pellerin. Rec. II. p. 42.)

Hunc numum Pellerinius in numis Metropolis Phrygiae recenset. Verum cum plures fuerint Metropoles etiam extra

b) T. I. p. 627. c) Osserv. ist. Tab. VI. d) Not. ad Steph. p. 208.

Asiam, vix decidi potest, ad quam is sit referendus.

De certo ergo hujus Metropolis autonomo non constat.

* * *

Imperatorii illi certo huc spectant, qui non pauci numero inscribuntur: ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΙΤΩΝ. ΤΩΝ. ΕΝ. ΙΩΝΙΑ. suntque a Trajano usque ad Gallienum.

Typi frequentiores:

Cybele capite turrito sedens inter duos leones. Ex repetito hoc typo verisimile videtur, nomen urbi inditum a cultu της Μητρος, nempe Cybeles, quod saltem de Metropoli Phrygiae diserte tradit Stephanus.

Mulier capite turrito stans ad aram d. Martis signum.

Imperator paludatus stans dexteram porrigit mulieri turritae.

Figura militaris, vel Mars ipse stans d. hastam, s. clypeum.

Adcuratior fui in describendis his typis, quoniam video eosdem typos passim etiam occurrere in numis inscriptis tantum ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΙΤΩΝ, quos tamen antiquarii passim Metropoli Phrygiae adscribunt. Mirum autem, nisi ejusdem sunt urbis, tam proxime typos conspirare. Quare verisimilius videri possit, numos etiam sic inscriptos, cum typos offerunt, qui in certis Metropolis Ioniae numis exstant, huic esse tribuendos. Quod in his omittatur ΕΝ. ΙΩΝΙΑ., non officit, nam et Heraclea Ponti non semper addit ΕΝ. ΠΟΝΤΩ. etc.

Magistratus in numis Ioniae mentionem addentibus non produntur, reperitur tamen *praetor* frequenter in numis inscriptis tantum ΜΗΤΡΟΠΟΛΙΤΩΝ cum typis Metropoli Ioniae propriis; quare et ex his complures huc pertinere censeo.

Commune: ΚΟΙΝΟΝ. ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΙΤΩΝ. ΤΩΝ. ΕΝ. ΙΩΝΙΑ. *Juppiter et Diana Ephesia*, Saloninae. (Harduin.) *AE. R.*

M I L E T V S.

Maritima et Cariae contermina, urbs insignis famae, Thaletis patria, sed multo celebrior copiosis per Propontidem et Pontum ductis coloniis, quibus ex causis sese in marmore apud Chandlerum jactat *primam in Ionia fundatam, et matrem multarum et magnarum urbium in Ponto et Aegypto, et undique per orbem* e), profitente etiam Seneca: *Miletus LXXV. urbium populum in diversa effudit* f). Ipsa colonia Atheniensium conditore Neleo g).

Autonomi:

Caput Apollinis laureatum. ✠ MI. *(in monogr.) Leo astrum respiciens, in imo:* ΕΠΙΚΟΤΡΟΣ. *vel* ΜΝΗΣΙΘΕΟΣ. *etc.* AR. I. (Pellerin.) AR. II. III. (Mus. Caes.

Caput juvenile adversum. ✠ *Sine urbis epigraphe. Leo astrum respiciens, in imo:* Τ. ΔΑΜΑΣ. AE. II. (Pellerin.)

Apollo nudus stans d. cervulum s. arcum. ✠ ΜΙΛΗΣΙ. *Leo jacens, et astrum respiciens.* AE. II. (Mus. Caes. Pellerin.)

Antiquarii priores non observato monogrammate MI., quod Mileti literas

---

e) Inscript. ant. p. 17. f) Consol. ad Helv. c. 6. g) Conon apud Phot. Cod. 186. Diog. Laert. in Thalete. n. XVI.

ἀρχιερέως connectit, nonnunquam inscriptum magistratum in urbis nomen verterunt. Sic in ΚΟΛΧΩΝ. Goltzius Colchos, Harduinus Golgos Cypri viderunt. Sunt etiam aenei, in quibus dictum monogramma abest, sed quos ex leone astrum respiciente certum est Miletum pertinere, idque confirmatur numo ex citatis altero cum magistratu Τ. ΔΑΜΑΣ., qui legitur etiam in numo Neronis inscripto: ЄΠΙ. ΤΙ. ΔΑΜΑ. ΜΙΛΗΣΙΩΝ. (Pellerin.) Typus leonis astrum respectantis astrologicus haud dubie est, ut arietis in numis Antiochiae Syriae, aliorumque Zodiaci signorum in aliarum urbium numis, de quibus vide, quae monebimus in numis ejusdem Antiochiae.

De Apolline cervulum tenente agetur mox in imperatoriis.

Caput Apollinis. Ⅹ ΜΙΛΗΤΟΣ. *Prora navis.* AR. III.

De numo hoc, quem verisimiliter Cius Bithyniae Mileti colonia signavit, vide numos hujus urbis.

Memorandi adhuc varii lapsus antiquariorum.

In numo aeneo musei Caesarei, qui similis est numo ex citatis secundo, scriptum inferne legitur — ΩΠΤΙΩΝ. Legit Froelichius ΟΡΙΚΙΩΝ, eumque Orico Epiri tribuit h), cum sit certus Milesius inscripto solo magistratus nomine.

Male huc Arigonius vocavit autonomum typo pharetrae, et inscripto, ut putabat, ΜΙΛΕΣΕΙΩΝ, cum legendum sit ΑΜΑΣΕΙΑΣ, et numus sit Amasiae Ponti.

Alium inter Mileti numos vulgavit Pellerinius, in cujus aversa est M. intra coronam. Hunc numum potius sic vertendum, ut sit Σ, non M, et verisimilius esse insulae Siphni, jam supra in numis Maleae Laconiae, et Siphni monui.

AR. R. AE. RR.

Regii.

Numos cum capite *Antiochi I.* et *II.* Syriae regum Mileti signatos vide in numis horum regum.

* * *

Imperatorii copiosi ab Augusto usque ad Gallienum. Etiam Drusillae ut deae, et Balbino a Milesiis dedicati numi. At prae omnibus insignis numus max. mod. apud Pellerinium: (Rec. III. p. 237.) ΑΤΤ. Κ. Μ. ΚΛ. ΠΟΥΠΙΗΝΟC. Κ. ΑΝ. ΓΟΡΔΙΑΝΟC. ΚΑΙCΑΡ. Κ. ΑΤΤ. Κ. ΚΑΙ. ΒΑΛΒЄΙΝΟC. *Caput Pupieni laureatum imberbe, medio Gordiani Pii capite nudo.*

Epigraphe in his Mileti numis: ΜΙ. ΜΙΛΗΣΙΩΝ. ΜЄΙΛΗCΙΩΝ. ΔΙΔΥΜЄΥC. ΜΙΛΗCΙΩΝ. *Apollo nudus stans d. cervum, s. arcum*, in numis Caligulae et Claudii.

Idem Apollo etiam in sequentium imperatorum numis comparet, sed absque addito ΔΙΔΥΜЄΥC. In numo Balbini caput habet radiatum, et pro pedibus est arula, et in numo maximi moduli, quem mox ex Pellerinio citavi, tota haec figura una cum arula est in templo tetrastylo, extra templum utrinque adstat vir

h) Notit. elem. p. 105.

nudus pallio solum ab humeris retro volitante tectus, qui facem extimae columnae admovet. De hoc Strabo i)): post Posideum Milesiorum ἐςι το μαντειον τȣ Διδυμεως Απολλωνος το ἐν Βραγχιδαις, *est oraculum Didymei Apollinis in Branchidis;* addit, exustum esse a Xerxe, ei tum regi Branchidas thesauros dei tradidisse, et ne sacrilegii poenas dare cogerentur, una cum iis abiisse. Milesios subinde omnium maximum templum aedificasse, quod ob magnitudinem sine culmine mansit, ornatum omnium gentium donis. Haec Strabo. Coronidem templo imponere parabat Caligula referente Suetonio k)): *Destinabat Mileti Didymeum peragere.* Quare in ejus numis Didymeum hunc Apollinem proposuere. De hoc quoque Plinius l)): *Posideum promontorium et oppidum, oraculum Branchidarum appellatum, nunc Didymei Apollinis*, et in eandem sententiam Mela. Ablatum a Xerxe aeneum Apollinis simulacrum, restitutum multis post annis a Seleuco refert Pausanias m)). Vide praeterea, quae de Branchidis a Xerxe in Sogdianam translatis, eorumque adversus Didymeum maleficio ab Alexandro adhuc in posteris graviter punito narrat Curtius n)). Dictus vero videtur *Didymeus*, quod Apollo et Diana eodem partu editi passim a Graecis Διδυμοι, *gemini*, vocabantur, et quod teste Clemente Alexandrino a Milesiis in consuetis lustrationibus cani solebat:

Μελπετε, ὠ παιδες, Εκαεργον και Εκαεργαν.

Canite, o pueri, longe jaculantem deum et deam.

Aut secundum Macrobium o)), *quod geminam speciem sui luminis praefert ipse illuminando formandoque lunam; etenim ex uno fonte lucis gemino sidere spatia diei et noctis illustrant, unde et Romani solem sub nomine et specie Iani Didymei Apollinis appellatione venerantur.* Aut verius, quod istud Mileti Didymeum sacrum fuit Iovi et Apollini. Ejus testis Stephanus: Διδυμα, ȣ̓δετερως, τοπος και μαντειον Μιλητȣ, ἀφιερωμενον Διι και Απολλωνι. *Didyma, genere neutro, locus et oraculum Mileti, sacrum Iovi et Apollini.* Quare et utrumque conjungit Callimachus p)): Δαιμονες ἐυυμνοτατοι, Φοιβε τε και Ζευ, Διδυμων γενεαρχαι. *Dii hymnis aptissimi, Phoebe et Iuppiter, Didymorum auctores.* Acute observat Pellerinius, binos viros, qui in numo suo facem admovere videntur, signatos propterea, ut renovaretur memoria prioris templi a Xerxe incensi; quamquam et Milesios ipsos deorum templa incendisse arguat Apollonius Tyanensis in epistola, quae est ordine LXVII. editionis Olearii. Hunc Apollinem Didymeum observarunt quoque Romani; nam licebat eum instituere haeredem, ut testatur Vlpianus q)). Ejus cultus diu valuit, nam ab hoc Apolline adhuc Licinium Aug. responsa petivisse tradit Sozomenus r)). De Brancho Apollinis ama-

i) L. XIV. p. m. 941. k) Cap. 21. l) L. V. §. 31. m) L. VIII. c. 16. n) L. VII. c. 5. o) Sat. L. I. c. 17. p) Fragm. Bentl. n. 36. q) Fragm. XXV. 6. r) Hist. Eccl. L. I. c. 7.

sio et Didymei hujus oraculi auctore lege, quae refert Conon apud Photium [s]). De ludis Didymeis mox.

Magistratus nullo primum muneris indicio, deinde

Archontes inde a M. Aurelio usque ad Gallienum observantur.

Neocoratus: ΜΙΛΗϹΙΩΝ. ΝΕΩΚΟΡΩΝ. in solis Balbini et ejus collegarum numis, quos citant Vaillantius et Pellerinius. In his est effigies Apollinis Didymei; quare censeo, hujus tantum neocoros esse voluisse Milesios, ut Magnetas Ioniae suae tantum Dianae Leucophrynes.

Ludi: ΔΙΔΥΜΕΙΩ. ΜΕΙΛΗϹΙΩΝ. intra coronam, in numo cum capitibus Valeriani et Gallieni apud Haym. (T. II. p. 383.) Verum in simillimis aliis Arigonius legit ΔΙΔΥΜΕΙΑ., quae lectio sana et vera, et significat ludos in Didymei Apollinis honorem actos, quos nominat etiam marmor Oxoniense: ΜΕΙΛΗΤΟΝ. ΔΙΔΥΜΕΙΑ. [t]). Male igitur numi sui epigraphen vertit Haymius: *Didymio-Milesiorum.* At multo gravius aberravit Bandurius in lectione numi similis, nimirum: ΔΙΔΥΜΑΙΩΝ. ΕΙΛΗϹΙΩΝ, unde concordiam inter Didymas Ciliciae, et Ilesium Boetiae urbem efficit [u]).

ΜΙΛΗϹΙΩΝ. ΠΑΝΙΩΝΙΑ. ΠΥΘΙΑ. in numo Saloninae, *urna mensae imposita.* Vide Prolegomena ad numos Ioniae.

Concordia cum Epheso, Smyrna, Co. Vide Vaillantium.

AE. C.

PHOCAEA.

Ad fines Aeolidis, cui etiam a nonnullis veteribus inseritur. Ejus incolae Massiliam Galliae condiderunt, ut in hujus numis dictum.

Autonomi. In his

Epigraphe: ΦΩ. ΦΩΚΑΙ. ΦΩΚΑΙΕΩΝ. etiam ΦΩΚΑΕΩΝ., de quo variante ethnico vide plura apud Spanhemium [x]). Typi, quos memorabo, vetant, quo minus numi inscripti ΦΩ. possint in Phocidem Graeciae propriae avocari.

Caput Palladis. ჯ ΦΩΚΑΙΕΩΝ. *Gryphus gradiens, superne pileus Dioscurorum.* AE. III. (Mus. Caes.)

ΙΕΡΑ. ϹΥΝΚΛΗΤΟϹ. *Caput senatus juvenile nudum.* ჯ ΕΠ. Ϲ. Μ. ΑΥΡ. ΘΕΟΔΟϹΙΑΝΟΥ. ΦΩΚΑΙ. *Pallas stans d. pateram, s. hastam cum clypeo.* AE. II. (Pellerin.)

Palladis cultus in hac urbe vetus; nam hujus templum exustum fuisse ab Harpago Medo, narrat Pausanias [y]). Gryphus obvius in Phocaeae numis typus, incertum, qua causa. Obvius est etiam in numis Smyrnae et Tei ejusdem Ioniae urbium.

* * *

Caput muliebre turritum. ჯ ΦΩ. *Duo pilei Dioscurorum.* AE. III. (Pellerin.)

ΦΩΚΕΑ. *Caput muliebre turritum.* ჯ ΦΩΚΑΙΕΩΝ. *Navis, supra quam duo pilei Dioscurorum.* AE. II. (Pellerin.)

Vterque hic anticae typus frequens

---

s) Narrat. 33. t) Pag. 18. n. VII. u) T. I. p. 122. x) Ad Callim. in Pallad. v. 24. y) L. II. c. 31.

est variantibus in parte aversa typis. Phoceam igitur Amazonem urbis suae conditorem somniabant, quod confirmat numus Maximini, in quo *Amazon turrita stans d. pateram, s. bipennem coronatur a Victoria.* Sed Pausanias Phocaenses ante Ionum adventum urbem nullam habuisse adserit, ducere vero genus a Phocide ad Parnassum, ducentibus coloniam Philogene et Damone Atheniensibus [z]), cum quo consentit et Strabo [a]).

Dioscuris magnos in hac urbe fuisse impensos honores, testantur numi, credo, quod teste Herodoto [b]) primi ex Graecis fuere Phocaeenses, qui longinquas navigationes susciperent, quarum praestites dii sunt Dioscuri. Firmat hanc sententiam numus alter, in quo eorum pilei cum ipsa navi sociantur.

* * *

ΦΩΚΕΑ. *Caput muliebre turritum.* Ӿ ΦΩΚΑΕΩΝ. *Canis piscem depascens.* AE. III. (Mus. Caes.)

Exstimat Harduinus, piscem hunc esse phocam, et phocae sic similem, ut ovum ovo, quod viderint historiae halieuticae periti. Si igitur vere phoca est, habemus adlusionem ad urbis nomen. Iam vero notavit et Stephanus, urbem sic dictam, quod multae phocae conditores sequerentur.

* * *

ΙΕΡΑ. CΥΝΚΛΗΤΟC. *Caput senatus juvenile nudum.* Ӿ ΕΠ. C. ΑΦΦΙΑΝΟΥ. ΦΩΚΑΙ. *Mulier capite turrito stans d. pateram, adstat Cybele capite turrito inter duos leones d. pateram, s. tympanum.* AE. II. (Pellerin.)

Prior mulier haud dubie est Phocaeensium Amazon, et Cybele tutelare numen vicinae Metropolis, qua forma haec in ejus urbis numis saepe occurrit, et videtur indicare hic typus concordiam inter utramque urbem.

* * *

Caput Palladis. Ӿ ΦΩ. *Gryphus dimidius volans, infra:* ΙΣΙΔΩΡΟΣ. AE. III. (Mus. Caes.)

Caput Palladis. Ӿ *Sine epigraphe. Caput gryphi inter duos pileos Dioscurorum, infra:* ΠΥΘΙΣ. AE. III. (Hunter.)

Satis apparet alterum quoque hunc numum esse Phocaeae nostrae, etsi hujus nomen reticeatur, nullatenus vero tribuendum Pythio Thessaliae, ut visum erudito Combio catalogi Hunteriani auctori. Vide plura in Pythio Thessaliae.

* * *

Magistratuum nomina in partibus aversis frequenter leguntur, quorum ope variorum autonomorum aetas facile definitur. Sic: CΤΡΑ. ΗΡΑΚΛΕΙΔΟΥ. ΑCΚΛΗ. legitur etiam in numis Commodi, CΤΡ. Μ. ΑΥΡ. ΕΥΤΥΧΟΥC. in numis Caracallae et Gordiani, C. M. ANT. ΘΕΟΔΟCΙΑΝΟΥ. in numo Alexandri apud Vaillantium, sed Pellerinius in autonomo suo pro ANT. legit AΥΡ., deni-

[z]) L. VII. c. 3. [a]) L. XIV. p. m. 939. [b]) L. I. c. 163.

que ЄΠ. C. ΑΦΦΙΑΝΟΥ. in numis Maximi.

* * *

Staterum Phocaeensium nobiles scriptores meminere. Thucydides [c]: και λαβοντες δισχιλιυς ςατηρας Φωκαΐτας κ. τ. λ. Demosthenes loquens de coacta, et expensa in milites pecunia ait [d]: και παρα των φιλων της πολεως λαβων τριακοσιυς ςατηρας Φωκαεις κ. τ. λ. Pollux Thucydideum testimonium citat, additque, fuisse hos stateres numismatis genus sic vocatum [e]. Fuisse aureos, sed pessimae notae, colligo ex Hesychii verbis: Φωκαΐς, ονομα εθνυς, και το κακιςον χρυσιον. Tamen cum hactenus nondum hujus generis stater in conspectum venerit, verisimile videtur, veram monetam non fuisse, sed parvas massas ad pondus Phocaeensium exactas et expensas, aut verius numos imaginarios quo de genere pluribus egi alibi. (Proleg. gen. Vol. I. c. 9.) Sane hactenus hujus populi numus aureus vel argenteus visus non est.

AE. C.

Imperatorii a Vespasiano usque ad Philippos.

Epigraphe ΦΩΚΑΕΩΝ. frequentius ΦΩΚΑΙΕΩΝ.

Typi illustriores:

Duo viri nudi gradientes d. hastam intentant, s. clypeum, hinc et inde astrum, Aurelii Caesaris. AE. m. m. (Mus. Caes. Haym.) et Maximini. (Mus. Albani.)

Vix alibi Dioscuros hoc cultu propositos reperias. Quae illos causa in Phocaeensium monetam vocaverit, in autonomis diximus.

* * *

Fluvius humi decumbens saepe conspicitur, quem esse Hermum, cui urbs vicina fuit, dubium non videtur. In numo Lucillae musei Caesarei, et Gordiani apud Vaillantium juxta fluvium est avicula incerti explicatus. Ad idem argumentum pertinent numi sequentes:

ЄΠΙ. CΤΡ. Μ. ΑΥΡ. ЄΥΤΥΧΟΥC. ΦΩΚΑЄΩΝ. *Mulier humi et super aquas sedens, juxta scriptum* ΤЄΡΗ. Caracallae AE. m. m. (Vaillant. Arigoni.)

ΦΩΚΑΕΩΝ. *Mulier humi sedens d. ramum, in imo:* CΜΑΡΔ. Maximi Caes. AE. III. (Mus. Caes. et editus in mea Sylloge I. p. 38.)

Vaillantius ad numum suum observat: ΤЄΡΑ *nomen esse fontis, alicubi legimus.* Forte alicubi legit Teriam Leontinorum in Sicilia amnem, sed qui huc non pertinet. Dubium non videtur, *Teram*, et alterius numi *Smard* - - nomina esse fontium Phocaeae vicinorum, et per religionem sacrorum, qualis fuit, ut copiosos alios praeteream, sua Syracusanis Arethusa, Myrensibus Lyciae Curium fons Apollinis ab augurio clarus [f]. Confirmat istud etiam typus, nempe figura humi sedens, et quidem, ut in numo priore, super aquas fluitantes, ac praecipue quod illa muliebri sit specie, nimirum quia fontium praesides fuere Na-

c) L. IV. c. 52. d) Adv. Boeotum orat. II. p. 1013. e) L. IX. §. 93. f) Plin. L. XXXII. §. 8.

jades. Eodem modo Aphrodisienses Cariae in numis suis suum jactarunt Corsymum, Midaenses Phrygiae Elaten, Blaundenses Lydiae Hippurium, alii alios, quos enumerabo in commentatione de fluviis et fontibus, in moneta vetere memoratis. Praeteriti hi sunt ab historicis et geographis, quia publice ignobiles fuerunt habiti, at privatim a vicinis urbibus celebritatem nacti. Quod si Phocaeenses in fontium nominibus variarunt, in causa haud dubie fuerit, quod plures in agro suo habuerint fontes sive sibi utiles, sive sacros. Eodem modo Syracusani non unam habuere in finibus suis Arethusam, sed et Temeniten, Archidemiam, Magaeam, Cyanen, et Milichien g). Non vero praetereundum, quod ad praesens argumentum proxime pertinet, illud, quod narrat Eustathius h), Amazones, inquit, multa olim in Asia tenuisse loca, comprobant et fontes aliqui Amazonibus cognomines. Si igitur quis fons hac fuit fortuna, mirum non est, ejus nomen numis fuisse insertum.

Magistratus praetor inde a Vespasiano legitur, et usque ad finem continuatur. Aliquorum nomina in autonomis dedimus.

AE. R.

PRIENE.

Maritima prope Mycalen, ubi Panionium celebratum est, ut diximus in prolegomenis ad Ioniae numos. Biantis philosophi fuit patria, sed cujus velut exstinctae vestigia tantum exstare dixit Val. Maximus i).

Autonomi :

Caput Palladis. Ӿ ΠΡΙΗ. ΔΙΟΝΥ. *in alio:* ΠΡΙΗ. ΑΡΣΑΓ. *in alio:* ΠΡΙΗ. ΜΕΝΕΚ. *scriptum intra coronam ex Maeandri flexibus compositam.* AE. III. (Pembrock P. II. tab. 25. Pellerin, Hunter.)

Palladis delubrum, et insigne simulacrum, quod apud hanc urbem fuit, multum commendat Pausanias k). Etiam Vitruvius ejus templi meminit l). Combustum a Xerxe, ut reliqua Ioniae omnia dempto Ephesio, restitutum fuisse ab Alexandro M., docet lapis ibi repertus: ΒΑΣΙΛΕΥΣ. ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΣ. ΑΝΕΘΗΚΕ. ΤΟΝ. ΝΑΟΝ. ΑΘΗΝΑΙΗΙΠΟΛΙΑΔΙ. sed quae postrema sic haud dubie corrigenda: ΑΘΗΝΑΙ. ΤΗΙ. ΠΟΛΙΑΔΙ. m), ex quo discimus etiam, hanc Palladem Poliadis nomine a Prienensibus fuisse cultam.

Flexus Maeandri his numis inserti sunt, quia Priene ad ejus fluminis ostia sita fuit.

* * *

ΤΟΝ. ΚΤΙϹΤΗΝ. *Caput Herculis.* Ӿ ΠΡΙΗΝΕΩΝ. *Taurus.* (Harduin.)

Hercules fuit domo Boeotus, et Priene dicta quoque fuit Cadme a Cadmo Boeotiae incola, quia Philotas, qui eam condidit, Boeotus fuit, quod jam ex Strabone docuit Harduinus. Thebanorum etiam coloniam dixit Diogenes Laertius n).

g) Plin. L. III. §. 14. h) Ad Dionys. v. 828. i) L. VII. c. 3. k) Achaicor. cap. 5. l) Praef. ad. L. VII. m) Chandler Ionian antiquit. p. 15. n) In Biante n. 2.

* * *

Numi inscripti, ut credebatur, ΠΡΙΑΝΕΙΕΩΝ, qui ab Harduino et Froelichio huic urbi tribuuntur, sunt Priansi Cretae, ut dictum in hujus urbis numis. *AE. RR.*

Numum Alexandri M. inscriptum ΠΡΙ. ΒΙ. in hac urbe percussum vide in numis hujus regis. Literae ΒΙ. videntur indicare magistratum *Biantem*, non infrequens, ut conjicio, inter Prienenses nomen, arcessitum haud dubie causa Biantis philosophi, qui patriam Prienen nobilitavit. Noverit istud insignis Chariton, a quo apposite admodum in fabulam suam illatus fuit Βιας ὁ στρατηγος Πριηνεων o). A Plutarcho proditur Bias clarus Prienensium ad Samios legatus p).

* * *

Imperatorii bini tantum memorantur a Vaillantio, sed quorum prior aliorsum pertinet.

ΕΠΙ. ΑΡΧ. - - - ΦΙΛΟΠΑ. ΤΟ. Β. ΠΡΙΗΝΕΩΝ. *Mulier dexteram attollens, s. quid ignotum*, Tiberii. AE. II.

Numum hunc Vaillantius ex museo Gottifredi citat, qui nunc est in museo Ducis Bracciani, olim reginae Christinae, sed adeo vitiatus, ut neque urbis nomen, neque typus, ut ipse vidi, tuto ex illo colligi possit. Idem numus serius ex pictura Bartolii restitutus est in museo reginae Christinae q), et a Morellio ex eodem museo r). Erudite utroque loco conjicit Havercampus collato altero Prymnessi Phrygiae, quem edidit Haymius, legendum in hoc numo ΠΡΥΜΝΗϹϹΕΩΝ, non ΠΡΙΗΝΕΩΝ.

* * *

ЄΠΙ. ΑΡΧ. ΙΟΥ. ϹΑΤΟΡΝЄΙΝΟΥ. Valeriani sen.

Magistratus ergo *archon* Prienen rexit. Chariton, ut modo vidimus, praetorem urbi praefecit.
AE. RRRR.

SMYRNA.

Vrbs inter praecipuas non Ioniae solum, sed totius Asiae, cujus cum copiosi, tum maxime varii exstant numi. Condita a Theseo Thessalo Admeti nepote, et ab uxoris nomine appellata, ut refert Herodotus creditus auctor vitae Homeri, sed Strabo a Smyrna Amazone conditam ait, ut dicetur. Triplicem ejus originem vide apud Aristidem rhetorem s), cum quo confer Tacitum t).

Autonomi:

Caput muliebre turritum. ℞ ΣΜΥΡΝΑΙΩΝ. ΠΡΥΤΑΝΕΙΣ. *Mulier capite velato et tutulato stans s. simul Victoriolam tenet, simul columnae innititur.* AV. didrachm. (Seguin Num. sel. p. 32.)

Hic numus Spanhemio prolixae dissertationis materiam praebuit, quam inscripsit: *de Vesta et Prytanibus Graecorum diatriba*, cujus haec est summa. Caput anticae censet esse Amazonis, de qua pluribus agemus infra. Vocabulum ΠΡΥΤΑΝΕΙΣ, quo indicantur pryta-

o) Amator. narrat. L. IV. c. 5. et L. V. c. 6. p) Quaest. Graec. p. m. 296. q) Tab. XLVIII. r) Numi Tiberii T. XII. n. 11. s) Tom. I. p. 270. t) Ann. IV. c. 56.

nes, notus Graecorum magistratus, viro erudito persuasit, ut in signo proposito Vestam videret, quia apud Athenaeum Εςιαν Πρυτανιτιδα legerat, et passim constat, in Graecorum prytaneis ignem Vestae arsisse, et per eum jurari solitum. Perperam sensisse philologos plerosque, qui decepti ab Ovidio variis locis adserente in Fastis, Vestam non esse, nisi ignem, nullumque ejus simulacrum, non exstitisse unquam ejus signa autumabant, cum ejus simulacri meminerit Pausanias in Atticis, aliique, quorum copiosa testimonia elicit, ac praeterea ejus signum obvius sit in numis Romanis typus. Quod ad figurae attributa attinet, velum ex iisdem Romanorum numis tuetur, tutulum vel calathum, quod hic proprius fuerit Cereri, huic autem cum Vesta multum conveniat, Victoriam, quia Vesta in nonnullorum sententia eadem cum Venere, quam dictam fuisse Victricem, nemini non notum, columnam, quia Vesta eadem est cum terra, et a *stando* Graecis perinde ac Romanis dicta, unde Ovidius [u]): *Stat vi terra sua, vi stando Vesta vocatur.* Denique gravissimum ei argumentum sufficit numus maximi moduli Faustinae senioris ex museo reginae Christinae: VESTA. *Mulier stans ante aram d. pateram, s. Palladium, supra aram columna cum Victoria.* Haec Spanhemius, sed, ut verum fatear, multum video in universa hac dissertatione tribui conjecturis, et multa desunt, quae plane persuadeant, esse omnino Vestae imaginem. Eadem occurrit in aeneis quoque, quos mox commemorabo, solo fere discrimine, quod pro ΠΡΥΤΑΝΕΙΣ varia magistratuum nomina in iis leguntur, quorum occasione aliam proponam ejus typi explicandi viam. Ceterum argumentum e Faustinae numo petitum minus firmum est propterea, quod numum hunc nusquam alibi citari video, et constat, saepius Spanhemium in describendis, approbandisque numis lapsum.

Aureum adhuc unum Pellerinius, eumque anepigraphum, ob typum leopardi, qui in certis Smyrnaeorum argenteis simillimus exstat, huc verisimiliter vocandum censet.

* * *

Caput muliebre turritum. ☧ ⌗ΜΥΡΝΑΙΩΝ. *Leo gradiens, in aliis: Leopardus gradiens, inferne* ΜΗΤΡΟΒΙΟΣ. *vel* ΗΡΑΚΛΙΔΗΣ, *etc. omnia intra coronam quernam.* AE. I. (Pellerin, Mus. van Damme.)

Caput muliebre turritum. ☧ ⌗ΜΥΡΝΑΙΩΝ. *subjecto monogrammate intra coronam quernam, nullo alio typo.* AR. I. (Mus. Caes.)

Vt perrari sunt illustres hi tam a metallo, quam pondere numi, praecipue, quos priore loco descripsi, ita ad eruditas observationes nihil conferunt, neque idonea hactenus ratio insculpti sive leonis, sive leopardi reperta est. Subjectum in numis loci II. monogramma saepe in certis hujus urbis numis comparet. Ejus formam Pellerinius exhibet in Supplemen-

---

u) Fast. VI.

to II. tab. X. n. 64., monuitque, (pag. 158.) eo contineri literas ἀχαιουσας vocabuli *Smyrna*. At enim spectata hujus monogrammatis forma hae literae nonnisi violente eliciuntur, et multo illud proclivius putem in ΠΡΥΤ. quam ΣΜΥΡ. posse resolvi, ac tum indicarentur *Prytanes*, quos jam explicato supra numo aureo inscriptos vidimus. Istud certum, hoc monogramma, quemcunque exigat explicatum, fuisse Smyrnaeis proprium, atque hac de causa tetradrachmum Alexandri M., quia illo notatum est, Smyrnae signatum conjecimus. Vide numos hujus regis.

* * *

Caput muliebre turritum. Ӿ ΣΜΥΡΝΑΙΩΝ. *Mulier cum calatho in capite stans s. Victoriolam super columella tenet; additur magistratus*, ut: ΙΚΕΣΙΟΣ etc. AE. III.

Caput muliebre turritum intra lauream, vel quernam. Ӿ ΣΜΥΡΝΑΙΩΝ. *Eadem mulier stans, nisi quod d. praeterea sceptrum tenet, et pro ejus pedibus avicula est, additur magistratus* ΞΕΥΞΙΣ *vel* ΕΡΜΟΓΕΝΗΣ. etc. AE. III.

Caput juvenile laureatum. Ӿ ΣΜΥΡΝΑΙΩΝ. *Vir palliatus sedens cum transverso scipione dextera mento admota, s. volumen, in area nonnunquam astrum, additur nomen unum, vel duo*, ut: ΙΚΕΣΙΟΣ. *vel* ΕΡΜΟΓΕΝΗΣ. ΤΡΙΚΚΑΣ. *vel* ΙΑΣΩΝ. ΙΑΣΟΝΟΣ. *etc.* AE. III. Similem, sed AR. fere II. edidit Pellerinius, qui propterea rarissimus est.

Caput juvenile laureatum. Ӿ ΣΜΥΡΝΑΙΩΝ. *Manus loris obligata, juxta palmae ramus, additur nomen*, ut: ΙΑΤΡΟΔΩΡΟΣ. AE. III.

Omnes hi numi per fabricam, literarum formam, inscriptorum magistratuum modum unam aetatem loquuntur, atque ut apparet, eam, quae Augustorum aetatem praecessit. Omnes hos collegit et in lucem protulit Richardus Meadius magni in Britannia nominis medicus in erudita dissertatione *de numis quibusdam a Smyrnaeis in medicorum honorem percussis*. Auctor in eo totus est, ut comprobet, hos numos omnino in medicorum honorem Smyrnae fuisse signatos, neque adeo medicos, quod illustres nostri aevi auctores censuere, olim in servorum numero habitos, quam injuriam olim Sponius quoque, et ipse medicus, amare conquestus est [x]). Facem Meadio praetulit Strabo, qui refert [y]), prope Laodiceam Phrygiae scholam magnam medicorum Herophileorum sua aetate exstitisse sub Zeuxide, ac subinde Alexandro Philaletha, sicut, addit, patrum nostrorum aetate Smyrnae schola Erasistratea fuit sub Hicesio, nunc vero nihil simile evenire. Revera Hicesius in numis a me supra numeris I. et III. descriptis memoratur.

Suam ergo sententiam ut tueatur, omnes eos, qui numis his inscripti sunt, medicos facit, ut revera his nominibus olim fuisse claros medicos, plerosque ex veteribus eruit. In eo deinde elaborat, ut typos omnes pharmaceuticae

x) Misc. p. 144. y) L. XII.

subjiciat. Ergo caput juvenile numi III. et IV. deae Hygiae facit, idque confirmat ex numis gentis Aciliae, in quibus deae SALVTIS caput laureatum est. In horum postica videt Aesculapium sedentem, qui s. gladiolum chirurgicum tenet, et dexteram versus labia admovet, quo significet arcana scientiae medicae, et juratum ab ejus candidatis silentium. In aversa numorum I. et II. simulacrum Isidis videt, quae cum magna Matre et Aesculapio eandem potentiam Smyrnae sortita est. Avim adstitutam anserem putat Isidi, ut constat, sacrum. In aversa numi IV. sacra Isiaca proponi credit ab antistitibus in pompa Isidis gestari solita, nempe palmae ramum, et ex cavo aere manum sinistram deformatam porrecta palmula, ad quod probandum violente omnino locum Apuleji in aur. asin. L. XI. torquet, quanquam et alios hujus typi explicatus non fastidiat, modo cum Iside, aut Aesculapio connectantur.

Miram hanc et plane singularem Meadii opinionem admitti non posse, jam alias comprobavi [z]), ac serius cum in Cl. Wise lucubrationes inciderem, qui eam in rigidum examen vocavit [a]), laetabar vehementer, eruditum hunc virum eadem plane mecum sentire. Neque ego, quod Meadius in hac causa scripserat, serio scriptum ab eruditissimo hoc viro existimo, verum leporis festivi, atque eruditae elegantiae causa, ut censuere et alii. Misso igitur hoc ingenii lusu verum, aut verisimilem saltem horum numorum explicatum proponam, commemoratis plerumque iis argumentis, quibus ad eos explicandos Wisius usus est.

Quod ad viros numis his inscriptos attinet, demus, fuisse ex his nonnullos reipsa medicos, at istud negavero, fuisse inscriptos, quia fuere medici, sed quia simul fuere medici, simul magistratu in rep. functi. Cur enim in ea claritate, qua schola Erasistratea Smyrnae fuit, atque iis opibus, quae Aesculapii filios vulgo consectantur, medicis permissum non fuisset ad magistratus eponymi honores eniti? Egregie huc servit marmor a Grutero vulgatum [b]):

ΤΙΒΕΡΙΩΙ. ΚΛΑΥΔΙΩΙ.
ΚΟΥΙΡΕΙΝΑΙ.
ΜΕΝΕΚΡΑΤΕΙ. ΙΑΤΡΩΙ.
ΚΑΙΣΑΡΩΝ. ΚΑΙ. ΙΔΙΑΣ.
ΛΟΓΙΚΗΣ. ΕΝΑΡΓΟΥΣ.
ΙΑΤΡΙΚΗΣ. ΚΤΙΣΤΗΙ. ΕΝ.
ΒΙΒΛΙΟΙΣ. ΡΝϛ. ΔΙ. ΩΝ.
ΕΤΕΙΜΗΘΗ. ΥΠΟ. ΤΩΝ. ΕΝ.
ΛΟΓΙΜΩΝ. ΠΟΛΕΩΝ.
ΕΝ. ΤΕΛΕΣΙ. ΟΙ. ΓΝΩΡΙΜΟΙ.
ΤΩΙ. ΕΑΥΤΩΝ. ΑΙΡΕΣΙΑΡΧΗΙ. ΤΟ.
ΗΡΩΟΝ.

Tiberio Claudio Quirina Menecrati, medico Caesarum, et propriae rationalis practicae artis medicae auctori in libris CLVI. propter quos honoratus fuit ab illustribus urbibus magistratuum muniis, discipuli haeresiarchae suo monumentum. Item in marmore apud Chandlerum (Inscr. ant. p. 19. n. 54.) Menecrates archia-

z) Num. vet. p. 256. a) Mus. Bodl. p. 145. b) Pag. 581. 9.

ter dicitur *Stephanephorus*, quae dignitas inter prima sacra urbium munia fuit. Apud Reinesium (Synt. T. II. p. 608.) Asclepiades medicus STVDIORVM. ET. MORVM. CAVSA. PROBATVS. A. VIRIS. CLARISS. ADSEDIT. MAGISTRATIBVS. POP. R. At multo apertius ac certius videbimus medicos signatos in numis Laodiceae Phrygiae, verum et hos tanquam urbis magistratus. Ceterum verum est, ut erudite observat Wise c), eadem nomina fuisse etiam variis antiqui aevi pictoribus aut poetis indita, sic ut eodem jure adseri posset, apud Smyrnaeos non minus pictores atque poetas jus habuisse monetae, quo istud de medicis adserit Meadius. Ad haec observandum, multos medicos, qui viris in hac moneta signatis synonymi sunt, vixisse multo ante, aut multo postea, quam hi numi, ut certa istud criteria evincunt, signati fuere.

Jam igitur ad probabiliorem horum typorum explicatum accedamus.

Caput muliebre turritum esse magnae matris deorum Sipylenes, de qua infra, dubium non videtur. Caput juvenile laureatum, quod Meadius esse Hygiae conjectat, esse verius Apollinis censet Wisius. Nihil decido. Illud tantum addo, mulieris mihi verius lineamenta ex numis integerrimis musei Caesarei videri.

Vir togatus in aversa sedens, ut Aesculapius censeri possit cum Meadio, nihil persuadet; quin abest serpens, qui ejus dei certissimum indicium est, et erudite probat Wisius ex Pausania, Aristide, aliisque, ante Hadriani aetatem, qua primum Smyrnae Aesculapii templum condi coepit, ejus cultum apud Smyrnaeos receptum nondum fuisse. Est ergo signum, quod supra in numo III. descripsi, indubitatus

HOMERVS. Constat ex noto Gellii carmine: Σμυρνα, Ροδος, Κολοφων, Σαλαμις, Χιος, Αργος, Αθηναι, Smyrnam fuisse unam ex iis urbibus, quae natum apud se poetam praedicabant. Quare Smyrnaei tanti civis memoriam non statuis modo, sed etiam templis prosecuti sunt, quod docet non Cicero modo d): *Smyrnaei vero suum esse confirmant*, (Homerum), *itaque etiam delubrum ejus in oppido dedicaverunt*, sed et praeclare ad causam nostram refert Strabo e), *esse Smyrnae bibliothecam, et Homereum, porticum quadratam cum templo et simulacro Homeri, Smyrnaeos enim ceteris pertinacius poetam sibi vindicare, aeneorum etiam numorum quoddam genus ab iis Homereum vocari.* En Homeri apud Smyrnaeos templum, simulacrum, oppidanorum acrem contentionem ad vindicandum sibi Homerum, ipsam adeo monetam dictam Homeream, quamque opportune aeneam vocat, qualis haec nostra est, quas certe alia non est, quam cujusmodi eam loco III. descripsi, nam numi, qui adscriptum ΟΜΗΡΟϹ habent, quos mox producam, haud dubie post Strabonem signati sunt. Quin et numi docent, ab aliis passim populis

---

c) L. p. c. 147. d) Pro Archia. e) L. XIV.

creditum, Homerum apud Smyrnam natum; nam in Amastrianorum Paphlagoniae numis una parte est caput Homeri scripto juxta ΟΜΗΡΟϹ, ab altera ΜЄΛΗϹ, typus: *Meles Smyrnaeorum fluvius decumbens d. lyram tenens*, a quo constat, Homerum dictum fuisse *Melesigenem*. Ejus memoriam etiam post Strabonem in Smyrnaeorum numis conservatam videbimus infra in imperatoriis, et docet sequens autonomus, et hic sub imperatoribus signatus:

ΟΜΗΡΟϹ. *Homerus sedens s. volumen tenens.* ✗ CΜΥΡΝΑΙΩΝ *intra coronam quernam.* AE. III. (Wise pag. 4. et 149. Pembrock P. II. tab. 80. Theupoli.)

Et vero ipsa species viri gravis sedentis, scipionem seu hastam manu una, altera volumen tenentis Homerum aperte loquitur. Teste Aeliano [f]) Ptolemaeus Philopator, cum templum Homero dedicaret, eum decore sedentem fingi voluit, quod forte simulacrum illud ipsum fuerit, quod auctor encomii Demosthenis, quod vulgo Luciano tribuitur, ait stetisse in templo Ptolemaei καθειμενον τας κομας, *promissis capillis* [g]). Sedet etiam hastam et volumen tenens in tabula marmorea ejus apotheosin exhibente, quam notis illustravit Cuperus. Non absimili habitu est in numo mox citato Smyrnae, in quo ΟΜΗΡΟϹ. additur, et in imperatoriis, qui infra dabuntur. Denique simili forma fingitur in numis Colophonis, quin et in numo Chii (nam utraque haec civitas nati apud se Homeri gloriam captavit) tenet volumen, cui inscriptum ΙΛΙΑϹ. Videtur hic solitus fuisse illustres poetas fingendi modus. Nam Aeschines in epistola, quae exstat in operibus Demosthenis [h]), sic aeneam Pindari statuam Athenis positam describit: καθημενος ενδυματι και λυρα ὁ Πινδαρος, διαδημα εχων, και επι των γονατων ανειλιγμενον βιβλιον, *Pindarus cum veste et lyra sedens, habens diadema, et in genibus complicatum volumen.*

Sequitur simulacrum deae in aversa stantis, quae demptis nonnullis attributis, quae addere vel omittere in monetarii fuerit arbitrio, eadem est in aureo Seguiniano, quem primo loco produxi, et in aeneis loco I. et II. allatis. Hanc Spanhemius Vestam, Meadius Isidem dixit, at Cl. Wise deum matrem Sipylenen, cujus pervetustum fuisse Smyrnae cultum, et in seram aetatem continuatum, mox infra intuebimur. Quod in aureo Seguini additum sit ΠΡΥΤΑΝΕΙΣ, censet, Prytanum jussu eam erectam statuam, ejusque memoriam tanquam deae apud ipsos principis in numis conservatam. Istud si verum, ipso Wisio judice bis habebimus Sipylenen in uno eodemque numo Seguiniano, et in citatis aeneis; jam enim in capite turrito, quod est in horum antica, ipse agnovit Sipylenen. Vaillantius simili typo in numis Augusti notari Vestam, in alio Lucii Caes. Astarten solita inconstantia adserit. Fateamur potius, de

f) V. H. L. XIII. c. 22. g) Sub. init. h) Pag. 207.

nujus numinis vero nomine nondum satis nobis constare.

Insculptam numo II. avim Meadius anserem putat. Verum esse potius columbam, satis probant inspecti numi non modo autonomi, de quibus hic sermo, sed etiam numi cum capite Augusti, qui eundem omnino typum exhibent, quosque videre est apud Vaillantium, et in Impp. Morellii.

Postremam animadversionem postulat manus sinistra caestu armata, quae est loco IV. Dixi speciosam Meadii explicationem, reipsa autem hic typus ad pugilatus causas videtur referendus, quod non obscure adstitutus palmae ramus innuit, qui victori in praemium cessit.

* * *

Autonomi reliqui illustriores:

ΖΕΤC. ΑΚΡΑΙΟC. *Caput Iovis nudum variantibus in aversa typis.* AE. II. III. (Mus. Caes.)

Est hic *Iuppiter arcensis* etiam ex numo Temni Aeolidis cognitus. De eo Callimachus: (in Jov. v. 81.)

ἷζεο δ' αυτος
Ακρης ἐν πτολιεσσιν, ἐποψιος, οἱ τε δικησι
Λαον ὑπο σκολιης, ὁι τ' ἐμπαλιν ἰθυνεσιν.

sedes vero ipse
In celsis arcibus, inspiciens, qui jure
Populum iniquo, et qui contra gubernant.

Quod explicat vetus enarrator: *ἐν ταις ἀκροπολεσι καθεζῃ, ὁρων τα δικαια.* Alios deos Ακραιυς vidimus supra in numis Mytilenes. Sed et Iuno dicta *Acraea* a promontorio, quod Corintho imminet [i].

* * *

ΟΠΛΟΦΥΛΑΞ. *Caput Herculis nudum variantibus in aversa typis.* AE. III. (Mus. Caes.)

Herculem Smyrnae nomine *ὁπλοφυλακος*, *armorum custodis*, cultum fuisse, egregie confirmat marmor Oxoniense XXX. ΓΕΣΣΙΟΣ. ΦΛΑΚΚΟΣ. ΣΤΡΑΤΗΓΟΣ. ΕΠΙ. ΤΩΝ. ΟΠΛΩΝ. ΗΡΑΚΛΕΙ. ΟΠΛΟΦΥΛΑΚΙ. Existimat Cl. Vandale, nomine *ὁπλων* hoc loco non indicari arma bellica, sed instrumenta gymnastica [k].

* * *

CΙΠΥΛΗΝΗ. *Caput muliebre turritum variantibus in aversa typis.* AE. III. (Mus. Caes. Theup. Wise p. 9.)

Fuit Sipylene eadem cum matre deorum, seu Cybele, sic dicta a monte Lydiae Sipylo, cujus accolas Magnetes longe antiquissimum habuisse ejus deae signum refert Pausanias [l]). Per eam jurasse non Magnetes modo Ioniae, sed et Smyrnaeos, constat ex foedere inter utrosque inito, quod conservavit marmor Oxoniense II., cujus verba sunt [m]): *ὀμνυω Δια, Γην, Ηλιον, Αρη, Αθηναν Αρειαν, και την Ταυροπολον, και* ΤΗΜΜΗΤΕΡΑ ΤΗΝ ΣΙΠΥΛΗΝΗΝ. *juro per Iovem, Tellurem, Solem, Martem, Minervam Martialem, et Tauropolon, et MATREM SIPYLENEN.* Etiam Strabo ejus conservavit memoriam, sed locum esse luxatum jam viderunt eruditi, cum narrat [n]), Rheam a locis dictam fuisse *Ιδαιαν, και Δινδυμηνην, και* ΠΥΛΗΝΗΝ, *και Πεσ-*

i) Liv. L. XXXII. 23. k) Diss. V. c. 3. p. m. 413. l) L. III. c. 22. m) Vers. 60. et 70. n) L. X. p. m. 719.

σιγεντιδα, και Κυβελην, ubi magnus Casaubonus jure reposuit ΣΙΠΥΛΗΝΗΝ pro ΠΥΛΗΝΗΝ. Ejus deae cultum traductum Smyrnam, docet quoque Vlpianus, cum refert [o]), etiam *deum matri Sipylenae, quae Smyrnae colitur*, a Romanis fuisse permissum, ut haeres posset institui. Appellationis hujus causa in promptu est; nam prima et vetustissima Smyrna sub Sipylo monte condita fuit, de quo vide Aristidem [p]). Ceterum, quod dixeram, hanc Sipylenen esse eandem cum Matre deorum Cybele, egregie confirmat ejus imago in numo Iuliae Titi F., quem edidit Morellius, in cujus aversa est: CΙΠΥΛΗΝΗ. CΜΥΡΝΑΙΩΝ. *Dea sedens capite turrito d. pateram, s. tympano inixa, juxta cubans leo*, quae sunt solita Cybeles attributa. Adde numum Pembrockianum [q]): CΙΠΥΛΗΝΗ. *Caput muliebre turritum.* ✠ CΜΥΡΝΑΙΩΝ. *Leo pede anteriore tympanum tenens.*

* * *

ΒΟΡΕΙΤΗΝΗ. De hac agetur in numis Thyatirae Lydiae.

* * *

CΜΥΡΝΑ. *Caput muliebre turritum cum bipenne.* ✠ CΜΥΡΝΑΙΩΝ. *Prora navis aliive typi.* AE. III. (Mus. Caes.)

Caput anticae Amazonem Smyrnam sistit, a qua conditam Smyrnam definite dixere Strabo, Plinius, aliique. Divisus hic typus unitus exstat in numis autonomis sub Gordiano, ut inscriptus Tertius Asiarcha testatur, signatis, in quibus *Amazon turrita stans d. pateram, s. clypeum et bipennem, pro pedibus prora navis.* De hac navi vide infra in imperatoriis. Numum ipse erudite explicat Cl. de Boze [r]), et mox iterum producam.

* * *

ΑΔΡΙΑΝΗ. CΜΥΡΝΑ. *Caput muliebre turritum.* AE. II. (Pellerin.)

Hadrianae nomen sumpsit Smyrna, quia ab Hadriano multis beneficiis ornata fuit testante istud Philostrato [s]). In marmore Smyrnaeo, quod editum est inter Oxoniensia [t]), et apud Sponium [u]) legitur: ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΙ. ΑΔΡΙΑΝΩ. ΟΛΥΜΠΙΩ. ΣΩΤΗΡΙ. ΚΑΙ. ΚΤΙΣΤΗ.

* * *

CΜΥΡΝΑΙΩΝ. ΠΡΩΤΩΝ. ΑCΙΑC. *Protome muliebris velata d. elata spicas, s. cornucopiae.* ✠ ΕΠ. C. Μ. ΑΥΡ. ΤΕΡΤΙΟΥ. ΑCΙΑΡΧΟΥ. *Amazon turrita stans d. pateram, s. bipennem et peltam, pro pedibus navis.* AE. I. (Pellerin Mel. I. p. 64.)

Eadem adversa. ✠ ΕΠΙ. ΦΙΛΗΤΟΥ. ΙΠΠΙΚ. CΜΥΡ. *Iuppiter Nicephorus sedens.* AE. I. (Ibid.)

Cl. Boze, qui, ut paullo altius dixeram, numum ex his binis priorem edidit, cum videret, *Tertium Asiarcham* Gordiani numis inscriptum, adserere non dubitavit,

---

o) Fragm. XXV. 6. p) Orat. T. I. p. 229. q) P. II. tab. 39. r) B. L. T. XVII. p. 1.
s) Vit. Polemon. Soph. t) Num. CLXVIII. u) Voyage. T. III. P. II. p. 44.

protomen partis anticae esse uxoris Tranquillinae sub Cereris specie propositam. Sin istud, jure arguit Pellerinius [x]), necesse erit, quia *Philetas Hippicus* reperitur in numis Valeriani, protomen partis adversae, quae est in numo altero, esse Marinianae Valeriani uxoris. At enim spectatis vultus lineamentis utriusque hujus numi protomae adeo sunt similes, ut diversas Augustas indicare non possint. Certius ergo sistunt Cererem hac forma a Smyrnaeis cultam. Haec cum recte scriberet Pellerinius, non occurrebat, se similem protomen, quae est in autonomo Erythrarum Ioniae, eidem Tranquillinae largitum [y]). Periculosum est, deorum dearumve effigies ad Augustos Augustasve transferre, nisi cum certa istud ratio suadet. Fuerunt etiam, qui in Cyzicenis maximi moduli numis Faustinam jun. Proserpinae ritu propositam viderent, sed et hoc judicium esse dubium, dixi in moneta Cyzici Mysiae.

* * *

ΜЄΛΗC. *Meles fluvius decumbens.* Vide numos Imperatorios.

* * *

Caput muliebre laureatum. ℞ ΣΜΥΡ. *Lyra, juxta* ΑΤΤΑ. *vel:* ΡΡΤ. AE. IV. (Mus. Caes. Hunter, Mus. Neumann.)

Perperam Pellerinius numulum similem tribuit Antiochiae Syriae.

* * *

ΤΥΧΗ. CΜΥΡΝΑΙΩΝ. *Fortuna stans.* AE. III. (Mus. Caes.)

* * *

CΜΥΡ. ΠΑΝΙΩΝΙΟC. De hoc actum supra in prolegomenis ad numos Ioniae.

* * *

Typi reliqui.

Apis, obvius typus in moneta Ephesi, at constat etiam ex Strabone, Ephesios et Smyrnaeos aliquando una habitasse, sic ut Ephesus etiam Smyrna diceretur [z]). — *Nemesis una*, *vel duae*, *earumque attributa gryphus*, *rota etc.* de quibus agetur in imperatoriis.

* * *

Magistratus, *Fluvii*, aliaque, quae adhuc in autonomis exstant, proferentur infra in *Imperatoriis.*

* * *

Magna autonomorum pars fabricam praefert admodum hiulcam, sed ex certis indiciis constat etiam, eos jam declinante Augustorum aevo signatos.

Prima urbis litera varie in numis scribitur: Σ, vel C, quae quidem vocabulo Smyrnae propria. Sed pro sigmate se intrusit etiam Zeta varie formatum. Ξ, Z, Σ. Nota querela sigmatis adversus Zeta apud Lucianum [a]): *ὅτι ἀνεξικακον εἰμι γραμμα, μαρτυρειτε μοι και ἀυτοι μηδεποτε ἐγκαλεσαντι τῳ Ζητα, σμαραγδον ἀποσπασαντι και πασην ἀφελομενῳ την Σμυρναν,*

x) L. c. y) Rec. II. p. 71. z) L. XIV. p. m. 939. a) Iudic. vocal.

quod vero litera sum malorum patiens, testes estis vosmet ipsi; neque enim hactenus in jus vocavi Zeta, cum smaragdum mihi eripuisset, totamque extorsisset Smyrnam. Etiam in inscriptione Latina: CIVIT. ZMYRNAEORVM [b]).

AV. RRRR. AR. RR. AE. C.

Numus regius.

Caput regis diadematum. ✕ ΖΜΥΡΝΑΙΩΝ. ΕΡΜΟΓΕΝΗΣ. ΦΡΙΞΟΣ. *Victoria gradiens.* AE. fere I.

Existimat Pellerinius, qui numum hunc edidit [c]), eum esse Seleuci II. propter adfinia oris lineamenta, ipso etiam typo Victoriae adludente ad ejus cognomen *Callinici.* Sed de hoc agetur in regibus Syriae.

* * *

Imperatoriis, si qua urbs alia, Smyrna abundat ab Augusto usque ad Gallienum. Lubet primorum imperatorum nonnullos recitare:

ΣΜΥΡΝΑΙΟΙ. ΣΕΒΑΣΤΟΙΣ. (lege ΣΕΒΑΣΤΩΙ.) *Capita duo jugata, virile laureatum, et muliebre.* ✕ ΔΙΟΝΥΣΙΟΣ. ΚΟΛΛΥΒΑΣΙΟΥ. *in alio:* ΛΕΟΝΤΙΣΚΟΣ. ΙΠΠΟΜΕΔΟΝΤΟΣ. *Mulier tutulata stans d. hastam, s. Victoriolam, et simul columnae innixa, humi avis.* AE. III. (Vaillant in num. Augusti, Morelli in num. Liviae.)

Si vera est epigraphe ΣΕΒΑΣΤΟΙΣ, capita partis adversae esse non possunt Augusti et Liviae, sed Tiberii, et Liviae. Haec enim vivo marito Σεβαςης titulo decorata non fuit. Numi tam parvi voluminis rarissime literas satis nitidas offerunt, aut etiam certa oris lineamenta, quorum ope certum possit judicium ferri. Quare in explicandis numis variis circum haec tempora Smyrnae signatis eruditi in diversas abivere sententias. Confer numos inscriptos: ΕΠΙ. ΦΙΛΙΣΤΟΥ. ΕΙΚΑΔΙΟΣ. in Liebei Gotha numaria pag. 333. et 334. et in Haymii Thes. Brit. Tom. II. p. 225. edit. Vindob. tum etiam, quae super hoc argumento olim in numis Liviae monebo. Haec pridem dictaveram, cum nuper in numum simillimum, totumque integrum musei principis de Waldeck incidi, in quo certa est epigraphe: ΣΜΥΡΝΑΙΟΙ. ΣΕΒΑΣΤΩΙ. et certum caput Augusti. Ergo cum ΣΕΒΑΣΤΩΙ sit in unitatis numero dandi casu, vocabulum istud solum Augustum tangit, nullo ad Liviae caput respectu.

Sunt et numi Caligulae et Drusillae, Neronis et Poppeae, qui infra describentur, et Vespasiani junioris, de cujus numis cum epigraphe: ΟΥΕϹΠΑϹΙΑΝΟϹ. ΝΕΩΤΕΡΟϹ. agetur in numis Impp., et interea videri possunt Pellerinius, Harduinus, Haymius.

* * *

Typi illustriores.

ΗΡΑΚΛΗ. ϹΩΤ. *Hercules stans tria poma tenet*, in numo Domitiani et Domitiae. (Vaillant.)

* * *

b) Grut. pag. 225. c) Rec. II. p. 79.

ΘΕΑ. ΡΩ. *vel* ΘΕΑC. ΡΩΜΗC. *Roma sedens.* Domnae (Vaillant.)

CEBACTH. CΥΝΚΛΗΤΟC. ΖΜΥΡΝΑΙΩΝ. ΙΕΡΩΝΥΜΟC. *Capita adversa Liviae et Senatus.* ✗ CEBACTOC. ΤΙΒΕΡΙCC. ΕΠΙ. ΠΕΤΡΟΝΙΟΥ. *Signum Tiberii in medio templi.* (Spanheim. T. I. p. 139. Pellerin, Mus. Caes.)

ΘΕΟΝ. CΥΝΚΛΗΤΟΝ. *Templum 4. col., in cujus medio mulier stans d. hastam,* Plotinae. (Pellerin.)

Tres hi numi docent, Romam, Senatum, Tiberium a Smyrnaeis deos habitos. Praeclare istud confirmet Tacitus, cum narrat d), decrevisse *Asiae urbes templum TIBERIO, MATRIQVE EIVS, ac SENATVI,* quod idem paullo infra repetit e). At cum singulae illud apud se statui contenderent, praelatos Smyrnaeos, quia inter alia in populum R. officia etiam commemoraverant, *se primos templum urbis Romae statuisse M. Porcio cos.* (V. C. 559.) *magnis quidem jam R. populi rebus, nondum tamen ad summum elatis, stante adhuc Punica urbe, et validis per Asiam regibus* f). Haec igitur templa cum sponte, tum annuentibus Romanis apud ipsos statuta in moneta sua jure praedicant. Insignis, qui ad idem argumentum pertinet, est numus Caracallae max. mod. in museo Caesareo, in cujus aversa comparent tria templa, in eo, quod medium est, conspicitur Roma galeata sedens, ejusque epistylio inscriptum ΡΩ., in eo, quod ad dexteram est, proponitur vir stans, in epistylio: ΤΙ. id est: *Tiberius,* in sinisteriore figura gradiens, sed neque quae illa sit, aut literae epistylio inscriptae distingui possunt. Habemus ergo in hoc numo certa templa Romae et Tiberii. Singularis hic numus parum adcurate in Cimelio Vindobonensi effictus est. Non dissimulo, in numo simili max. mod. regis Galliarum pro ΡΩ. ΤΙ. — legi, saltem ut iconismus exhibet, ΑΥΡ. ΑΝ. CΕ. per tria haec templa disposita, atque idem legi etiam in numo simillimo ejusdem Caracallae Pergami signato, quem edidit Patinus g), quae decurtata vocabula Spanhemius explicat: ΑΝτωνινῳ, ΑΥρηλιῳ, CΕυηρῳ, tanquam Antonino Pio, M. Aurelio, et Severo tria haec fuissent dicata templa, at Patinus: ΑΝτωνινῳ ΑΥρηλιῳ CΕΒαςῳ, tanquam omnia haec nomina ad unum essent Caracallam referenda. Quos quidem varios explicatus numorum, quos ipse non vidi, nequaquam moror, satisque a me praestitum puto, si tester, literas ΡΩ. ΤΙ. — in meo esse luculentas. Observandum denique, exstare copiosos aeneos III. formae, in quorum una parte: ΘΕΑΝ. ΡΩΜΗΝ. *Caput Romae turritum,* altera: ΘΕΟΝ. CΥΝΚΛΗΤΟΝ. *Caput Senatus.* Hos ut certum est in provincia Asia esse signatos, tamen quia plures fuere urbes quibus Roma et Senatus idola fuere, ut istud de Mylasa et Alabanda Cariae constat, minus tutum est, veram eorum patriam definire. Verisimile tamen est, eos Smyrnae signatos, cum quod certe con-

d) Ann. IV. 15. e) C. 37. f) Ann. IV. 56. g) Thes. num. p. 118.

stet, hac in urbe utriusque stetisse templum, tum quod testetur Cl. Wise [h]), plurimos id genus hodieque apud Smyrnam reperiri. De inscripto *Petronio* agetur infra sub *Proconsulibus.*

* * *

ΟΜΗΡΟΣ. ΖΗΝΩΝΟΣ. ΖΗΝΩΝ. ΤΙΟΣ. ΛΑΟΔΙΚΕΩΝ. ΖΜΥΡΝΑΙΩΝ. *Homerus togatus barbatus stans cum hasta dexteram jungit cum muliere adstante s. hastam tenente*, in numo Neronis. (Haym. T. II. p. 237. Morelli Impp. T. II. p. 119.)

Numum hunc propter inscriptum Zenonem Laodiceae Phrygiae signatum censeo. Ceterum Homerus sedens fingitur in numis Neronis apud Vaillantium et Pellerinium eodem modo, ut supra in autonomis vidimus.

* * *

CΙΠΥΛΗΝΗ. in numo Iluiae Titi, quem citavimus supra in autonomis sub CΙΠΥΛΗΝΗ.

* * *

Mulier capite tutulato stans d. sceptrum, s. Victoriolam, et simul columnae innititur, in area avis.

Hic typus frequens est in numis Augusti ejusque familiae, et frequens in numis autonomis, de quo satis supra, ubi de numis Meadianis egi, disserui.

* * *

Nemesis, una, plerumque duae in Smyrnae numis. Stant stolatae dextera ori admota; harum una s. frenum tenet, ad alterius pedes saepe rota, aut nonnunquam gryphus, qui dexterum pedem rotae imponit, et haec nonnunquam sceptrum vel ramum s. tenet. Rarius in Smyrnae numis finguntur alatae. Vehuntur etiam in bigis gryphorum, ut in numo musei Pisani [i]). Typos luculentos vide apud Arigonium inter numos maximi moduli. Insignis fuit Nemesum apud Smyrnaeos cultus, quod non copiosi modo numi sed et marmor Smyrnaeum, inter Oxoniensia XXV., testatur, quod Onesimum vocat ΝΕΩΚΟΡΟΝ. ΤΩΝ. ΜΕΓΑΛΩΝ. ΘΕΩΝ. ΝΕΜΕΣΕΩΝ. Causam tanti affectus suppeditant numi sequentes:

Vir dormiens sub arbore, cui binae Nemeses adstant. M. Aurelii, Gordiani, etc. AE. m. m. (Mus. Caes. Vaill.)

Elegantem hunc typum explicat Pausanias [k]). Nimirum Alexandrum M. venatui in monte Pago intentum accessisse ad templum Nemesum, et procumbentem sub platano secundum quietem vidisse Nemeses, quae monebant, ut eo loco conderet urbem et Smyrnaeos eo traduceret. Consultum super hoc Apollinem Clarium respondisse:

Τρισμακαρες κεινοι και τετρακις ἀνδρες ἐσονται,
Οι Παγον ὀικησουσι περην ἱεροιο Μελητος.

Terque quaterque beati viri illi erunt,
Qui collem habitabunt trans sacrum Meletem.

---

h) Mus. Bodl. p. 145. i) Tab. XXIX. k) Achaic. c. 5.

Facile igitur Smyrnaeos passos sese ex vetere statione eo deduci. Factum istud leviter etiam perstringit Aristides [l]). Addit Pausanias, a Smyrnaeis pro una Nemeses plures coli. Binas saepe offerunt numi, una plures recitat etiam citatum marmor Oxoniense. Quam fuerint hujus causa beneficii diligentes Smyrnaei in iis observandis, patet ex numo Severi, in quo *sedens Cybele cultu solito dextera extenta utramque Nemesin sustinet*, (Arigoni.) tum ex frequentibus numis, quos *Concordiae* dicimus, in quibus una vel binae Nemeses sic Smyrnam significant, ut Iuppiter aetophorus Laodiceam Phrygiae, Aesculapius Pergamum, Diana Ephesum etc.

Cum Nemesis, ejusve attributa frequentissime in Smyrnae moneta typum faciant, neque etiam infrequenter in aliarum urbium numis, opportunum visum, hoc maxime loco naturam variorum attributorum, quae allegoria huic deae commodavit, explicare.

Alae ex Nemesis attributis unum sunt non tamen sic necessariae, ut non frequenter sine iis fingatur. Sic et pervetus ejus signum apud Rhamnuntem prope Athenas, opus Phidiae, alis caruit teste Pausania [m]), sed addit idem, serius se comperisse, Nemeses Smyrnaeas esse alis instructas. Hic cultus in Smyrnae numis variat, nam sunt, qui alatas, at plures, qui implumes sistunt. Alatam Nemesin habent praeterea numi Sides Pamphyliae, et pervetusti Camarinae Siciliae. Quare et πτεροεσσα, *pennata* dicitur in elegante epigrammate Mesomedis, plerasque ejus functiones complexo, quod exstat in Analectis Brunckianis Tom. II. p. 292. et a Burettio explicatur in Memoriis Parisinis [n]). Montfauconius deam hanc alatam in Smyrnae numis se nunquam vidisse ait; sed talem sistit autonomus musei Caesarei, et alter Claudii et Agrippinae, de quo agemus infra. Additae alae adludunt ad pernicitatem, qua, cum vult, hominum insolentiam reprimit, ut explicat Ammianus [o]). Sed aliam causam adfert Pausanias [p]), quod illa perinde atque Cupido amantibus adest, nisi forte alae reliquiae sunt ex cycno, in quem sese transformavit Nemesis, ut Iovis amores falleret, ut refert Eratosthenes [q]).

Manus ori admota, obvius ejus gestus in Smyrnae numis, quo indicatur celebratus in veterum carminibus Nemeseos πηχυς, *cubitus*, mensura scilicet, qua reorum crimina metitur, quamque adeo in terrorem ostentat. Quare de Nemesi praedicat quoque citatum epigramma:

Ὑπο πηχυν ἀει βιοτον μετρεις,

Cubito semper vitam hominum metiris.

Elegantius istud in epigrammate altero [r]):

Η Νεμεσις πηχυν κατεχω· τινος ἑνεκα; λεξεις.

Πασι παραγγελλω, μηδεν ὑπερ το μετρον.

Nemesis ego cubitum praetendo. Cur istud? inquies,

Omnes adhortor, ut ne quid nimis.

---

l) Orat. T. I. p. 265. m) L. I. c. 33. n) Tom. V. p. 187. o) L. XIV. c. 11. p) L. c. q) Cataster. 25. r) Brunck. Annal. T. III. p. 203.

Vnde et auctor tractatus mundi inter Aristotelis opera relati Nemesin dictam putat *ἀπο της ἑκαςῳ διανεμησεως*, *quod unicuique suum partiatur.* In numis Smyrnensibus Claudii et Agrippinae inscriptis: Α. ΓΕΣΣΙΟΣ. ΦΙΛΟΠΑΤΡΙΣ., et quos proxime imitantur numi Claudii Latini cum aurei, tum argentei, inscripti PACI. AVGVSTAE., ut et gemma musei Odeschalchi [s]), praeterquam quod cubitum rursum ostentat, simul extremis digitis vestem a pectore diducit, et in suummet ipsa sinum intuetur. Hic Nemesis habitus eximie illustrat versum Mesomedis in citato epigrammate:

Νευεις δ' ὑπο κολπον ἀει κατω ὀφρυν,
Supercilium vero semper deorsum in sinum inclinas.

Burettius hunc versum patria lingua vertit: *Sans cesse vous froncez le sourcil*, quod sane verba Graeca non dicunt. Et vero habitus hic illustrem complectitur allegoriam, cujus explicatus sensus est: Nemesin etiam, quae tecta sunt, suo jure inspicere et rimari.

Funda, aut verius *frenum.* Eadem Nemesis saepe in numis manu tenet lorum, vel funem duplicatum dependentem, sed quem plerumque in numorum ectypis ad sistri formam fictum videas, ceu apud Arigonium in numis max. mod. tab. III. et VI. et apud Montfauconium [t]), quo factum, ut Vaillantius ipse in numis suis Graecis non raro Isidem diceret, quae vera Nemesis est. Montfauconius incertus, quid statueret, jam quiddam turibulo non absimile dixit, jam rhomboicum quid, quod, ut ait, vix distinguas. Philippus Buonarrotius, quem propter perspicaciam et eruditionis copiam maximi semper facio, esse fundam erudite conjecit, nimirum, quod Nemesis eminus quoque feriat, et quam evadere nemo possit, qua de causa citatus supra auctor tractatus mundi Nemesin Αδραςειαν dictam adserit, nempe: *ἀναποδραςον ἀιτιαν ὀσαν κατα φυσιν*, *quod noxa ejus sit naturae*, *ut effugere non possit*, et secundum Apulejum [u]) dictam Αδραςειαν, *quasi sit ineffugibilis necessitas ultionis.* Jure igitur Nemesi existimat tribui fundam, velut bellam imaginem vindictae non modo certae, sed et longe ferientis, quam is sententiam praeclare confirmat ex Justo Lipsio, qui in Poliorceticis ectypon proponit glandis plumbeae ex funda mitti solitae, cui haec inscripta sententia: FVGITIVI. PERISTIS. Haec vir eruditus [x]). Vt praeclare ac nitide haec sunt exposita, tamen potius adducor, ut credam, *ἀμφισβητησιμον* illud instrumentum esse frenum, quo Nemesis immoderatos hominum spiritus coercet. Etenim si funda esset, non neglexissent poetae, hanc quoque in reliquo ultionis apparatu, quo sese Nemesis instruxit, commemorare, atque istud tanto minus, quod funda ad lusus poeticos commodam suppeditasset materiam. At vero freni a Rhamnusia ostentati frequens apud eos mentio. Sic saepe laudatus Mesomedes de Nemesi:

Α *κȣφα φρυαγματα θνατων*

---

s) Tom. II. tab. 15. t) Suppl. Tom. I. tab. 74. u) De Cosmogr. x) Osserv. istor. p. 222.

Επεχεις ἀδαμαντι ΧΑΛΙΝΩΙ.
Quae inanem fastum mortalium
Cohibes adamantino FRENO.

Tum apud Nonnum y):

Ανερας ὑψιλοφυς ἀλυτῳ σφιγγεσα ΧΑΛΙΝΩΙ.
Viros insolentes insolubili stringens FRENO.

At omnium nitidissime epigramma, quod est in Analectis Brunck z):

Η Νεμεσις προλεγει τῳ πηχεῖ, τῳ τε ΧΑΛΙΝΩΙ.
Μη ἀμετρον τι ποιειν, μητ' ΑΧΑΛΙΝΑ λεγειν.
Nemesis praedicit cubito et FRENO,
Neu quid fiat immoderatum, aut dicatur EFFRENE.

Quo lecto quis dubitabit, cum in numis plerumque videamus, Nemesin manum dexteram in cubitum flectere, quod deinde sinistra praefert, esse frenum? Huc accedit, Nemesis non tam fuisse proprium moliri perniciem, quam reprimere audaciam, atque, ut diximus, providere, ne quid nimis; at funda interimit, frenum cohibet.

Ramus fraxini. Hunc in compluribus Smyrnae numis Nemesum una praefert. Dixi ramum fraxini, secutus indicium Pausaniae, quo teste Nemesis Phidiae ejus arboris ramum manu sinistra praegestavit.

Rota. Obvium in numis attributum Nemesis, et semper pro deae pedibus collocatum. De hac item Mesomedes:

Υπο σον τροχον ἀςατον, ἀςιβη,
Χαροπα μεροπων ςρεφεται τυχα.
Sub tua rota instabili, nullum relinquente vestigium,
Laeta hominum convertitur fortuna.

Nemesi adstitui rotam Ammianus dixit propterea, *ut universitatem regere per elementa discurrens omnia non ignoretur* a). Adde, ut Fortunae adjungitur rota ad notandam inconstantiam teste ipso Cicerone b), sic et Nemesi, quam eandem fuisse cum Fortuna mox dicetur. Quo sensu Claudianus quoque dixit c):

Sed dea, quae nimiis obstat Rhamnusia votis,
Ingemuit, flexitque rotam.

Nimirum ut conversam Alarici fortunam indicaret. Verum Nonnus eam in ultionis instrumentum vertit d):

Και τροχος ἀυτοκυλιςος ἐην παρα ποσσιν ἀνασσης,
Σημαινων, ὁτι παντας ἀγηνορας ἐις πεδον ἑλκει
Υψοθεν ἑιλυφοωσα δικης ποινητορι κυκλῳ,
Δαιμων πανδαματειρα βιυ ςροφοωσα πορειην.
Et rota sponte voluta erat pro pedibus reginae,
Indicans, quod omnes superbos versus humum trahat
Ex alto involvens justitiae ultore circulo,
Dea omnium domitrix vitae versans semitam.

Nimirum Nemeses ab Haliartiis ex hac

---

y) Dionys. L. XLVIII. v. 386. z) Tom. III. p. 202. a) L. XIV. c. 11. b) In Pison. c. 10. c) Carm. XXVI. v. 631. d) Dion. L. XLVIII. c. 378.

causa dictae πραξιδικαι, *actionum ultrices* [e]). Fuit vero rota non modo instrumentum τιμωρητικον in scelerum poenas destinatum, quali Ixionem adligatum fabula docet, sed et βασανιςηριον ad extorquendam veritatem, ut est apud Aristophanem [f]):

Επι τε τροχε γαρ δει σ'εκει ςρεβλεμενον
Ειπειν, ἁ πεπανεργηκας.
Rota enim oportet te ibi volutum
Profiteri facinora, quae admiseras.

Gryphus. Binos expertus dominos, et Apollinem et Nemesin. Hanc avim pedissequam nemo Nonno luculentius Nemesi vindicat [g]).

Αμφι δε οἱ πεποτητο παρα θρονον ὀρνις ἀλαςωρ
Γρυψ πτεροεις, πισυρων δε ποδων κεφιζετο παλμῳ
Δαιμονος ἱπταμενης ἀυταγγελος, κ. τ. λ.
Circum vero eam prope thronum volabat ales exitialis
Gryphus alatus, quatuor vero pedum elevabatur agitatione
Deae volantis nuntius etc.

Neminem turbet, quod in nonnullis Nonni editis libris, qualis est meus interprete Eilhardo Lubino, qui prodiit Hanoviae 1605., pro γρυψ πτεροεις legatur Γυψ πτεροεις, *vultur alatus*. Nam adcuratiores alii codices cum typis expressi, tum manuscripti bibliothecae Caesareae, quos mei causa mihi amicissimus, ac literis Graecis impense deditus Baro Locella inspexit, luculentum γρυψ offerunt, et restituendum hoc vocabulum fuerat, etsi codices omnes in γυψ conspirassent, propterea quod continuo Nonnus huic animali quatuor pedes largitur, quem numerum vulturi negavit natura. At qua ratione Lubinus suum γυψ πτεροεις potuerit interpretari *aquila alata*, jure mecum mirabuntur vel ipsi linguae Graecae tirones, et quibus hactenus videre aquilam quadrupedem vix licuerit. Simile mendum occurrit in libris Hesychii, in quibus legitur γυπον ἑμεσιν, (in voce Γρυπες.) quae verba apte in γρυπα Νεμεσιος convertit eruditissimus Viscontus [h]). Numi verba Nonni praeclare stabiliunt, ac praecipue Sides Pamphyliae, adstituto saepe Nemesi grypho. In numis Smyrnae frequenter videas, etiam cum Nemesis abest, ejus famulum gryphum, qui pedem rotae imponit, utroque nimirum attributo, quod saepe in numis factum, numinis ipsius vicem obeunte. Causam, cur is Nemesin sectetur, indigitat Macrobius [i]). *Nemesis*, inquit, *quae contra superbiam colitur, quid aliud est, quam solis potestas?* At mox diximus etiam, fuisse gryphum Apollinis quoque, id est, solis comitem.

Istud postremum ad explicandos numorum typos monendum, mulierem stantem capite tutulato, d. gubernaculum, s. cornucopiae tenentem, quae omnia esse Fortunae propria novimus, aeque et Nemesin posse putari. Invicte istud comprobat gemma vetus musei Caesarei, quae exhibet mulierem cum omni Fortunae apparatu stantem, et ab accedente Vi-

---

e) Pausan. L. IX. c. 33. f) In Pluto v. 876. g) L. c. h) Mus. Pio-Clem. T. IV. p. 26. i) Sat. L. I. c. 22.

ctoria coronatam, addita epigraphe: ΚΥΡΙΑ. ΝΕΜΕϹΙ. ΕΛΕΗϹΟΝ. *domina Nemesis miserere.* Hujus causae explicatus pronus. Etenim secundum veteres quae Fortunae, eadem et Nemesi fuere munia, ut copiose explicabimus in numis Diocletiani: FATIS. VICTRICIBVS., et Galerii Maximiani: FORTI. FORTVNAE, in quibus videas, et Fata, et Fortem Fortunam Fortunae attributis instructam, et Forti Fortunae praeterea, perinde ac Nemesi, commodatam rotam, quae quidem tribuitur etiam Fatis in insigni monumento sepulcrali saepius edito, cum epigraphe: FATIS. CAECILIVS. [k]) Quare et marmori inscriptum legas: DEAE. NEMESI. SIVE. FORTVNAE. FELIX. FILIVS. [l]) Atque ex simili causa Nemesis Hygiae quoque ritu in vetere gemma proponitur serpentem ex patera pascens [m]), et Hesychius Αγαθὴν τυχὴν interpretatur Nemesin, nimirum quod in hujus potestate situm erat, si modo vindictam cohiberet, salvum esse et fortunatum. De Victoria Nemesi vide, quae indicabo ad numos Claudii cum epigraphe: PACI. AVGVSTAE. Praetereo alia, quae ad Nemesin pertinent, et quae ex mythologis petas; nam hoc loco aliud propositum non fuit, quam explicare Nemesis imagines in numis propositas.

* * *

Prora navis, typus frequens in Smyrnae numis. Adluditur hac ad victoriam maritimam, qua Smyrnaei Bacchanalium tempore Chios repulere [n]). Et erat destinata quaedam triremis, mense Anthesterione in mare mitti solita, et gubernari a sacerdote Bacchi [o]).

* * *

Magistratus ac dignitates.

Vtriusque copiosa variique generis in Smyrnaeorum numis existunt argumenta, naturae partim sacrae, partim profanae, partim domestica, partim Romana.

Asiarcha: ΕΠΙ. ΤΕΡΤΙΟΥ. ΑϹΙΑΡΧΟΥ. in numis Gordiani.

* * *

Summus Sacerdos.

Caput Dianae. Χ ΣΜΥΡ. ΕΡΜΙΠΠΟΣ. ΕΡΜΟΓΕΝΟΥΣ. ΑΡΧΙΕΡΕ. *Apollo seminudus sedens d. pateram, juxta lyra.* AE. II. (Pellerin. in autonomis.)

Huic simillimus exstat numus alius, sed Philadelphiae Lydiae cusus, de qua re singulari vide hujus numos.

* * *

Prytanes: ΣΜΥΡΝΑΙΩΝ. ΠΡΥΤΑΝΕΙΣ. Nomina non adduntur, in numo aureo, quem supra inter autonomos primum stiti, et explicavi.

* * *

Praetor: Hunc fuisse vetustum Smyrnae magistratum, docet marmor Oxoniense ordine II., quod continet foedus Smyr-

---

k) Montfaucon T. V. tab. 38. Gruter. p. 304. l) Gruter. p. 80. m) Buonarrotti Osserv. p. 225. n) Aristid. T. I. p. m. 270. o) Philostrat. vit. Polemon. §. I. Aristid. T. I. p. 230.

naeorum cum Seleuco Callinico. Primus praetorem sistit numus sequens:

ЄΠΙ. ЄΡΜΟΓЄΝΟΥ. CΤΡΑ. CΚΡΙΒΩΝΙΟΥ. ΚΛΑΡΟC. ΖΜΥ. *Homerus sedens.* ✠ *Capita se respicientia Neronis et Poppaeae.* AE. II. (Pellerin. Mel. II. p. 37.) At in simili Arigoniano legitur: ЄΠΙ. ЄΡΜΟΓЄΝΟΥC. CΤΡΑ. CΚΡΙΒΟΝΙΟC. - - - ΖΜΥ.

ЄΠΙ. ΔΗΜΟCΤΡΑΤΟΥ. CΤΡΑΤΗΓΟΥ. CЄΜΝΟΥ. in numo Domitiani et Domitiae. Vaillantius sic reddit Latine: *Sub Demostrato praetore venerabili* p). Insolens sane: praetorem se dicere *venerabilem*, aut quodcunque aliud laudis epitheton sibi addere. Offert autem epigraphe binos magistratus, Demostratum, cujus munus, ut saepe, non additur, et praetorem, cui nomen *Semni* fuit. Quo adeo exemplo omnis difficultas tollitur, quae in hujus vocabuli explicatione Spanhemium vexavit q).

ΠΟΛЄΜΩΝ. CΤΡΑΤΗΓΩΝ. De hoc Polemone Laodiceno, cujus ingens fuit nomen Hadriani et Antonini Pii aetate, plura dicemus in numis Laodiceae Phrygiae.

Praetores inscripti fuere usque ad extrema tempora, additis nonnunquam Sophistae titulis, ut dicetur.

* * *

Quaestor.

ΙЄΡΑ. CΥΝΚΛΗΤΟC. *Caput juvenile nudum Senatus.* ✠ ΓΑ. ΚΛ. ΒΙΩΝΟC. ΤΑΜΙΟΥ. ΣΜΥΡ. *Duae mulieres stantes videntur dexteras jungere.* AE. II. (Pellerin. Theupoli.)

Magistratus *Bion* saepius in Smyrnaeorum moneta legitur. Ταμιας Καλλινος Smyrnae proditur in celebri decreto Smyrnaeorum r), et mox infra s): ὁ ταμιας των ὁσιων προσοδων, *quaestor sacrorum redituum.*

* * *

Sophistae:

Hi inde ab Hadriano frequenter in Smyrnae moneta memorantur.

ЄΠΙ. ΚΛ. ΠΡΟΚΛΟΥ. CΟΦΙCΤΟΥ. in numis Hadriani, (Vaill.) M. Aurelii et Faustinae jun. t). Clodius Aurelius Proclus memoratur etiam in marmore Thyatireno, ubi praeterea herois titulo insignitur u), qui forte idem ille est, cujus in his numis fit mentio. Certe Aurelii nomen huic aetati addicit.

ΑΤΤΑΛΟC. CΟΦΙCΤΗC. ΤΑΙC. ΠΑΤΡΙCΙ. CΜΥΡ. ΛΑΟ. Hunc numum Attali, Polemonis Laodiceni filii, explicatum vide in numis Laodiceae Phrygiae.

ЄΠΙ. CΤΡ. ΚΛ. ΡΟΥΦΙΝΟΥ. CΟΦΙ. in numis Severi, ejusque familiae, quos depictos vide in vita Hermocratis apud Philostratos edit. Olearii p. 608., nam hic Hermocrates ibi dicitur audivisse Rufinum Smyrnaeum. Exstat etiam decretum Severi et Caracallae x), quo permittitur postulantibus Smyrnaeis, ut hic Claudius Rufinus praeturam apud eos

p) Num. Graec. p. 26. q) T. I. p. 699. r) Marm. Oxon. II. v. 31. s) Vers. 58. t) Spanheim. de Vest. et Pryt. u) Spanheim l. c. x) Spon. Voyage T. I. p. 403. Marm. Oxon. n. 179.

ineat, sic tamen, ut vacationem ab aliis muneribus retineat. Ejusdem nominis sophista est etiam in numis Gordiani et Tranquillinae: ЄΠΙ. CTP. ΚΛ. ΡΟΥΦΙΝΟΥ. COΦ. (Vaill. Theup.) et fuere, qui posteriorem hunc eundem cum priore censerent.

* * *

Romanos magistratus ac dignitates offerunt numi sequentes:

Proconsules: Horum dignitas addito ΑΝΘΥΠΑΤΟΥ. saepe manifesta est, at etiam saepe supprimitur, sic tamen, ut evidentibus indiciis certi esse possimus, proconsulum iis nomina contineri, quod ex sequentibus observatis patebit.

CЄΒΑCΤΟC. ΤΙΒЄΡΙΟC. ЄΠΙ. ΠЄΤΡΩΝΙΟΥ. Numum plenius descripsi supra in his ipsis imperatoriis sub initium.

P. Petronium fuisse legatum Syriae initio principatus Claudii, docent numi Antiocheni, quos vide. Sed et Asiae fuisse praepositum, tenemus ex Philone, qui eum *praefecturam adeptum provinciarum Asiae Syriaeque* refert y).

* * *

ΓΑΙΟΝ. ΚΑΙCΑΡΑ. ΓЄΡΜΑΝΙΚΟΝ. ЄΠΙ. ΑΟΥΙΟΛΑ. *Caput Caligulae.* ℞ ΔΡΟΥCΙΛΛΑ. CΜΥΡΝΑΙΩΝ. ΜΗΝΟΦΑΝΗC. *Drusilla sedens d. spicas, s. hastam.* AE. II. (Vaillant. num. graec. p. 11. Morelli in Impp. T. I. p. 692. et in Fam. Acilia, Haym. T. II. m. p. 230.)

Eadem adversa. ℞ ΓЄΡΜΑΝΙΚΟΝ. ΑΓΡΙΠΠЄΙΝΑΝ. CΜΥΡΝΑΙΩΝ. ΜΗΝΟΦΑΝΗC. *Capita se respicientia Germanici nudum et Aggrippinae.* AE. II. (Morelli in Fam. Acilia.)

De Aviola, qui fuit gentis Aciliae, vide, quae diximus in numis Ephesi, cujus etiam numis imperante Nerone signatis inscriptus legitur proconsul Aviola, qui tamen, etsi ex eadem gente, diversus forte est ab Aviola numorum praesentium. In his Smyrnaei Caligulae cum in sororem Drusillam, tum in parentes vita functos pietatem praedicarunt. Commemorandus hic omnino numus alter, quem totum describere operae pretium videatur.

ΓΑΙΟΝ. ΚΑΙCΑΡΑ. ΓЄΡΜΑΝΙΚΟΝ. ЄΠΙ. ΑΟΥΙΟΛΑ. *Caput Caligulae.* ℞ ΔΡΟΥC. ΜΗΝΟΦΑΝΗC. ΠЄΡΓΑΜ. *Drusilla sedens d. spicas.*

Mirum omnino, ac plane singulare, et peculiari examine dignum videtur, numos urbium diversarum, Smyrnae ac Pergami usque adeo conspirare tam inscriptione dempto urbis nomine, quam typis. Deceptos crederem in iis legendis auctores, et in hoc quoque posteriore pro ΠЄΡΓΑΜ. restituendum CΜΥΡΝΑΙΩΝ. Sed vetant istud viri graves, qui in Pergami quoque lectione conspirant, Vaillantius z), Morellius in numis Impp. a), qui tamen hunc Pergamenorum numum in gente Acilia praetermisit, quo loco addit Schlegelius testimonium Havercampi, eundem numum adservari apud Gerardum Schaakium, et Wildium, quanquam Wildii numus perperam citetur, in quo urbis nomen adeo est vitiatum, ut

y) Legat. ad Caium. z) Num. Graec. p. 11. a) T. I. p. 698.

ipse eum Epheso tribuendum conjectaret [b]). Ego ut decidere litem non ausim, probabilius tamen esse existimo, lapsos antiquarios legendo in numis nonnihil vitiatis Pergami nomen pro certiore Smyrnae. Quod si existunt, indaganda non modo ratio tantae numorum concordiae, sed etiam an certae rationi, an casui sit tribuendum, quod magistratus utriusque urbis sit *Menophanes*. Simile exemplum, atque etiam perinde insolens vide in autonomis Philadelphiae Lydiae.

Perstringenda hic lectio Vaillantii in simili numo: ΓΑΙΟΝ. ΚΑΙΣΑΡΑ. ΕΠΙ. ΛΟΥ. ΘΑΛ. quod sic explicat: *Sub Lucio Thallo. Petroniae gentis cognomen est* [c]). Ipsae literae iniquam lectionem confirmant, legendumque in hoc quoque esse: ΕΠΙ. ΛΟΥΙΟΛΑ., neque ausus est ipse hunc numum in suo familiarum opere serius edito profiteri, et reticet eum Morellius quoque.

* * *

ΕΠΙ.Μ.ΣΥΙΛΛΙΟΥ.ΝΕΡΟΥΛΙΝΟΥ. ΑΝΘΥΠΑΤΟΥ. in numo Vespasiani. (Vaillant, Morelli in Fam. Suillia.)

P. Suillius Germanici quondam quaestor a Tiberio, quod venalia haberet judicia, relegatus est in insulam V. C. 777., paullo post revocatus [d]). Idem imperante Claudio Messalinae studiis nixus praepatens et acer accusationibus, denique sub Nerone in extrema senecta artibus Senecae eversus in Baleares ejicitur V. C. 811 [e]). Hic Suillius esse nequit idem cum Suillio nostri numi, quia ille, etsi rexisse quoque Asiam a Tacito feratur [f]), tamen constanter *Publius*, noster diserte *Marcus* vocatur, et ante Vespasiani tempora in Balearibus consenuit. At teste eodem Tacito imperante Claudio fuit M. Suillius Nerulinus P. Suillii, quem diximus, filius. Nam refert idem [g]), everso Publio filium *Nerulinum* ab accusatoribus petitum Neronis voluntate incolumem evasisse. Rursum Tacitus annum V. C. 803. signat *C. Antistio*, *M. Suillio cos.* [h]), sed cognomina reticet. Viri eruditi, qui consulum collegia stabilire sunt conati, variis hunc M. Suillium cognominibus distinxere, cum illis jam esset *Rufus*, jam *Servilianus*, jam Rufus *Servilianus*, at plerisque *Nervilianus* placuit, quia in fastis Idacii, Anonymi apud Cuspinianum, Prosperi, et Cassiodori legitur: *Vetus et Nervilianus*, ut adeo consules ejus anni essent C. Antistius Vetus, et M. Suillius Nervilianus. At jam ex citato Taciti loco suspicatus est Cuspinianus, pro Nervilianus restituendum Nerulinus. Vide haec latius exposita apud Norisium [i]). Credo, si quod superesset dubium, illud omne praesentium ope numorum tolli, in quibus diserte memoratur *M. Suillius Nerulinus* proconsul, quanquam, utrum hic sit idem cum illo, qui V. C. 803. consulatum gessit, an hujus consulis filius imperante Vespasiano ad regendam Asiam missus, decidere non possim.

In numis Hierapolis, quos omnes in

b) Sel. num. p. 130. c) Num. Graec. p. 11. d) Tacit. Ann. IV. 31. e) Ibid. Ann. XIII. 42. 43. f) Ann. XIII. 43. g) Ann. XIII. 13. h) L. XII. c. 25. i) Epist. Cons. ad an V. C. 803.

moneta hujus Phrygiae urbis plene describam, memoratur M. ΣΤΙΛΛΙΟΣ. ANTIOXO - Cum omnes hi numi signati fuerint sub Claudio, quo imperante dixi M. Suillium processisse consulem, censuere eruditi non pauci, eum gesto consulatu provinciam Asiam sortitum. At enim hunc Suillium esse potius hominem Graecum, ac domesticum Hierapolis magistratum, in hujus moneta dicemus.

* * *

ΑΝΘΥ. ΙΤΑΛΙΚΩ. ЄΠΙ. - - - ЄΥϹЄΒΗϹ. ΖΜΥΡ. in numo Vespasiani. (Pellerin Mel. II. p. 40.)

Vaillantius ex numo simili luxatam dedit epigraphen: ΣΤΡΑΩΓΙΩΝ. ЄΥϹЄΒΗϹ. ΑΝΘΥ.

ΕΠΙ. ΙΤΑΛΙΚΟΥ. ΖΜΥΡ. ΜΑΓΡΩΝΟϹ. in numis Titi. (Pellerin.)

Est hic C. Silius *Italicus* non modo poesi, Punicisque suis clarus, sed et gestis maximis magistratibus. Extremo Neronis anno consul, ex Asiae deinde proconsulatu gloriam reportavit. Vide has, aliasque ejus laudes apud Plinium juniorem k).

* * *

ΕΠΙ. ΒΩΛΑΝΟΥ. ΑΚΡΑΙΟΣ. vel ΕΡΜΟΣ. in numis Vespasiani, et Titi et Domitiani adhuc Caesarum. (Vaill. Mus. Caes.)

Bolanus nomen est Romanum, atque etsi proconsulis nomen non addatur, tamen secundum exempla praecedentia, et quae sequentur, proconsulem notat, et constat ex Statio l), Vettium Bolanum hac aetate fuisse Asiae proconsulem:

quantusque potentes
Mille urbes Asiae sortito rexerit anno
Imperium mulcente toga.

Hujus Vettii Bolani saepe meminit Tacitus.

* * *

ΕΠΙ. ΦΛΟΡΟΥ. ΑΝΘΥ. in numo Iuliae Titi. AE. III. (Catal. d'Ennery p. 587.)

Videtur hic Florus idem esse cum Mestrio Floro consulari, quem, quod *plaustrum* diceret, non *plostrum*, Vespasianus per jocum *Flaurum* salutavit m).

* * *

ЄΠΙ.ΚΑΙϹЄΝΝΙΟΥ.ΠΑΙΤΟΥ.ΑΝΘΥ. in numis Domitiani et Domitiae, quos vide apud Morellium in Familia Caesennia.

De Caesennio Paeto Asiae proconsule nihil reperio.

* * *

ΑΝΘΥ. ΦΡΩΝΤЄΙΝΟ. ut legit Pellerinius n), sed Sponius: ΦΡΟΝΤΙΝΟϹ. ΑΝΘΥ o), et Wise: ΦΡΟΝΤЄΙΝΟΥ. ΑΝΘΥ p). ΦΡΟΝΤЄΙΝΙΑΝΟΥ. ut legitur apud Arigonium, quam lectionem videtur adprobare similis musei Caesarei. Sed tenenda potius priorum auctorum lectio. Sunt hi omnes autonomi, et offerunt caput Herculis. Numi hi in Trajani

k) L. III. ep. 7. l) Silv. L. V. carm. II. v. 56. m) Suet. in Vesp. c. 22. n) Rec. II. p. 84. o) Misc. p. 140. p) Mus. Bodl. p. 10.

aetatem removendi; nam Sex. Julius Frontinus consul proditur cum Trajano V. C. 853., ipse illustris famae, et saepe cum honore nominatus coaevis scriptoribus Tacito, Plinio juniori, Martiali, praeterea auctor operis noti de Aquaeductibus urbis. De proconsulatu Asiae nihil proditum reperio.

* * *

ZM. ACI. ΦΟΥCΚΩ. ΑΝΘΥ. CΤΡΑ. ΡΟΥΦΟΥ. in numo Trajani apud Pellerinium q), et Haymium r), sed qui eum Zelam Ponti vocavit primum, serius agnito errore Smyrnae restituit s). In hoc numo, ut typus Haymianus docet, syllaba ΦΟΥ. sic scripta est, ut et initium vocabuli ΦΟΥCΚΩ constituat, et finem vocabuli ΡΟΥΦΟΥ. At jure ibi in subjecta nota quaerit Khellius, quomodo ΡΟΥΦΟΥ. in gignendi casu esse possit, cum ΦΟΥCΚΩ sit in dandi casu? Tametsi videam, alias quoque proconsulum nomina dedicandi formula expressa. Sic paullo supra vidimus: ΑΝΘΥ. ΙΤΑΛΙΚΩ. — ΑΝΘΥ. ΦΡΩΝΤΙΝΩ. et in numo Hierocaesareae Lydiae: ΑΝΘΥΠΑΤΩ. ΨΕΡΟΚΙ. Quis sit hic Fuscus, quod cognomen cum multis gentibus Romanis commune fuit, dicere non habeo. De ZM. ACI. agam infra in numis concordiae.

* * *

ЄΠΙ. ΑΝΘΥΠΑΤΟΥ. ΑΠΡΟΝΙΑΝΟΥ. in numo Antonini Pii. (Vaill.) C. Ventidius Apronianus in fastis consul dicitur sub Hadriano ad annum V. C. 876.

* * *

ЄΠΙ. ЄΞ. ЄΧΟΝ. ΥΠΑΤΟΡ. ΑΥΡ. ΑΝΤΩΝ. ЄΥΤΥΧΟΥC. CΜΥΡΝΑΙΩΝ. *Sub potestatem habente consularem Aurelio Antonino Eutyche*, ut proponit, et reddit Vaillantius ex numo Caracallae musei Medicei. Quam haec lectio, explicatioque sit ἄμυσος, jam alias exposui t). Alioqui Mediceum hoc cimelium labem contraxisse, patet ex Gorio, qui in museo Florentino numum hunc edidit addito iconismo. Quare hactenus de vera ejus numi lectione incerti sumus.

* * *

ΠΟΛΛΙ. ΑΝΘΥ. perperam lectum ab Harduino in autonomo pro ΠΟΛΛΙΑΝΟΥ, qui magistratus frequens in Smyrnae numis sub Gordiano.

* * *

Hippicus:

ЄΠΙ. CΤΡ. Μ. ΑΥΡ. ΦΙΛΗΤΟΥ. ΙΠΠΙΚΟΥ. in numis Valeriani. (Vaill. Theup.) Item in autonomo Pellerinii: (Mel. I. p. 64.) ЄΠΙ. ΦΙΛΗΤΟΥ. ΙΠΠΙΚΟΥ.

De significatione vocabuli ΙΠΠΙΚΟΥ, quod inscriptum etiam reperitur numis Cotiaei Phrygiae, et Gordi Lydiae, et *equitem Romanum* notat, vide quae dicentur Vol. IV. in tractatu de his appellationibus.

q) Mel. II. r) T. II. p. m. 266. s) In praef. ad Tom. II. t) Num. vet. p. 187. seq.

* * *

Neocoratus. Hic primum simplex observatur in numis Trajani. (Vaill.) Alter incipit sub Commodo, collatum tamen ab Hadriano, colligitur ex marmore Oxoniensi [u]), in quo narrant Smyrnaei, se ab Hadriano ope Polemonis sophistae adeptos *δευτερον δογμα Συγκλητε, καθ' ὁ Νεωκοροι γεγοναμεν*, *secundum senatus consultum, quo neocori facti sumus*, quibus verbis intelligendus certe neocoratus alter, cum ex numis priorem jam sub Trajano habuerit. In Severi numis apud Vaillantium neocoratus omnis plane dissimulatur. Quare cum subinde in Caracallae et Domnae numis incipiat neocoratus III., censet is hunc Smyrnaeis collatum a Caracalla. Sed ejus fuisse auctorem Severum, docet numus Pellerinii cum ejus Augusti capite, inscriptus CMΥΡΝΑΙΩΝ. Γ. ΝΕΩΚΟΡΩΝ [x]), qui honos, si fides numo Commodi apud Arigonium [y]), in quo Γ. ΝΕΩΚΟΡΩΝ., magis adhuc erit anticipandus, cumque adeo legamus in aliis Commodi numis numerum B, certum erit, hoc eos imperante dictos tertium neocoros. De addito ΤΩΝ. CΕΒΑCΤΩΝ. vide, quae continuo dicentur.

* * *

Primatus, *Pulchritudo*, *Magnitudo*.

CMΥΡΝΑΙΩΝ. ΠΡΩΤΩΝ. ACIAC. in numis Commodi et sequentium, etiam omisso ACIAC.

Primatum Asiae jactarunt etiam Ephesus et Pergamus. Vide, quae de hac dignitate observabimus in tractatu de primatu.

CMΥΡΝΑΙΩΝ. ΠΡΩΤΩΝ. (addito in aliis ACIAC.) Γ. ΝΕΩΚΟΡΩΝ. ΤΩΝ. CΕΒΑCΤΩΝ. in numis Caracallae et Alexandri Sev.

CMΥΡΝΑΙΩΝ. ΠΡΩΤΩΝ. ACIAC. Γ. ΝΕΩΚΟΡΩΝ. ΤΩΝ. CΕΒΑCΤΩΝ. ΚΑΛΛΕΙ. ΚΑΙ. ΜΕΓΕΘΕΙ. in numis Caracallae. (Vaill. Spanheim. T. I. p. 648. Haym. T. II. p. m. 33o.)

In explicatione ambitiosae epigraphes, quam continet postremus hic numus, admodum variant eruditi, quorum sententias brevitatis causa omitto, contentus proponere eam, quae omnium maxime videtur verisimilis. Eam sic Latine reddo: *Smyrnaeorum*, qui sunt *primi Asiae*, *tertium neocori Augustorum*, primi *pulchritudine et magnitudine.* En rationem eorum, quae controversa videri possint secundum aliorum opinionem.

ΤΩΝ. CΕΒΑCΤΩΝ. ad neocoratum pertinere nullus dubito, omnium vero minime ad sequens ΚΑΛΛΕΙ. ΚΑΙ. ΜΕΓΕΘΕΙ. Istud luculenter probatur I. ex numis proxime citatis, in quibus absolute scribitur: CMΥΡΝΑΙΩΝ. ΠΡΩΤΩΝ. ACIAC. Γ. ΝΕΩΚΟΡΩΝ. ΤΩΝ. CΕΒΑCΤΩΝ. nulla mentione alterius elogii. II. ex insigni marmore Oxoniensi [z]), cujus initium ob multiplicem usum hic appono: *ἡ πρωτη της Ασιας καλλει και μεγεθει, και λαμπροτατη και μητροπολις, και Γ. νεωκορος των Σεβαςων κατα τα δογματα της ἱερωτατης συνκλητυ, και κοσμος*

u) Num. X. x) Mel. II. p. 291. y) Tab. VI. n. 96. z Num. V.

της Ιωνιας Cμυρναιων πολις. Ergo in hac inscriptione se Smyrna neocoram Augustorum aperte profitetur, et quidem secundum decreta sacerrimi senatus. At quorum Augustorum? Repetenda hic sunt ea, quae supra in numis Tiberii et Iuliae ex Tacito docui, nimirum Smyrnaeis permissum fuisse, ut Tiberii et Liviae templa apud eos aedificarentur, atque istud decreto senatus, nam in haec verba Tacitus: *ita rogati sententiam patres Smyrnaeos praetulere.* Haec templa in ejusdem Caracallao numo, quem eodem loco ex museo Caesareo adduxi, conspiciuntur. Haec ergo causa fuit, cur sese Smyrnaei in hoc numo neocoros Augustorum praedicarent, et in marmore quidem etiam jactando honorificum patrum de se factum judicium. III. Cum certum sit, apud eos fuisse templa Augustorum, eodem modo se horum neocoros dixere, ut Ephesii et Magnetes Ioniae se dixere νεωκορυς της Αρτεμιδος, quod celebria Dianae templa apud se habuere.

ΚΑΛΛΕΙ. ΚΑΙ. ΜΕΓΕΘΕΙ. Haec vocabula solitarie quidem sunt posita, at certum est ex allato marmore, subintelligi ΠΡΩΤΩΝ. De pulchritudine et magnitudine Smyrnae vide complura testimonia apud Spanhemium [a]).

* * *

Nomen ab imperatore Hadriano: ΑΔΡΙΑΝΗ. CΜΥΡΝΑ. in autonomo supra citato.

* * *

Certamina.

ΠΡΩΤΑ. ΚΟΙΝΑ. ΑCΙΑC. in numis Severi, vel: ΠΡΩΤΑ. ΚΟΙΝΑ. ΑCΙΑC. ЄΝ. CΜΥΡΝΗ. vel: ΠΡΩΤΑ. ΚΟΙΝΑ. ΤΗC. ΑCΙΑC. ΕΝ. CΜΥΡΝΗ. in numis Maximini, Gordiani, Gallieni.

* * *

Mentio situs.

ΜЄΛΗC. *Meles fluvius decumbens*, in autonomo, (Pellerin.) et in numo Sabinae. (Vaill.)

De hoc Plinius: *Smyrna amne Melete gaudens non procul orto.* Et Pausanias [b]): *Apud Smyrnaeos longe pulcherrimus est amnis Meles, ad ejus fontes antrum, in quo Homerum aiunt carmina sua scripsisse.* Vide alias amabilis hujus rivi peristases indicatas ab Himerio sophista [c]). Ab hoc fluvio poeta dictus est *Melesigenes*, tanquam apud eum natus, quin et nonnullis creditum, ipsum hunc fluvium Homeri patrem exstitisse [d]). Notus numus Amastrios Paphlagoniae: ΟΜΗΡΟC. *Caput Homeri.* ℞ ΑΜΑCΤΡΙΑΝΩΝ. ΜЄΛΗC. *Fluvius decumbens.*

Fuere, qui alios quoque fluvios in Smyrnae numis signatos censerent. Sic Spanhemius *Clarum* fluvium collegit ex numo Neronis: ЄΠΙ. ЄΡΜΟΓЄΝΟΥC. ΚΛΑΡΟC. CΜΥΡΝΑΙΩΝ. *Fluvius jacens*, ut testatur Vaillantius [e]). Numus hic pictus exstat apud Morellium [f]). *Clarum* fuisse magistratus nomen, et quidem praetoris, aperte docent numi alii.

a) T. I. p. 650. b) L. VII. c. 5. c) Eclog. XIII. §. 31. d) Philostr. in dedic. vit. Soph. e) Num. Graec. p. 347. f) In Neron. tab. XVII. n. 25.

Sic: CTPATHΓOC. KΛAPOC. in autonomo, (Pellerin.) et: ЄΠΙ. ЄΡΜΟΓЄΝΟΤ. CTPA. CKPIBONIOT. KΛAPOC. *Homerus sedens*, in numo Neronis et Poppaeae. (Pellerin.) Fluvii humi decumbentis typus non probat, adstitutum vocabulum KΛAPOC esse nomen fluvii, nam tum haberemus etiam fluvium *Rheginum* ex numo autonomi Pellerinii [g]): ЄΠΙ. ΜΤΡΤΟΤ. CTPA. PHΓЄΙΝΟC. *Fluvius decumbens.*

Exstant numi Titi et Domitiani: ЄΠΙ. ΒΩΛΑΝΟΤ. CΜΤΡΝΑΙΩΝ. ЄΡΜΟC. *Fluvius decumbens.* (Mus. Caes.) Harduinus, (Opp. sel. p. 158) et Pellerinius (Mel. II. p. 366.) in hoc typo causa adscripti EPMOC. *Hermum* fluvium viderunt, tanto certiore fiducia, quia dixit Plinius [h]): *a Smyrna Hermus campos facit, et nomini suo adoptat.* At enim in Smyrnae numis certum habemus magistratum dictum *Hermus.* In numo Neronis apud Morellium [i]) est: CTPATHΓOC. ЄΡΜΟC. CΜΤΡΝΑΙΩΝ. *Fluvius decumbens*, fuitque adeo Smyrnaeis praetor dictus Hermus. Ergo in numo, de quo agimus, sic scriptum est ЄΠΙ. ΒΩΛΑΝΟΤ. ЄΡΜΟC., ut in numo Vespasiani apud Vaillantium: ЄΠΙ. ΒΩΛΑΝΟΤ. AKPAIOC. vel, ut in autonomo Pellerinii: ЄΠΙ. ΜΤΡΤΟΤ. PHΓЄΙΝΟC. Quare indubitatum videtur, in numis similibus imagine fluvii jacentis Meletem intelligendum. Tametsi negare nolim, praetorem Hermum, quod ejusdem esset cum fluvio nominis, ponenda fluvii imagine ad Hermum fluvium voluisse adludere. Verum epigraphes ratio istud aperte non docet. Tunc enim inscriptum nomen fluvium manifeste arguit, quando infra imaginem jacentem scribitur, aut certe sic solitarie in ejus vicinia, ut commode ad reliquam inscriptionem referri non possit. At vero in numis praesentibus vocabula KΛAPOC et ЄΡΜΟC in orbem, et continue scribuntur nulla orationis interruptione. Quare analogiae causa numum Vespasiani, quem vulgavit Tristanus: ΣΜΤΡΝΑΙΩΝ.ΕΠΙ.ΒΩΛΑΝΟΤ. ΑΚΡΑΙΟΣ. *Iuppiter sedens d. Victoriolam*, quemque edidere etiam Vaillantius et Harduinus, sic explico, ut existimem, ΑΚΡΑΙΟΣ esse nomen magistratus, atque hunc Iovis Ακραιȣ insculpta imagine ad nomen suum adlusisse.

Ad situs mentionem pertineret etiam numus inscriptus ZM. ACI., quod Haymius explicat: *Smyrnaeorum Asiae*, (in praefat. ad Tom. II.) quasi Smyrna se in Asia sitam testaretur. Sed hanc epigraphen aliter legendam videri, mox dicetur.

* * *

Concordiae frequens in Smyrnae moneta mentio. Omissis obviis memorabiliores tantum attingam.

CΜΤΡ. ΑΘΗΝΑΙ. ΟΜΟ. CTP. AI. ΗΡΑΚΛЄΙΔΟΤ. *Nemesis alata, et Pallas stantes*, in numo Commodi, AE. I. (Mus. Caes. Vaill.)

Alius similis, nisi quod in antica est. IЄPA.

g) Rec. II. p. 84. h) L. V. p. 280. i) in Neron. Tab. XVII. n. 26.

ϹΥΝΚΛΗΤΟϹ. *Caput Senatus.* AE. II. (Hunter.)

Fuit et aliorsum Smyrnae cum Athenis nexus. Ea Aristidi dicitur Athenarum colonia [k]), et Smyrnaeus rhetor Athenas Smyrnae metropolin appellat [l]). Numi hi certe signati sunt Smyrnae, quia praetor Heraclides in aliis quoque ejus numis occurrit, ut et in proximo.

ϹΜΥΡ. ΛΑΚΕΔΑΙ. ΟΜΟ. ϹΤΡΑ. ΗΡΑΚΛΕΙΔΟΥ. *Cybele sedens, ex adverso vir habitu militari stans*, in numis Commodi. (Mus. Pisani, Vaill.)

Hos quoque Concordiae cum Lacedaemone numos signatos Smyrnae, ex magistratu Heraclide patet.

ΑϹΙΑ. ϹΜΥΡΝΑ. ΟΜΟΝΟΙΑ. *Amazon dexteram jungit cum muliere turrita*, in numo Gordiani. (Vaillant.)

Vaillantius nomine ΑϹΙΑ Asiam proconsularem intelligendam putat [m]), minus recte, ut opinor. Asiae enim, quae fuit Lydiae urbs, habemus autonomum apud Haymium inscriptum ΑΣΙΕΩΝ., et in cujus antica est caput muliebre turritum [n]), apposite ad numi nostri typum. Et hic Smyrnae signatus est; nam inscriptus magistratus Pollianus: ΕΠΙ. Ϲ. ΠΟΛΛΙΑΝΟΥ. saepe in Gordianeis Smyrnae numis legitur. Eadem cum Asia Lydiae concordia indicata videri possit in numo Trajani apud Pellerinium: ΖΜ. ΑϹΙ. ΦΟΥϹΚΩ. ΑΝΘΥ. ϹΤΡΑ. ΡΟΥΦΟΥ. quem edidit Haymius quoque [o]), sed perperam Zelae Ponti tribuit, quem serius errorem agnovit ipse [p]); at non placet, ut ipse vertit: *Zmyrnaeorum Asiae*, quas vero alia extra Asiam ejus nominis urbs exstitisset.

* * *

Formula ΑΝΕΘΗΚΕ.

Habemus Smyrnae numos cum formula: ΠΟΛΕΜΩΝ, vel ΙΕΡΩΝΥΜΟϹ, vel ΘΕΥΔΙΑΝΟϹ. ΑΝΕΘΗΚΕ. ϹΜΥΡΝΑΙΟΙϹ. vel ϹΜΥΡΝΑΙΩΝ, in numis Hadriani, Antinoi, M. Aurelii, autonomis, sed quos numos in dissertatione singulari describam, et explicabo.

AE. C.

TEOS.

In peninsula, Anacreontis patria.

Autonomi non infrequentes, quorum plurimos congessere Pellerinius et Hunterus. Ex his eminent nonnulli antiquissimi operis, qui parte una gryphum, altera quadratum exhibent. Cum in his epigraphe aut omnis absit, aut, si qua est, in magistratibus tantum occupetur, decidi facile non potest, utrum numi similes huic Teo, an hujus coloniae Abderae Thraciae, quae et ipsa metropolis suae gryphum retinuit, sint adjudicandi. Dixi in numis Abderae, id genus numos anepigraphos magis esse ex ingenio monetae vetustissimae urbium Thraciae signatos, deinde ex certis utriusque urbis numis apparere, raris exemplis contrariis, gryphum Tejorum in ortum, Abderae in occasum spectare. Ex qua lege numi non pauci, quos viri

k) Orat. de Concordia T. I. p. m. 523. l) Gratul. in Smyrn. m) Num. Graec. p. 223. n) T. II. p. m. 105. o) T. II. p. m. 266. p) In praefat. ad Tom. II

eruditi, ac proxime Cl. Combius in catalogo musei Hunteriani, Teum avocarunt, Abderae erunt restituendi.

Ceterum cur gryphus in Tejorum monetam involaverit, certam causam nondum reperi, uti neque, cur eundem in numos suos receperint vicini Phocaeenses. In Smyrnaeis hospitium datum causa Nemesis, cujus is notus assecla. Forte Apollinis cultum indicat, cujus is etiam lateri adhaesit; nam in aliquibus Tei numis cum lyra jungitur. (Pellerin, Hunter, Mus. Caes.)

* * *

Caput Bacchi vel Bacchae hedera redimitum, prae quo thyrsus. ✗ THIΩN. *Botrus.* ✗ AE. III. (Hunter.)

Gryphus. ✗ TH. vel THI. *Diota, superne botrus.* AR. AE. III. (Pellerin, Hunter.)

Bacchi cultum apud Tejos omnes hi numi eloquuntur, quem et imperatorii frequenter sistunt. Et vero principe eum fuisse apud Tejos loco, et ejus causa Tejorum agrum sacrum et ἄσυλον, comprobant monumenta Teja, quae recenset Chishull q). Ejus cultus causa fuit, quod Teji natum apud se Bacchum credi voluere, ut refert Diodorus Sic. r). Etiam Vitruvius templi, quod ibi Baccho sacrum fuit, meminit s).

* * *

ΤЄΩC. *Caput muliebre galeatum, aliquid galeae simile,* (forte bipennem) *humero gestans.* ✗ THIΩN. *Gryphus.* AE. (Catal. d'Ennery.)

Pro ingenio urbium hujus tractus proponitur in antica Amazon Teos, a qua urbem suam conditam jactabant Teji.

* * *

ANAKPЄΩN. THIΩN. *Anacreon nudus stans s. lyram.* ✗ CTP. BЄPHKOTNΔOT. *Figura incerta stans.* AE. III. (Pembrock P. II. tab. 80.)

Caput Neptuni, prae quo delphinus tridenti involutus. ✗ CT. TI. ΠЄΠΩNЄ. THIΩN. *Vir togatus barbatus sedens lyra canit.* AE. II. (Pellerin Suppl. III. p. 104.)

Vt Smyrnaei et Colophonii Homerum suum, sic Teji Anacreontem suum numis intulerunt. De ejus statua Athenis posita Pausanias t): *και όι το σχημα ἐςιν οἶον ᾀδοντος ἀν ἐν μεθη γενοιτο ἀνθρωπε. habitus ejus est tanquam hominis, cum ebrius est, cantantis.*

* * *

Auctor musei Theupoli vulgavit numum: OMHPOC. *Caput Homeri.* ✗ THIΩN. *Pallas stans.* Numos Ietarum insulanorum cum hoc contendenti facile patebit, pro THIΩN legendum IHTΩN.

AR. RR. AE. R.

Imperatorii ab Augusto usque ad Gallienum:

Epigraphe: THIΩN. *Typus* potior Bacchus stans, de cujus apud Tejos cultu egimus in autonomis.

---

q) Ant. Asiat. r) L. III. c. 65. s) In praef. ad L. VII. t) L. 1. c. 25.

ΣΕΒΑΣΤΟΣ. ΚΤΙΣΤΗΣ. *Caput Augusti in templo tetrastylo.* (Morelli Specim. p. 201.)

Augustus dicitur *Conditor*, ut a vicinis Clazomeniis.

* * *

Magistratus praetor obvius, etiam in autonomis.

Neocoratus proditur primum in numo M. Aurelii: ΤΗΙΩΝ. ΝЄΩΚ. (Vaill.) at in aliis M. Aurelii et Faustinae jun. ΤΗΙΩΝ. Β. ΝЄ. (Pellerin. Mus. Christinae.) Videntur neocoratum I. nacti causa templi Augusti, quod ibi stetisse numus citatus docet.

AE. RR.

INSVLAE IONIAE.

ARGENNOS.

Insula ignobilis juxta Maeandri ostia. *Autonomum* dedit Arigonius: *Caput Palladis.* ✠ ΑΡΓΕ. *Figura stans d. pateram, s.* - - - Ejus judicii rationem nullam video, et verius censeo, tribuendum hunc numum Argis Argolidis, cui similem olim vulgavi [u]).

CHIOS.

Inter insulas ejus tractus nobiliores numeranda.

Autonomi:

Sphinx alata. ✠ *Leo dimidius alatus.* AV. III. (Pellerin.)

Similem dedit Sestinius, sed pro leone alato dixit aprum marinum alatum [x]). Aper alatus est Clazomeniorum.

Sphinx alata, additis juxta variis minutis sigillis. ✠ ΧΙΟΣ. *addito magistratu, ut:* ΑΡΤΕΜΙΔΩΡΟΣ. *etc.: Diota in cuspidem desinens, variantibus juxta sigillis.* AR. III. AE. III.

Obvii sunt hi numi ex aere, ex argento rariores. Sphinx fere proprius Chiorum typus, sic ut non dubitaverit Pellerinius, aureum, quem mox descripseram, huc referre. Hujus causa typi hactenus ignoratur, non tamen perinde causa diotae; nam adludere videtur ad vinum Chium magni apud veteres nominis, et credo similem diotam intelligi a Plauto, cum ait, *quasi tu lagenam dicas, ubi vinum solet Chium esse* [y]). Quod reipsa diota est, Froelichius *gyrgillum serico evolvendo* dixit [z]), fors propterea, quod ejus pars una in cuspidem desinit, quae diotae, cui, ut stare possit, basi opus est, convenire non possit. Verum vasa in cuspidem exeuntia in veterum monumentis saepissime conspiciuntur, quae hic citare necesse non est, cum ejus formae diotae fictiles frequentissime Romae effodiantur.

u) Num. vet. p. 156. x) Lettere T. IV. 115. y) Curcul. Act. I. Sc. 1. v. 78. z) Not. elem. p. 65.

In numis autem binis Pellerinianis hae diotae revera basin habent, eique insistunt. Froelichio, qui gyrgillum putat, probandum adhuc fuerat, sericum tam mature in Graecia fuisse cognitum, (nam antiquissimi cum hoc typo sunt numi apud Pellerinium) aut saltem sic jam vulgatum, ut ejus commercium proficuum esse Chiis potuerit, quod utique proposito in numis gyrgillo notaretur. Satis ex Lampridio constat, adhuc Elagabali aetate rarissimum fuisse sericum, quin ejus veram genesin Graecis adhuc Plinii et Pausaniae aetate fuisse incompertam, docebit Mahudelius [a]), et d'Anvillius [b]), Romanis vero nonnisi sub Iustiniano innotuisse, docent Theophanes apud Photium [c]), et adcurate Zonaras [d]), et Procopius [e]). Epigraphe ΧΙΟΣ in his numis constans est ἐθνικον in recto, ut ΝΕΟΠΟΛΙΤΗΣ, ΡΗΓΙΝΟΣ etc.

* * *

ΟΜΗΡΟϹ. *Homerus barbatus sedens in volumen, quod manibus explicatum tenet, intuetur.* ✠ ΧΙΩΝ. *Sphinx pedem anteriorem jam diotae, jam prorae navis imponit.* AE. III. (Hunter.) In alio simili: *volumini literis minutissimis inscriptum legitur* ΙΛΙΑϹ. (Mus. Caes.)

Constat, Chios quoque poetae natales sibi vindicasse, cujus testimonia citavi in mea Sylloge I., quo loco dictum musei Caesarei numum vulgavi, eo singularem, quod volumini inscriptum ΙΛΙΑϹ. offert. Jam vero et Pollux testatur, Chios Homerum in moneta sua signavisse [f]).

* * *

ΑϹϹΑΡΙΑ. ΤΡΙΑ. *Sphinx pedem anteriorem prorae navis imponens.* ✠ ΧΙΩΝ. *Bacchus seminudus stans d. cantharum, s. thyrsum, juxta Apollo d. pateram, s. demissa ramum, media inter utrumque ara ignita.* AE. I. (Mus. Caes. Pellerin.) Horum nonnullis inscribitur archon. (Hunter.)

Eadem adversa. ✠ ΧΙΩΝ. *Diota, intra laureum.* AE. I. II. (Mus. Caes. Pellerin.) Horum quoque nonnullis additus archon.

ΑϹϹΑΡΙΑ. ΔΥΟ. *vel* ΔΥΩ. *Sphinx similis.* ✠ ΧΙΩΝ. *Hercules stans ad aram*, in aliis: *Diota.* AE. I. II. (Pellerin, Hunter.) addito nonnunquam archonte.

ΑϹϹΑΡΙΟΝ. *Diota inter duo astra. Sphinx similis.* AE. II. (Mus. Caes. Hunter.)

ΑϹϹΑΡΙΟΝ. ΗΜΙϹΥ. (in numo musei Caes. ΗΜΥϹΥ.) *Duae taedae ardentes in decussem positae omnia intra coronam hederaceam.* ✠ ΧΙΩΝ. *Sphinx sedens anteriore pede diotae imposito.* AE. fere I. II. III. (Pellerin, Hunter.)

ΑϹϹΑΡΙΝ. ΗΜΥϹΥ. *reliqua ut in praecedente.* AE. III. (Theupoli.)

ΟΒΟΛΟΣ. *Sphinx pede anteriore prorae imposito.* ✠ *Hercules stans.* AE. I. (Hunter, Theupoli.)

ΔΙΧΑΛΚΟΝ. *Diota inter duo astra.* ✠ ΧΙΩΝ. *Sphinx, ut in praecedente.* AE. III. (Mus. Caes. Pellerin.)

---

a) B. L. T. V. Mem. p. 219. b) Ibid. T. XXXII. p. 599. c) Cod. 64. d) L. XIV. c. 9. e) Bell. Goth. L. IV. c. 17. f) L. IX. c. 6. §. 84.

En tibi catalogum numorum Chiorum, qui valorem, sive pondus disertis verbis exprimunt raro in aliorum populorum numis exemplo. Eos secundum omnes suas causas hic descripsisse satis habeo; nam quod ad inscripta haec valoris vocabula attinet, de iis jam egi in prolegomenis generalibus capite IX., quo loco conjunxi ea omnia, quae se in diversis numis aliis offerunt.

* * *

Magistratus frequenter inscripti, et quidem in antiquioribus, quos primo loco recensui, simpliciter: ΛΑΜΠΡΟΣ, vel ΙΚΕΣΙΟΣ,. etc. In argenteo musei Caesarei est ΘΕΟΠΟΜΠΟΣ forte celebris hoc nomine historicus in hac insula natus, cujus varia fortuna enarratur apud Photium g). In numis serius signatis, qualis est cum mentione *trium assariorum:* ЄΠΙ. ΧΡΥϹΟΓΟΝΟΥ. ΤΟΥ. ЄΠΑΦΡΟΔΙΤΟΥ. (Mus. Caes.) addito etiam non infrequenter nomine

Archontis, sic in simili: ЄΠΙ. ΑΡΧ. ΧΡΥϹΟΓΟΝΟΥ. (Hunter) vel: ЄΠ. ΑΡ. ΑΥ. ΧΡΥϹΟΓΟΝΟΥ. (Pembrock. P. II. tab. 82.) Item: ЄΠΙ. ΑΡΧ. ΠΡЄΙΜΟΥ. (Pembrock l. c.) vel: ЄΠΙ. ΑΡΧ. ΠΡЄΙΜΟΥ. ΔΙϹ. (Pembrock l. c.) vel: ЄΠΙ. ΑΡΧ. ΚΟ. ΟΥΑ. ΠΡЄΙΜΟΥ. (Pembrock l. c. Hunter.) quod interpretor: *archonte Q. Valerio Primo*, quorum ope numorum corrigendam censeo lectionem Pellerinii: ЄΠΙ. ΑΡΧ. ΣΟΟΥΑ. ΠΡЄΙΜΟΥ.

* * *

ΔΗΜΟϹ. ΧΙΩΝ. in numo concordiae cum Erythris Ioniae, quem in harum moneta descripsi.

AV. RRRR. AR. R. AE. C.

Regius.

Sphinx infra quam: ΦΗΣ -- Χ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΝΤΙΟΧΟΥ. *Diota, infra:* ΔΩΡΟ - *intra lauream.* AR. III.(Mus. reg. Gall.)

Singularem hunc numum pictum dedit Comes Caylus h). Barthelemyus, qui sua illi observata addidit, jure censet, memoratum in hoc numo Antiochum esse unum ex tribus primis hoc nomine Syriae regibus, reliquis post Antiochi III. ad Magnesiam cladem dominatu Asiae cis Taurum submotis. Tum in Antiochum III. propendet, quem constat, circa annum V. C. 557. Ioniae urbes, quibus praecedentes Syriae reges libertatem permisere, ad imperata facienda vi compulisse. At vereor, ut Antiochus I. et II. excludi jure possint. Antiochus I. de Ionibus praeclare est meritus relata insigni de Gallograecis victoria, qui Asiae, ac cumprimis Ioniae imminebant, in cujus memoriam ei Milesii dedicavere numum, quem alibi vulgavi i). Antiochus II. Milesios a Timarchi tyrannide liberavit, quam ob causam cum hujus quoque capite Milesii numos signavere k). Quod seu per adulationem, seu grati animi causa fecere Milesii, poterat placuisse etiam Chiis aliquo affectis beneficio a prae-

g) Cod. 176. h) Rec. Tom. II. p. 144. i) Num. vet. p. 277. k) Pellerin Rois. p. 66.

potentibus his regibus, perinde ac Athenienses vidimus dedicasse monetam Demetrio Poliorcetae, et Mithridati VI. propter varia ab his in se derivata officia.

Imperatorii.

Vnicum Augusti habemus hujus classis, neque hunc cum ejus principis imagine:

ΣΕΒΑΣΤΟΣ. *Sphinx.* X ΕΥΔΗΜΟΣ. ΔΙΟΓΕΝΗΣ. *Diota.* AR. III. (Pellerin Rec. III. p. 224. Hunter.)

Commode in Augustei capitis locum succedit Sphinx Augusto usque eo amica, ut eam annulo insculptam gestaret testibus Suetonio, Plinio, Dione.

Numus Philippi senioris, quem Vaillantius proponit, signatus est Smyrnae, ut mox monebo. Videntur ergo Chii sub imperatoribus non signasse numos alios, quam autonomos.

Concordiam coluit Chius cum *Smyrnaeis:* CΤΡ. ΚΑΠΙΤΟΛΕΙΝΟΥ. ΧΙΩΝ. CΜΥΡΝΑΙΩΝ. ΟΜΟΝΟΙΑ. in numo Philippi senioris, sed hic signatus est Smyrnae, nam haec praetores habuit, Chius archontes, ut in autonomis vidimus. — Cum *Erythraeis* Ioniae, ut diximus in postremo autonomo.

AE. RRRR.

ICARIA.

Proxima ad Samum, nomen traxit ab Icaro desuper illapso, et ab hoc mare Icarium.

Autonomi.

Hujus classis numum dedit Pellerinius: *Caput muliebre nudum.* X ΙΚΑΡ. *Caput bovis.* AR. III. Numum hunc tanto minus huc referri posse dubitavit, quod typus ipse ad id adludit, quod narrat Strabo, stetisse in hac insula templum Dianae, cui nomen *Tauropolium* fuit. Verum non satis istud expeditum, nam consultus a Neumanno nostro Blondius respondit, in hoc numo legendum videri ΙΚΑΙΥ. Ceterum et Goltzius autonomum edidit: ΙΚΑΡΙΩΝ. *Raptus Proserpinae.* X *Diana venatrix.*

Imperatorius.

Vnicus cum capite Commodi vulgatus exstat in Catalogo d'Ennery: (pag. 539.) ΙΚΑΡΙЄΩΝ. *Caput muliebre turritum.* Stephano gentile est Ἰκάριος. Si ergo numus hic est genuinus, ejusque epigraphe rite excepta, habemus alterum ejus ἐθνικον Ικαριευς.

AE. RRRR.

PATMOS.

Prope Samum, S. Ioannis exilio celebris.

Autonomus.

Caput juvenile hedera coronatum. X ΠΑΤΜΟΥ. *Diota.* AE. III. (Catal. Mus. Bentinck Suppl. p. 221.)

AE. RRRR.

Imperatorius.

Severi editus a Vaillantio: ЄΝ. ΠΑΘΜΩ. ΔΑ., sed quem esse Rhabbathmomae Arabiae, in hujus numis docebitur.

SAMOS.

Epheso objecta, insula celebris praecipue a Iunonis cultu, et Pythagorae natalibus.

Autonomi.

Praemonendum, cl. Sestinum locupletem et operosum catalogum edidisse autonomorum, quos hujus esse insulae monetam profitetur, quorumque magna pars ab antiquariis aut urbi alienae fuit adjudicata, aut in incertis habita. Tales sunt: *Caput leonis ore hiante.* ✠ *Quadratum incusum.* AV. AR. — *Caput leonis ore hiante.* ✠ *Caput bovis.* AV. pluresque similes alii, quos Cyzicenos, Salaminios Cypri, aut incertos putavere Pellerinius et Combius. Succedunt alii solo Σ notati, de quibus item varium fuit eruditorum judicium. Vide longum horum numorum agmen apud auctorem ipsum [l]). Sitne his viri eruditi dictatis generatim subscribendum, omnino ambigo. Causa illi praecipua, quod in ipsa Samo reperiantur. Verum istud nimium perfunctorie adserit, dicere contentus, *che si ritrovano in Samos*, cum tamen, praecipue in nonnullis, quia insolentiores offerunt typos, majorem dictis fidem facere oportuisset. Vt ergo non negavero, vera esse posse, quaecunque proposuit, sic mihi animus non est, incertis his multum immorandi, quia haec etsi magis explorata, philologiae causas non magnopere juvarent, cujus unius commodis ars nostra servire debet. Ab incertis ergo hujus insulae numis ad certos progrediamur.

* * *

Caput adversum leonis. ✠ ΗΓΗΣΙΑΝΑΞ. Σ. *vel* ΣΑ. *Bos dimidius, pone ramus.* AR. I. (Hunter, Pembrock.) In aliis: ΒΑΤΤΟΣ. ΣΑ. — ΜΗΤΡΟΦΩΝ. ΣΑ. *vel* ΣΑ. *solum.* AR. I. II. III. (Hunter.) ΝΑΝΙΣΚΟΣ. ΣΑ. (Spanheim T. I. p. 298.)

Caput adversum leonis. ✠ ΣΑΜΙΩΝ. *Bos dimidius, juxta arbutum, et pedum.* AR. II. (Hunter.)

Numi priore sede recitati variam sunt fortunam experti. Similem illi, qui inscribitur ΒΑΤΤΟΣ. ΣΑ., Vossius Batto Cyrenaico tribuit [m]), Spanhemius Sardes aut Samum respexit [n]). Postremus Pellerinius Salamina Cypri maluit, cujus et ipse serius judicium sum secutus edito simili ex museo Christinae [o]). At numus alter inscripto plene ΣΑΜΙΩΝ. dubium omne tollit, numosque hujus naturae omnes illustri nostrae Samo restituendos docet, relictis Salamini solis illis, qui ΣΑΛΑΜΙΝΙΟΝ inscripsere, et alioqui typis quoque differunt, ut patebit Hunterianos et Pellerinianos nomos conferenti. Ex hac Samiorum moneta fluxisse typos in monetam Messanae Siciliae et Rhegii, in Messanae moneta diximus.

* * *

Caput muliebre. ✠ ΣΑΜΙΩΝ. *Pavo.* AE. III. (Mus. Caes. Pellerin.)

---

l) Lettere T. III. p. 119. m) Observat. ad Melam. n) L. c. o) Num. vet. p. 238.

Iunonis insignem apud Samios cultum hic numus pofitetur. Refert Athenaeus p), in Iunonis Samiae templo esse pavones huic deae sacros, ac propterea Samiorum monetam pavone signari.

* * *

ΜΗΝΗ. CΑΜΙΩΝ. *Caput muliebre, juxta lunula.* ✕ ΘΕΟΝ. CΥΝΚΛΗΤΟΝ. *Caput virile.* AE. (Patin Impp. p. 45.)

Perperam Patinus in numi hujus parte adversa caput Liviae, aversa caput Augusti vidit, cum sint certa capita Lunae, seu Mensis, et Senatus. Acute conjecit Tournefortius q), hunc Samiorum Mensem ad ipsam quodammodo Iunonem Pronubam referri, cujus, ut mox dicetur, summi fuere in hac insula honores. Fuit nimirum eadem cum Iunone Lucina, et praeses nuptiarum, partuum, et purgationis apud feminas menstruae, quod testatus est ipse D. Augustinus r): *De Mena, quam praefecerunt menstruis feminarum*, quorsum adeo adludit vocabulum ΜΗΝΗ, et lunula.

AR. et AE. RR.

Imperatorii.

Sub primis Augustis rariores, inde a Caracalla usque ad Gallienum nihil his vilius, suntque posteriores hi fabricae tam hiulcae, ut dubitari saepe possit, utrum genuini sint.

ΣΑΜΙΩΝ. *Pavo cum sceptro transverso*, in numis Augusti. (Mus. Caes. Arigoni.) Vide autonomos.

Agrippina junior dicitur ΘΕΟΜΗΤΩΡ, *mater dei*, nempe Neronis, in numo insigni musei Caesarei, quem olim edidi s). Vide hunc titulum explicatum in numis hujus Augustae commatis Romani.

Epigraphe constans: ΣΑΜΙΩΝ.

Typi:

Iuno Pronuba stans, saepe cum adminiculis, pallio retro a summo ad imum defluo tecta.

Graphice hanc Sami Pronubam descripsit Lactantius t): *Insulam Samum scribit Varro prius Partheniam nominatam, quod ibi Iuno adoleverit, ibique etiam Iovi nupserit. Itaque nobilissimum et antiquissimum templum ejus est Sami, et simulacrum in habitu nubentis figuratum, et sacra ejus anniversaria nuptiarum ritu celebrantur.*

* * *

Fluvius humi decumbens, typus obvius. — *Meleager aprum venabulo excipiens.* — *Vulcanus super incude arma fabricans.* — Insolentior typus in numis Gordiani et Gallieni: *Vir nudus stans ambabus manibus lapidem praegrandem in arrectum serpentem conjicit.* (Vaill.) Videtur heros is esse Cadmus, a quo serpentem, qui socios peremit, saxo impetitum narrat Ovidius u), et Euripides x), cujus facti memoriam videntur in moneta conservasse Samii, ut Meleagri. At in numo Saloninae musei Caesarei, et Gallieni apud Arigonium luculenta est mulier a summo ad medium corpus nu-

p) L. XIV. p. m. 655. q) Voyage T. II. epit. 10. r) De Civ. dei L. IV. c. 11. s) Sylloge I. p 39. t) De fals. relig. c. 17. u) Met. L. III. sub init. x) In Phoeniss. v. 667.

da, quae saxum ingens utraque manu projicit, et in his abest serpens. — *Athleta stans d. lauream, s. palmae ramum.* Samios prae ceteris Ionibus excelluisse in certaminibus athleticis, narrat Pausanias [y]). — *Vir galeatus nudus stans ensem in prostratae mulieris jugulum demittit*, in numo Gallieni. (de Camps.) Nisi domestica quaedam historia proponitur, erit Polyxena a Pyrrho mactata.

* * *

ΠΥΘΑΓΟΡΗC. CΑΜΙΩΝ. *Pythagoras pallio indutus sedens sphaeram tripodi impositam radio contingit*, in numis copiosis inde a Commodo.

In his numis Pythagora suo olim cive gloriantur Samii. Is teste Plinio [z]) naturam astri Veneris primus explicavit, quorsum haud dubie horum typus numorum adludit.

* * *

ΠΡΩΤΩΝ. ΙΩΝΙΑC. in numis Gordiani et Decii. Apposite ad hanc epigraphen dixit Pericles pro concione ad populum, a se devictos Samios τους ΠΡΩΤΟΥΣ και δυνατοτατυς των Ιωνων [a]).

* * *

Concordia cum Alexandria Aegypti: CΑΜΙΩΝ. ΚΑΙ. ΑΛЄΞΑΝΔΡЄΩΝ. ΟΜΟΝΟΙΑ. *Isis stans cum velo*, in numo Gordiani. (Pellerin Mel. II. p. 308.)

Ceterum pro tanta moneta Samiae copia vix aliquid observatu dignum in hac occurrit, nulla magistratus mentio, sola fere tantum epigraphe CΑΜΙΩΝ. *AE. C.*

---

y) L. V c. 2. z) L. II. §. 6. a) Plutarch. in Pericle p. 167.

C A R I A.

A B A.

Imperatorios binos, unum M. Aurelii, alterum Alexandri Sev. inscriptos ΑΒΕΩΝ obtulit Pellerinius [a]), in horum uno *Mercurius*, in altero *Mensis stans*. Abae Cariae meminit Stephanus ex Herodiano, ejusque gentile statuit *Abeus* recte secundum numi epigraphen. Abas in Lycia statuit triplex scholiastes Sophoclis, addito, esse ibi templum Apollinis [b]). Vt istud non impugno, sic certum tamen, a Sophocle hoc loco non intelligi Abas Lyciae, quod volunt hi grammatici, sed vetus Apollinis oraculum apud Abas Phocidis, de quo vide Stephanum, et notas Pinedi. Fuit etiam Messeniae Abea, at Pellerinius Cariae hos numos infert, quoniam, ut ait, nulla Peloponnesi urbs alteri, quam Severo ejusque familiae, numos dedicavit. Dicere debuerat, ejus rariora esse exempla, nam ipse non paucos aliis imperatoribus dicatos promulgavit. Sed tamen vel haec ratio satis pro Cariae urbe pugnat, ac praecipue dei Mensis imago in numis Caricis obvia, numis Europaeis ignota.

AE. RRRR.

ALABANDA.

Caricarum urbium felicissima habita. Condita a Care, qui ei nomen Alabandi filii indidit, quem subinde velut conditorem indigenae sanctius coluere, quam quemcunque alium deum teste Cicerone [c]).

Autonomi:

ΘΕΑ. ΡΩΜΗ. *Roma armis insidens d. Victoriolam, s. hastam.* ✠ ΑΤΕΛΕΙΑϹ. ΑΛΑΒΑΝΔΕΩΝ. *intra lauream.* AE. III. (Sestini Lettere T. IV. p. 116.)

Cum vocabulum ΑΤΕΛΕΙΑϹ verisimile non videatur esse nomen proprium magistratus, dubitari non potest, eo significari ἀτέλειαν, seu *immunitatem a tributis.* Eam a Romanis non raro concessam fuisse urbibus de se bene meritis, multa in historicis habemus exempla, quorum plura dabimus in diatriba de urbibus autonomis, liberis, immunibus. De Alabandensium in Romanos adfectu stante adhuc rep. insigne habemus testimonium Livii [d]), cum eorum legati in senatu commemorarunt, *templum urbis Romae se fecisse, ludosque anniversarios ei divae instituisse etc.* Propter haec eorum merita verisimile est permissam iis immu-

---

a) Suppl. III. p. 133. 134. b) Ad Oedip. tyr. v. 918. c) De nat. deor. c. 15. et 19. d) L. XLIII. c. 6.

nitatem, quam adeo palam in hoc numo profitentur objecta etiam in ejus antica imagine Romae, cujus honori templum statuerunt.

* * *

Typi in reliquis ejus numis: *Pegasus*, *Aquila*, aliique obvii. AE. II. III. (Pembrock. Pellerin.)

* * *

Caput Apollinis laureatum. ℞ ΑΛΑΒΑΝΔΕΩΝ. *Pegasus volans*, *in imo variantia nomina:* ΜΕΝΕΚΛΗΣ. ΔΙΟΓΕΝΗΣ. ΜΗΝΟΔΟΤΟΣ. ΣΩΚΡΑΤΗΣ. ΤΙΜΟΚΛΗΣ. AR. m. m. (Pellerin. Mel. I. p. 137.)

Caput Apollinis laureatum. ℞ ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ. *Pegasus volans in imo:* ΜΕΝΕΚΛΗΣ. AR. m. m. (Ibid.) *In alio simili in imo* ΔΗΜΗΤΡΙΟΣ. Froelich Annal. Syr. p. 63. *In alio:* ΜΕΝΕΥΘΕΥΣ. (Sestini Lett. T. IV. p. 116.)

Cum prioris loci numi argentei, iique volumine suo insignes antea non essent cogniti, eorum quinque solus Pellerinius, unis magistratuum nominibus diversos museo suo intulit. Cum numos altero loco propositos sola epigraphe ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ a praecedentibus distinguat, ceterum, ut gutta guttae est, simillimos, omnigena haec concordia persuasit Pellerinio, ut Alabandenses, et qui in alteris memorantur, Antiochenses unum eundemque populum putaret, nixus illustri Stephani testimonio: Αλαβανδα, ἡ ποτε Αντιοχεια, qui tamen auctor eo videtur peccare, quod hanc Alabandam ad Maeandrum fl. constituat, et, ut apparet, cum urbe Antiochia eidem flumini adsita, cujus etiam habemus numos, confundat, nisi forte duae fuere Alabandae, ut ipse unus silentibus reliquis scriptoribus omnibus affirmat. Si *Menecles*, qui in utrisque numis proditur, idem est cum illo, quem domo Alabandensem, clarumque oratorem dixere Strabo et Cicero, horum numorum aetatem satis prope teneremus, nam eum sibi puero auditum testatur Cicero [e]). Ex hoc item constaret, satis diu Alabandam Antiochiae nomen tulisse. Argumenta haec satis quidem videntur persuadere, numos hos vario nomine inscriptos ad eandem Alabandam pertinere, at mirum tamen, variare urbis nomen in numis uno eodemque tempore, aut saltem vicino, ut omnia persuadent, signatis. Sane in numis jam inde ab Augusto cusis constanter Alabandae nomen valuit. Conjectura occurrit perinde probabilis, Antiochenses ad Maeandrum et Alabandenses certo quodam consilio, quod, ut plura alia, ignoramus, iisdem in uno hoc numorum genere typis usos, ut usas fuisse constat varias Cretae urbes in imitandis monetae Atticae typis, tum Asiae urbes in signandis cistophoris, et cujus exemplum magis insolens suppeditant numi Smyrnae et Philadelphiae, quin tamen adserere quis possit, Smyrnae etiam fuisse Philadelphiae nomen. Ad haec magistratus, dictus Menecles, perinde esse potuit tam Alabandae, quam Antiochiae, aut unus idemque Menecles, seu sacer, seu profanus magistratus ex-

e) In Bruto c. 95.

ſtitit, ad illud negotium valere potuit, cujus cauſa eximii hi numi cuſi ſunt.

Notandum adhuc, numum ſupra citatum ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ.ΔΗΜΗΤΡΙΟΣ, inique a Begero Antiochiae Syriae in honorem regis Demetrii I. ſignatum creditum, atque eundem deinde etiam errorem errasse Froelichium f).

AR. RRR. AE. RR.

Imperatorii.

Alabandenſes dudum Romanis devoti, ut ſupra diximus, continuatis deinde obſequiis frequenter cum primorum ex gente Auguſtea capitibus numos ſignarunt, quorum mox illuſtriores citabo. Poſtremum vidi cum capite Maximi Caeſaris.

ΚΑΙΣΑΡ. ΣΕΒΑΣΤΟΣ. *Caput Auguſti.* ✕ ΛΙΟΥΙΑ. ΑΛΑΒΑΝΔΕΩΝ. *Caput Liviae.* (Morelli Impp. T. I. p. 424.)

ΣΕΒΑΣΤΟΣ. *Capita adverſa, laureatum Auguſti, et alterum Liviae, media Luna.* ✕ ΑΛΑΒΑΝΔΕΩΝ. *Caput Agrippae cum corona roſtrata, eique adverſa capita jugata Caji et Lucii, quibus aſtra imminent.* (Muſ. Chriſtinae apud Noris. Cenot. Piſ. diſſ. II. c. 1.)

Alterius hujus numi capita ex eodem Chriſtinae numo aliter depicta et deſcripta exhibent Vaillantius g), et Morellius h), ex quo apparet, numum eſſe adroſum, neque ſatis conſtare, quorum ea ſint capita.

* * *

ΚΛΑΥΔΙΟΣ. ΒΡΕΤΑΝΝΙΚΟΣ. ΚΑΙΣΑΡ. *Caput Britannici.* ✕ ΑΛΑΒΑΝΔΕΩΝ. *Alabandus heros d. lapidem Alabandicum geſtat, ſ. baculum, addito ad dexteram equo.*

His verbis Harduinus numum muſei regii deſcribit. De Alabando heroe principio egimus. Lapidem, quem is manu gerit, ait eſſe carbunculum Alabandicum, de quo Plinius i). Equum explicat ſecundum Stephanum, qui ait, *Ala* in Carum lingua ſignificare equum.

* * *

Vaillantius in Antonino Pio numum edidit inſcriptum ΛΑΡΑΝΔΕΩΝ., quem veriſimiliter huc revocandum in Laranda Lycaoniae monebo.

AE. R.

ALINDA.

Mediterranea.

Autonomi:

Caput Herculis. ✕ ΑΛΙΝΔΕΩΝ. *Leonis exuviae ex clava ſuſpenſae, omnia intra lauream.* AE. III. (Pellerin.)

Noti ſunt hi Alindae numi, at minus certum, utrum huc quoque pertineat numus alter ΑΛΙΝΕΟΝ., quem eodem loco obtulit Pellerinius.

Caput imberbe. ✕ ΑΛΙΝΔΕΩΝ. *Bipennis.* AE. III. (Seſtini Lettere T. III. p. 145.)

AE. R.

Imperatorii.

Tres ſolum hactenus vulgati, inſcriptique ΑΛΙΝΔΕΩΝ. Vnus *Auguſti* cum attributis Herculis, (Vaill.) alter *Plautillae*, in quo haec dicitur ΝΕΑ. ΘΕΑ. ΗΡΑ. typo Herculis ſtantis, quem coro-

---

f) L. c. g) Num. Graec. p. 7. h) In num. Liviae. i) L. XXXVII. §. 25.

nat Victoria, (Haym. T. II. p. m. 333.) tertius *Anniae Faustinae.* (Theupoli.)

Archon magistratus in citato Haymiano: ΑΡΧ. ΜΟΥ. ΔΟΥΛΙΑΔΟΥ.

AE. RRR.

ANTIOXIA,

quae et Alabanda.

Vide supra in *Alabanda.*

ANTIOXIA,

ad Maeandrum.

Mediterranea, aedificata ab Antiochio I. Syro a tribus adstantibus mulieribus commonito referente Stephano.

Autonomi:

ΔΗΜΟϹ. *Caput juvenile.* ℞ ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ. ΜΑΙΑΝΔΡΟϹ. *Maeander humi jacens.* AE. III. (Mus. Caes.)

Mentionem a situ ad Maeandrum dabunt etiam imperatorii.

* * *

Reliqui hujus urbis numi ex fabrica, et epigraphe ΒΟΥΛΗ. ΔΗΜΟϹ. etc. facile hujus esse Antiochiae intelliguntur.

Etiam insignes argenteos max. mod. inscriptos ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ typo Pegasi, quos Pellerinius Alabandae, etiam Antiochiae dictae, tribuendos censuit, potius esse hujus Antiochiae nostrae, dixi supra in Alabanda.

AR. RRR. AE. R.

Imperatorii:

Ab Augusto ad Saloninam, ex quibus rarissimus Gordiani Africani apud Arigonium, si modo non illusere oculi.

Epigraphe ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ. et fors ΑΝΤΙΟΧΕΙΑ, ut in Domitiani numo legit Vaillantius.

ΖΕΥϹ. ΚΑΠΙΤΟΛΙΕΥϹ. ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ. *Iuppiter sedens d. hastam, s. Victoriolam*, in numo M. Aurelii, (Vaill.) at in numo Antonini Pii musei Caesarei: ΖΕΥϹ. ΚΑΠΕΤ - - C. *Idem Iuppiter, sed in templo tetrastylo.*

* * *

Typi alii plerumque Maeander decumbens, Hecate tergemina etc.

Magistratus.

ΣΥΝΑΡΧΙΑ. Vocabulum istud in unius Antiochiae numis observatur hoc modo:

ΑΤΤΑΛΟΥ. ΣΥΝΑΡΧΙΑ. *Caput Liviae.* ℞ *Augusti.* (Vaill. Morelli.)

ΠΑΙΩΝΙΟΥ. ΣΥΝΑΡΧΙΑ. *Pallas gradiens*, in numo Augusti. (Haym. T. II. p. m. 215.)

ΜΥΩΝΟΣ. ΣΥΝΑΡΧΙΑ. *Victoria*, in numo Claudii. (Vaill. Morelli.)

Variae sunt antiquariorum de vocabuli hujus sententia opiniones, quas commemorare supervacaneum. Mihi videtur ΣΥΝΑΡΧΙΑ ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ significare totum magistratuum collegium, qui Antiochenorum remp. rexere, et quorum decreto signati sunt id genus numi. Constat, in urbibus Graecis potestatem fuisse divisam inter βȣλην, δημον, γερȣσιαν, νεȣς etc. testantibus istud cum numis, tum longo marmorum agmine. Horum ergo loco separatorum in his numis ponitur Συναρχια, seu collegia omnia uno hoc nomine comprehensa, ac tum additi *Attalus*, *Paeonius*, *Myon* aliud non sunt, quam magistratus epo-

nymi. Idem ergo significabit vocabulum Συναρχια, quod in numis Tarsi et Anazarbi ΚΟΙΝΟΒΟΥΛΙΟΝ. Exiguo dissensu existimat Spanhemius, indicari hac epigraphe totum archontum collegium [k]. Eleganter utramque sententiam confirmant marmora, quorum bina tantum lubet recitare. Est apud Muratorium [l]: ΑΠΟΛΛΟΔΩΡΟΣ. ΑΠΟΛΛΟΔΩΡΟΥ. ΠρυταΝΕΥΣΑΣ. ΚΑΙ. ΟΙ. ΣΥΝΑΡΧΟΙ. ΦΙΛΩΤΑΣ. ΙΑΚΧΟΣ. κ. τ. λ. *Apollodorus Apollodori F. prytanis et synarchi Philotas, Iacchus etc.* In alio apud Chandlerum [m]: ΕΠΙΜΕΛΗΘΕΝΤΟΣ. ΤΟΥ. ΑΡΧΙΠΡΥΤΑΝΙΔΟΣ. ΚΤΗΣΙΟΥ. ΤΟΥ. ΚΤΗΣΙΟΥ. ΚΑΙ. ΤΩΝ. ΣΥΝΑΡΧΩΝ. ΤΩΝ. ΑΥΤΟΥ. ΕΣΤΙΑΙΟΥ. κ. τ. λ. *Curante archiprytanide Ctesia Ctesiae F. et synarchorum ejus Hestiaeo etc.* Habes in utroque marmore summum prytanem cum suis collegis, ut in numis praesentibus Attalum etc. cum collegis suis, qui una συναρχιαν constituerunt. Cum dixisset interlocutor apud Platonem [n], eos, qui civitatibus praesunt, vocari αρχοντας, interrogatus subinde: Τι δ' οι αρχοντες αλληλους; Ξυναρχοντας, εφη. *Quomodo vero archontes se mutuo vocant? respondit: synarchontas.*

Scriba: in numo Domitiani: ΕΠΙ. ΓΡ. Μ. ΑΥΡ. ΓΛΑΥΚΟΥ. (Vaill.)

Curatores, Επιμεληται. ΑΝΤΙΟΧΕΙΑ. ΕΠΙΜΕΛΗ. ΚΛ. ΑΓΛΑΟΥ. ΦΡΟΝΤΩΝΟΣ. in numo Domitiani. (Vaill.) — ΤΙ. ΚΛ. ΑΓΛΑΟΥ. ЄΠΙΜΕΛΗϹΑΝΤΟϹ. ΑΝΤΙΟΧЄ. *Bacchus stans cum attributis*, in numo Domitiani. (Pellerin Mel. II. p. 354.)

Epimeletas hactenus habemus tantum in numis urbium Cariae, nimirum Antiochiae, et Stratoniceae. Horum varia munia dabimus in peculiari diatriba.

Concordia cum Laodicenis Phrygiae in numo Commodi. (Vaill.)

Mentio situs: ΑΝΤΙΟΧЄΩΝ. ΜΑΙΑΝΔΡΟϹ. *Maeander decumbens*, Gordiani et Decii. (Vaill.) In simili Haymiano: ΜЄΑΝΔΡΟϹ. (Tom. II. tab. 47.) In alio: *Pons elegans arcuatus*, Decii (Vaill.)

AE. R.

APHRODISIAS.

Ad fines Lydiae.

Autonomi:

Caput muliebre velatum. ℞ - - ΟΔΙϹΙЄΩΝ. ΠΛΑΡΑΣΕΙΩΝ. *scriptum in orbem, in area:* Α. ΤΥΨΙΚΛΗ. ΑΔΡΑΣΤΟΥ. *Aquila fulmini insistens.* AR. III. (Pellerin Rec. II. p. 130.) *Alius similis, sed cum magistratibus:* ΑΠΟΛΛΩΝΙΩΣ. ΑΡΤΕΜΙΔΩΡΟΣ. (Pellerin Additions p. 45.)

Numi hi binos populos continent, Aphrodisienses et Plarasenses. Ex geographis unus Stephanus Plarasae meminit, eamque in Caria statuit. Verum utriusque etiam fit mentio in epistola M. Antonii IIIviri, et in psephismate senatus Romani apud Chishull [o], quo decernitur, ut templum Veneris, quod est in urbe ΠΛΑΡΑΣΕΩΝ ΧΑΙ ΑΦΡΟΔΙΣΙΕΩΝ, eo jure sit sacrum, quo Dianae

k) Tom. II. p. 695. l) Pag. 547. 2. m) Inscript. ant. p. 17. n) De rep. L. V. p. 463. o) Ant. Asiat. p. 149.

apud Ephesum. Cum bini in his numis proponantur magistratus, dubium non videtur, unum fuisse Aphrodisiadis, alterum Plarasae, quae alioqui fuere vicinae, et sic concordia junctae, et secundum certas leges eadem moneta usae videntur.

Hi numi propter societatem cum Plarasensibus haud dubie ad hanc Cariae Aphrodisiadem pertinent, at minus certe ii, qui sequuntur, nam Stephanus decem hoc nomine urbes enumerat. Probabile tamen est, hujus Cariae urbis esse eos, qui, in antica offerunt capita addito BOΥΛΗ, vel ΔΗΜΟϹ, vel ϹΥΝΚΛΗΤΟϹ, obvia in numis provinciae Asiae, aut qui certamina Attalea inscripsere.

Typi sunt:

Mulier stans sinistrorsum conversa capite tutulato et velato, manibus nonnihil protensis, superne hinc astrum solis, inde lunae, humi infans sellae insidens, inde vas.

Veneris in hac urbe cultum fuisse eximium, jam ipsum nomen arguit a Venere, ἀπο της Αφροδιτης, inditum, et testantur etiam auctores validi Tacitus p), et Appianus q). Muliebris haec figura, qualem descriptus hic numus sistit, saepe tam in autonomis, quam imperatoriis hujus urbis numis occurrit, videturque esse vetus ipsius Veneris simulacrum ab antiquo in hac urbe cultum, et mysteriis, ceu vetus illud Dianae Ephesiae, circum undique septum, quae explicare non tento. Non tamen desunt effigies Veneris, ejusque comitum recentioris elegantiae, v. g. *Venus stans d. pomum, s. hastam — Venus nuda stans spinam sibi e pede eximere visa subserviente Cupidine. — Cupido stans arcum intendit. — Hymenaeus stans cum face.* — Insolentior typus est: *Corallia, ut videntur, tria velut ex basi quadrata excrescentia.* Sunt hi numi omnes apud Pellerinium.

* * *

Figura fluvii humi decumbens, infra ΚΟΡϹΥΜΟϹ. (Haym.) *in alio:* ΤΙΜΕΛΗϹ. (Pellerin.)

Si *Corsymus*, et *Timeles* fluvii fuere, mirum, neutrius apud scriptores veteres occurrere mentionem. Magistratus his nominibus certe non indicatur, cum in autonomis aliis circa hoc aevum signatis constanter omittatur, neque etiam omissum fuisset archontis epitheton, quod inde a M. Aurelio magistratus nomini in imperatoriis semper additur. Ex quo sequitur, fuisse sacros in vicinia fontes a geographis neglectos, de quo vide, quae disputavi in numis Phocaeae Ioniae.

* * *

Ludi *Attalea* notantur etiam in autonomis, de quibus agimus in imperatoriis.

AR. RRRR. AE. R.

Imperatorii.

Habentur ab Augusto ad Saloninam usque. Insignis est numus Did. Iuliani, quem dedit Sestinius, (Lettere T. IV. p. 117.) sed, ut mihi videatur, suspectus.

---

p) Ann. III. 62. q) Bell. civ. L. I. c. 97.

Epigraphe: ΑΦΡΟΔΙϹΙΕΩΝ, vel ΑΦΡΟΔΕΙϹΙΕΩΝ. *Typi: Mulier stolata stans etc.* ut supra in autonomis, aliique obvii.

Magistratus praeter citatos supra ex argenteis autonomis sine mentione dignitatis:

ΑΠΟΛΛΩΝΙΟϹ. ΥΙΟϹ. ΑΦΡΟΔΙϹΙΕΩΝ. *Diana* πολυμαςος, in numo Augusti. (Haym. T. II. p. 217.)

Epigraphes hujus binos explicatus adfert Haymius, I. interpretatur: *Apollonius filius Aphrodisiensium*, quasi Apollonium Aphrodisiensem, celebrem historicum et sacerdotem, cujus meminit Suidas, velut suum olim civem in moneta Aphrodisienses voluissent praedicare. II. *Apollonius filius*, nempe cognominis alterius. Vtraque explicatio reprobanda, quia insolentior, et longius quaesita, et adest planior, simpliciorque altera, quae docet, intelligendum *Apollonium filium Aphrodisiensium*, nimirum ab his jure civitatis donatum, et quodammodo adoptatum, de quo urbium adoptionis more plura monebimus in numis Cotiaei Phrygiae.

Archon notatur inde a M. Aurelio: ΤΙ. ΖΗΛΟΥ. ΠΡΩΤΟΥ. ΑΡΧ. vel: ΕΠΙ. ΑΡΧ. ΙΟΥΛΙΑΝΟΥ. in numo Valeriani. In marmore, quod ex Sherardo citat Massonius [r]), legitur: ΑΦΡΟΔΙϹΙΕΩΝ. ΑΡΧΟΥϹΙ. ΒΟΥΛΗ. ΔΗΜΩ. ΧΑΙΡΕΙΝ. κ. τ. λ.

* * *

ΜΕΝΗΠΠΟϹ. ΚΑΙ. ΖΗΝΩΝ. ΑΝΕΘΕϹ. ΑΦΡΟΔΙϹΙΕΩΝ. in numo Domnae. (Haym. T. II. p. 316.)

De formula ΑΝΕΘΗΚΕ agemus in diatriba singulari.

* * *

Ludi:

ΑΤΤΑΛΗΑ. *urna ludorum*, in autonomo. (Pellerin.)

ΑΤΤΑΛΗΑ. ΓΟΡΔΙΑΝΗΑ. in simili autonomo. (Ibid.)

ΑΤΤΑΛΗΑ. ΓΟΡΔΙΑΝΗΑ. ΚΑΠΕΤΩΛΙΑ. in numo Gordiani. (Vaill.)

ΟΥΑΛΕΡ. idest: *Valeriana*, inscriptum urnae, in numo Valeriani. (Wheler Voyage num. 87.)

Concordia.

Cum Plarasa vicina vidimus in autonomis.

Cum Hierapoli Phrygiae, in numo Commodi (Pellerin Suppl. II. p. 76.)

AE. RR.

APOLLONIA.

Mediterranea ad Maeandrum.

Autonomi.

Caput Iovis. ✠ ΑΠΟΛΛΩΝΙΑΤΩΝ. *Statua equestris supra flexus Maeandri.* AE. III. (Pellerin.)

Flexus Maeandri Apolloniam huic flumini adsitam testantur, ac praeterea hunc numum Apolloniae Cariae absque dubio vindicant. Addidit Pellerinius binos alios, in quorum uno aquila ramo insistens, in

r) Vit. Aristid. ad ann. V. C. 918.

alio Apollo stans, sed qui certum criterium non praebent, esse hujus Apolloniae. Pellerinius ex fabrica conjecturam capit. In his numis dubitandi semper erit ratio, an ad Apolloniam Cariae, an Ioniae, an Lyciae, an Pisidiae pertineant.

AE. RRRR., cum certi sunt hujus Apolloniae.

Alexandri M.

ΑΛΕΞΑ. ΚΤΙC. ΑΠΟΛΛΩΝΙΑ. *Caput regis leonis exuviis tectum.* ☧ ΑΠΟΛΛΩΝ. ΚΑΙ. ΛΥΚΙΩΝ. ΟΜΟΝΟΙΑ. *Duae mulieres stantes jungunt dexteras.* (Haym. T. II. p. m. 104.)

ΑΛΕΞΑΝΔΡΟC. ΚΤΙCΤ. ΑΠΟΛΛΩΝΙΑ. ☧ ΑΠΟΛΛΩΝΙΑΤΑΝ. (forte certior terminatio in ΤΩΝ.) ΠΕΡΓΑΙΩΝ. ΟΜΟΝΟΙΑ. Typi non produntur. (Harduin.)

ΑΛΕΞΑΝΔΡΟC. ΚΤΙCΤ. ΑΠΟΛΛΩΝΙΑΤ. *Caput regis leonis exuviis tectum.* ☧ ΑΠΟΛΛΩΝΙΑΤΩΝ. Κ. ΛΥCΙΑΔΕΩΝ. ΟΜΟΝΟΙΑ. *Duo genii muliebres capite tutulato stantes ad aram et dexteram jungentes, quorum alter Apolloniae sigillum Apollinis, alter Lysiadis sigillum Fortunae s. tenent.* (Pellerin Rois p. 21.)

ΑΛΕΞΑ. ΚΤΙC. ΑΠΟΛΛΩΝΙΑ. *Caput simile.* ☧ - - - ΟΦΟΡΑC. *Fluvius decumbens.* (Theupoli p. 1250.)

Scriptorum nemo memoriae prodidit, cujus Apolloniae conditor fuerit Alexander M., ut adeo, quoniam plures per Asiam minorem exstitere Appolloniae, ut paullo ante innui, difficile sit decidere, ad quam ex his praeclari hi numi pertineant. Harduinus pro Carica stat, rationem tamen non adfert. Consentit Pellerinius ducto a vicinia Apolloniae hujus et Lysiadis Phrygiae argumento. At si istud valet, vi numi Harduiniani praestaret Apollonia Pisidiae, cum haec a Perga Pamphyliae prope abesset. Interea dum certius quid statui possit, possumus in hac Apollonia reliquis hujus tractus illustriore acquiescere.

AE. RR.

Imperatorii.

Qui huc absque erroris periculo referri possent, nondum editi.

BARGASA.

Prope Halicarnassum ad mare.

Autonomi.

Inscripti: ΒΑΡΓΑCΗΝΩΝ. editi ab Harduino et Pellerinio typis obviis.

AE. RRR.

Imperatorii.

A M. Aurelio usque ad Saloninam.

Eadem *epigraphe*, et *typi* vulgares.

Magistratus: ΕΠΙ. ΑΥΡ. ΔΙΩΝΟC. in numis Alexandri et Maximini. (Vaill.) ΕΠΙ. ΚΑΝΔΙΔΟΥ. ΚΕΛCΟΥ. M. Aurelii. (Pellerin.) Nusquam dignitas additur.

AE. RRR.

BARGYLIA.

Maritima.

Autonomi.

Caput virile fascia involutum. ☧ ΒΑΡΓΥΛΙΗΤΩΝ. *Pegasus volans.* AE. III. (Arigoni Sestini Lett. T. IV. p. 117.)

Typi ratio petenda ex Stephano perhibente, urbem sic vocatam a Bargylo, qui percussus a Pegaso diem obivit, at Bellerophontem ex chari socii fato moestum urbem cognominem condidisse. Autonomum alium praeter hunc editum non reperio.

AE. RRRR.

Imperatorii.

A Tito ad Caracallam pertingunt. (Vaillant. Pellerin.)

Epigraphe eadem, ex *typis* memorandus sequens:

Mulier velata et stolata adversa stans manibus ad pectus in crucis formam compositis, pro pedibus cervus deam suspiciens, in numo Titi. (Pellerin.)

Videtur haec esse Diana Myndias, quae templum prope Bargyliam habuit per miraculum nivi, pluviisque impervium, ut narrant Strabo [s]), et Polybius [t]).

Magistratus praetor: ЄΠΙ. CTP. ΙΟΤΛ. ΠΑΤΛΟΤ. in numo Commodi. ЄΠΙ. CTP. ΜΑΡΚΟΤ. ΠΑΤΛΟΤ. Caracallae. (Vaillant.)

AE. RRR.

CALYNDA.

De numis tam autonomo, quam imperatorio huic Calyndae falso tributis, et Blaundo Lydiae restituendis vide, quae in hujus moneta observabimus.

CERAMVS.

Strabo et Ptolemaeus Ceramum Cariae urbem, et vicinam Cnido statuunt. Ab hac nomen traxit sinus Ceramicus. Alia Ceramus fuit in vicina insula Arconneso teste Plinio. Vide haec apud Cellarium.

Caput Iovis laur. Ӿ ΚΕΡΑΜΙΗΠΟΛΙΤΩΝ. *Aquila stans, et in ortum spectans, omnia intra quadratum.* AR. III.

Hunc numum huic Ceramo, cujus hactenus numus cognitus non fuit, jure dicavit cl. abbas Sestinus [u]). Obstare non videtur, eam in hoc numo dici *Ceramiepolin*, cum a scriptoribus dicatur *Ceramus*, nam eodem modo habemus Istriam et Istropolin, aliasque, quas citavi in numis Trajanopolis Thraciae.

Videtur hic numus adfundere lucem alteri, quem pridem inter numos incertos musei Caesarei habeo repositum:

Caput Iovis laur. Ӿ ΚΕΡΜΙ - - - ΕΡΜΟ - - *Aquila stans, et in ortum spectans.* AE. III.

Typus utriusque partis non parum adjuvat, ut et nomen ΚΕΡΜΙ., omisso forte monetarii injuria elemento Α, ut esset ΚΕΡΑΜΙ.

AR. et AE. RRRR.

CNIDVS.

In Doride peninsula urbs illustris.

Autonomi.

Caput Veneris. Ӿ ΚΝΙ. *Caput leonis pedi anteriori incubans, additur magistratus, ut:* ΑΤΤΟΚΡΑΤΗΣ. etc. AR. III.

Numi obvii. De Venere Cnidia agemus in imperatoriis.

---

s) L. XIV. t) L. 16. c. 11. u) Lettere T. III. p. 132.

Sunt adhuc alii argentei aeneique inscripti ΚΝΙΔΙΩΝ typo *tripodis*, *Victoriae*, *prorae navis*. In aliis: *Caput Bacchi*. ⵅ *Duo botri*. Vinum Cnidium Straboni laudatum.

* * *

Τ. Κ. Τ. ΕΠΙ. ΝΟΔΡΙΤΑ. *Caput nudum barbatum*. ⵅ ΚΝΙΔΙΩΝ. *Ara ignita*. AE. II. (Pellerin.)

Numus sane singularis, quem etiam recenset catalogus Theupoli, sed, ut apparet, male multatum. Literae tres praecedentes aenigma creant, quod qui solverit, magni mihi instar Apollinis erit. Ceterum dubium non est, eas ad propositum caput pertinere, quod forte sistit conditorem Cnidi heroicos honores adeptum. Fuit hic teste Pausania x). Triopas, cujus varii feruntur parentes, ab aliis Sol, ab aliis Neptunus y). Vt tamen aliquid audeam, etsi conjecturae diffidam ipse, sic forte leterae expleri possunt: Τυχη Κνιδιων Τριοπας. Viderit lector, an verisimile satis istud videatur secundum ea, quae aliquando de hac urbium Fortuna disserui copiosius z). Hic Triopas ut conditor, et divina stirpe satus dignus sane fuit, cui Τυχης honor deferretur, et ara dedicaretur, quam postica exhibet.

* * *

Notandi adhuc nonnullorum lapsus. Argenteum huc revocavit Pellerinius cum typo navis; verum hujus generis numuli Cianis Bithyniae sunt restituendi, ut dixi in horum moneta. Alium Haymius argenteum typo equitis et leonis dimidii, cetera anepigraphum, huc refert a), verum is est Archelai I. Macedoniae regis, ut etiam in subjecta ibi nota recte advertit Khellius.

AR. C. AE. R.

Imperatorii.

Comperti a Nerva ad Plautillam usque se porrigunt.

Typi.

Venus pudica stans d. tegenda tegit, *s. vestem tenet*, in numo Caracallae, (Vaill.) et Caracallae cum Plautilla. (Haym. T. II. p. m. 332.)

Dubium non est, esse hanc ipsam celebrem illam Venerem Cnidiam, opus Praxitelis, quam ut viderent, multi navigaverunt Cnidum, et qua una satis ea urbs nobilitata habebatur, ut narrat Plinius b), cujusque illecebras graphice describit Lucianus c). Cum Aesculapius sociatur, credo indicari concordiam Cnidi cum vicina insula Co. Istud Veneris simulacrum propter operis excellentiam una cum Iunone Samia, et Minerva Lindia translatum Constantinopolim, sed imperante Iustiniano fortuito incendio haustum refert Zonaras d).

Ara ignita, ut in numo crediti a me Triopae, in numo Antonini Pii. (Vaill.)

ΚΝΙΔΙΩΝ. ΚΑΛΛΙΚΡΑΤΗΣ. *Nympha stolata stans d. amphoram*, *s. hastam*, *aut baculum transversum*, in numo Faustinae jun. (Arigoni.)

---

x) L. X. c. 11. y) Diodor. L. V. c. 61. z) Num. Vet. p. 183. a) T. II. p. 142. b) L. XXXVI. c. 5. c) in Amorib. d) L. XIV. c. 2.

Ludos Nymphis, Apollini, et Neptuno ad vicinum Triopium promontorium constitutos fuisse narrat scholiasta Theocriti [e]).

Magistratus, et sine dignitatis mentione, in hoc tantum numo habetur.

AE. RR.

CYON.

Incerto situ in Caria, cujus unus Stephanus meminit.

Autonomi.

Caput Dianae. ✠ KΥΙΤΩΝ. *Pedum pharetrae illigatum, omnia intra lauream.* AE. III. (Pellerin.)

KΥ. *Equus dimidius saliens.* ✠ *Pedum pharetrae illigatum.* AE. III. (Pellerin.) In alio scriptum KΥI. (Sestini Lett. T. IV. p. 118.)

Stephano quoque hujus urbis ἐθνικὸν est KΥΙΤΗΣ.

AE. RRRR.

Imperatorius.

Vnus Domnae compertus: KΥΙΤΩΝ. *Mulier adversa et hastata sedens.* (Pellerin.)

AE. RRRR.

ERIZA.

Autonomus.

Huic urbi tribuitur a Pellerinio:

KAOC. *Caput Iovis.* ✠ EPI.. *Miles galeatus nudus gradiens, s. clypeum.*

De hac urbe Livius [f]): *Tertio inde die ad Chaum amnem perventum; inde profecti Erizam urbem primo impetu ceperunt.* Pellerinio igitur τὸ KAOC. videtur designare dictum flumen, at non satis fideliter amnem illum scribit *Caum*, qui si sic scriberetur Livio, nulla superesset ambigendi ratio. Verum in ejus exemplaribus plerumque legitur *Chaum*, etiam *Casum*, vel *Cahum*, quod adeo Pellerinii sententiam nonnihil sollicitat. Eriza magis serius cognita ex Notitiis ecclesiasticis.

AE. RRRR.

EVROMVS.

Mediterranea prope Mylasa. *Autonomis* caret.

Imperatorius.

Vnicus vulgatus, isque Caracallae. ZEΥC. EΥPΩMEΥC. EΥPΩMEΩN; *Iuppiter ut Labradaeus velut in truncum desinens in templo 4. columnarum.* Verba sunt Vaillantii.

AE. RRRR.

HALICARNASSVS.

Maritima, regum Cariae sedes, et Mausolei nomine ab Artemisia structi, tum et Herodoti et Dionysii natalibus inclyta.

Autonomi:

Epigraphe: AΛIKAP. *Typi: Caput Palladis.* ✠ *Caput adversum, forte Medusae.* — *Caput Neptuni.* ✠ *Tridens.* — *Caput Iovis.* ✠ *Tripus.* Sunt AE. II. III. (Pellerin. Savorgnan.)

---

e) Ad Eidyll. XVII. v. 69.

f) L. XXXVIII. c. 14.

Fuere Halicarnassenses coloni Troezeniorum Peloponnesi. Cum vero horum moneta teste Pausania signata fuerit tridentis nota, et Palladis capite, propter hanc ipsam causam videntur Halicarnassenses suam capite Palladis et tridente, metropolis suae insignibus, ornasse. Vide, quae de his numis olim prolixius disserui [g]).
AE. RRR.

Imperatorii.

Agrippinae Claudii edidit Panelius ex museo le Bret. (Mém. Trevaux. Octob. 1737.) Proximus est Commodi. (Neumann Num. populor.) Sequuntur alii usque ad Gordianum. (Vaill.)

Epigraphe: ΑΛΙΚΑΡΝΑCCΕΩΝ.

Typus hujus urbis peculiaris:

Iuppiter togatus complicatis manibus stans inter binas arbores, quarum singulis avicula insidet, in numis Severi, Caracallae, Gordiani. Iconismum habes apud Vaillantium in numis Graecis appendice fol. h 2.

Verisimile est, hoc typo exhiberi Iovem Dodonaeum, de quo sic Servius [h]): *Dodona civitas Epiri est, juxta quam nemus est Iovi sacratum, et abundans glandibus semper, de cujus nemoris arboribus columbae oracula petentibus dare consueverant.* Plura testimonia, quae argumentum hoc explicant, vide collecta a Thoma Pinedo ad Stephanum in Δωδωνη, et in fragmento ejusdem Stephani sub eodem vocabulo. Multa etiam, quae huc pertinent, habes in opere: *Description des pierr. grav. du Duc d'Orleans T. I. p.* 21. et *B. L. Hist. T. V. p.*35.

* * *

Magistratus archon inde a Severo, non tamen ideo, quod Halicarnassenses essent Athenarum coloni, quod Vaillantius perperam ex Strabone adserit [i]). Nam hic perinde, atque Pausanias, et Stephanus, conditam a Troezeniis dixit.

* * *

Neocoratus memoratur in unico numo Caracallae et Getae: ΑΛΙΚΑΡΝΑCCΕΩΝ. ΝΕΩΚΟΡΩΝ. (Vaill.)

* * *

Metropolis: ΑΛΙΚΑΡΝΑCCΕΩΝ.ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩC. *Iuppiter Dodonaeus inter arbores, ut supra*, in numo Severi. Eum Spanhemius testatur a se visum in museo reg. Christinae [k]). Holstenius eundem citat ex Gotifredo, cujus numi in museum Christinae migrarunt [l]). Nullus numus alius ab aliis citatus hujus dignitatis mentionem facit. Quare merito suspicatur Harduinus, numum aut male lectum, aut epigraphen ΑΡΧ. CΤΡΑΤΟΚΛΕΟΤC., quae saepe in Severi numis cum eodem typo occurrit, ab impostore in ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩC. depravatum.

* * *

Autonoma. ΑΤΤΟΝΟΜΩΝ. in numo Getae musei Medicei teste Spanhemio [m]).

---

g) Num. vet. p. 208. h) ad Virg. Georg. I. v. 147. i) Num. Graec. p. 192.
k) Tom. 1. p. 626. l) Not. ad Steph. m) Orb. Rom. p. m. 289.

At in numo Getae ejusdem musei, apud Vaillantium vice hujus tituli legitur ΝΕΩΚΟΡΟΝ., nisi numus diversus est.

* * *

Concordia cum Ionibus: ΑΛΙΚΑΡΝΑϹϹΕΩΝ. ΚΑΙ. ΙΩΝΩΝ. ΑΡΧ. etc. in numo Caracallae et Getae, qui in Cimelio Vindob. Part. II. p. XIII. pro genuino est editus, at mihi oppido suspectus videtur.

AE. RR.

HARPASA.

Mediterranea prope Maeandrum, ad fluvium cognominem, ut refert Plinius.

Autonomi.

ΙΕΡΑ. ϹΥΝΚΛΗΤΟϹ. *Caput Senatus.* ✠ ΑΡΠΑϹΗΝΩΝ. *Bacchus stans.* AE. III. (Pellerin.)

* * *

Apud Arigonium alius inscriptus ΑΡΠΑ huc revocatur, at non dubitem, eum esse Carthaeae in Cea insula sitae, ut ibi dictum.

AE. RRRR.

Imperatorii.

Antonini Pii, Severi, Gordiani apud Vaillantium, alium Mamaeae addidit Haymius. Typus fere constans: *Iuppiter sedens d. pateram, s. hastam.*

Magistratus: ΕΠΙ. ΛΕΩΝΙΔΑ. in numo Ant. Pii. Idem nomen legitur etiam in autonomo Stratoniceae.

AE. RRR.

HERACLEA.

Autonomum

Musei Hunteriani huc vocat Combius. *Caput Herculis barbatum nudum.* ✠ ΗΡΑΚΛΕΩΤΩΝ. *Figura habitu curto stans d. pateram, s. bipennem.* AE. II. Qui numus si vere est hujus Heracleae, huc pertinebit etiam ratione similis aversae sequens.

Imperatorius.

ΓΛΥΚΩΝ. ΙΕΡΕΥϹ. ΗΡΑΚΛΕΩΤΩΝ. *Figura habitu curto stans d. pateram s. bipennem*, in numo Augusti. Eum Haymius Heracleam Ioniae refert [n]). Res dubia. Figura cum bipenni, quae Amazon est, Ioniae et Cariae urbibus familiaris.

HYDRELA.

Versus Phrygiam, cujus meminit Livius [o]), et narrat Strabo, Hydrelum Laconem in hunc tractum venisse, et urbem sibi cognominem aedificasse, de quo vide plura infra in Nysa.

Autonomus.

ΥΔΡΗΛΕΙΤΩΝ. *Protome Palladis.* ✠ ΑΠΕΛΛΑϹ. ΑΝΕΘΗΚΕ. *Mercurius stans.* AE. III.

AE. RRRR.

IASVS.

In parva insula infra Miletum, insigniter locuples teste Thucydide [p]).

---

n) T. II. p. 214. o) L. XXXVII. c. 56. p) L. VIII. c. 28.

Autonomi.

Caput Apollinis, vel: Capita jugata Apollinis et Dianae. ℞ ΙΑΣΕΩΝ. *in aliis:* ΙΑ. *addito magistratu, ut:* ΠΡΟΞΕΝΟΣ. *vel:* ΚΤΗΣΙΑΣ. *Puer delphino vectus.* AE. II. III. (Pellerin, Mus. Caes.)

Numi hi mirabilem amorem sistunt, quo delphin formosum quendam hujus urbis puerum prosecutus est, tam subinde apud Iasenses celebratum, ut etiam teste Polluce παιδα δελφινι ἐποχεμενον, *puerum delphino vectum*, in moneta sua signarent q), quod factum his numis praeclare confirmatur. Etiam Aelianus testatur, Iasenses prodigium istud monetae argenteae et aeneae insculpsisse r). Sed argenteus Iasi numus hactenus compertus non est. Vide copiosos auctores veteres, qui παιδεραϛιας hujus meminere, citatos a Kuhnio ad dictum Pollucis locum.

* * *

Caput Iovis. ℞ ΙΑϹЄΩΝ. *Flos loti.* AE. III. (Arigoni.)

Cum simili typo exstat etiam numus vicinae Myndi.

AE. RR.

Imperatorii.

ΣΕΒΑΣΤΟΣ. ΙΑΣΕΩΝ. *Caput Augusti.* ℞ *Protome Dianae cum arcu et pharetra.* AE. III.

Numum hunc museo Caesareo intuli, edidique in mea Sylloge I. Hactenus ante Domitianum urbis hujus numus cognitus non fuit. Porriguntur deinceps usque ad Gordianum. In reliquis

Epigraphe ΙΑϹЄΩΝ, at in Gordiani numo ΙΑϹϹЄΩΝ, ut plerumque geminato S veteribus haec urbs scribi est solita.

Typi obvii, in Gordianeo adhuc sistitur delphin παιδεραϛης.

AE. RR.

IMBRVS.

Castellum in Peraea Rhodiorum.

Autonomus.

Caput juvenile laureatum. ℞ ΙΜΒΡΟΥ. *Vir gradiens d. demissa ramum s. pateram.* AE. III. (Pellerin.)

Numus hic, quo minus tribui possit Imbro insulae ad Thraciam, judice Pellerinio repugnat fabrica, et quae in hujus numis exstare solet, inscriptio ΙΜΒΡΙΩΝ. Res non satis certa.

AE. RRRR.

MYLASA.

Inter illustriores Cariae urbes, sed magis deorum templis, quam privatorum domibus incolisque abundabat. Vnde jocus Stratonici citharoedi, qui huc veniens artis ostentandae causa stans medio in foro exclamabat: ἀκουετε ναοι, *audite templa* s).

Autonomi.

ΜΥΛΑΣΕΩΝ. typis *equi gradientis, bipennis, tridentis, aquilae.* Sunt aenei omnes. (Mus. Caes. Pellerin, Arigoni.)

q) L. IX. c. VI. §. 84. r) Nat. anim. L. VI. c. 15. s) Athenaeus L. VIII. p. m. 348.

Causa bipennis et aquilae mox dabitur.

AE. RR.

Imperatorii.

Ab Augusto usque ad Elagabalum. Cum Augusti capite complures signati, quorum nonnullos infra producam. At constat etiam, templum Romae et Augusto sacrum in hac urbe stetisse, quod pictum exstat apud Chishull t).

Typus Mylasae numis proprius:

Iuppiter stans togatus d. tenens bipennem, s. hastam.

Est hic Iuppiter Labrandensis, sive, ut dicitur in vetere marmore: ΔΙΟΣ. ΛΑΒΡΑΥΝΔΟΥ u), sic dictus a vicino pago Labranda, in quo pervetustum templum habuit. De hoc Iove frequens mentio apud Strabonem, Pausaniam, Herodotum, aliosque, sed explicatius apud Plutarchum, qui refert x), bipennem, quam Hippolyta Amazon gestabat, hac vero caesa Hercules Omphale Lydae dono dedit, a qua deinceps penes Lydorum reges mansit, a Caribus in praelio ademptam fuisse Lydis, et Iovi suo in manus datam, unde dictum eum fuisse Labradeum, quod *Labra* in Lydorum lingua *bipennem* significet. Sed reliqui auctores appellationem a vicina Labranda trahunt, qui tamen apparens dissensus facili conciliatur. Hic Iuppiter Labrandensis saepe occurrit in numis regum Cariae. Ad hunc Iovem referenda bipennis et aquila in autonomis.

* * *

Magistratus scriba. ΓΡΑΜΜΑΤΕΥΟΝΤΟΣ. ΥΒΡΕΟΥ. in numo Augusti. (Morelli Impp. T. I. p. 402.) Fuit hic Hybreas teste Strabone y) Mylasae obscuro loco natus, sed meritis illustris civitatis princeps evasit, ex quibus praecipuum illud, quod Labieno cum Parthis V. C. 714. Asiam vastanti ipse fortiter restitit. Expugnata deinde a Parthis Mylasa, atque his iterum depulsis in patriam rediit, seque et urbem in integrum restituit.

ΣΕΒΑΣΤΩ. ΜΥΛΑΣΕΩΝ. *Bacchus in citis quadrigis.* ℞ ΘΑΛΑΣΤΟΣ. ΑΝΕΘΗΚΕΝ. *intra quernam.* (Morelli. l. c.) Sed Vaillantius legit ΘΑΥΜΑΣΤΟΣ.

AE. RR.

Numum Polemonis sacerdotis Olbae perperam ad hanc Mylasam vocavit Liebeus z), ut dicetur in Olba Ciliciae.

MYNDVS.

Vrbs maritima.

Autonomi.

Caput Iovis. ℞ ΜΥΝΔΙΩΝ. ΜΗΝΟΔΩΡΟϹ. *Lotus.* AR. II. (Pellerin, Sestini Lettere T. III. tab. 2.)

Eodem utriusque partis typo numum in vicina Iaso cusum supra protuli.

* * *

Alios aeneos cum typis obviis vide

t) Ant. Asiat. p. 207. u) Chandler Inscr. ant. p. 18. x) Quaest. Graec. p. 301.
y) L. XIV. p. m. 974. z) Goth. num. p. 407.

apud Hunterum et in meis Numis veteribus.

AR. RRRR. AE. RR.

Imperatorii.

L. Veri et Severi apud Vaillantium. In horum postremo

Magistratus archon: ΑΡΧ. ΔΙΩΝΟC. ΤΟΥ. ΔΙΟΦΑΝΤΟΥ.

AE. RRR.

NYSA.

Prope Maeandrum et Tralles Lydiae, quare reipsa a Strabone Lydiae accensetur; at Ptolemaeus, Plinius, Stephanus eam in Caria locant, etsi trans Maeandrum esset posita, nam geographi aliqui Cariae fines ultra hoc flumen prorogant.

Autonomi.

Capita jugata virile laureatum barbatum, muliebre alterum. X ΝΥΣΑ. *Bacchus stans d. cantharum, s. thyrsum.* AE. III. (Pellerin.)

Censet Pellerinius, hunc numum alterius esse Nysae posse. Verum tuto huic Cariae Nysae tribuendum puto, quod idem Bacchus eodem cultu in certis imperatoriis hujus urbis comparet. Capita anticae, quae Pellerinius esse Iovis, et Iunonis censet, mallem dicere Plutonis et Proserpinae, quorum eximium fuisse Nysae cultum ex imperatoriis quoque videbimus.

* * *

Caput dei Mensis lunae impositum. X ΝΥCΑΕϹΩΝ. *intra coronam.* AE. III. (Pellerin.)

De deo Mense agemus in imperatoriis.

* * *

ΙΕΡΑ. CΥΝΚΛΗΤΟC. *Caput muliebre Senatus velatum.* X ΝΥCΑΕΩΝ. *Mercurius stans.* AE. I. (Pellerin.)

ΕΙΡΗΝΗ. ΝΥCΑΕΩΝ. *Caput Pacis.* X ΕΠ. ΑΙΛ. ΠΑΙΑΝΙΟΥ. Apollo nudus stans. AE. III. (Liebe p. 336.)

ΠΑΤΕΩΟΣ. ΣΩΝΩΝ. *Apollo s. ramum stat juxta tripodem, cui serpens obvolvitur.* X ΝΥΣΑΕΩΝ. *Raptus Proserpinae.* AE. III. (Sestini Lettere T. IV. p. 118.)

Epigraphe anticae nullo sensu ab alio magis integro opem exspectat.

AE. RRR.

Imperatorii.

Ab Augusto usque ad Gallienum.

Epigraphe constans ΝΥCΑΕΩΝ.

Typi illustriores:

Pluto rapiens Proserpinam in quadrigis.

Typus hic in Nysae numis obvius. Vtrumque numen inter principes urbis deos habitum festa Theogamia hic instituta docent, de quibus infra. Narrat etiam Strabo [a]), haud procul urbe pagum fuisse Nysaeorum nomine Acharaca, et in eo Plutonium, lucum habens opulentum, et templum Plutonis et Iunonis, (Ηρας, ut habent codices, at jam pridem erudite conjecit Spanhe-

[a]) L. XIV. p. m. 960.

mius in epistola II. ad Morellium, legendum Κοςας) et antrum Charonium, juxta quod mirabiles curationes peraguntur, de quo vide etiam Eustathium b).

Mensis. Frequens et hujus dei typus, cultu solito. Singulari eum religione a Nysaeis fuisse observatum, numi cum ejus effigie copiosi docent. De deo Mense, quem hactenus antiquarii passim Lunum dixerunt, agemus in numis Antiochiae Pisidiae.

ΚΑΜΑΡΕΙΤΗϹ. ΝΥϹΑΕΩΝ. *Mensis cum attributis stans d. pateram, s. hastam*, in numis Hadriani, et Aurelii. (Vaill.) Ant. Pii. (Mus. Caes.)

ΚΑΜ. ΑΝΚΥΡΑΝΩΝ. ΝΥϹΑΕΩΝ. *Mensis stans*, in numo Ant. Pii, quem vidi ipse Romae in museo Christinae.

Kamar Arabice *lunam* significat, et inde verisimile est Camarinae Siciliae nomen factum, quae lunae quoque symbolum in numis suis signavit, ut alias pluribus probare conatus sum c).

ΔΙΟΝΥϹΟϹ. ΝΥϹΑΕΩΝ. *Bacchus stans*, in numis Sabinae et Severi. (Vaill.)

Fuit Nysaensibus colendi Bacchi causa eximia. In eorum enim urbem a Mercurio delatum Bacchum recens natum, tradidit Apollodorus d), ipso etiam urbis nomine Bacchi nomini adfini; nam ut fabulatur Nonnus e), Iuppiter, quod infantis, femori suo insuti, pondere pressus claudicabat, eum appellavit Διονυσον.

ΝΥΣΟΣ ὁτι γλωσσῃ Συρακοσσιδι ΧΩΛΟΣ ἀκει.

Eo quod Νυσος *lingua Syracusia CLAVDVS dicatur.*

ΑΘΥΜΒΡΟϹ. ΝΥϹΕΩΝ. *Athymbrus nudus et juvenis stans ad aram, d. pateram; s. hastam*, in numis Aurelii, (Pellerin.) et Maximini. (Vaill.)

Egregie hos numos illustrat Strabo f). *Fama est, venisse Lacedaemone fratres tres, Athymbrum, Athymbradum, Hydrelum, et urbes condidisse sibi cognomines, quas cum incolae subinde deficerent, ex iis Nysam fuisse conditam. Et nunc quoque Nysaenses Athymbrum urbis conditorem (αρχηγετην) perhibent.* Secundum hoc et Stephanus: Αθυμβρα πολις Καριας προς Μαιανδρῳ, Αθυμβρε κτισμα, ἡτις μετα ταυτα Νυσσα ἐκληθη. *Athymbra urbs Cariae ad Maeandrum, Athymbri opus, subinde Nyssa appellata.*

ΠΛΟΥΤΟΛΟΓΗΣ. ΝΥΣΑΕΩΝ. *Juppiter sedens d. Victoriolam, s. hastam*, Vespasiani. (Pellerin.) In alio scriptum ΠΛΟΥΤΟΛΟΓΟϹ. M. Aurelii Caes. (Sestini Lett. T. IV. p. 118.)

Hic *Plutologes* videri posset magistratus, verum cum in nullo cognito hactenus Nysae numo memoretur magistratus sine addito scribae titulo, et adjectae urbis vocabulo inscriptiones similes constanter numen aliquod, aut heroem indicent, ut ex ΚΑΜΑΡΕΙΤΗϹ, ΔΙΟΝΥϹΟϹ. ΑΘΥΜΒΡΟϹ vidimus, videtur etiam prasens ΠΛΟΥΤΟΛΟΓΗΣ esse

b) Ad Dionys. Perieg. v. 1153. c) Num. vet. p. 16. d) L. III. c. 4. §. 3. e) L. IX. v. 19. f) L. XIV. p. m 961.

Iovis epitheton, quo nomine forte apud Nysaenses colebatur. Narrat Pausanias fuisse prope Lacedaemonem fanum Iovis Πλȣσιȣ g), cujus cultum Lacones, Nysae, ut vidimus, conditores in hac urbe stabiliverint nomine Πλȣτολογȣ, quod eandem fere cum Πλȣσιος significationem habet. Orpheus supplicat Iovi, uti sibi praeter alia det Πλȣτȣ δοξαν ἀμεμπτον, *divitiarum honorem inculpatum* h). Alio nomine hic Iuppiter vocabatur Κτησιος, in cujus cultu adsidui fuere illi, qui optabant opes sibi suas augeri i).

* * *

Taurus a puerulis nudis ad sacrificium effertur, in numo Maximi. (Vaillant, et ejus exstat inconismus ibid. p. 145.)

Egregie iterum hunc numum explicat Strabo. Is loquens de annuo festo ad dicta Acharaca in Plutonis honorem celebrato addit: atque tunc circa meridiem juvenes et ephebi e gymnasio nudi et uncti taurum humeris in antrum exportant, qui dimissus cum paullulum accesserit, exanimatus concidit k). Similis ritus in Neptuni honorem celebrati meminit etiam Homerus l):

ὡς ὁτε ταυρος
Ηρυγεν ἑλκομενος Ἑλικωνιον ἀμφι ἀνακτα
Κȣρων ἑλκοντων, γανυται δε τε τοις Ενοσιχθων.

ut cum taurus
Mugit vi tractus Heliconium circum regem
Adolescentibus trahentibus, gaudet vero his Neptunus.

* * *

Pastor nudus stans manibus adprehendit puerum, quem pede dextero in aerem sublevat, in imo pedum, verba sunt Vaillantii in numo Aurelii, sed in museo Theupoli est *pastor sedens*, ut et in alio, qui editus est in Cimelio Vindobonensi, sed quem ob multas causas spurium agnosco. Credo hoc typo aliud non indicari, quam exercitium gymnasticum, ut revera fuisse apud Nysam γυμνασιον των νεων, narrat Strabo m).

* * *

Magistratus scriba constanter legitur inde ab Augusto usque ad Gallienum, et quidem in numo Augusti: ΦΙΛΟΚΑΙΣΑΡ. ΓΡΑΜ. (in monogrammate) ΤΟ. Β. ΝΥΣΑΕΩΝ. *intra coronam.* (Pellerin.) Froelichius similem ex Granelliano edidit, at in vitiato numismate legit: ΤΙΒ. ΚΑΙΣΑΡ. ΓΡΑΜ. et sic multa de Tiberio, cum apud Rhodum moraretur, a Nysaensibus honoris causa constituto scriba perperam disputavit n). Verum jam ipse suae coepit diffidere sententiae, cum serius in numum Maffeii similem, sed certa scriptura ΦΙΛΟΚΑΙΣΑΡ incideret, ut ipse ibidem profitetur.

* * *

Sacerdos et idem *scriba*: ЄΠΙ. ΓΡ. Μ.

g) Lacon. c. 19. h) Hymn. XIV. i) Isaeus orat. VII. de haered. Ciron. k) L. XIV. p. m. 961. l) Il. Υ. 403. m) l. c. n) 4. Tent. p. 155.

ΑΥΡ. ΜΟΥCΩΝΙΟΥ. ΙΕΡΕΩC. ΝΥCΑΕΩΝ. ΝΕΩΚ. in numo Aurelii, (Vaill.) sed in alio musei Theupoli τὸ ΓΡ. omittitur.

* * *

Neocoratus tantum legitur in numo mox citato, et mirum videatur, hunc honorem deinceps omissum.

* * *

Ludi:

ΘΕΟΓΑΜΙΑ. *intra lauream*, Valeriani. (Vaill.)

Id est: *Epithalamia* in honorem Plutonis et Proserpinae, quae numina quam studiose coluerint Nysaenses, satis constat ex praecedentibus.

ΟΙΚΟΥΜΕΝΙΚΑ. iisdem Theogamiis adduntur.

* * *

Concordia cum Ancyra Phrygiae in numo Ant. Pii supra citato, et Hadriani, de quibus vide Ancyram Phrygiae.

* * *

Numum Gordiani, in quo Vaillantius legit: ΝΥCC. ΚΥΘΟ. ΙΕΡΑC., non esse hujus Nysae, sed Nysae Scythopolis Samaritidos, in hac docebitur.

AE. R.

ORTHOSIA.

Mediterranea ad Maeandrum.

Autonomi:

ΟΡΘΩΣΙΕΩΝ. *Caput Bacchi.* ℞ ΑΡΙΣΤΕΑΣ. *Thyrsus.* AE. III. (Pellerin.)

CΥΝΚΛΗΤΟC. *Caput nudum Senatus.* ℞ ΟΡΘΩΣΙΕΩΝ. *Raptus Proserpinae.* AE. II. (Pellerin.)

Fuit Orthosia Nysae vicina, a qua facile communionem sacrorum traxerit.

Alios vide apud Harduinum, et Haymium.

Typi et inscriptiones suadent, hos numos ad hanc potius Orthosiam, quam alteram Phoenices pertinere.

AE. RR.

Imperatorii.

Tantum sub Augusto et Vespasiano cogniti.

ΟΡΘΩΣΙΕΩΝ. *Raptus Proserpinae* in numo Augusti, quem Vaillantius inique Orthosiae Phoenices largitur, ut jam correxit Pellerinius [o]). Rationem typi dedi in autonomis. Alter similis est in museo Caesareo.

ΟΡΘΩCΙΕΩΝ. scriptum utrinque. *Juppiter aetophorus Laodicenus*, in numo Augusti, quem olim ex museo Magni Ducis edidi. (Num. vet. p. 209.)

In numo Vespasiani apud Arigonium est figura in quadrigis, sed et in hoc numo fors minus integro raptum Proserpinae suspicor.

AE. RRR.

PLARASA.

De hujus *autonomo* argenteo actum supra in Aphrodisiade Cariae.

---

o) Rec. II. p. 129.

PYRNVS.

In Peraea Rhodiorum testibus Plinio et Stephano.

Autonomus.

Caput solis adversum. ✕ ΠΥΡΝΗΩΝ. *Concha.* AE. II. (Pellerin.)
AE. RRRR.

STRATONICEA.

Mediterranea prope Alabandam, sic vocata a Stratonice Antiochi I. uxore, sed varia olim alia habuit nomina, quae latius commemoravi in meis Numis veteribus pag. 210., quorsum lectorem remitto.

Autonomi:

Victoria gradiens. ✕ CTPATONIKEΩN. *intra coronam.* AE. fere II. (Pellerin.)

Typus hic non obscura est ad urbis nomen adlusio.

CTPATONEIKIA. *Caput muliebre turritum.* ✕ EΠ -- INOΥ. CTPATONIKEΩN. *Diana venatrix.* AE. (Haym. T. II. p. 185.)

Capite anticae videtur proponi urbis genius.

CTPATONEIKE. *Bellerophon Pegasum freno ducens.* ✕ CTPATONEIKEΩN. *Ara ignita inter duas taedas ardentes.* AE. III. (Adpendic. Com. Cristiani.) Alium similem dedit Pellerinius, nisi quod epigraphe anticae est: EΠI. C. Λ. ΘEO — MOΥ. et Pegasus in numo forte non satis nitido careat alis.

Caput muliebre laureatum. ✕ CTPATONIKEΩN. *Pegasus volans, in area* B. AE. III. (Pellerin.)

De his typis satis olim disserui in meis Numis veteribus p). Nimirum haec urbs olim dicta fuit *Chrysaoris* haud dubie a Chrysaore Pegasi fratre, et verisimiliter structa a Lyciis, apud quos Bellerophonti magnus honos. Versabatur etiam hic heros in Caria, nam Bargyliam urbem condidit, ut in hujus numis dictum. Ara cum facibus ad Hecaten pertinet, quae illustre ibi templum et annuos conventus habuit, a quibus sacris urbs etiam *Hecatesiae* nomen tulit. Huc etiam haud dubie pertinet numus illis, quos primo loco citaveram, fere similis, nimirum: *Pegasus volans, infra quem* BEΛ. ✕ IEPATΩN--- *Ara ignita inter duas taedas ardentes.* Haymius hujus numi index eum Hierapoli Phrygiae tribuit q), verum, ut apparet, in hoc quoque numo per aevum vitiato legendum CTPATON -- et videntur literae BEΛ. positae pro Bellerophonte, qui in numis similibus aliis ipse adest, et Pegasum freno ducit, ut vidimus.

* * *

IEPA. CΥNKΛHTOC. *Caput Senatus.* ✕ INΔEI. ΘEA. PΩMH. *Caput muliebre, ex cujus fronte exiguus tutulus turget.* AE. III. (Pellerin Mel. I. p. 9.)

Argumenti causa addo imperatorios sequentes:

INΔEI. CTPATONEI. *Juppiter sedens* d. *pateram*, *s. hastam*, in numis Trajani. AE. II. (Pellerin l. c. Arigoni.)

p) L. c. q) T. II. p. m. 132.

ΙΝΔΕΙ. ΣΤΡΑ. ΣΥΝΚΛΗ. in alio: ΙΝΔ. ΘΕΟΣ. ΣΥΝΚΛΗΤΟΣ. *Caput Senatus laureatum*, in numis Hadriani. AE. (Mus. Caes. Magni Ducis, et Savorgnan.)

Ab his numis docemur, ut erudite primus explicuit Pellerinius [r]), Stratoniceam dictam quoque fuisse *Indicam*, vel alio nomine adfini ducto certe ab *Indis*, quo nomine non fluvius modo in Caria exstitit, cui teste Livio nomen fecit Indus ab elephanto dejectus [s]), sed etiam ipsa Caria, aut saltem ejus pars compellata fuit, quod copiosius, et additis ad Pellerinium novis observatis stabilire conatus sum in meis Numis veteribus, quo loco binos similes vulgavi.

AE. RR.

Imperatorii.

A Trajano et Hadriano, de quibus egi in autonomis, usque ad Valerianum.

Typus frequentior: *Juppiter stans* vel *sedens d. pateram, s. hastam.*

Videtur esse Iuppiter Chrysaorius, cujus hic illustre templum stetit, quique ab omnibus Caribus eximie cultus fuit [t]). Reliqui typi obvii.

* * *

Nomen ab Hadriano praefert in numo insigni Valeriani: ΑΔΡΙΑΝΟΠΟΛΕΙΤΩΝ. ΣΤΡΑΤΟΝΙΚΕΩΝ. quem edidi in meis Numis vet. p. 210. Item in alio Caracallae max. mod. musei Pisani, et testatur Stephanus, Stratonicenses revera ab Hadriano conditore nomen istud sibi adscivisse.

* * *

Magistratus tam in autonomis quam imperatoriis nulla mentione dignitatis, ut: ΕΠΙ. ΛΕΟΝΙΔΟΥ. — ΕΠΙ. ΚΛΑΥΔΙΟΥ. ΑΡΙΣΤΕΟΥ. Videtur tamen habuisse *ϛρατηγον*, *praetorem* secundum autonomum Pellerinii supra citatum, et alium Caracallae musei Pisani.

Epimeletes, id est: *curator.* ΕΠΙΜΕΛΗ. ΤΙ. -- ΑΡΙΣΤΕΑ. in numo Severi. (Neumann Num. popul.)

De munere *ἐπιμελητȣ*, qui tantum in numis duarum Cariae urbium, Antiochiae et Stratoniceae legitur, agemus in diatriba singulari.

* * *

Vaillantius numum Ant. Pii sic describit: ΚΛΑΥ. ΑΡΙΣΤΕΑΣ. ΣΤΡΑΤΟ. *Imperator eques dexteram attollens*, eumque argenteum vocat [u]). Sed videtur esse idem, quem in numis aeneis Graecis Augustorum fere simili modo describit. *AR. dubius AE. RR.*

TABA.

Mediterranea incerti situs ab aliis Cariae, ab aliis Lydiae tribuitur, a Livio ad Pisidarum fines constituitur [x]), ex quo saltem probabilis ejus situs inter tres has regiones, quae fere inter se contiguae fuerunt, colligi potest.

---

r) L. c. s) L. XXXVIII. c. 14. t) Strabo L. XIV. p. m. 660. u) Num. praest. T. II. p. 164. x) L. XXXVIII. c. 13.

Autonomi:

ΤΑΒΗΝΩΝ. *Caput Bacchi.* ✕ ΤΑΒΗΝΩΝ. *Neptunus stans.* AE. III. (Mus. Caes. Haym.) In alio epigraphe aversae: ΣΕΛΕΥΚΟΣ. ΔΡΑΧΥΛΛΙΔΟΥ. (Haym.)

Miratur Haymius, in numis urbis mediterraneae existere Neptunum, quare maritimam urbem has Tabas putat. At non permittunt istud Livii verba, quem citavi; quod vero ad Neptuni typum attinet, omni eum cura liberat Strabo loquens de Apamenis Phrygiae [y]), *quapropter*, inquit, *decet ab iis Neptunum coli*, *quamvis sint mediterranei.*

* * *

ΙΕΡΟΣ. ΔΗΜΟΣ. *Caput laureatum.* ✕ ΤΑΒΗΝΩΝ. *Fortuna stans*, in aliis: *Vrna supra mensam*, *in nonnullis juxta caput anticae est* B. AE. II. (Pellerin, Haym.)

* * *

Confer etiam numos Tabarum Decapoleos, nam nonnulli, quos eruditi his hactenus tribuerunt, Tabis nostris sunt restituendi.

Huc etiam haud dubie pertinent autonomi alii, in quibus perperam lectum ΓΑΒΗΝΩΝ pro ΤΑΒΗΝΩΝ, quique adeo perperam Gabam Ituraeae vocati fuerunt.

AE. RR.

Imperatorii.

A Caio et Lucio Caes. ad Gallienum usque. In illorum numo: ΤΑΒΗΝΩΝ. ΑΘΗΝΑΓΟΡΑΣ. Γ. intra coronam. (Pellerin Rec. III. p. 217.)

Typus frequentior: *Diana venatrix stans cum pileo Phrygio*, *ex adverso stans Mensis habitu curto cum pileo item Phrygio d. pateram*, *s. hastam tenens.*

Magistratus sine mentione dignitatis in autonomo et imperatorio citatis. Legitnr tamen

Archon in numis Caracallae, et Gallieni apud Pellerinium [z]) ut: ΕΠΙ. ΑΡΧ. Μ. ΑΥΡ. ΔΟΜΕΣΤΙΚΟΥ. ΤΑΒΗΝΩΝ. N. quae postrema litera videtur Pellerinio indicare

Neocoratum [a]), sed quod minus certum. *AE. RR.*

TRAPEZOPOLIS.

Mediterranea prope Maeandrum.

Autonomi.

ΤΡΑΠΕΖΟΠΟΛΙΤΩΝ. *Caput Mensis.* ✕ ΚΛΑΥΔΙΟΣ. ΡΟΝΤΗΣ. *Caput juvenile laureatum.* AE. III. (Pellerin.)

ΔΗΜΟΣ. vel ΙΕΡΑ. ΒΟΥΛΗ. cum typis obviis. (Pellerin, Harduin.)

AE. RR.

Imperatorii.

Commodi et Severi apud Vaillantium, inscripti ΤΡΑΠΕΖΟΥΠΟΛΕΩΣ. typo dei Mensis, aliis Luni. Sed Froelichius [b]), et Pellerinius [c]) suspicantur epigraphen male lectam pro ΤΡΑΠΕΖΟΝΤΙΩΝ, dictosque numos restituendos Trapezunti

y) L. IX. p. m. 868. z) L. c. a) Rec. III. p. 218. b) IV. Tent. p. 246. c) Mel. II. p. 112. et 130.

Ponti, ut jam ad hujus urbis numos notavi. Eorum conjectura nititur potissimum typo Luni, qui fere constans est in Trapezuntis numis. At cum ejusdem Luni, verius Mensis, caput compareat etiam in autonomo hujus Trapezopolis, ut vidimus, nulla est ratio, eos propter typum hunc huic Cariae urbi adimendi. *AE. RRR.*

TRIPOLIS.

Mediterranea ad Maeandrum.

Autonomi:

Hi paucis demptis offerunt in antica: ΔΗΜΟϹ, vel: ΙΕΡΑ. ϹΥΝΚΛΗΤΟϹ., vel: ΙΕΡΑ. ΒΟΥΛΗ. Aversa plerumque Latonae, numinis in hac urbe principis, ut numi docent, cultum praedicat sic:

ΛΗΤΩ. ΤΡΙΠΟΛΕΙΤΩΝ. *Latona sedens d. hastam.* (Patin pag. 405. Mus. Caes.) In aliis: *Eadem gemellos ulnis complexa intra templum, aut stans juxta mensam, super qua urna certaminum* nempe Latoniorum, de quibus in imperatoriis. AE. I. II. (Pellerin, Mus. Caes.)

ΔΗΜΟϹ. *Caput muliebre.* ✠ ΛΗΤΩΕΙΑ. ΠΥΘΙΑ. *intra coronam, foris in orbem:* ΤΡΙΠΟΛΕΙΤΩΝ. (Wheler Voyage n. 50. sed ubi perperam legitur ΗΤΡΟΠΟΛΕΙΤΩΝ.)

De his ludis vide imperatorios.

In aliis: *Juppiter Laodicenus*, *Nemesis*, *Diana*, *Hercules*, *Bacchus.* (Hunter.)

Mentio situs a Maeandro. V. imperatorios.

AE. RR.

Imperatorii.

Vaillantius unum Augusti reperit, plures a Caracalla ad Saloninam usque. Postea reperti bini alii aevi Augustei:

ΓΑΙΟΣ. ΚΑΙΣΑΡ. *Caput nudum Caii Agrippae F.* ✠ ΤΡΙΠΟΛΕΙΤΩΝ. ΑΠΟΛΛΩΝΙΟΥ. ΑΝΔΡΟΝ - - *Amazon cum bipenni in equo.* AE. III.

Numum hunc olim ex museo Com. Vitzai vulgavi [d]). Ergo et Tripolitani Amazonem urbis suae auctorem credidere. Proponitur in equo, quod in numis rarius. In contorniatis Penthesileam equitem habemus, et refert Arrianus, quamvis fide dubia, Alexandro M. oblatas centum Amazonas equites, quae secures pro hastis, peltas pro scutis gestabant [e]).

ΙΟΥΛΙΑ. *Caput muliebre velatum.* ✠ ΤΡΙΠΟΛΕΙΤΩΝ. *Pluto Proserpinam rapiens.*

Exstat in catalago musei Theupoli. Ejus Auctor capite anticae exhiberi Iuliam Augusti uxorem censet, mallem Iuliam Augusti filiam, Agrippae uxorem, et Tripolitani, qui filium in aere signarunt, videntur et matri hunc honorem habere voluisse.

* * *

ΑΥ. ΚΑΙ. ΤΡΑΙΑΝΟϹ. ϹΕ. ΔΑΚΙΚΟϹ. *Trajanus Martis more galeatus*

---

d) Num. vet. p. 215. e) L. VII. c. 13.

nudus stans d. hastam, s. tropaeum. ⅩΘЄΟΔΩΡΟϹ. Β. ЄΧΑΡΑ. ΤΡΙΠΟΛ. *Caput juvenile laureatum.* AE. I. (Pellerin Rec. III. tab. 128. n. 2.)

Eadem adversa. Ⅹ ΘЄΟΔΩΡΟϹ. Β.-- ΠΟΛΙΝ. *Caput muliebre turritum.* AE. I. (Ibid. n. 3.)

ΑΥ. ΚΑΙ. ΤΡΑΙΑΝΟϹ. ϹЄΒ. ΔΑΚ.-- *Trajanus paludatus stans s. hastam, dexteram adstituto tropaeo imponit.* Ⅹ ΘЄΟΔΩΡΟϹ. Β. ЄΧΑΡΑ. ΤΡΙΠΟΛ. *Protome Dianae.* AE. I. (Haym. T. II. p. m. 268.)

Alius similis, sed in Ⅹ ΤΡΙΠΟΛ. *Protome Palladis.* AE. III. (Mus. Caes. Patin.)

Haymius numum suum huic Cariae Tripoli tribuere non dubitavit, at de vocabulo ЄΧΑΡΑ pronunciare nihil est ausus. Pellerinius Tripoli Ponti proprios esse voluit, I. quia Byzantio sunt adlati, II. quia fabrica differunt a numis Tripolis Cariae, qui sunt obvii. III. quia in hujus numis magistratus non comparet. Vocabulum ЄΧΑΡΑ explet ἐχάραξε, putatque indicari, a Theodoro statuas Trajani in antica propositas fuisse erectas. Verum ego cum Haymio potius huic nostrae Tripoli vindicandos censeo, et esse ex eorum numorum genere, qui per certam tantum causam signati sunt, qualis fuerit forte factum aliquod singulare ac temporarium, quod non modo ex singulari vocabulo ЄΧΑΡΑ. verisimile fit, sed etiam, quod in illis unus perpetuo Theodorus legitur. Ejus exemplum obvium praebeant tot dedicationis numi suadente adulatione in Antinoi honorem signati etiam ab iis populis, qui ceteroqui nullam aliam nomine suo monetam percussere. Quae causa est, cur ejus generis Tripolitarum numi neque ante, neque post Trajanum compareant.

Quod vero hos numos hujus esse Tripolis putem, aliam rationem non habeo, quam quod haec fuerit illustrior, illa autem Ponti castellum tantum, et locus perobscurus, a Plinio et Arriano in periplo Euxini tantum in transcursu memoratus, et apud quem adduci non possum ut credam, numos tam illustres signatos. Fateor quidem, loci ignobilitatem generatim non obstare, quo minus aliquo tempore illustres edere numos potuisset, nam fuere urbes, quae simul creverunt, simul corruerunt, sed tamen cuperem vel unicum certum argumentum, quod eos in Pontum potius avertendos suaderet. Ea, quae Pellerinius adfert, magnopere sunt infirma. Adlati sunt numi Byzantio, quasi vero ex Caria eo derivari non potuissent. Ait, differre fabrica a numis Tripolis Cariae, qui sunt obvii, verum an obvii ante Caracallam, cujus aetate priorem ipse non novit? atque ad hunc inde a Trajano habemus intervallum centum facile annorum, quod majus est, quam ut de fabrica liceat tuto judicare. Ait, non comparere in Tripolis Cariae numis nomina magistratuum, quod judicium eliditur numo Caii Caesaris a me supra prolato, qui ignotus erat Pellerinio, et numo Augusti apud Vaillantium, in quo ЄΠΙ. - - ΤΡΥΦΩΝΟΣ. Quin eadem haec magistratus mentio Pellerinii sententiam labefactat, nam in nullo Ponticarum urbium numo, si Neocaesaream demus, magistratum certum habemus,

at frequentes in Cariae et Lydiae numis.

Quod ad vocabulum ЄXAPA. attinet, neque in hujus explicatione mihi cum Pellerinio convenit. Quis enim credat, de Theodoro Tripolis magistratu dici: ἐχαραξε, id est: *sculpsit* statuam? Dicimus sane: Pericles aedificavit Athenis Acropolin, sed non dicimus: Pericles sculpsit statuam Minervae, et nescio an probe Graece dicatur: χαρασσειν ἀγαλμα, pro ποιειν, γλυφειν etc. Si epigraphe ad erectas a Theodoro statuas adluderet, credo, non discessum foret a solita formula ἀνεθηκεν, aut analoga quadam alia ad illud, quod in moneta Latina literis F. C. indicatur. Planissime vero hanc ejus sententiam evertit adjectum TPIΠOΛIN numi secundi, cui praeire vocabulum item ЄXAPA. analogia suadet, etsi numus ea parte sit lacer. Quaeso, quid manifestum hunc accusandi casum regit? an ἐχαραξε? Ergo Theodorus sculpsit Tripolin? An non ex eo manifestum fit, το EXAPA. referendum ad Tripolin, non ad statuas? Alium igitur epigraphe explicatum desiderat, ac verisimiliter me judice vocabulum illud explendum est legendo ЄXAPAκωσε, vel ЄXAPAκιξε a χαρακοω vel χαρακιζω, *vallum circumdo*, sic ut totius epigraphes: ΘЄOΔΩPOC. B. ЄXAPA. TPIΠOΛIN. sensus sit: *Theodorus iterum* in magistratu constitutus *vallo cinxit Tripolin*, dignum factum, quo Theodorus in moneta publice gloriaretur, quo securitatem urbi, et diis patriis, qui in his numis proponuntur, sartam tectam praestabat. Prorsus analoge ad hanc numi epigraphen legas in numo Sepphoris Galilaeae: TPAIANOΣ. AYTOKPATΩP. EΔΩKEN. *Trajanus imperator dedit*, quidquid illud fuit, tum et in singulari numo Amasiae Ponti: ЄPMHC. KTICAC. THN. ΠOΛIN. *Mercurius urbis conditor*. Eodem modo in marmore Ancyrano celebrantur laudes incerti cujusdam ΣYNΠΛHPΩΣANTOΣ. K. AΦIEPΩΣANTOΣ. THI. MHTPOΠOΛ. TO. TEIXOΣ. *qui moenia metropolis* (Ancyrae) *complevit, et consecravit* f).

* * *

Mentio situs a fluvio Maeandro: MAIANΔPOC. *Fluvius decumbens*, in autonomo, (Pellerin.) et in numo Maximini (Vaill.)

* * *

Ludi ΛHTΩЄIA. ΠYΘIA. intra lauream, in autonomo citato, et in numo Gallieni. (Vaill.)

Latonam, in cujus honorem ludi ΛHTΩЄIA acti sunt, inter principes fuisse Tripolis deos, vidimus in autonomis, et videbimus in proximo concordiae numo.

* * *

Concordia cum Laodicenis Phrygiae: TPIΠOΛЄITΩN. KAI. ΛAOΔIKЄΩN.

f) Montfaucon palaeogr. p. 167.

OMONOIA. *Latona stans cum gemellis in ulnis, ex adverso Juppiter Laodicenus*, quo typo utriusque urbis numen habemus, quod apud singulas fuit praecipuum, in nummo Philippi sen. (Mus. Caes.) et Saloninae. (Vaill.)

* * *

Magistratus sine mentione dignitatis in numis Augusti, Caii Caes., et Trajani citatis.
AE. RR.

REGES CARIAE.

In regibus Cariae, aut ejus partis pro instituto nostro unam spectamus Maussolli familiam, quia haec una opes numismaticas reliquit. Reliquos vide in Reinero Reineccio, et in historia Cariae conscripta a Sevino [g]). Stirpis conditor *Maussollus I.* nobilis conjuge *Artemisia*, quae Xerxis socia praelio ad Salaminen ipsa interfuit, animi virilis femina. Ex hac gente post prodiit inclytus jam numis

HECATOMNVS.

Ab Artaxerxe Mnemone praefectus classi adversus rebellem Evagoram Cypri regem, sed quem cum evertere jussus esset, clam pecunia juvit. Mortuus circa annum V. C. 373. Filios habuit *Mausollum II., Hidriea, Pixodarum*, filias *Artemisiam et Adam*, suis singulas fratribus nuptas.

Numi:

EKATOM. *Leo gradiens.* X *Iuppiter Labrandensis gradiens d. bipennem, s. hastam.* AR. II. (Beger Th. Br. T. I. p. 266.)

De Iove Labrandensi apud Mylasam culto actum in numis hujus urbis. Placuit hic typus, quod teste Strabone [h]) Mylasa patria fuit, et regia Carum, qui cum Hecatomno fuerunt. Eum Hecatomni exemplo retinuere reges successores, etsi Halicarnassi regiam figerent.
AR. RRRR.

MAVSSOLLVS.

Hecatomni F. belli ac pacis artibus praestans ingens nomen adeptus est. Regno magnis accessionibus aucto, Halicarnasso, quorsum regiam sedem transtulit, magnificis substructionibus exornata moritur V. C. 401. (V. Sevinum l. c. Lucian. dial. mort. 24.)

Artemisia Maussolli soror et conjux in regno succedit, illudque cum laude administrat. Sed ex omnibus virtutibus enituit maxime fides ac pietas in maritum, cui vita functo monumentum struxit, *Maussolleum* appellatum, teste Strabone, Plinio, aliisque inter septem orbis miracula habitum, quamvis illud perfectum non vidit biennio post mortua, contracta ex mariti desiderio tabe V. C. 403. Verisimilem ejus aedificii secundum leges architectonicas structuram, et de ea testimonia vide proposita a Comite Caylus [i]).

g) B. L. T. IX. Mem. p. 113. h) L. XII. p. m. 974. i) B. L. T. XXVI. p. 321.

Numi:

Caput Solis obversum. X ΜΑΥΣΣΟΛ-ΛΟ. *Iuppiter Labrandensis gradiens d. bipennem, s. hastam.* AR. I. III.

In numis constanter ΜΑΥΣΣΟΛΛΟ. geminatis Σ et Λ, at in libris ΜΑΥΣΩΛΟΣ Terminatio in O Dorica est pro ΜΑΥΣΣΟΛΛΟΥ, ut observavimus ad ΑΛΕΞΑΝΔΡΟ. ΑΡΧΕΛΑΟ. primorum Macedoniae regum. Caput Solis ad Solem Rhodium pertinet, nam Rhodios stratagemate in suam potestatem redegit, eosque mortuo Maussollo jugum excutere ausos novo stratagemate sibi iterum subjecit Artemisia. Vide Sevinum haec omnia fuse enarrantem. Numi successorum a Maussolli numis sola epigraphe differunt.

AR. R.

Artemisia conjux numis genuinis caret. Ejus numos spectandae molis, in quorum aversa ΜΑΥΣΩΛΕΙΟΝ typo celebrati Mausolei esse adulterinos, ipsis jam tironibus notum, etsi a claris auctoribus vulgatos reperiam.

HIDRIEVS.

Maussolli frater. Hic quoque pro Artaxerxe Cypri regulis bellum fecit. Obiit V. C. 410. Vxor soror Ada.

Numi:

Caput Solis obversum. X ΙΔΡΙΕΩΣ. *Iuppiter Labrandensis gradiens d. bipennem, s. hastam.* AR. I. (Mus. Caes.)

AR. RR.

PIXODARVS.

Hecatomni filiorum natu minimus. Pulsa Ada sorore, quae marito successit, ope Othontopatis satrapae, de quo mox, regnum invasit, tenuitque annis V. mortuus V. C. 418.

Numi:

Caput Solis obversum. X ΠΙΞΟΔΑΡΟ. vel ΠΙΞΟΔΑΡΟΥ. *Iuppiter Labrandensis gradiens d. bipennem, s. hastam.* AR. III. (Mus. Caes.)

Caput Apollinis laureatum. X ΠΙΞΩΔ. *Iuppiter Labrandensis, ut supra.* AV. IV. (Pellerin Suppl. IV. p. 113. Catal. d'Ennery.)

AV. RRRR. AR. RR.

OTHONTOPATES.

Satrapa Persa, accitus, ut diximus, a Pixodaro, ut se in pellenda regno sorore Ada juvaret. Re patrata generum eum sibi adscivit collocata illi filia Ada. Successit subinde in regnum mortuo socero, verum Alexander M. tum forte in Cariam delatus ejecto iniquo possessore Adam Hidriei viduam sibi supplicem restituit, et reginam appellavit V. C. 420. k).

Numi:

Caput Solis obversum. X ΟΘΟΝΤΟ-ΠΑΤΟ. *Iuppiter Labrandensis gradiens d. bipennem, s. hastam.* AR.

Praeclarum istud cimelium primus vulgavit Bimardus l), sed epigraphen legit ΘΟΝΤΟΠΑΤΟ. Erudite is collegit, esse

k) Sevin. l. c. Bimard ad Iobert T. II. p. 329. l) l. c.

eum ipsum, qui Arriano dicitur Ὀροντοβάτης m), et de quo ibi narrantur omnia, quae mox de Othontopate commemoravi. At Barthelemyus revocato in examen eodem numo advertit, apparere vestigia praecedentis O, ac praeterea cum fuerit homo Persa, ejus nomen potius exire in ΗΣ, quam, ut Bimardo visum, in ΟΣ. Habemus ergo integrum ac verius ejus nomen Ὀθοντοπάτης, quod jam non nisi binis literis ab Arriani Ὀροντοβάτης aberrat n).

AR. RRRR.

INSVLAE CARIAE.

ARCONNESVS.

Juxta Halicarnassum.

Autonomum: ΑΡΚ. *Pallas stans* ✕ *Equus liber gradiens.* AR. III. Pellerinius huc pertinere conjicit. (Rec. III. p. 172.) Sed omnia persuadent, hunc numum esse Thessalicum, et fors Pharcadonis.

ASTYPALAEA.

A Rhodo in ortum.

Autonomus.

Navis cum vectoribus. ✕ *Delphinus.* AE. III. Literas hujus numi fugaces conjicit Pellerinius constituere vocabulum ΑΣΤΥΠΑΛΑ, at sibi ipse diffidit. (Rec. III. p. 128.)

Imperatorius.

Caput Tiberii laureatum. ✕ ΑΣΤΥΠΑΛΑΙΕΩΝ. *Victoria gradiens* AE. m. m.

Perperam conjicit Pellerinius, qui singularem hunc numum edidit o), signatum illum, quo tempore Tiberius in insula Rhodo morabatur, nam istud refellit corona laurea, qua Tiberii caput ambitur. Alius hujus insulae compertus non est.

AE. RRRR.

CARPATHVS.

Autonomus ΚΑΡΠΑΘΙΩΝ. uni Goltzio cognitus fuit. (in Insulis.)

COS.

Insula illustris, et Aesculapio cumprimis sacra, sic ut ea a Claudio Aug. ejus dei ministra diceretur concessa propterea immunitate p). Vrbem habuit ejusdem nominis.

Autonomi.

Caput Herculis imberbe leonis exuviis tectum. ✕ ΚΩΙΟΝ. ΚΑΕΙΝΟΣ. *Pagurus.* AR. m. m. (Pellerin.) *et variante magistratus nomine.* AR. III. AE. III. (Mus. Caes.)

Caput Herculis barbatum leonis exuviis

m) Exped. Alex. L. I. n) Mem. B. L. T. XXVI. p. 533. o) Rec. III. p. 37. p) Tacit. Ann. XII. 61.

tectum. Ӿ ΚΩΙΟΝ. *Caput muliebre velatum.* AR. II. (Pellerin.)

Caput Herculis barbatum laureatum cum clava supra humeros. Ӿ ΚΩΙΩΝ. *Vir stolatus stans d. pateram, s. hastam.* AE. I. (Pellerin.)

Hercules frequens in Coorum moneta argumentum, neque desunt scriptores, ejus in hac insula cultum testantes. Ab his utraque postremi numi pars rite explicatur. Narrat Aristides rhetor q), stetisse apud Coös signum Herculis clavam super humero gerentis, quod haud dubie exhibet pars antica. Pars aversa virum stolatum sistit, quem patera, quam dextera manu praefert, certum facit sacerdotem. Singularem hunc typum explicat Plutarchus r), cum quaerit, cur apud Coos Herculis sacerdos muliebri veste indutus sacra faciat? causamque reddit, quia Hercules conserto cum incolis praelio, eorumque pressus multitudine, ut tutius hostem falleret, cum Thressa muliere stolam mutavit. In hujus ergo memoriam eum observari ritum.

In numis I. et II. epigraphe est ΚΩΙΟΝ. pro ΚΩΙΩΝ, nimirum posito κτητικῳ pro ἐθνικῳ, ut ΑΙΓΙΟΝ pro ΑΙΓΙΕΩΝ in numis Aegii Achaiae vidimus.

Magistratus saepe additur, sed nulla dignitatis mentione, ut ΠΡΟΞΕΝΟΣ. Apud Arigonium est ΝΙΚΙΑΣ, qui forte idem est cum illo Nicia, quem narrat Strabo aetate sua Coorum tyrannidem invasisse s). Vide de hoc etiam infra in imperatoriis.

* * *

Caput Veneris. Ӿ ΚΩΙΩΝ. ΝΙΚΟΣΤΡΑΤΟ. *Aesculapius stans.* AR. I. (Dutens Explic. p. 108.)

Insigne hoc tetradrachmum notam Coorum Venerem sistit, opus Praxitelis, de quo Plinius, in aversa Aesculapium, de cujus in hac insula cultu egi supra.

* * *

Ο. ΔΑΜΟΣ. *Caput nudum barbatum.* Ӿ ΚΩΙΩΝ. *Hercules stans s. clavam, brachio inhaeret Cupido, pro pedibus pagurus.* AE. II. (Hunter.)

Seguinus in simili pro Ο. ΔΑΜΟΣ. legit ΚΑΛΜΟΣ t), inique, ut patet.

* * *

ΙΠΠΟΚΡΑΤΗΣ. *Caput Hippocratis barbatum recalvastrum.* Ӿ ΚΩΙΩΝ. *Baculus cum serpente.* AE.

Fuit Cos celebris hujus medici natalibus cumprimis nobilitata. Numum, quem coram descripsi, dedit Meadius Anglus ex thesauro regis Galliarum in fronte orationis suae Harveianae, dissimulat eum Harduinus, Gronovius eandem effigiem petit ex numismate Vrsini. Constat, medicos in hac insula insignis fuisse nominis, quos Theopompus citatus apud Photium per Podalirium ab Aesculapio descendere facit. Ceterum numum hunc confictum suspicor.

ΞΕΝΟΦΩΝ. *Caput nudum imberbe.* Ӿ ΚΩΙΩΝ. *Hygia stans.* AE. III. (Pellerin Rois p. 206.)

---

q) Orat. T. I. p. 34. r) Quae. Graec. p. 504. s) L. XIV. p. m. 972. t) Num. sel. p. 18.

Sistit antica Xenophontem illustrem medicum, qui in artis suae praemium immunitatem popularibus Cois a Claudio impetravit. Vide Pellerinium. Hujus causa meriti monetae a suis est illatus sociata Hygia salutis praeside.

* * *

Caput Aesculapii laur. X ΑΣΚΛΗΠΙΟΥ. ΣΩΤΗΡΟΣ. *Serpens adsurgens et cauda cortinam Apollinis complexus.* AE. III. (Mus. Caes.) In aliis: *Baculus Aesculapii.* AE. IV. (Mus. Caes.)

Noti sunt hi numi, etsi satis certum non sit, quia patriae mentione abstinent, utrum huic insulae tribuendi sint potius, quam Pergamo, ubi Aesculapii cultus aeque fuit conspicuus. Dixi, Apollinis cortinam serpentis cauda stringi. Haec cortina in his numis raro satis perspicua est, sed manifeste apparet in numo simili integerrimo illustris Reuteri Moguntini. Nimirum evidens est textura tapetis, quo illa insternitur. Confer numos primorum Syriae regum. Iungitur serpens Aesculapii cum cortina Apollinis patris.

* * *

Observandum adhuc ad Coorum numos.

I. A Goltzio et Begero perperam huc referri numos inscriptos]ΠAЯ aut similiter, quos esse Capuae in hujus numis demonstravimus.

II. Alios idem edidit Goltzius, in quorum una parte ΚΟ, vel ΚΩ, altera ΩΣ, quosque hujus insulae monetae inseruit. Rarissima sunt exempla, urbis nomen sic dirimi, ut ejus pars una in parte antica, altera in aversa constituatur, qualia vidimus in numis Lai Lucaniae, et Abacaeni Siciliae. Ad haec typus botri, et diotae, qui est in his numis, satis persuadet, eos esse verius Corcyrae, ut jam alias monui [u]). Ceterum Coorum gentile statuit Stephanus Κόος et Κῷος.

III. Numum argenteum edidit Maffeius [x]), eumque restituit Froelichius [y]): ΙΓΗΝΑΙ - - ΚΩΙ - - *Caput Jovis.* X ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΛΥΣΙΜΑΧΟΥ. *Pallas sedens*, ut in obviis Lysimachi regis Thraciae. Vereor, ne numus sit hermaphroditus, et ex binis ad diversas classes pertinentibus pessime confictus, cujus antica sumpta sit ex notis similibus Goltzianis, ut revera horum unus inscribitur ΙΓΗΜΑΝΟΣ. ΚΩΙΩΝ., postica ex notis Lysimacheis. At sine dubio spurius est aureus max. mod., cujus eodem loco meminit Froelichius, in cujus item antica est: ΙΓΗΝΑΙΟΣ. ΚΩΙΩΝ. *Caput Jovis.* X VESTA. S. C. *Vesta sedens.* De mala numi hujus fide jam alias pluribus egi [z]), et copiosius agam in numis Liviae Augusti uxoris.

AR. R. AE. C.

Imperatorii.

Recensentur quidem ab Augusto usque ad Philippum, sed habemus et Augusto priores a variis vulgatos. Eccos:

---

u) Num. vet. p. 107. x) Ver. ill. Part. III. p. 238. y) Not. elem. Tab. X. z) Num. vet. p. 63.

ΜΑΡΚΟΣ. ΛΕΠΙΔΟΣ. *Caput M. Lepidi nudum.* ꭗ ΔΙΟΦΑΝΤΟΣ. ΚΩΙΩΝ. *Caput Aesculapii.* AE. I. (Morelli fam. Aemil. tab. 2. Pembrock P. III. tab. 46.) AE. III. (Patinus in fam. Aemil.)

ΝΙΚΙΑΣ. *Caput virile nudum,* ꭗ ΔΙΟΦΑΝΤΟΣ. ΚΩΙΩΝ. *Caput Aesculapii.* AE. I. (Morelli in fam. Aemil. tab. 2.) In alio simili: ΧΑΡΜΥΛΟΣ. ΚΩΙΩΝ. AE. I. (Mus. d'Ennery p. 445.)

Numum ex citatis primum jam vulgavit Tristanus [a]), neque dubito, ab hoc eum exemplari fluxisse in Vrsinum Patini, et Morellium. Sed neque dubito etiam, etsi numum hunc genuinum demus, epigraphen ΜΑΡΚΟΣ. ΛΕΠΙΔΟΣ. a novicia manu fuisse intrusam. Fuere etiam, qui in numis altero loco descriptis caput ejusdem Lepidi IIIviri viderent, etsi adscriptum sit nomen ΝΙΚΙΑΣ, quos inter fuit Havercampus [b]), cum tamen nulla appareat ratio, cur Coi Lepidum monetae inferrent, cui in orientis provincias nihil unquam juris fuit. In his ergo numis, si modo genuini sunt, verisimile est exhiberi caput Augusti, tum et Niciam Coorum magistratum, sive is fuit Nicias tyrannus, de quo egimus in autonomis, sive alius aliquis hoc nomine. Vide molestas de his numis tricas ab Havercampo repetitas [c]).

* * *

ΖΕΥΣ. ΚΩΙΩΝ. *Caput Iovis*, in numo Neronis. (Vaill. Morelli.)

* * *

Magistratus frequenter in Coorum moneta legitur, praecipue in autonomis, sed quae fuerit ejus dignitas, numi non produnt, quamvis ex marmoribus constet, remp. fuisse ab archonte gubernatam. Hunc quidem Vaillantius vidit in numo Augusti, in quo legit: ΝΙΚΑΓΟΡΑΣ. ΑΡ. sed videtur lectio intuta. Luculentius hunc probaret numus Caracallae apud Harduinum, et Spanhemium [d]): ΑΡΧ. ΜΕΝΕΚΡΑΤΟΥC., verum in simili Severi Pellerinius pro ΑΡΧ. legit ΑΡΧΗΛΟ., auctor musei Theupoli ΑΡΧΗC. et Arigonius ΑΡΚ.

* * *

Concordia cum Mileto, Apolline Milesiorum, et Aesculapio Coorum stantibus. *AE. R.*

NISYROS.

Prope Co insulam.

Autonomi:

Caput Veneris. ꭗ ΝΙΣΥΡΙΟΝ. ΙΜΕΡΑΙΟΣ. *Neptunus rupi insidens d. tridentem.* AR. III. (Haym. T. I. p. 235.)

Vnicus hic hactenus vulgatus ex argento numus. Iudice Haymio signatus in hoc Neptunus, quia apud hanc insulam in Polybotem gigantem tridentem intorsit, ut ex Homero refert Stephanus.

* * *

a) Comment. hist. T. I. in numis Lepidi IIIviri. b) Ad Morellii fam. p. 11. c) L. c. p. 11. et 645. d) T. I. p. 693.

Aenei inscripti solis literis NI. typis delphini, capitis bovini etc. quos vide apud Pellerinium.

AR. RRRR. AE. RR.

RHODVS.

Insula ejus tractus longe celeberrima.

Autonomi:

Caput Solis plerumque adversum, liberaliter crinitum, plerumque etiam radiatum. ✕ PO. POΔΙΟΝ. POΔΙΩΝ. *Flos calicis forma*, in aliis *rosa*, *addito saepe magistratu*, *variisque in area sigillis.* AV. III. (Mus. Medic.) AR. I. II. III. AE. III. obvii.

Nihil his numis tritius, dempto citato aureo, qui, quod norim, unicus hactenus est, et a me olim editus [e]). Solis apud Rhodios cultus cognitus, cujus beneficio insula prius eluvioni ob humilitatem pervia altius emersit. In aversa monetae Rhodiae fere constanter flos comparet. Eum antiquarii olim omnes rosam credidere, quam sententiam plane evertere conatus est Spanhemius secutus Vossium, et esse balaustium, id est: florem mali Punici, quo ad tingendam lanam utebantur Rhodii, copiosis argumentis comprobavit [f]). Non adversabor utriusque viri conjecturae, atque istud tanto minus, quia flos hic in plerisque his numis rosae speciem omnino non praefert, sed ejus potius, quem *tulipam* vocamus, cujus formae sitne balaustium, Florae filiis permitto. Nolim tamen prorsus ex his numis eliminari rosam, nam sunt non pauci, forte Spanhemio ignoti, in quibus rosa adversa ex forma rotunda, et ejus complicatis foliis facile agnoscitur, cujus modi complures sunt in museo Caesareo, et alibi. Nihil igitur obest, quo minus credamus, utrumque florem a Rhodiis insertum monetae, balaustium ob praeclara lanificia insulae quaestuosa, florem propter adlusionem ad insulae nomen, nam ῥόδον Graecis rosam significat.

* * *

Caput Bacchi hedera et corymbis coronatum, in aliis praeterea radiatum. ✕ POΔΙΩΝ. *addito magistratu, v. g.* ΕΠΙ. ΑΝΤΙΠΑΤΡΟΥ. *vel:* ΕΠΙ. ΦΑΙΝΙΛΑ. *Victoria gradiens d. extenta lauream, s. palmae ramum, in nonnullis prorae navis insistit.* AE. I. (Mus. Caes.) In aliis: POΔΙωΝ. ЄΠΙ. ЄΥΔωΡΟΥ. AE. m. m. (Mus. ill. Comitis de Sternberg.)

Offerunt hi numi pro Apolline sole Bacchum solem, quem propterea in nonnullis corona radiata ambit. Cum Baccho communicatos etiam solis honores, vulgo cognitum. Victoria in aliquibus navi insistens adludit ad rem maritimam, qua Rhodios longe excelluisse constat.

* * *

Caput Medusae adversum absque collo turgentibus e fronte binis alis, et serpentibus cinctum. ✕ PO. ΓΩΤΟΣ. *Balaustium.* AR. II.

---

e) Num. vet. p. 216. f) Tom. I. p. 315.

Numum hunc ex museo Caesareo olim edidi, et in parte antica proponi Solis caput dixi [g]). Serius similem magis integrum in catalogo Hunteriano vulgatum vidi, in quo cum praeter alas viderem etiam serpentes, caputque sine collo, quae sunt certissima Medusae indicia, retractanda sunt utique, quae tum sanxeram, et suum Medusae jus restituendum, etsi ignorem, cur Gorgonem in monetam suam vocare placuerit Rhodiis.

* * *

Hercules infans binos serpentes elidens. ✗ PO. *Balaustium.* AR. II. (Hunter.)

Similis Herculis typus est in numo Ephesi, obvius autem in numis Crotonis.

* * *

Caput Solis radiatum. ✗ ΡΟΔΙΩΝ. ΔΙΔΡΑΧΜ. *Mulier adversa stolata stans, quam volans superne utrinque Victoria velamine obumbrat, pro pedibus duae parvae figurae stantes.* AE. I. (Hunter.)

Figura aversae haud dubie domesticum aliquod Rhodiorum numen, illudque operis antiquissimi sistit, cujus generis signa pleraeque urbes aliqua privatim habuere testibus non numis modo, sed et scriptoribus, praecipue Pausania. Additum ΔΙΔΡΑΧΜ. est etiam in imperatoriis.

* * *

Magistratus sedulo inscribitur autonomis, et quidem Dorice, et aut in recto ut: ΜΝΑΣΙΜΑΧΟΣ, aut praefixo ΕΠΙ. Dignitas in unico additur: ΤΑΜΙΑ. ΤΕΙΜΟΣΤΡΑΤΟΥ. *Balaustium.* AE. I. (Pellerin.) Neque in imperatoriis ejus mentio, sed tantum ΔΗΜΑΡΑΤΟΥ. in numo Neronis. (Vaill.) Harduinus in numo Domitiani vidit Aemilium Antonium Nasonem *prytanin*, at numum hunc esse Bithynicum, non Rhodium, et aliter legendam epigraphen, dixi in prolegomenis ad numos Bithyniae. Ceterum summum apud Rhodios magistratum fuisse prytanin, constat ex Appiano [h]), Livio [i]), et Polybio [k]).

* * *

De numis inscriptis ΡΑΙΛΙΤΝΟ, quos aliqui esse Rhodios credidere, vide dicta in Traelio Macedoniae.

AV. RRRR. AR. et AE. C.

Imperatorii.

Multo autonomis pauciores editi a Nerone ad M. Aurelium usque, nam quem Pellerinius olim Caracallae tribuerat [l]), inscriptum ΑΝΤΩΝΙΝΟC. ΚΑΙCΑΡ., eum serius M. Aurelio Caesari restituendum docuit [m]), sed eo fallitur, quod ab Aurelio mox post adoptionem susceptum Antonini nomen statuit, ut videre est ex iis, quae in Aurelii moneta ad titulum *Antonini* monebo. Tamen numi aliqui etiam Nerone priores Rhodo haud dubie tribuendi, nimirum:

ΡΟΔΙΟΙ. ΥΠΕΡ. ΤΩΝ. ΣΕΒΑΣΤΩΝ.

---

g) Num. vet. p. 216. h) B. civ. L. IV. c. 66. i) L. XLII c. 45. k) Exc. leg. 64. l) Mel. II. m) Lettres p. 26.

Caput muliebre turritum. X ΔΙΔΡΑΧΜΟΝ. *Sol nudus capite radiato stans s. amiculum, d. adstitutum tropaeum coronat.* AE. m. m.

Insignem hunc numum edidit Pellerinius [n]), corrigitque praecedentium antiquariorum lapsus, qui in numo simili legerant: ΚΛΑΥΔΙΟΥ. ΥΠΕΡΙΩΝ. ΣΕΒΑΣΤΟΥ., eumque tribuerant Claudio tanquam Soli, qui Homero Hyperion dicitur, multaque alia inania attulerant. Sublato opportune hoc errore continuat vir eruditus, hos numos pleno jure pertinere ad M. Aurelium, et L. Verum, qui primi simul imperavere, et typo aversae significari victorias, quae de variis populis retulere, atque inde arguit, argenteos quoque numos drachmae pondere M. Aurelii, Faustinae jun., L. Veri, Lucillae, qui inscribuntur: ΥΠΕΡ. ΝΙΚΗC. ΡΩΜΑΙΩΝ., vel ΥΠΕΡ. ΝΙΚΗC. CΕΒΑCΤΩΝ., vel ΥΠΕΡ. ΝΙΚΗC. ΚΥΡΙΩΝ. CΕ. Rhodi signatos. Quare etiam in aeneo, de quo agimus, sub ΥΠΕΡ. intelligi debere ΝΙΚΗC., quod vocabulum alioqui satis tropaeo partis aversae indicatur. Haec Pellerinius, cui sane correctam epigraphes lectionem debemus, cujus vitio factum, ut tam absurda ab antiquariis nobis obtruderentur. Verum nomine ΣΕΒΑΣΤΩΝ in his aeneis intelligi M. Aurelium, et L. Verum, tanto est difficilius concedendum, quanto maturius aevum litera Σ pro C aperte postulat, qua forma illa in hujus aevi numis vix ac ne vix quidem amplius reperitur. Et fuisse eam hac aetate jam in Rhodo quoque abolitam, docet numus M. Aurelii supra citatus, tum et numus Veri inscriptus ΒΗΡΟC [o]). Equidem hoc vocabulo ajo potius notari Tiberium et Iuliam matrem, quos vocatos fuisse Augustos et historia docet et numi, nam Smyrnaei, ut in horum numis vidimus, se dixere ΝΕΩΚΟΡΟΥC. ΤΩΝ. CΕΒΑCΤΩΝ., nimirum Tiberii et Iuliae. Cum igitur numus praesens aliam aetatem, quam praetentam Aurelii et Veri exigat, suapte ruunt omnia ea, quae Pellerinius de subaudiendo ΝΙΚΗΣ, et de tribuendis Rhodo memoratis drachmis disputat, quas omnes in Mesopotamia esse malleum expertas probare conabor in numis Mesopotamiae incertae urbis. Id unum addo: si hae drachmae essent Rhodiorum, pro ΝΙΚΗC legeretur ΝΙΚΑC. Etenim Aristides his numis coaevus Rhodios laudat, quod hactenus illibatum Dorismum constanter servaverint [p]). Ceterum quis sit totius epigraphes: ΡΟΔΙΟΙ. ΥΠΕΡ. ΤΩΝ. ΣΕΒΑΣΤΩΝ. sensus, difficilius forte videatur explicare. Verisimile, Rhodios indicare voluisse, se *pro Augustorum* incolumitate omnem suam velle opem conferre. Sane habuere Rhodii causam prae aliis Augustis Tiberio gratificandi, qui Rhodum selegerat, ubi privatam vitam per complures annos ageret, qua de causa eam Manilius dixerat *hospitium recturi principis orbem* [q]).

* * *

n) Lettres p. 23. o) Mus. Christinae Tab. LIX. n. 15. p) Orat. T. I. p. 571. q) L. IV. v. 762.

ΚΑΙΣΑΡ. ΑΥΤΟΚΡΑΤΩΡ. ΝΕΡΩΝ. *Caput Neronis laureatum et radiatum.* ※ ΡΟΔΙΩΝ. *Victoria rostro navis insistens, in area rosa.* AE. m. m. (Mus. Pisani tab. VI.)

Vidimus in numo praecedente causam adfectus Rhodiorum in Tiberium, praesente adfectum in Neronem testantur. Ejus causam Mazzolenus jam exposuit. Nimirum cum libertatem Rhodiis ademisset Claudius, quod Romanos quosdam in crucem egissent, eam illis, sed deprecante Nerone, restituit. Ergo Rhodii Neronem in hoc numo proposuere cum corona primum laurea tanquam imperatorem, deinde radiata tanquam Solem, deum nempe suum praestitem. Non possum hoc loco omittere perelegans epigramma Antiphili, quo ea, quae dixi, egregie illustrantur r):

Ως πκρος Αελιȣ, νυν Καισαρος ἡ Ροδος ἐιμι,
Νασος, ἶσον δ' ἀυχω φεγγος ἀπ' ἀμφοτερων.
Ηδη σβεννυμεναν με νεα κατεφωτισεν ἀκτις,
Αλιε, και παρα σον φεγγος ἐλαμψε Νερων.
Πως ἐιπω, τινι μαλλον ὀφειλομαι; ὁς μεν ἐδειξεν
Εξ ἁλος, ὁς δ' ἠδη ῥυσατο δυομεναν.

Quod sic eleganter reddidit Grotius:

Solis eram quondam, nunc Caesaris insula magni
Sum Rhodos, ex aequo lux ab utroque juvat.
Namque exstincta forem, nisi sol mihi surgeret alter,
Et jubar ex Latia tolleret arce Nero.
Plus mihi praestat uter? dedit ille emergere ponto,
Hic me restituit, cum prope mersa fui.

ΠΟϹΕΙΔΩΝ. ΑϹΦΑΛΕΙΟϹ. ΡΟΔΙΩΝ. *Neptunus stans ad aram d. delphinum, s. tridentem,* Antonini Pii. AE. m. m.

Numum hunc edidit, explicavitque Gallandus s). Narrat Strabo, cum in mari Aegeo parva insula Theram inter et Therasiam enata esset, ad rei miraculum adcurrisse Rhodios, et in ea aedificasse Ποσειδωνος Ασφαλιȣ ἱερον, *Neptuni stabilientis templum.* Vide ibi plura de Neptuno Asphalio.

* * *

Liberam fuisse Rhodum, constat ex historia. Ejus etiam testem numum citat Spanhemius ex museo Mediceo t): *Caput Solis.* ※ ΡΟΔΙΩΝ. ΕΛΕΥΘ. *Victoria gradiens.* Idem altius, lapsu credo memoriae, pro capite Solis caput Neronis vidit u).

* * *

Magistratus. De hoc actum in autonomis.

* * *

ΔΙΔΡΑΧΜΟΝ. in autonomo, ut vidimus, tum in aeneis Tiberii et Juliae supra indicatis, in alio Nervae, (Catal. d'Ennery) in aliis Trajani. (Vaill.) De

r) Brunck Anal. T. II. p. 174. s) Mem. B. L. Tom. I. p. 153. t) T. II. p. 584. u) T. I. p. 679.

hoc ponderis vocabulo egi in prolegomenis generalibus cap. IX.
AE. RR.

ASTYRA RHODI.

Rhodi oppidum uno Stephano teste, qui praeterea hujus nominis aliud in Troade constituit.

Autonomus:

Caput Solis adversum. ✗ ΑΣΤΥΡ. *Diota major adstituta alia minore.* AE. III. (Pellerin.)

Ex typo adversae et fabrica hunc numum hujus esse Astyrae censet Pellerinius.
AE. RRRR.

IALYSVS RHODI.

Autonomum edidit Havercampus, in quo legit retrograde ΙΑΛΑΣΟΥΣ., docuitque, ad hanc eum Ialysum pertinere x). Verum satis constat, esse eum Alaesae Siciliae. Nullus igitur hactenus oppidi hujus numus cognitus.

SYME.

Cnido adjacens. *Autonomos* argenteos unus edidit Goltzius: (in insul.) *Caput Proserpinae spicis coronatum.* ✗ ΣΥΜΑΙΩΝ. *Spicae*, in alio: *urbis nomen intra coronam spiceam.* Si numi hi genuini sunt, valde conspirant cum numis vulgo Ereso Lesbi tributis.

TELOS.

Priori vicina insula.

Autonomus:

Caput Iovis. ✗ ΤΗΛΙ. *Pagurus.* AE. III. (Pellerin.)

Praeter hunc nullus alius cognitus.
AE. RRRR.

x) Dissert. de vet. lit. Graec. Tab. I.

FINIS VOLVMINIS II.

TYPIS HAEREDUM de GHELEN.

SPECIAL 83-B
1358
V.1
GETTY CENTER LIBRARY